JOSEPHO ESCOLÁ

PRESBITERO

BREVIARIUM

MARIANUM

BT645
B74
C.1

NERAL DE B

006 4

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

BREVIARIUM
MARIANUM

EX INDULTU

SACRORUM RITUUM CONGREGATIONIS,

CUM APPROBATIONE ET LICENTIA

AUCTORITATIS ORDINARII ECCLESIASTICI,

SUB AUSPICIIS

EXCMI. ACILLMI. D.D. ANTONII MARIÆ CLARET ARCHIEP. S. JACOBI

DE CUBA,

IN HONOREM

SS. VIRGINIS MARIÆ DEIPARÆ

A JOSEPHO ESCOLÀ PRESB. MISSION. APOST. DE PROP. FIDE

CONCINNATUM ET EDITUM.

Quidquid grandius, quidquid excellentius quodquid dignius retro usquequaque scripta de Deipara Sanctissimâ inquiuntur.... hoc unico in libro accuratissimâ diligentiâ collectum sub oculis ponitur.

Hic semper fuit propositus scopus, disperso omnia et singula per orbem testimonia, quæ pietas et scientia Marianistarum in Deiparæ gloriam extulere, eorumdem accuratissimum recognitum congerere et omnibus unus....

In Prælectione Brev. Mar.

ILERDÆ:

TYPIS JOSEPHI SOL BIBLIOPOLÆ.

ANNO MDCCCLIX.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Virtual y Digital
45340
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

BT645
B74

Cum in Psalmodiæ studiis et divinis laudibus te vigilanter exerceas, hortor, venerande frater, et moneo, ut QUOTIDIANUM quoque Beatæ MARIÆ semper Virginis OFFICIUM non omittas: dignum quippe est, ut quæ laudum præmia meretur ab angelis, obsequiis etiam frequentetur humanis eique post Deum totus orbis exhibeat laudem, per quam suscepit propriæ salutis auctorem. Optima sanè spes est apud eam habere confugium, quæ scilicet inter cœlestis curiæ Senatores impetrandi apud Deum primum obtinet locum.

S. Petr. Damian. Epist. ad Stephan. Monach.

Esta obra es propiedad de su Autor.

FONDO SANTIAGO VALVERDE Y TELLEZ

AUGUSTISSIMÆ

CŒLORUM REGINÆ

AC

DEI GENITRICI

SACROSANCTÆ

MARIÆ

SEMPER ET UBIQUE IMMACULATÆ,

DIGNISSIMÆ DOMINÆ AC MATRI MEÆ CARISSIMÆ

IN GRATI ANIMI SENSUM

AC

IN MEI AMORIS PERENNE PIGNUS

HOC BREVIARIUM MARIANUM

minimus servorum ac filiorum suorum

JOSEPHUS ESCOLA

D. O. C.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DECRETUM

SACRORUM RITUUM

CONGREGATIONIS.

BME. PATER.

Josephus Escolà Presbyter in Diœcesi Ilerdensi, quum in formam BREVIARII MARIANI plurimas preces singulis diebus in honorem Beatissimæ Virginis distinctè recitandas concinnaverit, antequàm typis hic liber mandetur, prævià sui Episcopi approbatione et licentiâ, ad S. V. pedes humillimè provolutus interrogat, an ob formæ ac tituli hujusmodi libri novitatem ad illum evulgandum indigeat priùs sanctione S. Vestræ.=

Die 16 Martii 1857.

Negativè.

Locus ✠ *Sigilli.*

BEATMO. PADRE.

Il Sacerdote Giuseppe Escolà della Diocesi di Lérida avendo ordinato in forma di BREVIARIUM MARIANUM *molte preghiere da recitarsi distintamente in ogni giorno dell' anno in onore della B. Vergine, prima di renderlo publico con la stampa previa l' approbazione del suo Vescovo, desidera sapere, se abbisogni della sanzione della S. V. nel caso che la novità della forma e titolo di questo libro renda necessaria l' approvazione della S. C. de' Riti.=*

Die 16 Martii 1857.

Negativè.

Locus ✠ Sigilli.

APPROBATIO A CENSORIBUS DATA.

Infrascripti Rector et Professores Seminarii Tridentini Ilerdensis ad operis, cui titulus est BREVIARIUM MARIANUM, examen à Rmo. Domino Episcopo Ilerdensi deputati, præfatum Opus eâ, quâ par est, attentione, perlegimus, in eoque non tantùm nihil catholicæ fidei bonisque moribus adversans reperimus; imò potiùs omnia in ipso contenta, utpotè maximâ ex parte innixa effatis ac sententiis Sanctorum aliorumque plurium, qui de laudibus eximiâque erga Beatam Virginem MARIAM devotione optimè meriti sunt, in idque ingenium et calamum suum acuêre, ad cultum erga Deiparam magis magisque promovendum valdè idonea ejusdemque Beatæ Virginis filialem amorem ubiquè spirantia novimus.

Herdæ in Seminario Tridentino die 2 Julii, festo Visitationis B. M. V. anni 1858.

Josephus Millà.=Antonius Pintó.=Romanus Vigordan.

Per nos licet prælo mandetur.

Dr. Joseph Ricart, Gubr. Vic. Gens.

Locus ✠ *Sigilli.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PROTESTATIO AUCTORIS.

Sanctissimi Domini nostri Urbani VIII. Decretis observantiâ et reverentiâ, quâ par est, inhærendo, profiteor me haud alio sensu quidquid circa miracula, seu revelationes, seu apparitiones Beatissimæ Virginis in hoc opere BREVIARIO MARIANO refero, accipere aut accipi ab ullo velle, quàm eo, quo solent ea, quæ humanâ dumtaxat auctoritate, iis tamen exceptis quæ divinâ catholicæ Romanæ Ecclesiæ aut Sanctæ Sedis apostolicæ, niituntur.

Item profiteor, non meam esse mentem in confectione aut editione hujus BREVIARII MARIANI opus liturgicum aut ad ecclesiasticum cultum destinatum, vel aliquandò destinandum, quod ad solam Ecclesiæ auctoritatem pertinet, vel efformare vel edere; sed tantùm quoddam Manuale Marianæ pietatis, quo fidelium devotio erga Deiparam Sanctissimam magis ac magis augeatur, foveatur et privatim, si ita placuerit, ipsa Diva Virgo hoc novo obsequio colatur, sicut jam ab antiquo innumeris aliis obsequiis colitur.

Item profiteor, omnia et singula Sanctorum Patrum aut Doctorum, sive aliorum Auctorum, sive à me ipso prolata et scripta in hoc opere verba, dicta et intellecta me velle esse in eo tantùm sensu, quo ea dicit et intelligit ipsa Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, ita ut sicut omne omninò hujus Ecclesiæ fidei ac doctrinæ consentaneum admitto, ita etiàm omne omninò quod eidem adversetur, rejicio.

PERILLUSTRIUM MARIOPHILORUM ANTISTITUM

pietate hoc MARIANUM TESTIMONIUM plurimis Indulgentiis ditatum extollitur.

Horum Reverendissimorum Pontificum, qui eas Indulgentias *concessère, Nomina et Verba ipsa hujusmodi concessionum ex eorum vel decretis vel congratulatoriis litteris acceptis excerpta, servato idiomate hispano, in grati animi sensum sequenti ordine consignare placuit.*

I.

Excmus. et Illmus. D. D. ANTONIUS MARIA CLARET, Archiepiscopus S. Jacobi de Cuba.

Madrid 18 Abril de 1859.=Concedo ochenta dias de indulgencia por rezar cada una de las Horas del BREVIARIO MARIANO, así menores como mayores: por cada Nocturno ochenta y por Laudes otros ochenta, y las mismas por leerlas con devocion.=El Arzpo. CLARET.

II.

Illmus. et Revmus. D. D. PETRUS CYRILLUS URIZ, Episcopus Ilerdensis.

Obispado de Lérida.=Accediendo á los deseos de V. y con el fin de promover la mayor devocion á MARIA Santísima concedo cuarenta dias de Indulgencia á todos los fieles cristianos por cada vez que devotamente rezaren cualquiera de las Horas canónicas mayores ó menores: otros cuarenta por cada nocturno y por los Laudes, y otros cuarenta á los que leyeren ú overen leer cualquiera de las referidas Horas del BREVIARIO MARIANO arreglado por D. José Escolá Presbítero Misionero Apostólico en esta Diócesis, rogando á Dios por las necesidades de la Iglesia.= Lérida 6 de Abril de 1859.=PEDRO CIRILO, Obispo de Lérida.

III.

Exmus. et Illmus. D. D. PAULUS GARCIA ABELLA, Archiepiscopus Valentinus.

Valencia 2 de Abril de 1859.=Aprovecharé todas las ocasiones para recomendar tan preciosa obra (el BREVIARIO MARIANO) al Clero de esta Diócesis..., y concedo ochenta dias de Indulgencia *á los que lo rezaren ó leyeren* en los mismos términos que los haya concedido el Excmo. é Ilmo. Sr. D. Antonio Claret.=PABLO, Arzpo. de Valencia.

IV.

Exmus. et Illmus. D. D. FLORENTIUS LORENTE, Episcopus Gerundensis.

Gerona 8 Abril de 1859.=Concedo cuarenta dias de Indulgencia por rezar cada una de las Horas canónicas del BREVIARIO MARIANO, así menores como mayores: pero por cada Nocturno cuarenta, y por Laudes otros cuarenta y las mismas por leerlas con devocion.=FLORENCIO, Obispo de Gerona.

V.

Exmus. et Illmus. D. D. FERDINANDUS DE LA PUENTE, Archiepiscopus Burgensis.

Burgos 26 de Abril de 1859.=Concedemos ochenta dias de Indulgencia á todos los fieles cristianos de uno y de otro sexo por cada vez que devotamente rezaren cualquier oficio divino del BREVIARIO MARIANO compuesto en la ciudad de Lérida, precediendo la aprobacion del Ordinario. =FERNANDO, Arzpo. de Burgos.=Por mandado de S. E. I. el Arzpo. mi Señor, Dr. Felix Martinez, Srio.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

VI.

Illmus. et Revmus. JOANNES JOSEPHUS CASTANER, Episcopus Vicensis.

Vich 26 Abril de 1859.=En cuanto á mi toca procuraré dar al BREVIARIO MARIANO toda la importancia, publicándolo por medio del Boletin Eclesiástico: y desde ahora concedo cuarenta dias de Indulgencia *á los que lo rezaren ó leyeren*, en la misma forma y en los mismos términos que lo haya verificado el Ilmo. Sr. Obispo de Lérida.=JUAN JOSÉ, Obispo de Vich.

VII.

Exmus. et Illmus. D. D. ANTONIUS PALAU, Episcopus Barcinonensis.

Este Excmo. é Ilmo. Señor se dignó conceder verbalmente á los que rezáren ó leyeren las Horas del BREVIARIO MARIANO las mismas Indulgencias y en la misma forma que las concedió el Ilmo. Sr. Obispo de Lérida.

VIII.

Illmus. et Revmus. D. D. JOACHIMUS BARBAJERO, Episcopus Legionensis.

Leon 4 de Mayo de 1859.=.... Me haré un deber muy grato en recomendar la adquisicion del BREVIARIO MARIANO al Clero de esta Diócesis, y concedo muy gustoso *á los que rezaren, leyeren, ú oyeren leer sus Horas* las mismas Indulgencias que haya concedido mi amado Hermano Sr. Obispo de Lérida.=El Obispo de Leon.

IX.

Exmus. et Illmus. D. D. VINCENTIUS HORCOS, Episcopus Oxomiensis.

Deseando promover en cuanto está de nuestra parte el Divino culto y fomentar la devocion del pueblo Cristiano dando graciosamente lo que en la misma forma hemos recibido, sin mérito alguno nuestro, de la Divina Misericordia: Concedemos cuarenta dias de Indulgencia á todos los fieles de uno y otro sexo por cada vez que rezaren cualquiera de las Horas Canónicas del BREVIARIO MARIANO publicado por D. José Escolá, y pidieren á Dios nuestro Señor por la Exaltacion de nuestra santa Fé católica, paz y concordia entre los Reyes y Príncipes cristianos, extirpacion de las herejías y demas piadosos fines de Nuestra Santa Madre la Iglesia. Dadas en el Burgo á 6 de Mayo de 1859.=Fr. VICENTE, Opo. de Osma. =Por mandado de S. E. I. el Obispo mi Señor, Carlos Rodriguez, Srio.

X.

Exmus. et Illmus. D. D. JOANNES NEPOMUCENUS CASCALLANA, Episcopus Malacensis.

Obispado de Málaga 7 de Mayo de 1859.=.... He recibido con gusto el BREVIARIO MARIANO en obsequio de la Sma. Virgen MARIA. Me ha gustado mucho... esta obra original, que recomendaré al Clero. Y ademas concedo cuarenta dias de Indulgencia en los términos que las hayan concedido otros Ilmos. Prelados.=JUAN NEPOMUCENO, Obispo de Málaga.

XI.

Illmus. et Revmus. D. D. PONTIANUS ARCINIEGA, Epus. Mindonicensis.

Este Ilmo. Sr. Obispo ha concedido cuarenta dias de Indulgencia á los que lean ó rezen en el BREVIARIO MARIANO segun el tenor de los demas Prelados.

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

«Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei, Sancta Verbi æterni Genitrix et »Virgo, sed adhuc locus est tuæ laudi,» ajebat Eckebertus Abbas. «Generatio præterit, et generatio advenit, inquit quoquè Franco Abbas Affligiemensis, laus autem MARIÆ nullâ generatione defecit. Laus MARIÆ »fons est indeficiens, qui quantò longius extenditur, tantò amplius implebatur, et quantò amplius impletur, tanto latius dilatatur. Et quia indeficiens est, ait S. Germanus, hauriendo non exhauritur, imò quò plùs haurítur, eò majorem centiès ac milliès aquarum copiam effundit, ideò fieri »non potest, ut desinant, qui hauriunt». Igitur quamvis minimè quidem par sit humanum ingenium depromendis omnibus Sanctissimæ Deiparæ titulis; laudem tamen feret, Mariophile Lector, conatus is qualiscumque, qui in iisdem industriâ novâ evulgandis locatur.

Tale enim en aliquid præsenti in opere, quod BREVIARIUM MARIANUM inscribimus, nomen, non ut liturgicum aptatum, sed ut solo titulo ostendatur tum forma libri, qui instar liturgici Breviarii efformatus apparet, tum ejus materia, quæ omnium aliorum librorum Marianorum Summa est ac Compendium: hic enim semper fuit propositus scopus, dispersa omnia et singula per orbem testimonia, quæ pietas et scientia Mariophilorum in Deiparæ gloriam extulere in unum excultissimum ingeniosè congerere: *ex omnibus unus*: eo tamen modo, ut materiâ formæ, formaque materiæ conveniat, et simul materia et forma universo operi non displiceant. Hanc ergò metam si attingimus, nomen Breviarii tibi non repugnet.

Et quòd sit dignè assequuta, quis est qui primo oculi ictu non videat? Hujus operis forma forma est cæterorum Breviariorum: suum habet speciale Psalterium, non Davidicum, sed Seraphicum à Doctore Seraphico Divo Bonaventurâ confectum, per omnem hebdomadam dispositum, quo singulis diebus, et septiès in quolibet die devotis laudibus benedicitur Deipara Sanctissima: nec in hoc Psalterio desunt hymni, nec versus, nec antiphonæ, nec capitula, nec ulla similium.

Propria de Tempore et Festivitatum, cujuslibet Breviarii partes, in hoc quoque Breviario virginali inveniuntur. In Proprio de Tempore universam Immaculatæ Virginis Vitam par itam in diversas totius anni partes sequenti ordine contemplamur. Tempore *Expectationis*, à primâ die Septembris usque ad octavam nempe, quæ fuit Expectatio gentium universæ terræ, et negotium omnium sæculorum (sic enim à Divo Bernardo fuit

appellata) Patriarcharum et Prophetarum vestigiis inhærentes, ardenti animo, oculis ad ipsam defixis, expectamus et precibus ejus adventum deposcimus. Tempore *Infantiæ*, ab ejus scilicet Nativitate usque ad Adventum Domini, dulcissimam Puellam, «lucis suæ, ut ait Damascenus, splendoribus nobis illucescentem» præ oculis semper habemus, quin ab ipsâ nos avertere nec ad punctum audeamus. Tempore *Prægnationis*, quod totum adventum Domini includit, incomprehensibilem Virginis quæ Dei capax fuit, et Dei Filium proprio utero gennit, dignitatem extatico modo admiramur. Tempore *Puerperii*, quod à Virginali Partu usque ad Purificationem celebratur, Deum pendentem ab ubere, Virginemque Deum lactantem, et fasciis cingentem (quis non stupet ad tantam MARIÆ gloriam!) totâ mente prosequimur. Tempore *Vitæ Contemplativæ*, quæ usque ad Passionem deindè recolitur, secreta Virginei cordis meditatione scrutamur, et contemplatione miramur, terrena cuncta sic ab ipsâ discentes despicere et cœlestia amare. Dominicâ Passionis incipit Tempus *Vitæ Dolorosæ*, quo afflictissimam Matrem ingenti in supplicio positam contemplamur, et non derelinquimus, ut mœstissimo ejus cordi aliquod afferamus solatium compassionis saltem affectu. Sed noster inardescit animus Tempore *Vitæ Gaudiosæ*, quæ à Paschâ usque ad Sabbatum post Pentecostem perdurat, dum lætificantis fluminis incomprehensibilem impetum tota virginalia præcordia perinundantem, sive in Resurrectione et Ascensione Christi, sive in Adventu Spiritûs Sancti, toto affectu recolimus, simul cum ipsâ gaudentes, priùs cum ipsâ contristati. Post Gaudiosam Vitam incipit Dominicâ primâ post Pentecostem Tempus *Vitæ Activæ*, quæ reliquam in carne vitam Deiparæ includit, in quâ Apostolicæ formæ Virgo fideliter insistens Mater nascentis Ecclesiæ, Apostolorum Magistra, et cunctorum fidelium solatium efficitur, simulque nobis omnium virtutum præbet exempla, quæ ad ejus normam imitari conamur. Tandem tempore *Vitæ Gloriosæ* quod est post Assumptionem ejus ad cœlos, toto corde ad cœlum sequimur Matrem, ut testes simus gloriæ ipsius, unâque et ipsi et nobis gratulemur de ejus in cœlis coronatione: Hæc omnia *Proprio de Tempore*.

In *Proprio* verò *Festivitatum*, «Virginem plurium nominum», à Sancto Epiphanio, et «Dominam decies millenis honoris vocabulis dignam» à Sancto Damasceno dictam, totis præcordiis exultantibus, per singulos dies laudamus. Habet illa pauculos dies in fastis Ecclesiasticis, et in Romano Martyrologio ejus memoria non sæpè celebratur: at in hoc Breviario quotidiè recolitur, quotiliè laudatur recordatione sive mysteriorum aut actuum suæ sanctissimæ Vitæ, sive suarum virtutum, sive beneficiorum ex ipsâ à nobis acceptis: digna planè est, ut nullo die cessemus à laudibus ejus, et hæc est voluntas ejus, qui omnia nos habere voluit per MARIAM. «Voluntas Filii est, ait Richardus à Sancto Laurentio, ut Matrem illius, »et Dominam nostram benedicamus in omni tempore, scilicet nocte ac die, »in prosperis et adversis, et ut laus ejus semper versetur in ore nostro, de »ipsâ meditando, ipsam laudando, orando, benedicendo, ipsi gratias agen»do, ejus magnalia prædicando».

Denique post hæc sequitur ultima Breviarii Pars *Commune Festivitatum*, in quo singula quæ propria in officiis Propriorum non fuerint, fideliter velut in supplemento pro diversis anni temporibus inveniantur. Nihil igitur deest in hoc opere, quod perfectum Breviarium quoad formam non tibi ostendat.

Habes ergò hujus præstantissimi Monumenti Mariani selectissimam effigiem: Materia ipsi optimè placet. Quidquid grandius, quidquid excellentius, quidquid dignius vetera novaque scripta de Deiparâ Sanctissimâ loquuntur, apum prudentiam quæ ad favos conficiendos, undequaquè potest, colligit mel et ceram, imitando, hoc unico in libro accuratissimâ diligentiâ collectum solo obtutu conspicies.

Sub litteræ cortice, «multifariam multisque modis olim Deus loquens »Patribus in Prophetis» Immaculatæ Virginis inexplicabilia magnalia in Sacrâ Scripturâ miro modo obtexit: Hic verò liber ipsa et referi, et reserat, et explicat non tamen proprio arbitrarioque ore sed Sanctorum Patrum, aliorumque Ecclesiæ Doctorum, qui veri magistri in Israel ab ipso Dei Spiritu afflati ad Verbum Dei exponendum creduntur. Et cum de omnibus et singulis utriusque Testamenti libris verba et proferat, et Divæ Virgini applicet, et de ipsâ quoquè explanet veram BIBLIAM MARIANAM efformat.

At non solùm per divinarum Scripturarum explanationem nobis locutus est Deus de hâc præcelsâ suâ Genitrice, sed etiàm per eorum ora qui in terris Vices Dei, Spiritûs Sancti oracula, ac Christi Vicarii ab omnibus verè creduntur. Plurima hi de eâ nobis dixerunt ac in scriptis relinquerunt, plurima in Concilis dicta approbarunt, plurima quoquè in suis ordinationibus apostolicis decreverunt: hæc autem ferè omnia in hoc libro, qui Constitutionum Summorum Pontificum ac Conciliorum omnium SUMMAM VIRGINEAM includit, tibi facilè in manibus erunt.

Quanta præterea in suis Scriptis SS. Patres omnes de gloriosâ Dei genitrice fati sunt? Quanta excelsa retulere? Quanta enarravere beneficia? Quantis eam extulere præconiis? Ipsi nos docuerunt cognoscere cœlestis Reginæ dignitatem, amare bonitatem, laudare immensissimam gloriam. Suis eloquentissimis simulque ignitis verbis noster intellectus illuminatur, et affectus vehementèr inflammatur in cognitionem et devotionem Virginis divinæ. Hic verò liber omnia eorum virginalia dicta et scripta includit, excellentissimum omnium sæculorum ab apostolico tempore MARIALE PATRUM efficiens.

Nec simplex sufficit ad tantum Monumentum solutæ orationis prosa: accedit quoquè ingeniosa Poesis, quæ undiquè abundantèr et variè gratiis defluit et omnia ornat mirabili florum varietate. MARIAM cecinere per orbem Christiani Poetæ, eam speciosam in pulchris, amabilem in jucundis, excelsam in sublimibus, in pretiosis unam extollentes: quidquid autem antiqui et novi dixere Mariani Vates hoc in uno collectum invenies: eorum carminibus mirabilis hic et novus PARNASSUS VIRGINALIS exurgit.

Historiâ quoquè hoc Marianum Testimonium innitur, quâ completiorem nullam aliam Divæ Virginis invenies. De singulis Deiparæ actibus ab ejus Prædestinatione ab æterno, usque ad ejus Coronationem in cœlis affatur, virtutes ejus explicat, dona enarrat, gratias extollit, privilegia refert, prærogativas exponit, magnalia reserat, beneficia pandit, glorias celebrat, mirabilemque cultum per universum mundum in tot templis et Sacellis ab Ecclesiâ ipsi tributum, plurimis indicat, ita ut verè UNIVERSALIS HISTORIA Deiparæ Sanctissimæ toto ore appellari queat.

Tale est, Mariophile Lector, BREVIARIUM MARIANUM, quod tuo erga Deiparam Sanctissimam æstuanti cordi, ut industriâ novâ à te laudetur, nostrum conamen, non nisi post ingentissimos labores, offerre audet. Nihil dubium, quòd sit ipsi Virgini maximè placiturum. Non ergò tibi displiceat. Invenies quidem plura quæ irrepserint menda, quæ tutior vitaverit manus tua, sed tua indulgentia ob MARIÆ gratiam conniveat. Attende tantùm utilitate frui hujus libri, qui solus utinam complere omnia tua erga Virginem suspiria valeat. Quid enim desiderat tuus Marianus affectus? Laudibus Virginem extollere? Hoc Breviarium *Manuale Can-*

ticorum et Laudum invenies. Precibus opem ejus exorare? *Summarium precum* tibi erit. Ipsi conversari? Illa tibi, tuque illi eo libro intimâ amicitiâ loqueris. Tuum erga ipsam affectum concitare? *Scholæ* Marianæ charitatis locum tenet. De ipsâ legere? In eo excultissima reperies. De ipsâ discere? Mariologiam, seu Marianam scientiam, te docebit. Concionari de tantâ virgine? Innumera circa res omnes virgineas tibi ministrabit eloquia. Sapientibus et insipientibus facilè acommodata BIBLIOTECA MARIANÆ ERUDITIONIS, piis ac devotis opportunum MANUALE MARIANÆ PIETATIS, atque omnibus et singulis Mariophilis ditissimus VIRGINALIS THESAURUS inter duo ubera scientiæ et pietatis optimè collocandus videtur. Hoc libro ob oculos sempèr MARIAM habebis; perfectiùs agnosces, ferventiùs diliges, impensiùs coles, fideliùs invocabis, cæteros omnes marianos libros habebis, uno verbo, impletum videre poteris desiderium cordis tui.

SERAPHICI D. S. BONAVENTURÆ.

IN PSALTERIUM B. MARIÆ V.

PRÆFATIO.

Arripe illam, et exaltabit te, et glorificaberis ab eâ, cum illam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et coronâ inclytâ proteget te, ait Sapiens (Prov 4.) Gloria in excelsis Deo, et gratiarum actio et vox laudis, qui nunc per prophetica mysteria, nunc per oracula de cœlis lapsa, nunc per lectionem evangelicam, nunc per apostolicam tubam multifariè multisque modis ad honorem Virginis MARIÆ Reginæ Cœlorum ac Angelorum sincerissimè nos invitat, ac incitat, ut per ipsius sancta merita omni acceptione dignissima ex infernorum claustris arreptos angelicæ militiæ nos adscribat. Undè licet Salomon verba prædicta de sapientiâ protulerit, Spiritus tamen Sanctus illa ad Virginem præcellentem MARIAM intellectu mistico reflectit. In quo verbo vos ad ipsius amorem est allicions, vestrumque cor ad ipsius complexum variis promissionibus attrahens, et demulcens. Assignat autem vobis quatuor dona mirifica, si tam præclara Puella nexu spirituali vobis fuerit conjuncta, et brachiis desideriorum ferventium à vobis cum magnâ reventiâ et devotione amplexata. Primò affert vobis exaltationem: ibi: *et exaltabit te.* Secundò glorificationem: ibi: *et glorificaberis ab ed.* Tertiò gratiarum abundantiam: ibi: *dabit capiti tuo augmenta gratiarum.* Quartò viriditatis perpetuæ immarcessibilem coronam: ibi: *coronâ inclytâ proteget te.* Undè vos rogo, ne tam nobilem et speciosissimam Virginem repellatis, ne tam admirandam reverendissimamque Reginam Virginem MARIAM vilipendiatis: ne si à vobis contemptam se viderit; non dico tantis fraudemini, verùm, quod absit, mala perpetua incurratis. Qua propter ad obsequendum ei sinum mentis extenuate, ad laudandum et glorificandum eam cor præparate, linguam laxate, ac celeri famulatu illi placere festinate. Constat enim quòd ex ipsius accessu remanebitis devotiores, ex ipsius tactu mundiores, ex ipsius amplexu virtute et gratia profusiores et nitidiores. Et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ut tantorum bonorum vobis aliquam occasionem conferam, mitto vobis ipsius Virginis sacratissime Psalterium ex scintillulâ meæ pauculæ intelligentiæ, gratiâ et adjutorio illius conditum et compactum, in quo diversis præconiis eam extolletis. Nunc ipsius Virginitatem et castimoniam, nunc ejus fœcunditatem et sanctimoniam, nunc ejus largitatem sive clementiam. Ibi efferetis eam velut plenam omni gratiâ, velut repletam omni scientiâ, velut illustratam omni sapientiâ et intelligentiâ. Ibi benedicetis fructum sui Ventris gloriosi. Ibi ad ipsius laudem invocabitis choros Angelorum et Sanctorum, Nationes hominum, Insulas gentium, Cœlum et pulchritudinem luminarium, ac totum orbem terrarum. Ibi eam rogabitis, ut destruat vires spiritualium hostium, ut vobis impetret veniam peccatorum, ut vobis reddat placabilem Judicem, et ut vestrum finem suâ illustret præsentiâ, vobisque obtineat gaudia sine fine mansura. Igitur hoc tantillum meum munusculum primum vobis oblatum libenter suscipite, fructumque ex eo proferre satagite, et in eo Matrem Dei frequentius collaudate, si fortè purissima super vos suum convertat amabilem vultum, ad suum amorem vos recipiens, vestram animam in præsenti recreans et reficiens, et in futurâ gloriâ coronam de lapide pretioso vestro capiti superponens.

QUINQUE

QUÆ BREVIARIUM MARIANUM INDISTINCTE COMPLECTITUR.

I.

BIBLIA MARIANA.

In quâ plurima de sacris utriusque Testamenti libris exponuntur, ac Beatissimæ Virgini à Sanctis Patribus applicantur.

Cum perlongum esset singulos versus singulasque voces biblicas, quæ in hoc Breviario de Deiparâ immaculatâ in versibus, responsoriis et antiphonis enarrantur, annotare; ideò eas enumerare ac referre consultò omittitur. Capitula suis in locis notantur: Libri verò è quibus lectiones de Scripturâ sunt excerptæ, et dies, in quibus hæ lectiones leguntur et exponuntur, sequenti catalogo signati apparent.

GENESIS.

Legitur et exponitur in Dominicâ I. II. III. IV. et V. Infantiæ, in festo B. V. de Arcu, Conceptionis Immaculatæ, Circumcisionis et Octavæ Annuntiationis.

EXODUS.

In Dominicâ VI. et VII. Infantiæ, in festis SS. Nominis, de Columnâ, Profectionis in Jerusalem, Virginitatis perpetuæ et Comm. Vitæ Gaudiosæ.

LEVITICUS.

In Dominicâ VIII. Infantiæ, in festo Oblationis et Purificationis.

NUMERI.

In Dominicâ IX. et X. Infantiæ.

DEUTERONOMIUM.

In Dominicâ XI. Infantiæ.

JOSUE.

In Dom. I. Puerperii.

JUDICUM

In Dom. II. et III. Puerperii et in Comm. Vitæ Gaudiosæ.

RUTH.

In Dom. IV. Puerperii.

I. REGUM.

In Dom. V. Puerperii, in Dom. I. Vitæ contemplativæ, in festo Præsentationis, Annuntiationis Conceptionis, Messanensis à Scalis et SS. Parentum.

II. REGUM.

In Dom II. Vitæ Contempl.

III. REGUM.

In Dom. III. Vitæ Contempl. et Septuag. in festo Encæniarum, die II. infra octav. Omnium festivitatum et in festo Exequiarum.

IV. REGUM.

In Dom. Sexagesimæ.

I. PARALIPOMENON.

In Dom. Quinquagesimæ.

II. PARALIPOM.

In Dom. I. et II. Quadragesimæ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ut tantorum bonorum vobis aliquam occasionem conferam, mitto vobis ipsius Virginis sacratissime Psalterium ex scintillulâ meæ pauculæ intelligentiæ, gratiâ et adjutorio illius conditum et compactum, in quo diversis præconiis eam extolletis. Nunc ipsius Virginitatem et castimoniam, nunc ejus fœcunditatem et sanctimoniam, nunc ejus largitatem sive clementiam. Ibi efferetis eam velut plenam omni gratiâ, velut repletam omni scientiâ, velut illustratam omni sapientiâ et intelligentiâ. Ibi benedicetis fructum sui Ventris gloriosi. Ibi ad ipsius laudem invocabitis choros Angelorum et Sanctorum, Nationes hominum, Insulas gentium, Cœlum et pulchritudinem luminarium, ac totum orbem terrarum. Ibi eam rogabitis, ut destruat vires spiritualium hostium, ut vobis impetret veniam peccatorum, ut vobis reddat placabilem Judicem, et ut vestrum finem suâ illustret præsentiâ, vobisque obtineat gaudia sine fine mansura. Igitur hoc tantillum meum munusculum primum vobis oblatum libenter suscipite, fructumque ex eo proferre satagite, et in eo Matrem Dei frequentius collaudate, si fortè purissima super vos suum convertat amabilem vultum, ad suum amorem vos recipiens, vestram animam in præsenti recreans et reficiens, et in futurâ gloriâ coronam de lapide pretioso vestro capiti superponens.

QUINQUE

QUÆ BREVIARIUM MARIANUM INDISTINCTE COMPLECTITUR.

I.

BIBLIA MARIANA.

In quâ plurima de sacris utriusque Testamenti libris exponuntur, ac Beatissimæ Virgini à Sanctis Patribus applicantur.

Cum perlongum esset singulos versus singulasque voces biblicas, quæ in hoc Breviario de Deiparâ immaculatâ in versibus, responsoriis et antiphonis enarrantur, annotare; ideò eas enumerare ac referre consultò omittitur. Capitula suis in locis notantur: Libri verò è quibus lectiones de Scripturâ sunt excerptæ, et dies, in quibus hæ lectiones leguntur et exponuntur, sequenti catalogo signati apparent.

GENESIS.

Legitur et exponitur in Dominicâ I. II. III. IV. et V. Infantiæ, in festo B. V. de Arcu, Conceptionis Immaculatæ, Circumcisionis et Octavæ Annuntiationis.

EXODUS.

In Dominicâ VI. et VII. Infantiæ, in festis SS. Nominis, de Columnâ, Profectionis in Jerusalem, Virginitatis perpetuæ et Comm. Vitæ Gaudiosæ.

LEVITICUS.

In Dominicâ VIII. Infantiæ, in festo Oblationis et Purificationis.

NUMERI.

In Dominicâ IX. et X. Infantiæ.

DEUTERONOMIUM.

In Dominicâ XI. Infantiæ.

JOSUE.

In Dom. I. Puerperii.

JUDICUM

In Dom. II. et III. Puerperii et in Comm. Vitæ Gaudiosæ.

RUTH.

In Dom. IV. Puerperii.

I. REGUM.

In Dom. V. Puerperii, in Dom. I. Vitæ contemplativæ, in festo Præsentationis, Annuntiationis Conceptionis, Messanensis à Scalis et SS. Parentum.

II. REGUM.

In Dom II. Vitæ Contempl.

III. REGUM.

In Dom. III. Vitæ Contempl. et Septuag. in festo Encæniarum, die II. infra octav. Omnium festivitatum et in festo Exequiarum.

IV. REGUM.

In Dom. Sexagesimæ.

I. PARALIPOMENON.

In Dom. Quinquagesimæ.

II. PARALIPOM.

In Dom. I. et II. Quadragesimæ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et in Communi Dedicat.
II. ESBRÆ.
In Dom. III. Quadragesimæ.
TOBIÆ.
In Dom. IV. Quadragesimæ.
JUDITH.
In Dom. I. Vitæ activæ, in Comm. Vitæ Gaudiosæ et Vitæ Activæ.
ESTHER.
In Dom. II. Vitæ activæ, in Octavâ Conception. Immaculatæ et in Comm. Vitæ Gloriosæ.
JOB.
Dom. III. Vitæ activæ.
PSALM.
In Triduo Majoris Hebdomadæ.
PROVERBIA.
In Feriis Infantiæ, Prægnationis et Puerperii.
CANTICA.
In Feriis et in Dominicis I. II. III. IV. V. et VI. Vitæ Gaudiosæ, in festo Corporis Christi, SS. Urbe-rum, Amissionis Pueri JESU, Visitationis, Assumptionis, SS. Cordis, in Comm. Tempor. Infantiæ et Vitæ contemplativæ.
SAPIENTIÆ.
In festo Prædestinationis, in Feriis Vitæ Contemplativæ, in festis Corporis Christi, Nativitatis, SS. Obitûs.
ECCLESIASTICUS.
In Feriis Vitæ Activæ et Vitæ Gloriosæ, in festis SS. Rosarii et Desponsationis.
ISAIAS.
In Dom. I. II. III. et IV. Prægnationis, in Dom. IV. Vitæ Activæ, in festis Expectationis, B. V. in Utero Materno, Expectationis partûs, SS. Partûs, II. IV. V. VI. VII. infra oct. SS. Partûs, Epiphaniæ, Ascensionis in Jerusalem, Virginitatis perpetuæ, et in Comm. Prægnationis.
JEREMIAS.
In Dom. V. Vitæ Activæ.
LAMENTAT. JEREMIÆ.
In Dominicis Passionis et Palmarum, in Feriis Vitæ dolorosæ, in festis Septem Dolorum.
BARUCH.
In festo de Mercede, in die IV. infra Octav. omnium Festivitatum, et Comm. Vitæ Dolorosæ.
EZECHIEL.
In Dom. VI. Vitæ Activæ, die VII. infra octav. Omnium Festivitatum, et Virginitatis perpetuæ.
DANIEL.
In Dom. VII. Vitæ Activæ.
OSEA.
In Dom. VIII. Vitæ Activæ, in festo Reversionis de Ægypto.
JOEL.
In Dom. IX. Vitæ Activæ.
JONAS.
In Dom. X. Vitæ Activæ.
MICHÆAS.
In Dom. X. Vitæ Activæ in festo Ascensionis ad Bethleem.
HABACUC.
In Dom. XI. Vitæ Activæ.
AGGÆUS.
In Dom. XII. Vitæ Activæ.
ZACHARIAS.
In Dom. XIII. Vitæ Activæ.
QUATUOR EVANGELIA.
In Singulis Dominicis per Annum, in Feriis IV. VI. et Sabbatis Quatuor Temporum, et Quadragesimæ, in Vigiliis Solemnitatum, et in Singulis Festis Duplicibus et semiduplicibus.
ACTUS APOSTOLORUM.
In die Ascensionis Domini.
EPISTOLA AD ROMANOS.
In Vigiliâ Epiphaniæ et in festo Baptismi.
I. AD CORINTHIOS.
In festo Charitatis, Coronationis et Baptismi.
AD GALATAS.
In Dom. Infra Octav. SS. Partûs et in Comm. Puerperii.

I. AD TIMOTHEUM.
In festo Puerperii.
AD TITUM.
In festo Baptismi.
AD HEBRÆOS.
In festo Fidei, et Doloris in Simeonis Prophetiâ.
EPIST. B. JACOBI AP.
In festo Septem Verborum.
APOCALYPSIS.
In Dom. I. II. et III. Vitæ Gloriosæ, in festo et in octavâ die Omnium Festivitatum, Dedicationis Ecclesiæ Herdensis.

II.

SUMMA VIRGINEA.

Conciliorum, Constitutionum Apostolicarum, Brevium et Decretorum Summorum Pontificum Sacrarumque Congregationum Romanarum, necnon Statutorum plurium Ecclesiarum, ac Librorum liturgicorum.

I.
TITULI CANONUM.
I. Scripturæ de Virgine præloquuntur. *Canon* 2. . . . *p.* 63
II. Conceptio Immaculata.... *Can.* 14. 68
§. 1. In adversarios Immaculatæ Conceptionis. Id.... Ibidem.
§. 2. De ipsâ Immaculatâ Conceptione. *Can.* 23. . *p.* 71
§. 3. De festo Conceptionis. Id. 35. 76
§. 4. De iis quæ ad Officium et Missam Conceptionis pertinent. Id. 56. . . . 83
§. 5. De Deipara Immaculata in Patronam eligitur. Id. 71. 89
III. De Deiparæ Virginitas perpetua. Id. 75. 91
IV. Virgo prægnans. Id. 96. 102
V. Virgo puerpera. Id. 123. 112
VI. MARIA Deipara. Id. 171. 134
VII. Anathemata contra hæreticos. Id. 192. . . . 145
VIII. MARIÆ erga peccatores clementia. Id. 234. . 163
IX. Deiparæ angustiæ in Passione Filii. Id. 241. . . 169
X. Virgo Mundi Corredemptrix. Id. 248. . . . *p.* 177
XI. Virgo in Resurrectione Filii. Id. 252. 201
XII. Cultus Deiparæ SS. tributus.
1. In effigiebus Id. 258. . 209
2. In Officio Ecclesiastico.
§. 1. In Officio Parvo. Id. 269. 212
§. 2. In Officio in Sabbato. Id. 286. 219
§. 3. In Antiphonis in fine Officii. Id. 291. . . . 227
§. 4. In Antiphonâ *Salve Regina*. Id. 294. . . . 231
§. 5. In Salutatione Angelicâ. Id. 297. 235
(Deipara Spiritu Sancto plena. Id. 300. . . . . 240)
3. Per Sacrificium Missæ.
§. 1. Per Missas votivas. Id. 307. 307
(Caro Christi MARIÆ Caro.. Id. 311. . . . . 253)
§. 2. Per Missas in Sabbato. Id. 319. 265
4. Per Festivitates.
§. 1. Festum SS. Nominis MA-

RIÆ. Id. 322. . . *p.* 260
§. 2. Festum Desponsationis. Id. 326. 267
§. 3. Festum Annuntiationis. Id. 328. 269
§. 4. Festum Expectationis. Id. 336. 271
§. 5. Festum Purificationis. Id. 336. 272
§. 6. Fest. B. V. de Monte Carmelo. Id. 343. . . 275
§. 7. Fest. SS. Rosarii. Id. 349 277
§. 8. Fest. B. V. de Mercede. Id. 339. 280
§. 9. Fest. Septem Dolorum. Id. 361. . . . . »
§. 10. Fest. Patrocinii B. V. Id. 366. 282
3. Per Litanias. Id. 372. 285
XIII. Gloria Deiparæ in cœlo. Id. 377. 296
XIV. Deiparæ Intercessio apud Deum. Id. 384. . . . 298
Tituli Canonum qui in Proprio Festivitatum ponuntur, singulis Festivitatibus respondent.

II.

SUMMI PONTIFICES.

—

Alexander II.
Alexander III.
Alexander V.
Alexander VII.
Benedictus VIII.
Benedictus XI.
Benedictus XIII.
Benedictus XIV.
Bonifacius IX.
S. Cajus.
Calixtus III.
Clemens VII.
Clemens IX.
Clemens X.
Clemens XI.
Clemens XII.
Clemens XIII.
Cœlestinus III.
S. Damasus.
S. Eutichianus.
S. Felix.
S. Gelasius I.
S. Gregorius I.
Gregorius X.
Gregorius XIII.
Gregorius XV.
Gregorius XVI.
S. Hormisda.
Innocentius III.
Innocentius X.
Innocentius XI.
Innocentius XII.
S. Joannes II.
S. Joannes IV.
Joannes XII.
S. Julius I.
S. Julius II.
S. Leo I.
Leo X.
S. Martinus I.
Nicolaus IV.
Paulus IV.
Paulus V.
S. Pelagius I.
S. Pius V.
Pius IX.
S. Sirisius.
Sixtus IV.
Sixtus V.
Urbanus II.
Urbanus VI.
Urbanus VIII.
S. Vigilius.

III.

CONCILIA.

—

Aenhamense . . . . 1009.
Alexandrinum . . . . 430.
Alexandrinum . . . . 431.
Andegavense . . . . 1365.
Aquileiense . . . . 1596.
Ariminense. . . . . 359.
Armenorum . . . . 1342.
Avenionense . . . . 1326.
Bracarense I. . . . . 963.

Budense . . . . . 1279.
Cameracense . . . . 1586.
Chalcedonense . . . . 451.
Claramontanum . . . 1095.
Coloniense . . . . . 1423.
Constantinopolitanum . . 451.
Constantinopolitanum . . 536.
Constantinopolitanum II. . 553.
Constantinopolitanum III. . 680.
Constantinopolitanum IV. . 870.
Constantinopolitanum . . 1279.
Ephesinum . . . . . 431.
Francofordiense . . . 794.
Illyricum . . . . . 365.
Jerosolymitanum . . . 1672.
Lateranense . . . . 649.
Lateranense IV. . . . 1215.
Leviticense . . . . . 1606.
Londinense . . . . . 1328.
Marcianense . . . . 1325.
Mediolanense . . . . 678.
Mediolanense . . . . 679.
Mediolanense III. . . 1575.
Mediolanense IV. . . . 1576.
Mediolanense V. . . . 1579.
Nicænum I. . . . . 325.
Nicænum II. . . . . 787.
Parisiense . . . . . 1346.
Romanum . . . . . 373.
Romanum . . . . . 680.
Toletanum I. . . . . 400.
Toletanum IV. . . . . 543.
Toletanum X. . . . . 633.
Toletanum XI. . . . . 675.
Toletanum XIV. . . . 684.
Toletanum XVI. . . . 693.
Tolet. apud Rupem fidei. 1302.
Tolosanum . . . . . 1219.
Tridentinum . . . . 1563.
Trisingense . . . . 1440.
Tullense II. . . . . 800.
Vaurense . . . . . 1368.
Wormatiense . . . . 868.

IV.

ROMANÆ CONGREGATIONES.

—

Inquisitionis.
Propagandæ fidei.
Sacrorum Rituum.
Curiæ Romanæ.

V.

BULLARIA.

—

Carmelitanum.
Dominicanum.
Romanum.

VI.

STATUTA ECCLESIARUM.

—

Attonis Prioris S. Petri de Regulâ.
Aurialensis.
Cameracensis.
Cœnomanensis.
Claramontensis.
Dertusensis.
Gerundensis.
Gratianopolitanæ.
Monasterii S. Theodorici.
Parisiensis.
Rothomagensis.
Senogiensis.
Suessonensis.
Tolosanæ.

VII.

LIBRI LITURGICI.

—

Martyrologium Gallicanum.
Martyrologium Romanum.
Martyrologium Usuardi.
Menologium Cisterciense.
Sacramentarium Gelasii.

VIII.

BREVIARIA.

—

Ambianense.
Augustinianum.
Bisuntinum.
Carmelitanum.
Carducense.
Carthusianum.
Cisterciense.
Convenarum.
Dominicanum.
Franciscanum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Gallicana varia.
Ilerdense.
Lugdunense.
Montalbanense.
Parisiense.
Paris. S. Sulpicii.
Remense.
Romanum antiquum.
Romanum.
Rothomagense.
Suessonense.
Tolosanum.
Viennense.

IX.

OFFICIA SPECIALIA.

Ecclesiæ Barbastrensis.
Cæsaraugustanæ.
Dertusensis.
Hispanicæ.
Montispesulanæ.
Romanæ.
S. Mariæ Cosmedin.
S. Mariæ majoris.
S. Mariæ de Porticu.
Pistoriensis.
Taustensis.
Toletanæ.
Valentinæ.
Ordinis de Mercede.
Sanctæ Teresiæ.
Servorum B. Virginis.

X.

DECRETA REGUM.

Ervigii Wisigotorum Regis.
Flavii Ecigæ *Alloc. in Conc. Toletano XVI.*
Joannis I. Aragoniæ.
Justiniani Imperatoris.

III.

MARIALE PATRUM

seu Catalogus SS. Patrum, ac aliorum Scriptorum sive Historiographorum, sive Poetarum Marianorum, ex quorum fragmentis hoc Breviarium est contextum.

I.

SS. PATRES ET DOCTORES MARIANI.

S. Accacius Ep. Militenes.
S. Albertus Magnus, Episcopus.
Alexander Ep. Alexandriæ.
S. Amadæus Ep. Lausanens.
S. Ambrosius Ep. Mediolanens.
S. Amphilochius Ep. Iconiens.
S. Anastasius Ep. Antiochen.
S. Andelmus Ep. Schireburg.
S. Andreæ Cretensis Ep. Jerosol.
S. Anselmus Ep. Cantuar.
S. Anselmus Ep. Lucensis.
S. Antiochus Monach. Lauræ Sabbæ
S. Antipater Ep. Bostrorum.
S. Antoninus Arch. Florentinus.
S. Antonius Paduanus.
B. Arnoldus Abbas Bonæ-Vallis.
S. Athanasius Ep. Alexandr.
B. Atto Prior S. Petri de Regulâ.
S. Augustinus Ep. Hipponensis.
S. Aurelius Prudentius.
S. Basilius Ep. Cæsareæ.
S. Basilius Ep. Seleuciæ.
V. Beda Presbyt. Angl.
S. Bernardinus Senensis.
S. Bernardus Abbas Clarævall.
S. Bonaventura Episc.
S. Bruno Presbyt. Cartusian.
S. Cæsarius Nazianzenus.
S. Chrisippus Presbyt.

S. Cyprianus Ep. Cartag.
S. Cyrillus Alexandrinus.
S. Cyrillus Jerosolymitanus.
S. Dionysius Alexandrinus.
S. Dionysius Areopagita.
B. Dionysius Cartusianus.
S. Eleutherius Ep. Tornacensis.
S. Eligius Ep. Noviomensis.
S. Ephrem Diaconus.
S. Epiphanius Episc.
D. Eusebius Ep.
S. Euthymius Monach.
S. Ferrandus Diacon. Cartagin.
S. Fulbertus Ep. Carnotensis.
S. Fulgentius Ep. Rupens.
S. Gaudentius Ep. Brixiens.
D. Georgius Nicomediens.
D. Germanus Arch. Constant.
B. Goffridus Abb. Vindonicens.
S. Gregentius Arch. Tephrensis.
S. Gregorius Magnus.
S. Gregorius Nazianzen. Ep.
S. Gregorius Ep. Neocæsar.
S. Gregorius Ep. Nissenus.
B. Guilielmus Abbas.
S. Hesichius Presb.
S. Hilarius Ep. Pictaviens.
S. Hildephonsus Arch. Tolelan.
S. Hippolitus Ep. et Martyr.
V. Hugo à S. Caro.
V. Hugo S. Victoris.
Idiota Vir sapientiss.
S. Ignatius Martyr.
S. Irenæus Ep. et M.
S. Isidorus Arch. Hispalens.
S. Isidorus Arch. Thesalon.
S. Jacobus Monachus.
S. Joannes Chrisostomus.
S. Joannes Damascenus.
D. Joannes Ep. Jerosolymitan.
S. Justinus Martyr.
S. Laurentius Justinianus.
S. Martialis Ep. Lemovicens.
S. Maximus Ep. Taurinens.
S. Methodius Ep. et Mr.
Odo Ep. Parisiens.
S. Paschasius Ratbert. Abb.
S. Paulinus Ep. Nolan.
Paulus Diacon. Aquileien.
D. Paulus Ep. Emissenus.
V. Petrus Blesensis.
V. Petrus Canisius.
V. Petrus Cellensis.
S. Petrus Chrysologus.
S. Petrus Damianus.
S. Petrus Ep. et Mart.
S. Petrus Mauritius.
S. Petrus Paschasius Ep. et M.
S. Proclus Arch. Constantinop.
S. Proclus Ep. Cycici.
V. Richardus de S. Laurentio.
B. Ruppertus Abbas.
S. Simon Metaphrastes.
S. Sophronius Jerosolym.
V. Theodoricus Abb. Corbejen.
D. Theodorus Ep. Amorii.
D. Theodotus Ep. Anciræ.
D. Theodorus Patr. Jerosol.
S. Theodotus Studita Abb.
Theophilactus Ep. Bulgar.
S. Timotheus Jerosolym.
S. Titus Ep. Bostror.
S. Thomas Aquinas.
S. Thomas Arch. Valentin.
V. Thomas à Kempis.
S. Vigilius Ep. Tridentin.
S. Vincentius Lirinensis.
S. Vitalius Episc.
Walfredus Strabo.
S. Zenon Ep. Veronen.

NOTA:—*Cum de aliquibus operibus SS. Patrum, quæ in hoc Breviario citantur, dubitetur, an sint illorum Auctorum, sub quorum nomine vulgantur, præcedentium Scriptorum marianorum vestigiis inhærendo, nihil aliud prætendimus de talibus operibus fragmenta assumentes, quàm illa verba quæ in Deiparæ Smæ. honorem fuere dicta sive ab alio, sive ab alio Auctore, fideliter transcribere.*

II.

POETÆ MARIANI.

S. Ambrosius Ep. Mediolan.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Amideus Maria Maerkel.
S. Anselmus Ep. Lucensis.
S. Aurelius Prudentius.
Baptista Mantuanus.
Barberini, (Urban. VIII).
Benedictus Vilamiljana.
Bernardus Bauhusius.
Carolus à S. Antonio Anconit.
Claireus.
Cœlius Sedulius.
Coffinus.
Commirius.
Conti.
Flaminius.
Franciscus Suvertius.
Gabriel Madalenetus.
Guarini.
Hiacintus Asenjo.
S. Honoratus Fortunatus.
Jacobus Balde.
Joannes Codera.
Joannes Houdem.
Joannes Mathia Caryophilus.
Joannes Mich. Silos.
Justus Lipsius.
Latius Frangipane.
Laurentius Massorilli Fulginatis.
Marcus Maximus.
Muretus.
V. Petrus Canisius.
S. Petrus Damianus.
Prosper Martinengus.
Raymundus Salla.
Rodulphus Agricola.
Santolius.
Secundus ab Hoz.
Stephanus Arch. Patracensis.
Theodulphus.
S. Thomas Ep. Cantuariens.
Vitalis Theronius.

Cum pluribus aliis quorum nomina ignorantur, et quorum carmina in variis Antiphonis, Versibus et Responsoriis lequntur.

Circa nonullos citatos marianos Vates notetur, quòd in aliquibus eorum versibus potiùs attendendum sit ad pietatem, quàm ad metricas leges. Attamen nullus admittitur qui merito sive ob historiam sive ob auctorem careat.

III.

HISTORIOGRAPHI MARIANI.

Antonius Balinghem.
Antonius Spinelli.
Baronius.
Belforest.
Bollandi.
Bonifacius.
Bzovius.
Cancelloto. (Joann. Bapt).
Christophorus de Castro.
Colvenerius.
Flodoardus.
Franciscus Miquel.
Galliæ Christianæ A.
Gononus.
Gumpenberg.
Guesnay.
Jacobus de Vitriaco.
Josephus Areso.
Lanuza.
Laurentius Chrisogonus.
Lucas Tudensis.
Marcus Antonius Varon.
Molanus.
Murillo.
Narcisus Camos
Nicephorus.
Nicela.
Octavus Cajetanus.
Orsini.
Osmundus Ep. Asturicens.
Poræus.
Pouget.
Rochus Albertus Faci.
Rodericus Toletanus.
Scultingius.
Tritemius.

IV.

ALII SCRIPTORES MARIANI.

S. Alphonsus Maria de Ligorio.
Benedictis (de).

Bernardinus de Bustis.
Combefis.
Egravius.
Hippolitus Marraccius.
Labbe (Collet. Concil.)
Laurentius Surius.
Loonher.
Mabillonius.
Martenne.
Perrone.
Talu.
Theophilus Raynaldus.

IV.

PARNASSUS VIRGINALIS.

Plurimis Psalmis, Canticis et Hymnis variè ornatus.

I.

PSALMI.

119	Ad Domin. cum tribul. *p.*	46	106	Confitemini..... *p.*	43
27	Ad te, Dom. clamavi....	21	103	Confitemini.....	43
27	Ad te, Dom. levavi.....	23	117	Confitenini Domino.....	45
122	Ad te, levavi ocul.....	46	135	Confitem. Dom.....	49
28	Afferte Dominæ nost.....	23	15	Conserva me.....	25
77	Attendite popul.....	37	115	Credidi propter.....	15
48	Audite hæc omnes.....	31	4	Cum invocarem.....	17
40	Beata MARIA intell.....	29	118	Defecit in sem.....	13
118	Beati immaculati.....	10	129	De profundis.....	48
127	Beati omnes qui.....	48	49	Deus Deorum.....	31
31	Beati quorum corda.....	27	62	Deus Deus... per.....	7
1	Beatus vir qui dilig.....	2	21	Deus Deus... resp.....	26
111	Beatus vir qui timet.....	15	81	Deus in Synagogâ.....	38
33	Benedicam Dom.....	23	71	Deus judicium.....	36
102	Benedic an. m. M.....	42	66	Deus misereatur.....	21
103	Benedic an. m. V.....	43	59	Deus repulisti nos.....	33
143	Benedicta sis Dom.....	52	93	Deus ultionum D.....	41
84	Benedixisti Dom.....	39	114	Dilexi Matrem Dei.....	45
118	Bonitatem fecisti.....	12	17	Diligam te Dom.....	20
91	Bonum est conf.....	40	38	Dixi: custodiam.....	21
97	Cantate Dom. n. cant...	47	109	Dixit Dominus.....	15
149	Cantate Dom. n. laus...	22	13	Dixit injustus.....	27
95	Cantate plenæ.....	41	32	Dixit insipiens adv.....	20
18	Cœli enarrant.....	26	52	Dixit insipiens in.....	31
118	Clamavi in toto.....	14	43	Domina auribus.....	29
74	Confitebimur tibi.....	37	87	Domina auxiliatrix.....	40
110	Confitebor tibi in toto...	15	140	Domina, clamavi.....	51
9	Confitebor tibi et narr...	19	8	Domina Dominus.....	4
137	Confitebor tibi.....	50	101	Domina exaudi or.....	42
104	Confitemini.....	43	142	Domina exaudi.....	52
			26	Domina illuminatio.....	26
			69	Domina in adjutor.....	35

33 Domina in nomine..... 9
20 Domina in virtute..... 20
108 Domina laudem..... 44
7 Domina mea in..... 3
82 Domina mea quis..... 38
6 Domina ne inf... r..... 19
37 Domina ne in..... 28
130 Domina, non est..... 48
138 Domina, probasti..... 50
3 Domina, quid mult..... 3
14 Domina, quis hab..... 5
89 Domina, refugium f..... 40
45 Domina, refugium nostr. 30
78 Domina, venerunt..... 37
23 Domini est terra..... 23
22 Dominus regit me..... 26
92 Dominus regn. dec..... 7
96 Dominus regn. exult.... 42
98 Dominus regn. irasc..... 42
133 Ecce nunc bened..... 17
132 Ecce quam bon..... 49
58 Eripe me de inim..... 33
139 Eripe me, Domina..... 51
44 Eructavit cor..... 30
29 Exaltabo te, Domina.... 26
114 Exaltabo te Mat..... 52
16 Exaudi, Domina just... 25
63 Exaudi, Domina, or..... 34
34 Exaudi, Domina, or. et. 24
60 Exaudi, Domina, or..... 33
19 Exaudiat me Dom..... 26
39 Expectans expectavi..... 29
80 Exultate Dominæ..... 38
32 Exultate justi in..... 21
67 Exurgat MARIA..... 35
86 Fundamenta vitæ..... 24
85 Inclina, Domina..... 39
125 In convertendo 47
10 In Domino confido..... 4
113 In exitu animæ..... 16
119 Iniquos odio hab..... 13
30 In te, Domina, spes..... 17
70 In te, Domina, sper..... 36
99 Jubilate Dominæ..... 7
65 Jubitate Dominæ..... 35
34 Judica, Domina..... 27
42 Judica me, Domina..... 21
121 Lætatus sum in..... 46
145 Lauda anima m..... 44
147 Lauda Jerusalem..... 33
150 Laudate Domin.., in.... 8
148 Laudate Dom. nostr..... 28
116 Laudate Dom. omn..... 45
146 Laudate Dom. quon..... 39
134 Laudate nomen..... 49
112 Laudate pueri..... 15
118 Legem pone..... 12
120 Levavi oculos in..... 46
47 Magna es, Domina..... 31
131 Memento, Domina, D... 48
118 Memor esto verbi..... 12
118 Mirabilia testimonia..... 14
56 Miserere mei, Dom. in.. 32
50 Miserere mei, Dom. quæ. 31
55 Miserere mei, Dom. quon. 32
100 Misericordiam et jud.... 42
88 Misericordias tuas..... 25
126 Nisi Domina, æd..... 47
123 Nisi quia Domina..... 43
36 Noli æmulari in..... 27
61 Nonne, Domina..... 34
75 Notus in Judæa..... 37
46 Omnes gentes pl..... 30
107 Paratur cor m..... 43
72 Quàm bonus Isr..... 36
83 Quàm dilecta..... 24
2 Quare fremuer..... 2
41 Quemadmodum des..... 29
124 Qui confidunt in te..... 47
31 Quid gloriaris in..... 31
79 Qui regis Israel..... 37
90 Qui habitat in..... 47
118 Quomodò dilexi..... 13
118 Principes persec..... 11
118 Retribue servo..... 10
118 Sæpè expugnav..... 48
68 Salvum me fac D..... 35
11 Salvum me fac M..... 20
57 Si verè utique..... 32
136 Super flumina..... 50
64 Te decet hymnus..... 34
73 Ut quid, Domina, rep... 36
12 Usque quo, Dom..... 4
94 Venite, exultem..... 41
5 Verba mea aur..... 3
76 Voce meâ ad D..... 37

141 Voce mea ad D..... 51

II.

PSALMI.

In triduo ante Pascham dicendi.

XV. Adversum me..... 185
XX. Clamavi ad te..... 186
XXXIII. Conserva me..... 192
II. Deus, Deus meus..... 180
XXIV. Deus laudem..... 189
XII. Deus, ne elong..... 184
XXVII. Dicam Deo..... 194
XXIII. Domine à voce..... 188
XIX. Domine Deus..... 186
XIV. Domine, Dom. virt..... 185
XXVIII. Domine, exaudi..... 190
XXII. Domine, ex... et..... 187
XXX. Domine, quid..... 191
III. Domine ne disces..... 180
V. Domine ne in f..... 180
VIII. Eripe me de..... 182
XXV. Eripe me, Dom..... 189
I. Exaudiat te D..... 179
IX. Exaudi, Deus depr..... 182
XI. Exaudi, Deus, or..... 184
XXXV. Exaudi, Domine..... 193
XVI. Exaudi me, Dom..... 185
VI. Exaudi oration..... 181
XLI. Expectans expect..... 195
IV. Exurge et intende..... 181
XXXVI. Firmamentum..... 194
X. Fortitudinem m..... 183
XXXIV. Laudans invoc..... 192
XXXVIII. Miserere mei D... 194
VII. Miserere quon..... 182
XXXII. Miserere mei..... 191
XL. Paratum cor..... 195
XXXIX. Quemadmodum..... 195
XIII. Salvum me fac..... 183
XVII. Usquequò Dom..... 185
XXI. Ut quid, Domina..... 187
XXIX. Velociter exaudi..... 190
XVIII. Voce meâ... ed..... 186
XXVII. Voce meâ et..... 190
XXVI. Voce meâ.. eff..... 189

III.

CANTICA.

9 Audite cœli, quæ..... 49

IV.

HYMNI.

2 Benedicite omnia..... 7
3 Benedicta sis Dom..... 9
7 Cantemus Dominæ..... 38
4 Confitebor tibi, Dom..... 22
8 Domina, audivi..... 44
5 Ego dixi circa dim..... 28
6 Exultavit cor meum..... 33
Magnificat anima..... 16
Nunc dimittis servum..... 18
Quicumque vult..... 10
1 Te Matrem Dei laud..... 5

IV.

HYMNI.

130 Addicta sacris ædibus... 447
153 Adest Creator omnium.. 495
306 Adest dies lætitiæ..... 857
79 Ad laudem Virginis..... 317
276 Ad prima verba Virginis 781
237 Ad te sidereis missus... 662
266 Ædes hæc Domino sacr. 733
17 Æterni Patris Filiam.... 35
133 Æterni Patris ordinc.... 454
150 Afflicta quid ploras Sion. 485
183 Agnoscat omne sæcul... 513
29 Alma Redemtoris Mat.. 54
117 Alma Christi Mater..... 417
116 Angelus et dennò..... 628
147 Anna sat felix..... 481
139 Ante mundi princip..... 463
34 h. Antequàm terræ et.. 60
162 A solis ortûs cardine.... 512
46 Audi benigna num..... 151
299 Audis ut resonant..... 844
313 Ave cor admirabile..... 877
114 Ave cujus conceptio.... 412
19 Ave decus virginem..... 39
7 Ave maris stella, Dei... 16
94 Ave maris stella, sum.. 352
31 Ave Regina Cœlorum.. 54
9 Ave suprema Virginum. 19
56 Aurora cœlum purpurat. 208
16 Auroræ, ave, canentium 34
2 Auroræ lux nos edocet. 8
78 Aurora quæ solem paris. 317
309 Aurora velut fulgida.... 866
210 Baptismus ergò pinxerat. 615
292 Beata Dei Genitrix..... 823

324 Blandire Mater caro... 899
232 Calvariæ est amoris..... 656
41 Carnem dedisti Verbo.. 102
51 Castæ Parentis lacrymæ. 173
170 Castæ Parentis viscera.. 527
49 Castæ Parentis viscera.. 169
156 Castæ Parentis viscera.. 499
55 Christum sepulchro jam 207
192 Christum sub atræ..... 575
124 Clara ponti stella..... 434
236 Cœlestis ales nuntiat.... 661
100 Cœlestis aviæ nuntius... 366
228 Cœlitum JOSEPH decus 650
173 Cœlo Redemptor prælulit 531
73 Cœlo intonante cantio.... 307
59 Cogens Parentem linq... 225
53 Condolentes mœrotibus. 171
119 Contestes memorant.... 424
311 Corde quid isto Sanctius. 873
300 Corpus MARIÆ Virginis 848
25 Coruscat ecce proximi.. 50
40 Creator almæ siderum. 101
Cum Deus talem.....
111 Cum laudes canimus.... 889
96 Da, Parens, plebi..... 354
6 Dat hora Nona debitam. 14
144 Debilam morti sobolem. 476
97 Dei Mater Virgo..... 355
208 Deus suprema veritas... 604
207 Dic Virgo quæ vis trax. 603
75 Dignum Tonantis..... 309
204 Dum minans ni parv... 600
188 Diva quæ celso resides.. 563
248 Diva quæ gaudens..... 683
107 Diva quæ gentes hom... 382
249 Diva stellato residens... 685
106 Diva te nostris Mater.... 381
123 Diva te totus vener..... 433
137 Dives MARIÆ gremium. 501
217 Dum puer duodecim.... 636
331 Dum spargit aram Sang. 911
220 Dum triduo quæritur... 641
171 Dum Virgo læta cog.... 528
242 Dulcis ave pleno..... 674
230 Eamus è vestigio..... 653
280 Ecce quàm fructu..... 789
45 Eheu quàm scelerum... 149
198 Eheu quot enses trans.. 589
98 Electa proles maximam. 355
195 En Christus in templum. 581
275 En fert trabale lignum.. 646
257 En templa nos vocant tua. 715
211 Etsi audiatur primitus.. 616
189 Ergò hoc connubium.... 566
135 Ergò recedant pristinæ.. 456
105 Exteri necnon et urbis.. 378
118 Exulta in Domino..... 423
159 Felix dies quo proprio.. 526
258 Festa dum redeunt..... 715
77 Fœcunda radix..... 313
231 Fulcite me languoribus.. 654
27 Gaude Dei genitrix..... 54
235 Gaude flore virgineo..... 704
256 Gaude nexu voluntatis.. 707
99 Gaude propago candida. 358
115 Gaude redempta..... 413
254 Gaude Virgo Mater..... 703
116 Gaude visceribus..... 416
343 Gaudium mundi, novum.... 930
164 Gaudium mundi, novum... 514
138 Gaudium mundi, o..... 462
161 Gloriam Nato decim..... 508
84 Gloriosa Dei Matris..... 325
110 Grata Virgini MARIÆ... 389
276 Hâc die sanctum..... 734
234 Hæc illa solemnis dies... 658
295 Heu cur delineor..... 839
330 Hic adsis docilis..... 909
349 Hoc in templo Virgo.... 940
4 Horâ diei tertiâ..... 12
277 Hunc diem festum..... 782
50 Illæsa te puerpera..... 170
159 Imbriferis arcus..... 503
47 Imperatrix clementiæ... 166
131 Infans pulsa recens..... 449
206 Infantes Judææ..... 602
305 Inferis mersi periere..... 855
102 In monte olivis consilio.. 369
218 In Patris esse rebus..... 536
38 Instantis adventus..... 99
30 Inviolata, integra..... 55
229 Isle quem læti colimus.... 615
213 Jamjamque contrem..... 618
235 Jam mittit præmium..... 658
103 Jam morte Victor..... 371
201 Jam nimis terris..... 597

332 Jam toto subito..... 911
66 Jam Christus astra..... 240
316 Jesu Mariæ gloria..... 873
141 Joachim et Anna flet.... 467
209 Jordanis amnis..... 612
212 Jordanis celeres..... 617
109 Jubilo dulci canim..... 386
215 Jucundum cœlor..... 622
18 Justi si semper tim..... 36
334 Juxta crucem stans..... 916
91 Lacrymæ Matris profl... 345
338 Lætare jam cum Filio... 922
104 Lætis terra sonet plausu. 378
179 Linquunt tecta Mag..... 540
314 Longa incorruptam..... 883
65 Lustra nostra tua..... 239
81 Lux ecce surgit nova.... 321
12 Lux quæ luces in..... 25
284 Magnæ dies lætitiæ..... 794
21 Maria decus hominum.. 41
85 Mariæ sceptro floret.... 327
166 O nox vel medio spl..... 516
93 Maria septem langitur... 349
298 Opiata dudum luxer..... 844
339 Maria templum Domini. 924
57 Opus peregis i tuum..... 221
261 Maria Virgo regia..... 781
334 O quàm glorificâ luce... 931
127 Martyrum Regina..... 441
328 O quater felix decies.... 906
146 Mater ò felix meritò..... 480
11 O quæ polo sublimior... 24
226 Matris intactæ ven..... 647
269 O quæ Tonanti proxima. 760
202 Matris sub almæ..... 599
333 O quot undis lacrym.... 914
92 Mentes pungant fid..... 348
120 Orans nam Monachus... 426
275 Montes superbum vert.. 778
337 Orbæ Parentis viscera... 921
72 Mortale cælo tolle..... 303
34 Orbis ave Regina..... 56
142 Moses congeminans..... 468
58 Orco subacto, cœlica.... 221
121 Mox Regina subit..... 427
319 Mysterium Ecclesiæ..... 893
246 Naufragi felix Cyn..... 679
247 Nautis amicum sydus... 679
325 Nobis Deum quæ part.. 902
15 Nocturna jam silentia... 31
151 Non dat informem..... 488
60 Nos ergo Mater optima.. 226
5 Nos Hora sexta convoc... 13
290 Nulla præcellens licet.... 819
345 Nunc aurora nova..... 934
270 Nunc ergò lenes..... 761
177 Nuntius cœlo retulit..... 535
341 O beata Mater Christi... 927
180 Oblata Christo munera. 543
108 O Cæsaraugustæ decus. 386
278 O Christi Mater cœlica.. 784
86 O cuncta Verbo cont..... 336
185 O decus cœli pariter..... 555
317 O dulcis Infans ò Soror. 890
263 O felix dies memoranda. 727
214 O felix regio, tibi..... 618
241 Offert salutem nuntius.. 674
322 O Genitrix æterni..... 897
48 O gloriosa Domina..... 166
168 O gloriosa Virginum.... 523
182 O gloriosa Virginum.... 521
186 O gloriosa Virginum.... 560
61 O grande cunctis gaud... 234
148 O major aliis montib.... 483
83 O Maria, nomen bonum. 322
125 O Maria summi..... 440
308 Omnes fideles plaudite.. 887
288 Omnium laudum..... 815
271 Omnium splendor..... 765
239 O nimis felix sup..... 667
166 O nox vel medio spl..... 516
298 Opiata dudum luxer..... 844
57 Opus peregis i tuum..... 221
334 O quàm glorificâ luce... 931
328 O quater felix decies.... 906
11 O quæ polo sublimior... 24
269 O quæ Tonanti proxima. 760
333 O quot undis lacrym.... 914
120 Orans nam Monachus... 426
337 Orbæ Parentis viscera... 921
34 Orbis ave Regina..... 56
58 Orco subacto, cœlica.... 221
3 Ortus refulget lucifer.... 9
129 O sancte sanctorum Deus 443
244 O signum populis..... 677
184 O singularis femina..... 555
178 O sola magnarum..... 538
342 O solis lucido lumine.... 928
112 O stella Jacob fulgida... 399
183 O stupendum mirand... 552
135 O tu beata præ omnib... 499
362 O vos ætherei, plaudite. 850
289 O Virgo excellens..... 819
24 O Virgo formosissima... 47
205 O Virgo maximum..... 602
22 O Virgo mi dulcissima.. 44
315 O Virgo pura et innocens 887
43 O Virgo quæ paris Deum 118

346 O Virgo quæ sublimior.. 935
87 O Virgo quanta nuntias.. 337
70 Pange lingua gloriosi.... 255
281 Palge lingua gloriosi... 792
304 Parata cum te poscerent.. 854
145 Per singularem gratiam. 479
134 Plaudant beati cœlites... 455
251 Plaude festivo pia..... 691
137 Plebs diem festum..... 461
80 Post longa noctis..... 320
113 Præclara custos Virg..... 400
200 Præclara septem lum..... 596
13 Præfulgens sol justitiæ.. 28
74 Prælude cœlum cant..... 308
268 Principis jussu supr..... 738
347 Proles æternæ Genitrix.. 937
275 Promissa mundo gaudia. 812
336 Proprios Virgo tibi..... 918
303 Quæ cœlo nova nunc.... 853
71 Quæ gemis primi..... 303
296 Quæ longa tandem..... 810
219 Quærebas puerum..... 639
181 Quæ vos causa Magi..... 549
167 Qualis Virgo tibi glor.... 519
170 Quam pulcher in..... 535
318 Quam pulchra faud..... 891
128 Quam pulchri gradiuntur.. 444
240 Quam tibi fausto..... 672
165 Quandò venit ergò..... 515
143 Quantis Maria te Deus.. 475
320 Quas tibi tandem..... 893
56 Quem casta Mater..... 209
44 Quem chorus vatum.... 132
197 Quem Simen prædix.... 589
321 Quem terra fundo div... 896
158 Quem terra, pontus..... 502
312 Quid Corde Matris Virg. 876
801 Quid illo solemnius die.. 849
199 Quidquid amplexu..... 599
196 Quidquid antiqui cec... 582
350 Quisquis ò sacram..... 941
10 Quis te canat mortal..... 22
238 Quis tuas Virgo ven..... 664
297 Quod carne Christum... 843
274 Quo sanctus ardor..... 777
283 Regale Davidis genus.... 812
32 Regina cœli lætare..... 56
253 Regina cœtus virg..... 702
260 Regina verè amabilis.... 719
187 Reginæ angelicæ..... 562
Regis æterni Genitr.....
308 Regnator superum..... 860
95 Respiret naufragus..... 353
54 Rex sempiterne..... 206
132 Sacræ Parentis..... 440
282 Sacris solemniis..... 793
Sacrum montem app.....
262 Sæpè dum Christi..... 727
33 Salve acuto quàm..... 55
37 Salve mundi Dom..... 63
1 Salve Regina Emp..... 2
287 Salve Sancta par..... 819
136 Salvete clari conjug..... 458
223 Sancta Mater istud..... 645
329 Sanctum te Genitr..... 908
28 Scala thronusque..... 54
203 Simonis ulnis solo..... 599
82 Si quæris cœlum..... 322
35 Sistitur tellus, ades..... 60
14 Sol casto nascens..... 29
221 Stabat Mater dol..... 643
222 Stabat solutis lacr..... 644
76 Stirps Jesse generosa.... 311
326 Stupete cœlestes chori... 903
193 Stupete gentes, fil..... 578
227 Sublimis es tu..... 648
233 Sub vesperæ cr..... 656
90 Summæ Deus cl..... 345
68 Summus artifex..... 251
294 Surgit ter amplæ..... 830
20 Sydus Mariæ splend..... 40
265 Tanta si nobis..... 129
Tantus amor, tanta.....
26 Te deprecamur vesp..... 51
307 Te Deus primo sap..... 859
67 Te fasciis obvol..... 251
101 Te gestientem gaud..... 367
190 Te Joseph celebrent..... 567
175 Te Mater alma N..... 533
348 Templo quæ populi..... 937
140 Templis ferentem..... 464
259 Tenere fletus quis..... 717
264 Te Redemptoris Dom.... 729
154 Terrena cuncta..... 497
174 Totus ab sola gen..... 931
172 Tu pulcherrima V..... 529

149 Tutela Picænum Dom... 484
42 Umbrâ sepultis..... 116
36 Una de multis mihi..... 62
23 Urgente apud nos..... 46
152 Ut floret hortor..... 491
160 Valum patent orac..... 508
64 Veni, Creator Spiritus... 338
272 Veni, præcelsa Dom..... 776
273 Veni, stella Dux gent.... 777
29 Veni Redemptor gent.... 100
243 Venit festa dies..... 677
283 Verbum supern. prod. A. 794
69 Verbum supernum pr... 254
323 Verè gratiâ plena..... 899
340 Victum conde caput..... 920
335 Victor triumphat filius... 917
63 Vides petentem Fiium.. 235
293 Vidit Hebræus..... 829
8 Virgineis titulis..... 18
122 Virgo beata nascitur.... 429
191 Virgo bis nati Genitr.... 568
89 Virgo, cui par est..... 342
327 Virgo decus angelic..... 905
291 Virgo intacta manens.... 822
194 Virgo latentis conse..... 578
52 Virgo salve trans..... 173
252 Virgo te monstra..... 701
243 Virgo terrarum..... 679
126 Virgo verè prudens..... 440
88 Virgo vetustis edita..... 340
224 Virgo virginum..... 645
279 Vi suâ magnum..... 787
62 Votis cupitum omn..... 235
250 Vox æqua digna..... 687

V.

HISTORIA DEIPARÆ.

in Breviario Mariano contenta

quæ omnia, quæad ejus Vitam, Mores, Virtutes, gratias, Dona, Privilegia, Prærogativas, Festa, Gloriam, Cultum, Laudem pertinent, complectitur indistincte, et in hoc Indice distinguitur.

I.
VITA B. M. V.

1 Prædestinatio B. M. V. ab Æterno. Dom. ante Nat.
2 Præsignatio B. M. V. in antiquâ lege. 3 Sept.
3 SS. Parentes B. M. V. 26 Jul.
4 Annuntiatio Concept. B. Mariæ V. 1 Dec.
5 Conceptio immaculata B. M. V. 8 Dec.
6 B. V. M. in Utero materno.. 5 Sept.
7 Expectatio Nativitat. B. M. V. 1 Dec.
8 Nativitas B. M. V. 8 Sept.
9 SS. Nomen B. V. MARIÆ. Dom. inf. Oct. Nat.
10 Oblatio B. V. M. in templo. 26 Nov.
11 Infantia B. MARIÆ V. A Nativ. ad Præs
12 Præsentatio B. V. M. in templo. 21 Nov.
13 Conversatio B. V. M. in templo. 24 Nov.
14 Votum perpetuæ Virginitatis. 19 Nov.
15 Desponsatio B. V. M. 23 Jan.
16 SS. Sponsus B. V. M. 19 Mart.
17 Annuntiatio B. M. V. 25 Mart.
18 Visitatio B. M. V. 2 Jul.
19 Prægnatio B. MARIÆ V. Ab Infant. ad Puerp.
20 S. JOSEPH in Prægnatione B. V. M. 19 Dec.
21 Expectatio Partus B.

M. V. 18 Dec.
22 Ascensio B. V. M. in Bethl. 22 Dec.
23 Partus B. M. V. 24 Dec.
24 Puerperium B. V. MARIÆ. A partu ad Purif.
25 Circumc. pueri JESU. 1 Jan.
26 Adoratio Magorum... 6 Jan.
27 Mansio B. M. V. in Præsepio. 18 Jan.
28 Lactatio pueri JESU. 21 Jan.
29 Ascensio B. M. V. ad Purificationem. 30 Jan.
30 Purificatio B. M. V.. 2 Febr.
31 Dolor B. V. in Simeonis Prophetiâ. 6 Febr.
32 Fuga B. M. V. in Ægyptum. 12 Febr.
33 Exilium B. M. V. in Ægypto. 25 Febr.
34 Reversio B. M. V. de Ægypto. 6 Mart.
35 Profectio B. V. M. cum Filio et Sponso in Jerusalem. 9 Mart.
36 Amisso pueri JESU in Jerusalem. 13 Mart.
37 Inventio pueri JESU in templo. 16 Mart.
38 Vita contemplativa B. M. V. A Purif. ad Pass.
39 Vita interior B. M. V. 2 Mart.
40 Baptismus B. M. V. 22 Febr.
41 B. V. M. in Nuptiis Cana Galilææ 20 Febr.
42 Conversatio B. V. M. in Prædicatione Christi.
43 Vita Dolorosa B. V. MARIÆ. A Pass. ad Pasc.
44 Compassio B. M. V. Fer. 6. Pas.
45 Occursus B. V. Filio portanti crucem. 18 Mart.
46 Martyrium B. M. V. 17 Mart.
47 Virgo in crucifixione Filii. Fer. 5. maj. heb.
48 Virgo in morte Filii. Fer. 6. maj. heb.
49 Virgo in sepultura Filii. Sabbat. Sancto.
50 Septem Dolores B. V. M. 20 Sept.
51 Vita gaudiosa B. V. MARIÆ. A Pasch. ad Pent.
52 Virgo in Resurrectione Filio. Dom. Resurr.
53 Conversatio B. V. cum Filio Resurr. 1 Maj.
54 Virgo in Christi Ascensione. Ascen. Dom.
55 Virgo in cœnaculo. Ascen. Inf. oct.
56 Virgo in Adventu Spiritus Sancti. Die Pentec.
57 Conversatio B. M. V. post Christi Ascens. 26 Jun.
58 Vita Activa B. V. MARIÆ. A Pentec. ad Assu.
59 Conversatio Apostolica B. V. M. 12 Jul.
60 Virginitas perpetua B. M. V. 30 Jul.
61 Viduitas B. M. V. 7 Aug.
62 SS. Anni B. M. V. 9 Aug.
63 SS. Vita B. M. V. 11 Aug.
64 Felicis. Obitus B. M. V. 13 Aug.
65 Exequiæ B. M. V. 14 Aug.
66 Assumptio B. M. V. 15 Aug.
67 Vita gloriosa B. M. V. ab Ass.
68 Exaltatio B. M. V. 17 Aug.
69 Coronatio B. M. V. 19 Aug.
70 Beatitudo B. M. V. 21 Aug.
71 Gloria B. M. V. 14 Jun.
72 Gaudia B. M. V. 5 Maj.
73 Aureolæ B. M. V. 25 Aug.

II.

VIRTUTES B. MARIÆ V.

—

74 Fides B. M. V. 5 Dec.
75 Spes B. M. V. 12 Jan.
76 Charitas B. M. V. 18 Febr.
77 Prudentia B. M. V. 4 Mart.
78 Justitia B. M. V. 30 Apr.
79 Fortitudo B. M. V. 11 Maj.
80 Temperantia B. M. V. 15 Jun.
81 Septem virtutes B. M. V. 18 Nov.

82 Decem beneplacita seu Virtutes B. M. V. 4 Febr.
83 Benignitas B. M. B. 21 Apr.
84 Castitas B. M. V. 28 Jun.
85 Constantia B. M. V. 23 Mart.
85 Contemplatio B. M. V. 16 Febr.
86 Dulcedo B. M. V. 8 Jul.
87 Humilitas B. M. V. 26 Oct.
88 Libertas B. M. V. 21 Oct.
89 Mansuetudo B. M. V. 3 Maj.
90 Misericordia B. M. V. 28 Sept.
91 Modestia B. M. V. 13 Febr.
92 Obedientia B. M. V. 21 Mart.
93 Opera misericordiæ B. M. V. 14 Jul.
94 Patientia B. M. V. 7 Jun.
95 Pietas B. M. V. 17 Dec.
96 Pudicitia B. M. V. 18 Sept.
97 Puritas B. M. V. 20 Oct.
98 Religio B. M. V. 29 Oct.
99 Pauperias B. M. V. 27 Dec.
100 Sanctitas B. M. V. 22 Maj.
101 Silentium B. M. V. 22 Nov.
102 Simplicitas B. M. V. 17 Jun.
103 Somnus B. M. V. 28 Febr.

III.

DONA SPIRITUS S. B. M. V.

—

104 Septem Dona Spiritûs S. in B. M. V. 24 Oct.
105 Timor B. M. V. 16 Nov.
106 Pietas B. M. V. 17 Dec.
107 Scientia B. M. V. 7 Jan.
108 Fortitudo B. M. V. 22 Jul.
109 Consilium B. M. V. 28 Mart.
110 Intellectus B. M. V. 14 Apr.
111 Sapientia B. M. V. 8 Jun.

IV.

PRÆROGAT. ET PRIVIL. B. M. V.

—

112 Duodecim prærogativæ B. M. V. 11 Jun.
113 Duodecim gratiæ B. M. V. 2 Apr.
114 Septem privilegia B. M. V. 12 Dec.
115 Septem excellentiæ B. M. V. 27 Aug.
116 Tres eminentiæ B. M. V. 25 Jul.
117 Tres excellentiæ B. M. V. 5 Jul.
118 Advocatio B. M. V. 10 Aug.
119 Dignitas excellentissima B. M. V. 13 Nov.
120 Dispensatio B. M. V. 24 Jul.
221 Divitiæ B. M. V. 28 Apr.
122 Dominatio B. M. V. 4 Oct.
123 Fœcunditas B. M. V. 2 Jan.
124 Gratia B. M. V. 19 Jul.
125 Impeccabilitas B. M. Virginis. 3 Nov.
126 Imperium B. M. V. 19 Jun.
127 Incomprehensibilitas B. M. V. 29 Dec.
128 Mater divini Pastoris. 27 Maj.
129 Mater Lucis. 26 Jan.
130 Maternitas B. M. V. 4 Jan.
331 Mediatio B. M. V. 17 Oct.
132 Merita B. M. V. 3 Aug.
133 Nobilitas B. M. V. 18 Maj.
134 Patrocinium B. M. V. 12 Nov.
135 Perfectio B. M. V. 5 Jun.
136 Potentia B. M. V. 25 Jun.
137 Pulchritudo B. M. V. 30 Jun.
138 Præexcellentia B. M. Virginis. 24 Apr.
139 Regina misericord. 3 Dec.
140 Regina pacis. 24 Apr.
141 Speciositas B. M. V. 1 Jun.

V.

RELIQUIÆ et ALIA B. M. V.

—

142 SS. Annulus B. M. Virginis. 21 Dec.
143 SS. Capilli B. M. V. 8 Mart.
144 Cingulum B. M. V. 6 Nov.
145 SS. Cor B. M. V. 26 Aug.
146 SS. Corpus B. M. V. 1 Aug.
147 B. M. V. Domus — Translat. in Dalm. 9 Maj.
147 B. M. V. Domus — Translat. in Laurent. 10 Dec.
148 SS. Lac et aliæ Reliquiæ B. M. V. 29 Maj.

149 In Memoria B. M. V. 28 Jul.
150 Oculi B. M. V. 30 Sept.
151 Quinque sensus B. M. V. 22 Jun.
152 Reliquiæ B. V. M. 24 Aug.
153 Septem Verba B. M. V. 3 Jun.
154 Sepulchrum B. M. V 29 Aug.
155 Tunicæ B. M. V. 23 Aug.
156 Ubera B. M. V. 16 Jan.
157 Uterus B. M. V. 20 Dec.
158 Vestes B. M. V. 3 Jul.
159 Zona B. M. V. 31 Aug.

VI.

DEDICAT. ECCLESIAR. B. M. V.

—

160 Dedicatio S. M. de Pace. 6 Oct
161 Eucænia Omnium Ecclesiar. B. M. V. 8 Oct.
162 Dedicatio Ecclesiæ Toletanæ. 25 »
163 Dedicatio S. M. in Transportina. 11 Nov.
164 Dedicatio S. M. in Transtyberim. 15 »
165 Ded. B. V. Trevirensis. 28 Mart.
166 Ded. S. M. supra Minervam. 26 Apr.
167 Ded. S. M. in Cosmedin. 6 Maj.
168 Ded. S. M. de Rotundâ. 13 Maj.
169 Ded. S. M. de Tabulis. 14 »
170 Ded. B. M. de Monte Virginis 21 »
171 Ded. Ecclesiæ Ilerdensis. 28 »
172 Ded. B. V. de Eremitis. 21 Jul.
173 Ded. S. M. de Portiunculâ. 2 Aug.
174 Ded. S. M. ad Nives. 5 »
175 Ded. S. M. Angelor. et Martyr. 22 »

VII.

VIGILLÆ FESTIVITAT. B. M. V.

—

176 Vigilia Nativitatis B. M. V. 7 Sept.
177 Vigilia Omnium Festivitatum B. M. V. 31 Oct.
178 Vigilia Præsentationis B. M. V. 20 Nov.
179 Vig. Immacul. Concept. B. M. V. 7 Dec.
180 Vig. SS. Partus B. V. M. 24 »
181 Vig. Epiphaniæ. 5 Jan.
182 Vig. Purificationis B. M. V. 1 Feb.
183 Vig. Annuntiationis B. M. V. 24 Mart.
184 Vig. Ascensionis Domini »
185 Vig. Pentecostes. »
186 Vig. Visitationis B. M. V. 1 Jul.
187 Vig. Assumptionis B. M. V. 14 Aug.

VIII.

INFRA OCT. ET OCTAVÆ FEST. B. M. V.

—

188 H. dies infra Octav. Nativ. B. M. V. 9 Sept.
189 IV. dies. 11 »
190 VI. dies. 13 »
191 Octava Nativitatis B. M. V. 15 »
192 III. dies infra Oct. Encæniar. 10 Oct.
193 VI. dies. 13 »
194 Octava Encæniar. 15 »
195 II. dies infra Oct. Omn. Festiv. B. V. 2 Nov.
196 IV. dies. 4 »
197 VII. dies. 7 »
198 Octava Omnium Festivitatis B. V. M. 8 »
199 III. dies inf. Oct. Præsentat. 23 »
200 V. dies. 25 »

201 VII. dies. 17 »
202 Octava Præsentation. 28 »
203 II. dies inf. Oct. Immacul. Concept. 9 Dec.
204 IV. dies. 11 »
205 VI. dies. 13 »
206 Octava Immaculatæ Concept. 15 »
207 II. dies infra Oct. SS. Partûs. 26 »
208 IV. dies. 28 »
209 VI. dies. 30 »
210 Octava SS. Partûs. 1 »
211 Dominic. infra Oct. 1 »
212 IV. dies infra Oct. Epiphaniæ. 9 »
213 VI. dies. 11 »
214 Octava Epiphaniæ. 13 »
215 IV. dies infra Oct. Purification. 5 »
216 VI. dies. 7 »
217 Oct. Purificationis. 9 »
218 III. dies infra Octav. Annuntiat. 27 Mart.
219 V. dies. 29 »
220 VII. dies. 31 »
221 Octava Annuntiationis. 1 Apr.
222 Feria II. post Pasch.
223 Feria III. »
224 Feria IV. »
225 Feria V. »
226 Feria VI. »
227 Sabbato in albis.
228 Octava Paschæ Dom. in Albis.
229 Feria VI. post Ascens.
230 Sabbato post. »
231 Dominica post Asc.
232 Feria II. post Ascens.
233 Feria III. »
234 Feria IV. »
235 Feria V. Octav. Ascens.
236 Feria II. post Pentec.
237 Feria III. »
238 Feria IV. »
239 Feria V. »
240 Feria VI. »
241 Sabbatum »
242 Feria VI. Infra Oct. Corp. Chr.
243 Sabbato. »
244 Dominica. »
245 Feria II. »
246 Feria III. »
247 Feria IV. »
248 Octava. »
249 III. dies infra octav. Visitationis. 4 Jul.
250 VI. dies. 7 »
251 Octava Visitationis. 9 »
252 II. dies infra Octav. Assumptionis. 16 Aug.
253 IV. dies. 18 »
254 VI. dies. 20 »
255 Octava Assumptionis. 22 »

IX.

TITULI ET TEMPLA B. M. V.

I.

Eorum quæ diem festum proprium habent.

—

256 Div. Agathyrsana. 22 Oct.
257 D. V. Alelensis. 2 Dec.
258 D. V. Alcamensis. 21 Jun.
259 D. V. Ab alto. 31 Maj.
260 D. V. Anniciensis. 21 Jun.
261 Apparitio B. V. de Bono Consilio. 25 Apr.
262 B. V. ad Aquas-vivas. 16 Oct.
263 S. M. in Arâ cœli. 14 Dec.
264 D. V. Araucana. 12 Maj.
265 D. V. Archidonensis de Gratiâ. 27 Sept.
266 D. V. Ab Arcu. 14 Oct.
267 D. V. de Auxilio. 31 Jul.
268 D. V. Auxilium Christianorum. 24 Maj.
269 D. V. Barbasirensis de Podio. 17 Maj.
270 B. V. Barcinonensis de Mercede. 17 Jan.
271 D. V. Brixiensis de Consolatione. 31 Dec.
272 D. V. Boloniensis. 10 Apr.
273 B. V. de Candelaria. 29 Sept.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

274 D. V. Cameracensis de Gratiâ. 8 Aug.
275 D. V. Carnutensis à Ruinâ. 18 Mart.
276 B. V. Cincturatorum de Consolatione. 28 Aug.
277 D. V. Claramontana de Partu. 23 Maj.
278 D. V. Collis-prati de de Querc.u. 12 Jun.
279 D. V. de Columnâ. 12 Oct.
280 B. V. de Constantinopoli. 28 Oct.
281 D. V. à Crypta. 30 Mart.
282 B. V. à Cubis. 1 Mart.
283 B. V. de Curriculu vel Carrodilla. 15 Febr.
284 B. V. de Deaurata. 4 Sept.
285 Descensionis B. M. V. 24 Jan.
286 D. V. Depranitana de Luce. 29 Jul.
287 D. V. Derchensis. 27 Febr.
288 D. V. Desertorum. 16 Sept.
289 B. V. de Divino Amore... 18 Oct.
290 B. V. de Divino adjutorio. 13 Jun.
291 B. V. de Divino Consilio. 8 Febr.
292 D. V. Evodiensis de Cruce. 22 Jan.
293 D. V. Fatarellensis de Misericordiâ. 16 Maj.
294 D. V. Ferreriana. 10 Maj.
295 D. V. Fesulanæ de Saxo. 17 Jul.
296 D. V. Florentina de Annuntiatâ. 23 Apr.
297 D. V. Fogiensis septem Dolorum. 23 Jul.
298 D. V. Garazeniæ. 19 Sept.
299 D. V. Genuensis de Vineis. 26 Maj.
300 D. V. Græca. 8 Apr.
301 D. V. Granatensis. 19 Apr.
302 D. V. Guadalupensis 26 Mart.
303 D. V. Hallensis. 14 Sept.
304 D. V. Hym. Acathisti 10 Mart.
305 D. V. Illiturgensis de Capite. 2 Maj.
306 D. V. de Luminibus. 4 Maj.
307 D. V. Lucensis à Rosâ. 14 Jan.
308 D. V. Lusitana de Luce. 14 Feb.
309 D. V. Magalloniana. 20 Jun.
310 Manifestatio S. M. in Cosmedin. 6 Jun.
311 Matritensis de Atocha 17 Sept.
312 D. V. Matritensis de Remedio. 28 Jan.
313 D. V. de Mediolano. 20 Apr.
314 D. V. de Mercede. 24 Sept.
315 D. V. Messanensis à Scalis. 25 Maj.
316 D. V. Mexicana de Guadalupe. 26 Febr.
317 D. V. Monloræ. 25 Febr.
318 D. V. de Monte ætna 27 Jun.
319 D. V. de Monte Carmelo. 16 Jul.
320 D. V. de Monte Guardiæ. 6 Aug.
321 D. V. de Monte Sancto. 10 Jan.
322 D. V. de Monte Serrato. 10 Sept.
323 D. V. Nazarethana. 12 Sept.
324 D. V. Novissima de Gratiis. 23 Febr.
325 S. M. Nova. 19 Sept.
326 D. V. Nucerina. 9 Oct.
327 D. V. Numismate. 20 Jan.
328 B. V. de Nuria. 1 Oct.
329 D. V. Odigitriæ. 8 Maj.
330 D. V. de Olivario. 3 Mart.
331 Pasenicar. B. M. V. 14 Nov.
332 D. V. Panormitana à Cafenis. 16 Jun.
333 D. V. ad Pedem cryptæ. 4 Dec.
334 D. V. Pisioriensis de Humilitate. 18 Jul.
335 D. V. de Populo. 6 Apr.
336 S. M. de Porticu. 17 Jul.
337 S. M. à Principio. 8 Jan.

338 S. M. Prodigiorum. 6 Jul.
339 D. V. de Quercu. 5 Nov.
340 D. V. Raccuiensis. 28 Apr.
341 D. V. Ravetensis de planctu. 18 Jun.
342 D. V. de Refugio. 12 Apr.
343 D. V. Remedio. 21 Sept.
344 D. V. Remensis. 13 Jul.
345 D. V. Romana Sanctæ Mariæ Majoris. 27 Jan.
346 SS. Rosarium B. V. MARIÆ. 1 Oct.
347 S. M. Rupis-amatoris. 19 Febr.
348 S. M. Rupis-galliæ. 19 Maj.
349 D. V. Salemitana. 7 Mart.
350 D. V. Salettensis. 15 Jul.
351 D. V. de Salute. 2 Oct.
352 D. V. de Sanitate. 30 Nov.
353 D. V. Savonensis de consortio. 14 Mart.
354 D. V. Schiedamensis. 3 Oct.
355 D. V. Sichiemensis. 17 Apr.
356 S. M. Septem servorum. 11 Febr.
357 D. V. Stella maris. 23 Sept.
358 D. V. de Subsidio. 30 Oct.
359 D. V. de Succursu. 23 Jun.
360 D. V. Suessonensis à miraculis. 10 Nov.
361 D. V. Tungrensis. 3 Febr.
362 D. V. Tyndarintana. 11 Oct.
363 D. V. Vallis-venariæ 11 Mart.
364 S. M. in Vialatâ. 19 Jan.
365 S. M. de Victoriâ. 7 Oct.
366 D. V. Vincennensis de Bonâ spe. 22 Sept.
367 D. V. de Usoâ. 29 Jan.

II.

Eorum, quorum festum fit Commemoratio.

—

368 B. V. Acrimontanæ de Subsidio. 13 Jul.
369 B. V. de Acrenâ 21 Sept.
370 B. V. de Adjutorio. 9 Jan.
371 B. V. Afflictorum. 28 Aug.
372 B. V. Affligiemensis. 18 Oct.
373 B. V. Agatensis de Gradu. 13 Maj.
374 B. V. de Agnone. 26 Dec.
375 B. V. Alcalensis de Spino. 25 Febr.
376 B. V. Aliagensis de rubo. 1 Aug.
377 B. V. de Almudena. 11 Oct.
378 B. V. Anasthasiopolitanæ de Oleo. 21 Jul.
379 B. V. Anconensis de S. Cyriaco. 11 Maj.
380 B. V. de Angelis. 19 Maj.
381 B. V. Anteradensis. 17 Oct.
382 B. V. Antuerpiensis de Peregrinis. 11 Jul.
383 B. V. de Apibus. 20 Apr.
384 B. V. S. Apollinaris. 13 Febr.
385 B. V. de Aquilâ. 6 Maj.
386 B. V. in Aquiro. 28 Apr.
387 N. D. Ardentium. 20 Maj.
388 B. V. Arelatensis. 23 Febr.
389 B. V. Ariensis de Capellâ. 22 Oct.
390 B. V. Astigiensis de Valle. 22 Oct.
391 B. V. Avilensis de Gratiis. 27 Jun.
292 B. V. Barrensis de Consolatione. 5 Nov.
393 B. V. Begonnensis. 3 Dec.
394 B. V. Berchanæ. 5 Nov.
395 B. V. de Betharamo. 29 Apr.
396 B. V. Biellensis de Oroppa. 17 Apr.
397 B. V. Boleslaviensis. 7 Jun.
398 B. V. de Bona liberatione. 3 Maj.
399 B. V. de Bono-occursu. 23 Nov.
400 B. V. Bononiensis ad Galeram. 4 Dec.
401 B. V. Bruxellensis de Victoriâ. 5 Jun.
402 B. V. Budanæ in Silvis... 7 Oct.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

403 B. V. Bullensis de Compassione. 11 Aug.
404 B. V. Buricensis. 10 Dec.
405 B. V. de Butsenith. 28 Maj.
406 B. V Buxerianæ. 23 Maj.
407 B. V. de Buzzano. 13 Dec.
408 B. V. Caldefurnensis... 12 Dec.
409 B. V. ad Campummartium. 26 Sept.
410 B. V. Canodiensis. 24 Jan.
411 B. V. de Carasumada... 30 Mart.
412 B. V. de Casalibus. 20 Febr.
413 B. V. de Castello. 27 Oct.
414 B. V. Castillionensis de Nuce. 21 Jun.
415 B. V. Castilvedrensis... 13 Nov.
416 B. V. de Ceicâ. 1 Oct.
417 B. V. Cellensis. 11 Febr.
418 B. V. de Cervis. 19 Jul.
419 B. V. Cestochiovensis... 2 Maj.
420 B. V. de Charitate. 27 Febr.
421 B. V. de Clementiâ. 15 Nov.
422 B. V. de Colle-aurorâ. 18 Febr.
423 B. V. Coloniensis. 7 Febr.
424 B. V. Coloniensis ad Indulgentias. 10 Sept.
425 B. V. Condinensis. 10 Apr.
426 B. V. de Consolatione. 27 Dec.
427 B. V. Cordubensis de Fonte sancto. 29 Mart.
428 B. V. de Correyo. 14 Sept.
429 B. V. de Covadonga. 23 Jul.
430 B. V. Crocoviensis. 21 Mart.
431 B. V. de Cuarquera. 30 Sept.
432 B. V. de Cuniculis. 28 Jul.
433 B. V. Dittelbachensis... 24 Nov.
434 S. M. in Domenica. 6 Sept.
435 B V. de Denis. 8 Jul.
436 B. V. de Dumo. 25 Oct.
437 B. V. Firmanæ de Mari. 2 Jan.
438 B. V. Fixiensis de Remedio. 7 Nov.
439 B. V. de Fonte-Calido. 19 Oct.
440 B. V. Foroliviensis. 2 Mart.
441 B. V. Fresnedensis de Gratiâ. 28 Oct.
442 B. V. de Funibus. 1 Jan.
443 B. V. Gidlensis. 24 Maj.
444 B. V. Gienoensis à Coronâ. 30 Jan.
445 B. V. de Gregnana. 23 Mart.
446 B. V. de Guarga. 25 Jul.
447 B. V. Guimarensis de Olivâ. 7 Mart.
448 B. V. Heilbrun. de Urticeto. 25 Apr.
449 B. V. Himærensis de Consolat. 3 Febr.
450 B. V. Hirachensis de Stellâ. 17 Jul.
451 B. V. de Horto. 17 Jun.
452 B. V. Ilerdensis de Salute. 17 Aug.
453 B. V. Imperlatæ. 30 Nov.
454 B. V. in Insulâ Danubii. 27 Jan.
455 B. V. de Insulâ. 9 Oct.
456 B. V. de Itinere. 8 Aug.
457 B. V. de S. Joanne Damasceno. 30 Apr.
458 B. V. Lætitiensis. 9 Febr.
459 B. V. Laffensis in Umbrâ. 6 Apr.
460 B. V. de Lagheto. 18 Mart.
461 B. V. Legionensis de Regulâ. 1 Jun.
462 B. V. de Liberatione. 4 Febr.
463 S. M. Liberatricis. 3 Oct.
464 S. M. de Livron. 13 Mart.
465 B. V. Lilybetanæ. 20 Jan.
466 B. V. Limanæ de Rosario. 27 Mart.
467 B. V. Livornensis de Monte-nigro. 31 Dec.
468 B. V. Lucernensis de Cespite. 15 Febr.

469 S. M. Majoris Neapolitanæ. 4 Sept.
470 B. V. Malacensis de Victoriâ. 14 Febr.
471 B. V. Malhaerensis de Fonte. 17 Sept.
472 B. V. Mantuanæ de Gratiis. 6 Jul.
473 B. V. Marpentanæ. 31 Aug.
474 B. V. Massilicnsis de Guardia. 11 Mart.
475 B. V. Matritensis de Exilio. 22 Dec.
476 B. V. Meerlensis. 28 Jun.
477 B. V. Messanensis de Litterâ. 3 Jul.
478 B. V. de Michelitiâ. 15 Oct.
479 B. V. Mindonicensis de Remediis. 17 Jan.
480 B. V. Minoricensis de Monte Tauro. 14 Jun.
481 B. V. de Miraculo. 3 Nov.
482 B. V. Mislenicensis. 7 Jul.
483 B. V. Modicensis. 4 Maj.
484 B. V. de Monte Celio... 10 Nov.
485 B. V. de Monte Fiermo. 18 Jun.
486 B. V. de Monte Martyrum. 3 Febr.
487 B. V. de Monte-viridо. 13 Oct.
488 B. V. Montoleensis. 27 Dec.
489 B. V. Montisonensis de Lætitiâ. 9 Aug.
490 B. V. Myansensis. 19 Febr.
491 B. V. de Najara. 24 Sept.
492 B. V. Nicopæjæ. 31 Maj.
493 B. V. de Nieva. 16 Jan.
494 B. V. Nivellensis à Consiliis. 24 Aug.
495 B. V. Novæ. 17 Maj.
496 B. V. Orcivallensis. 26 Febr.
497 B. V. Olyssiponensis de Bethleem. 19 Jan.
498 B. V. Paduanæ de Peste. 3 Aug.
499 B. V. de Palmis. 4 Jul.
500 B. V. Pampelonensis de Viâ. 8 Maj.
501 B. V. Panormitana de Miraculis. 28 Febr.
502 B. V. Panormitana de Victoriâ. 20 Aug.
503 B. V. Parisiensis de Tollerantiâ. 6 Jun.
504 B. V. de Partu. 11 Dec.
505 B. V. de Pinoso. 11 Jan.
506 B. V. Plebis-secli. 11 Jan.
507 B. V. de Portillo. 15 Dec.
508 B. V. de Portu-salvo... 11 Dec.
509 B. V. Pragensis de Cryptâ. 26 Jun.
510 B. V. Pratensis de Carcere. 12 Apr.
511 B. V. de Divinâ Providentiâ. 11 Nov.
512 B. V. Quartensis. 8 Jan.
513 B. V. Raccuiensis de Laureto. 19 Jul.
514 Ransperganæ. 6 Oct.
515 Ratisponensis de S. Lucâ. 29 Jul.
516 B. V. Ravenatensis. 18 Jul.
517 B. V. Ravenosæ. 11 Jan.
518 B. V. de Rocapebrera. 15 Oct.
519 B. V. de Sacratâ. 10 Jan.
520 B. V. Salemitanæ de Sudore. 13 Jun.
521 B. V. de Salinis. 17 Dec.
622 B. V. Savonensis de Misericordiâ. 10 Maj.
523 B. V. de Scalâ Cœli. 17 Jul.
524 B. V. de Sclavoniâ. 12 Jan.
525 B. V. Senensis in colle. 29 Jan.
526 B. V. Silvasonen. de bono odore. 14 Maj.
527 B. V. Siracusanæ à Miraculis. 9 Jan.
528 B. V. Sixenensis de Choro. 22 Jul.
529 B. V. Smelcemensis. 27 Aug.
530 B. V. Sortinensis. 22 Jan.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

531	B. V. de Sudore.	9 Dec.
532	B. V. Tallensis.	22 Jan.
533	B. V. Tarracensis à Castro.	1 Mart.
534	B. V. de Tauro.	8 Febr.
535	B. V. Tobelanæ.	3 Apr.
536	B. V. de Torrentibus.	16 Nov.
537	B. V. Trevirensis.	10 Maj.
538	B. V. Trevirensis de Deserto.	31 Jul.
539	B. V. Trialcensis.	22 Jun.
540	B. V. Triviensis de Lacrymis.	22 Maj.
541	B. V. in Trivio.	13 Jun.
542	B. V. Trocensis.	10 Oct.
543	B. V. Turcellanæ.	29 Oct.
544	B. V. Valencenensis de Eremitorio.	2 Aug.
545	B. V. de Vallicellâ.	11 Mart.
546	B. V. Venetianæ de Sanitate.	3 Mart.
547	B. V. Vergensis de Querâlt.	30 Oct.
548	B. V. Vertenguelensis...	21 Febr.
549	Victoriæ B. V. Carnutensis.	15 Mart.
550	Victoriæ B. V. Toletanæ.	16 Jul.
551	Victoriæ Regis Gallicæ...	18 Aug.
552	B. V. Villarub. de Sierra.	29 Jan.
553	B. V. de Vineto.	16 Sept.
554	B. V. de Vinovo.	19 Sept.
555	B. V. Virdunensis de Miraculis.	21 Oct.
556	B. V. de Viridario.	24 Apr.
557	B. V. de Vilâ-bonâ.	15 Jun.
558	B. V. Viterbiensis ad Gradus.	8 Jun.
559	B. V. in Viâ.	23 Aug.
560	Voti Regis Galliæ.	16 Aug.
561	B. V. Vulneratæ.	23 Sept.
562	B. V. ab Ulmo.	2 Oct.

TABULA TEMPORARIA FESTORUM MOBILIUM.

Anni Domini.	Litera Domin.	Aur. Num.	Epacta.	Indictio.	Dom. Prædest.	Dom. 1. Infantiæ.	Dom. 1. Præpost.	Dom. 1. Puerp.	Dom. 1. Vitæ Cont.	Septuagesima.
1860	A g	18	VII.	3	2 Sept.	16 Sept.	2 Dec.	1 Jan.	»	5 Feb.
1861	f	19	XVIII.	4	1 Sept.	22 Sept.	1 Dec.	6 Jan.	»	27 Jan.
1862	e	1	*	5	7 Sept.	21 Sept.	30 Nov.	5 Jan.	3 Feb.	17 Feb.
1863	d	2	XI.	6	6 Sept.	20 Sept.	29 Nov.	4 Jan.	»	9 Feb.
1864	c b	3	XXII.	7	4 Sept.	18 Sept.	27 Nov.	3 Jan.	»	24 Jan.
1865	A	4	III.	8	3 Sept.	17 Sept.	3 Dec.	1 Jan.	5 Feb.	12 Feb.
1866	g	5	XIV.	9	2 Sept.	16 Sept.	2 Dec.	7 Jan.	»	28 Jan.
1867	f	6	XXV.	10	1 Sept.	22 Sept.	1 Dec.	6 Jan.	3 Feb.	17 Feb.
1868	e d	7	VI.	11	6 Sept.	20 Sept.	29 Nov.	5 Jan.	»	9 Feb.
1869	c	8	XVII.	12	5 Sept.	19 Sept.	28 Nov.	3 Jan.	»	24 Jan.
1870	b	9	XXVIII.	13	4 Sept.	18 Sept.	27 Nov.	2 Jan.	6 Feb.	13 Feb.
1871	A	10	IX.	14	3 Sept.	17 Sept.	2 Dec.	1 Jan.	»	5 Feb.
1872	g f	11	XX.	15	1 Sept.	22 Sept.	1 Dec.	7 Jan.	»	28 Jan.
1873	e	12	I.	1	7 Sept.	19 Sept.	30 Nov.	5 Jan.	»	9 Feb.
1874	d	13	XII.	2	6 Sept.	20 Sept.	29 Nov.	4 Jan.	»	1 Feb.
1875	c	14	XXIII.	3	5 Sept.	19 Sept.	28 Nov.	3 Jan.	»	24 Jan.
1876	b A	15	IV.	4	3 Sept.	17 Sept.	3 Dec.	2 Jan.	6 Feb.	13 Feb.
1877	g	16	XVI.	5	2 Sept.	16 Sept.	2 Dec.	7 Jan.	»	28 Jan.
1878	f	17	XXVI.	6	1 Sept.	22 Sept.	1 Dec.	6 Jan.	3 Feb.	17 Feb.
1879	e	18	VII.	7	7 Sept.	21 Sept.	30 Nov.	5 Jan.	»	9 Feb.
1880	d c	19	XVIII.	8	5 Sept.	19 Sept.	28 Nov.	4 Jan.	»	25 Jan.
1881	b	1	*	9	4 Sept.	18 Sept.	27 Nov.	2 Jan.	6 Feb.	13 Feb.
1882	A	2	XI.	10	3 Sept.	17 Sept.	3 Dec.	1 Jan.	»	5 Feb.
1883	g	3	XXII.	11	2 Sept.	16 Sept.	2 Dec.	7 Jan.	»	21 Jan.
1884	f e	4	III.	12	7 Sept.	21 Sept.	30 Nov.	6 Jan.	3 Feb.	10 Feb.
1885	d	5	XIV.	13	6 Sept.	20 Sept.	29 Nov.	4 Jan.	»	1 Feb.
1886	c	6	XXV.	14	5 Sept.	19 Sept.	28 Nov.	3 Jan.	7 Feb.	21 Feb.
1887	b	7	VI.	15	4 Sept.	18 Sept.	27 Nov.	2 Jan.	»	6 Feb.
1888	A g	8	XVII.	1	2 Sept.	16 Sept.	2 Dec.	1 Jan.	»	29 Jan.
1889	f	9	XXVIII.	2	1 Sept.	22 Sept.	1 Dec.	6 Jan.	3 Feb.	17 Feb.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TABULA TEMPORARIA FESTORUM MOBILIUM.

Anni Domini.	Dies Cinер.	Dom. Passion.	Pascha.	Ascens. Domin.	Pentec.	Dom. 1. Vitæ Act.	Corpus Christi.	Dom. 1. Vitæ Glorios.
1860	22 Feb.	25 Mart.	8 Apr.	17 Maj.	27 Maj.	3 Jun.	7 Jun.	19 Aug.
1861	13 Feb.	17 Mart.	31 Mart.	9 Maj.	19 Maj.	26 Maj.	30 Maj.	18 Aug.
1862	5 Mart.	6 Apr.	20 Apr.	29 Maj.	8 Maj.	15 Jun.	19 Jun	17 Aug.
1863	18 Feb.	22 Mart.	5 Apr.	14 Maj.	24 Maj.	31 Maj.	4 Jun.	16 Aug.
1864	10 Feb.	13 Mart.	27 Mart.	5 Maj.	15 Maj.	22 Maj.	26 Maj.	21 Aug.
1865	1 Mart.	2 Apr.	16 Apr.	25 Maj.	4 Jun.	11 Jun.	15 Jun.	20 Aug.
1866	14 Feb.	18 Mart.	1 Apr.	10 Maj.	20 Maj.	27 Maj.	31 Maj.	19 Aug.
1867	6 Mart.	7 Apr.	21 Apr.	31 Maj.	9 Jun.	16 Jun.	20 Jun.	18 Aug.
1868	26 Feb.	29 Mart.	12 Apr.	21 Maj.	31 Maj.	7 Jun.	11 Jun.	16 Aug.
1869	10 Feb.	14 Mart.	28 Mart.	6 Maj.	16 Maj.	23 Maj.	27 Maj.	22 Aug.
1870	2 Mart.	3 Apr.	17 Apr.	26 Maj.	5 Jun.	12 Jun.	16 Jun.	21 Aug.
1871	22 Feb.	26 Mart.	9 Apr.	18 Maj.	28 Maj.	4 Jun.	8 Jun.	20 Aug.
1872	14 Feb.	17 Mart.	31 Mart.	9 Maj.	19 Maj.	26 Maj.	30 Maj.	18 Aug.
1873	26 Feb.	30 Mart.	13 Apr.	22 Maj.	1 Jun.	8 Maj.	12 Jun.	17 Aug.
1874	18 Feb.	22 Mart.	5 Apr.	14 Maj.	24 Maj.	31 Maj.	4 Jun.	16 Aug.
1875	10 Feb.	14 Mart.	28 Mart.	6 Maj.	16 Maj.	23 Maj.	27 Maj.	22 Aug.
1876	1 Mart.	2 Apr.	16 Apr.	26 Maj.	4 Jun.	11 Jun.	15 Jun.	20 Aug.
1877	14 Feb.	18 Apr.	1 Apr.	10 Maj.	20 Maj.	27 Maj.	31 Maj.	19 Aug.
1878	6 Mart.	7 Apr.	21 Apr.	31 Maj.	9 Jun.	16 Jun.	20 Jun.	18 Aug.
1879	26 Feb.	30 Apr.	13 Apr.	22 Maj.	1 Jun.	8 Jun.	12 Jun.	17 Aug.
1880	11 Feb.	14 Mart.	28 Mart.	6 Maj.	16 Maj.	23 Maj.	27 Maj.	22 Aug.
1881	2 Mart.	3 Apr.	17 Apr.	26 Maj.	5 Jun.	12 Jun.	16 Jun.	21 Aug.
1882	22 Feb.	26 Mart.	9 Apr.	18 Maj.	28 Maj.	4 Jun.	8 Jun.	20 Aug.
1883	7 Feb.	11 Mart.	25 Mart.	3 Maj.	13 Maj.	20 Maj.	24 Maj.	19 Aug.
1884	27 Feb.	30 Mart.	13 Apr.	22 Maj.	1 Jun.	8 Jun.	12 Jun.	17 Aug.
1885	18 Feb.	22 Mart.	5 Apr.	14 Maj.	24 Maj.	31 Maj.	4 Jun.	16 Aug.
1886	11 Mart.	11 Apr.	25 Apr.	3 Maj.	13 Jun.	20 Jun.	24 Jun.	22 Aug.
1887	23 Feb.	27 Mart.	10 Apr.	19 Maj.	29 Maj.	5 Jun.	9 Jun.	21 Aug.
1888	15 Feb.	18 Mart.	1 Apr.	10 Maj.	20 Maj.	27 Maj.	31 Maj.	19 Aug.
1889	6 Mart.	7 Apr.	21 Apr.	30 Maj.	9 Jun.	16 Jun.	20 Jun.	18 Aug.

KALENDARIUM.

SEPTEMBER.

CYCL. EPACT.	LIT. DOM.	DIES MENS.		QUALIT OFFIC.	COMM. PRO 9 LECTION.	VESPERÆ.
			Incipit Temp. Expectation. f. Prædestination. B. M. V. ab æterno. *Dom. 4 sept.*	*d. 2 c.*		*cum 2 sp.*
23	f	Kal.	1	Expectation. Nativ. B. M. V.	*d. maj.*		*de sequen.*
22	g	iv	2	B. V. de Podio.	*simpl.*		*de sequen.*
21	A	iii	3	Præsignation. B. M. V. in ant. loge.	*d. maj.*		*de sequen.*
20	b	Prid.	4	B. V. Tolosanæ de Deiurata.	*semid.*	B. V. Majoris Neapolit.	*de sequen.*
19	c	Non.	5	B. V. in utero materno.	*d. maj.*		*de sequen.*
18	d	viii	6	B. V. Xaraviensis.	*simpl.*	S. M. in Domenicâ.	*de fer.*
17	e	vii	7	Vigilia Nativitat. B. M. V.	*simpl.*		*de sequen.*
16	f	vi	8	Solemnit. NATIVITATIS B. M. V. *cum octavâ.*	*d. 1 c.*		*de octav.*
				SS. Nominis B. M. V. *Dom. infr. octav. Nativ.*			*de octav.*
13	g	v	9	De 2 die infra octav.	*semid.*	B. V. Siracus. a miraculis.	*de suf. oc.*
14	A	iv	10	B. V. de Monte-serrato.	*dupl.*	B. V. Colomiens. ad indulg.	*de suf. oc.*
13	b	iii	11	De 4 die infra octav.	*semid.*	S. M. Ravenosæ.	*de suf. oc.*
12	c	Prid.	12	B. M. V. a Nazareth.	*dupl.*	B. V. de Sclavonis.	*de suf. oc.*
11	d	Idib.	13	De 6 die infra octav.	*semid.*	S. Mariæ in Trivio.	*de suf. oc.*
10	e	xviii	14	D. V. Hallensis.	*dupl.*	B. V. de Corrego.	*de suf. oc.*
9	f	xvii	15	Octava Nativit. B. V. M. *Incipit tempus infantiæ B. M. V.*	*d. maj.*		*de suf. oc.*
8	g	xvi	16	B. V. Desertorum.	*dupl.*	B. V. de Vineto.	*a capit.*
7	A	xv	17	D. V. Matritensis de Atocha.	*duplex.*	B. V. Malhærens. de Fonte.	*a capit.*
6	b	xiv	18	Dedicatio B. M. V.	*dupl.*		*de end.*
5	c	xiii	19	B. V. de Garazonia.	*semid.*	B. V. de Vinovo.	*de seq.*
4	d	xii	20	Septem Dolorum B. V. M.	*d. 2 c.*		*de end.*
3	e	xi	21	B. M. V. de Remedio.	*dupl.*	B. V. de Acrenâ.	*de end.*
2	f	x	22	B. V. Valencennensis de Bonâ Spe.	*com.*		*de seq.*
1	g	ix	23	B. V. subtitulo Stellæ maris.	*dupl.*	B. V. Vulneratæ.	*de seq.*
*	A	viii	24	B. M. V. de Mercede.	*d. maj.*	B. V. de Najara.	*de end.*
29	b	vii	25	*De feriâ.*	*simp.*		*de seq.*
28	c	vi	26	D. V. Anniciensis.	*dupl.*	S. M. ad Camp. mart.	*a cap. seq.*
27	d	v	27	D. V. Archidonen. de Gratiâ.	*dupl.*	B. V. Tallensis.	*de seq.*
XXV 26	e	iv	28	Misericordiæ B. V. M.	*d. m.*		*de end.*
25 24	f	iii	29	B. V. de Candelariâ.	*com.*	B. V. Senens. in Colle.	*de seq*
23	g	Prid.	30	SS. Oculorum B. M. V.	*d. m.*	B. V. de Cuarquerâ.	*de end.*

OCTOBER.

CYCL. EPACT.	LIT. DOM.	DIES MENS.		QUALIT OFFIC.	COM. PRO 9 LECTION.	VESPERÆ.
			Dom. 1 Oct. Festum SS. Rosarii B. V.	*d. m.*		*de end.*
22	A	Kal.	1	B. V. de Nuria.	*simpl.*	B. V. de Cesca.	*de seq.*
21	b	vi	2	B. V. de Salute.	*dupl.*	B. V. ab Ulmo.	*de end.*

TABULA TEMPORARIA FESTORUM MOBILIUM.

Anni Domini.	Dies Cinер.	Dom. Passion.	Pascha.	Ascens. Domin.	Pentec.	Dom. 1. Vitæ Act.	Corpus Christi.	Dom. 1. Vitæ Glorios.
1860	22 Feb.	25 Mart.	8 Apr.	17 Maj.	27 Maj.	3 Jun.	7 Jun.	19 Aug.
1861	13 Feb.	17 Mart.	31 Mart.	9 Maj.	19 Maj.	26 Maj.	30 Maj.	18 Aug.
1862	5 Mart.	6 Apr.	20 Apr.	29 Maj.	8 Maj.	15 Jun.	19 Jun	17 Aug.
1863	18 Feb.	22 Mart.	5 Apr.	14 Maj.	24 Maj.	31 Maj.	4 Jun.	16 Aug.
1864	10 Feb.	13 Mart.	27 Mart.	5 Maj.	15 Maj.	22 Maj.	26 Maj.	21 Aug.
1865	1 Mart.	2 Apr.	16 Apr.	25 Maj.	4 Jun.	11 Jun.	15 Jun.	20 Aug.
1866	14 Feb.	18 Mart.	1 Apr.	10 Maj.	20 Maj.	27 Maj.	31 Maj.	19 Aug.
1867	6 Mart.	7 Apr.	21 Apr.	31 Maj.	9 Jun.	16 Jun.	20 Jun.	18 Aug.
1868	26 Feb.	29 Mart.	12 Apr.	21 Maj.	31 Maj.	7 Jun.	11 Jun.	16 Aug.
1869	10 Feb.	14 Mart.	28 Mart.	6 Maj.	16 Maj.	23 Maj.	27 Maj.	22 Aug.
1870	2 Mart.	3 Apr.	17 Apr.	26 Maj.	5 Jun.	12 Jun.	16 Jun.	21 Aug.
1871	22 Feb.	26 Mart.	9 Apr.	18 Maj.	28 Maj.	4 Jun.	8 Jun.	20 Aug.
1872	14 Feb.	17 Mart.	31 Mart.	9 Maj.	19 Maj.	26 Maj.	30 Maj.	18 Aug.
1873	26 Feb.	30 Mart.	13 Apr.	22 Maj.	1 Jun.	8 Maj.	12 Jun.	17 Aug.
1874	18 Feb.	22 Mart.	5 Apr.	14 Maj.	24 Maj.	31 Maj.	4 Jun.	16 Aug.
1875	10 Feb.	14 Mart.	28 Mart.	6 Maj.	16 Maj.	23 Maj.	27 Maj.	22 Aug.
1876	1 Mart.	2 Apr.	16 Apr.	26 Maj.	4 Jun.	11 Jun.	15 Jun.	20 Aug.
1877	14 Feb.	18 Apr.	1 Apr.	10 Maj.	20 Maj.	27 Maj.	31 Maj.	19 Aug.
1878	6 Mart.	7 Apr.	21 Apr.	31 Maj.	9 Jun.	16 Jun.	20 Jun.	18 Aug.
1879	26 Feb.	30 Apr.	13 Apr.	22 Maj.	1 Jun.	8 Jun.	12 Jun.	17 Aug.
1880	11 Feb.	14 Mart.	28 Mart.	6 Maj.	16 Maj.	23 Maj.	27 Maj.	22 Aug.
1881	2 Mart.	3 Apr.	17 Apr.	26 Maj.	5 Jun.	12 Jun.	16 Jun.	21 Aug.
1882	22 Feb.	26 Mart.	9 Apr.	18 Maj.	28 Maj.	4 Jun.	8 Jun.	20 Aug.
1883	7 Feb.	11 Mart.	25 Mart.	3 Maj.	13 Maj.	20 Maj.	24 Maj.	19 Aug.
1884	27 Feb.	30 Mart.	13 Apr.	22 Maj.	1 Jun.	8 Jun.	12 Jun.	17 Aug.
1885	18 Feb.	22 Mart.	5 Apr.	14 Maj.	24 Maj.	31 Maj.	4 Jun.	16 Aug.
1886	11 Mart.	11 Apr.	25 Apr.	3 Maj.	13 Jun.	20 Jun.	24 Jun.	22 Aug.
1887	23 Feb.	27 Mart.	10 Apr.	19 Maj.	29 Maj.	5 Jun.	9 Jun.	21 Aug.
1888	15 Feb.	18 Mart.	1 Apr.	10 Maj.	20 Maj.	27 Maj.	31 Maj.	19 Aug.
1889	6 Mart.	7 Apr.	21 Apr.	30 Maj.	9 Jun.	16 Jun.	20 Jun.	18 Aug.

KALENDARIUM.

SEPTEMBER.

CYCL. EPACT.	LIT. DOM.	DIES MENS.		QUALIT OFFIC.	COMM. PRO 9 LECTION.	VESPERÆ.
			Incipit Temp. Expectation. f. Prædestination. B. M. V. ab æterno. *Dom. 4 sept.*	*d. 2 c.*		*cum 2 sp.*
23	f	Kal.	1	Expectation. Nativ. B. M. V.	*d. maj.*		*de sequen.*
22	g	iv	2	B. V. de Podio.	*simpl.*		*de sequen.*
21	A	iii	3	Præsignation. B. M. V. in ant. loge.	*d. maj.*		*de sequen.*
20	b	Prid.	4	B. V. Tolosanæ de Deiurata.	*semid.*	B. V. Majoris Neapolit.	*de sequen.*
19	c	Non.	5	B. V. in utero materno.	*d. maj.*		*de sequen.*
18	d	viii	6	B. V. Xaraviensis.	*simpl.*	S. M. in Domenicâ.	*de fer.*
17	e	vii	7	Vigilia Nativitat. B. M. V.	*simpl.*		*de sequen.*
16	f	vi	8	Solemnit. NATIVITATIS B. M. V. *cum octavâ.*	*d. 1 c.*		*de octav.*
				SS. Nominis B. M. V. *Dom. infr. octav. Nativ.*			*de octav.*
13	g	v	9	De 2 die infra octav.	*semid.*	B. V. Siracus. a miraculis.	*de suf. oc.*
14	A	iv	10	B. V. de Monte-serrato.	*dupl.*	B. V. Colomiens. ad indulg.	*de suf. oc.*
13	b	iii	11	De 4 die infra octav.	*semid.*	S. M. Ravenosæ.	*de suf. oc.*
12	c	Prid.	12	B. M. V. a Nazareth.	*dupl.*	B. V. de Sclavonis.	*de suf. oc.*
11	d	Idib.	13	De 6 die infra octav.	*semid.*	S. Mariæ in Trivio.	*de suf. oc.*
10	e	xviii	14	D. V. Hallensis.	*dupl.*	B. V. de Corrego.	*de suf. oc.*
9	f	xvii	15	Octava Nativit. B. V. M. *Incipit tempus infantiæ B. M. V.*	*d. maj.*		*de suf. oc.*
8	g	xvi	16	B. V. Desertorum.	*dupl.*	B. V. de Vineto.	*a capit.*
7	A	xv	17	D. V. Matritensis de Atocha.	*duplex.*	B. V. Malhærens. de Fonte.	*a capit.*
6	b	xiv	18	Dedicatio B. M. V.	*dupl.*		*de end.*
5	c	xiii	19	B. V. de Garazonia.	*semid.*	B. V. de Vinovo.	*de seq.*
4	d	xii	20	Septem Dolorum B. V. M.	*d. 2 c.*		*de end.*
3	e	xi	21	B. M. V. de Remedio.	*dupl.*	B. V. de Acrenâ.	*de end.*
2	f	x	22	B. V. Valencennensis de Bonâ Spe.	*com.*		*de seq.*
1	g	ix	23	B. V. subtitulo Stellæ maris.	*dupl.*	B. V. Vulneratæ.	*de seq.*
*	A	viii	24	B. M. V. de Mercede.	*d. maj.*	B. V. de Najara.	*de end.*
29	b	vii	25	*De feriâ.*	*simp.*		*de seq.*
28	c	vi	26	D. V. Anniciensis.	*dupl.*	S. M. ad Camp. mart.	*a cap. seq.*
27	d	v	27	D. V. Archidonen. de Gratiâ.	*dupl.*	B. V. Tallensis.	*de seq.*
XXV 26	e	iv	28	Misericordiæ B. V. M.	*d. m.*		*de end.*
25 24	f	iii	29	B. V. de Candelariâ.	*com.*	B. V. Senens. in Colle.	*de seq*
23	g	Prid.	30	SS. Oculorum B. M. V.	*d. m.*	B. V. de Cuarquerâ.	*de end.*

OCTOBER.

CYCL. EPACT.	LIT. DOM.	DIES MENS.		QUALIT OFFIC.	COM. PRO 9 LECTION.	VESPERÆ.
			Dom. 1 Oct. Festum SS. Rosarii B. V.	*d. m.*		*de end.*
22	A	Kal.	1	B. V. de Nuria.	*simpl.*	B. V. de Cesca.	*de seq.*
21	b	vi	2	B. V. de Salute.	*dupl.*	B. V. ab Ulmo.	*de end.*

20	c	v	3	D. V. Schiedamensis.	*simp.*	S. M. Liberatricis	*de seq.*
19	d	iv	4	Dominationis B. M. V.	*dupl.*		*de eod.*
18	e	iii	5	*De feriâ.*	*simpl.*		*de seq*
17	f	Prid.	6	Dedication. S. M. de Pace.	*dupl.*	B. V. Ranspergana.	*a capit.*
16	g	Non.	7	B. M. V. de Victoriâ.	*dupl.*	B. V. Budanæ in Silvis.	*de seq.*
15	A	viii	8	Encæniæ Omnium Ecclesiar. B. V.	*d. 4 c.*		*de eod.*
14	b	vij	9	D. V. Nucerinæ.	*dupl.*	B. V. de Insulâ.	*de inf. oc.*
13	c	vi	10	De 3 die infra octavam.	*semid.*	B. V. Trocensis.	*de inf. oc.*
12	d	v	11	D. V. Tyndaritanæ.	*semid.*	B. V. de Almudenâ.	*a capit.*
11	e	iv	12	B. M. V. de Columnâ.	*d. m.*		*de eod.*
10	f	iii	13	De 6 die infra octav.	*semid.*	B. V. de Montevirdi.	*de inf. oc.*
9	g	Prid.	14	B. M. V. ab Arcu.	*dupl.*		*de inf. oc.*
8	A	Idib.	15	Octava Encæniarum.	*d. maj.*	B. V. de Michelitâ.	*de eod.*
7	b	xvii	16	B. V. ad Aquas-vivas.	*simpl.*	B. V. de Rocapeberâ.	*de seq.*
6	c	xvi	17	Mediationis B. V.	*dupl.*	B. V. Anteradensis.	*a capit.*
5	d	xv	18	B. V. de divino Amore.	*dupl.*	B. V. Affligiomensis.	*de eod.*
4	e	xiv	19	S. M. Novæ.	*simpl.*	B. V. de Fonte-calido.	*de seq.*
3	f	xiii	20	Puritatis B. M. V.	*d. m.*		*de eod.*
2	g	xii	21	Liberatis B. V. M.	*dupl.*	B. V. Virdunesa. de Mir.	*de eod.*
1	A	xi	22	D. V. Agathyrsanæ.	*sem.*	B. V. Arienis de Capellâ	*de eod.*
*	b	x	23	*De feriâ.*	*simpl.*		*de seq.*
29	c	ix	24	Septem Dolorum B. V.	*d. m.*		*de eod.*
28	d	viii	25	Dedicat. Ecclesiæ Tolet.	*dupl.*	B. V. de Dumo.	*a capit.*
27	e	vii	26	Humilitatis B. M. V.	*dupl.*		*de eod.*
26	f	vi	27	B. V. de Fonte Salutis.	*simpl.*	B. V. de Castello.	*de seq.*
XXV 25	g	v	28	B. V. de Constantinopoli.	*simpl.*	B. V. Fresnedens. de Grat.	*de seq.*
24	A	iv	29	Religionis B. V. M.	*dupl.*	B. V. Turosellanæ.	*a capit.*
23	b	iii	30	B. V. de Subsidio.	*dupl.*	B. V. Berg. de Queralt	*de eod.*
22	c	Prid.	31	Vigilia omnium Festivitat. B. V. M.	*simpl.*		*de seq.*

NOVEMBER.

CYCL. EPACT.	LIT. DOM.	DIES MENS.			QUALIT OFFIC.	COMM. PRO 9 LECTION.	VESPER.
21	d	Kal.	1	Solemn. Omnium Festivitat. B. V.	*d. 4 c.*		*cum 2 vp.*
20	e	iv	2	De 2 die infra octav.	*sem.*	B. V. Astigiens. de Valle.	*de oct.*
19	f	iij	3	Impeccabilitatis B. M. V.	*dupl.*	B. V. de Miraculo.	*de oct.*
18	g	Prid.	4	De 4 die infra octav.	*sem.*		*de oct.*
17	A	Non.	5	B. V. de Quarcet.	*sem.*	B. V. Barrens. de Consol.	*de oct.*
16	b	viii	6	D. V. Dertusensis de Cingulo.	*d. m.*		*de oct.*
15	c	vii	7	De 7 die infra octav.	*sem.*	B. V. Fitxiens. de Remedio.	*de seq.*
14	d	vi	8	Octava omnium Festivitat.	*d. m.*	B. V. Berchanæ.	*de eod.*
13	e	v	9	*De feriâ.*	*simp.*		*de fer.*
12	f	iv	10	Miraculor. B. V. Suessonensis.	*simp.*	B. V. in Monte Cello.	*de seq.*
11	g	iii	11	Dedicat. S. M. in Transpontinâ.	*sem.*	B. V. de Div. Providentiâ.	*de seq.*
10	A	Prid.	12	Patrocinii B. M. V.	*d. m.*		*de eod.*
9	b	Idib.	13	Excellentiss. Dignitatis B. M. V.	*dupl.*	B. V. Castilvedrensis.	*a capit.*
8	c	xviii	14	Passionarum B. V. M.	*dupl.*		*a capit.*
7	d	xvii	15	Dedication. S. M. in Transtyberim.	*dupl.*	B. V. de Clementiâ.	*a capit.*
6	e	xvi	16	Timoris Dei B. V. M.	*dupl.*	B. V. de Torrentibus.	*a capit.*
5	f	xv	17	*De feriâ.*	*simpl.*		*de seq.*
4	g	xiv	18	Septem Viriutum B. V. M.	*d. m.*		*de eod.*
3	A	xiii	19	Voti perpetuæ virg. B. V. M.	*dupl.*		*de eod.*
2	b	xii	20	Vigilia Præsentation. B. V. M.	*simp.*		*de seq.*
1	c	xi	21	Solemn. Præsentation. B. V. M.	*d. 4 c.*		*de eod.*
*	d	x	22	Silentii B. V. M.	*dupl.*		*de oct.*
29	e	ix	23	De 2 die infra octav.	*sem.*	B. V. Boni-occursus.	*de oct.*

28	f	viii	24	Conversat. B. V. in templo.	*dupl.*	B. V. Dittelbachensis.	*de oct.*
27	g	vii	25	De 5 die infra octav.	*sem.*		*de seq.*
XXVI 26	A	vi	26	Oblationis B. V. in templo. *Prima sedes Prægnationis 27.*	*d. 2 c.*		*de eod.*
25	b	v	27	De 7 die infra octav.	*sem.*		*de oct.*
24	c	iv	28	Octava Præsentationis B. V. M.	*d. m.*		*de eod.*
23	d	iii	29	*De feriâ.*	*simp.*		*de seq.*
22	e	Prid.	30	B. M. V. de Sanctate.	*dupl.*	B. V. Imperlatæ.	*de seq.*

DECEMBER.

CYCL. EPACT.	LIT. DOM.	DIES MENS.			QUALIT OFFIC.	COMM. PRO 9 LECTION.	VESPER.
20	f	Kal.	1	Annuntiat. Concep. B. M. V.	*d. m.*		*de eod.*
19	g	iv	2	D. V. Aletensis.	*simpl.*		*de seq.*
18	A	iii	3	B. V. Reginæ Misericordiæ. *Ultima sedes Prægnationis. 2.*	*dupl.*	B. V. Begonensis.	*de eod.*
17	b	Prid.	4	S. M. ad Pedem Cryptæ.	*semid.*	B. V. Bonon. ad Galer.	*de seq.*
16	c	Non.	5	Fidei B. M. V.	*dupl.*		*de eod.*
15	d	viii	6	*De feriâ*	*simpl.*		*de fer.*
14	e	vii	7	Vigilia Conceptionis immaculatæ B. V.	*simpl.*		*de seq.*
13	f	vi	8	Conceptionis Immac. B. V. M.	*d. 1 c.*		*de eod.*
12	g	v	9	De 2 die infra octav.	*sem.*	B. V. de Sudore.	*de seq.*
11	A	iv	10	Translationis almæ Domus B. V.	*d. m.*	B. V. Buricensis.	*de eod.*
10	b	iii	11	De 4 die infra octavam	*sem.*	B. V. a Portu salvo.	*de oct.*
9	c	Prid.	12	Septem Privilegiorum B. V.	*dupl.*	B. V. Caldefurnensis	*de oct.*
8	d	Idib.	13	De 6 die infra octavam B. V.	*sem.*	B. V. de Buzzano.	*de oct.*
7	e	xix	14	S. M. in Arâ coeli.	*dupl.*		*de oct.*
6	f	xviii	15	Octava Immaculatæ Conception.	*d. m.*	B. V. de Portillo.	*de eod.*
5	g	xvii	16	*De feriâ.*	*simpl.*		*de seq.*
4	A	xvi	17	Pietatis B. M. V.	*dupl.*	B. V. de Salinis.	*de seq.*
3	b	xv	18	Expectationis Partûs B. V. M.	*d. m.*		*de eod.*
2	c	xiv	19	Sanct. Joseph in Prægnatione B. V. M.	*dupl.*		*de seq.*
1	d	xiii	20	SS. Uteri B. V. M.	*d. m.*		*de eod.*
*	e	xii	21	SS. Annuli B. M. V.	*dupl.*	B. V. a Portu.	*a cap.*
29	f	xi	22	Ascension. B. V. ad Bethleem.	*dupl.*	B. V. Matritens. de Exilio.	*de eod.*
28	g	x	23	*De feriâ*	*simpl.*		*de fer.*
27	A	ix	24	Vigilia SS. Partûs	*simpl.*		*de seq.*
26	b	viii	25	Partus B. M. V.	*d. 1 c.*		*de eod.*
				Dominica infra octav. SS. Partûs.	*semid.*		*de oct.*
XXV 25	c	vii	26	De 2 die infra octav.	*sem.*	B. V. de Agnone.	*de oct.*
24	d	vi	27	Paupertatis B. V. M.	*dupl.*	B. V. de Consolatione.	*de oct.*
23	e	v	28	De 4 die infra octav.	*sem.*		*de oct.*
22	f	iv	29	Incomprehensibilitatis B. V. M.	*dupl.*	B. V. Montolensis.	*de oct.*
21	g	iii	30	De 6 die infra octavam.	*sem.*		*de oct.*
XX 20	A	Prid.	31	D. V. Brixiensis de Consolatione.	*sem.*	B. V. Livorn. de Montenigro	*de seq.*

JANUARIUS.

CYCL. EPACT.	LIT. DOM.	DIES MENS.			QUALIT OFFIC.	COMM. PRO 9 LECTION.	VESPER.
*	A	Kal.	1	Octav. SS. Part. et Circumcision. Domini.	*d. 2 c.*		*de eod.*
29	b	iv	2	Fœcunditatis B. V. M.	*dup.*	B. V. Firmanæ a mari.	*de eod.*
28	c	iii	3	*De feriâ.*	*simpl.*		*de seq.*
27	d	Prid.	4	Maternitatis B. V. M.	*d. m.*	B. V. de Funibus.	*de eod.*
XXV 26	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ.	*simp.*		*de seq.*
25	f	viii	6	Epiphania Domini	*d. 1 c.*		*de oct.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

24	g	VII	7	Scientiæ B. V. M.	*dupl.*	B. V. Boleslaviensis	*de oct.*
25	A	VI	8	S. M. a Principio.	*dupl.*	B. V. Quartensis.	*de oct.*
26	b	V	9	De 4 die infra octavam.	*sem.*	B. V. de Adjutorio.	*de oct.*
27	c	IV	10	B. V. de Monte Sancto.	*sem.*	B. V. de Sacrali.	*de oct.*
28	d	III	11	De 6 die infra octavam.	*sem.*	B. V. de Pinoso.	*de oct.*
29	e	Prid.	12	Spei B. V. M.	*dupl.*		*de oct.*
30	f	Idib.	13	Octava Epiphaniæ.	*d. m.*		*de oct.*
31	g	XIX	14	D. V. Luconsis a Rosa.	*sem.*	B. V. Plebis sacti.	*de oct.*
1	A	XVIII	15	*De ferid.*	*sim.*		*de seq.*
2	b	XVII	16	SS. Uberum B. V. M.	*d. m.*	B. V. de Nieva	*de oct.*
3	c	XVI	17	B. V. Barcinonensis de Mercede. *Prima sedes Septuagesimæ. 18.*	*dupl.*	B. V. Mindon. de Remediis.	*a cap.*
4	d	XV	18	Mansionis B. V. M. in Beth.	*dupl.*		*de oct.*
5	e	XIV	19	S. M. in Vià latâ.	*sem.*	B. V. Ulyssipon. de Bethl.	*de oct.*
6	f	XIII	20	B. V. de Numismate.	*sim.*	B. V. Lilybetanæ.	*de seq.*
7	g	XII	21	Lactationis Pueri Jesu.	*dupl.*		*de seq.*
8	A	XI	22	B. V. Evodiensis de Cruce.	*simpl.*	B. V. Sortinensis.	*de seq.*
9	b	X	23	Desponsationis B. V. M.	*d. f. c.*		*de oct.*
10	c	IX	24	Dioscnsionis B. V. M.	*dupl.*	B. V. Canodiensis.	*de oct.*
11	d	VIII	25	*De ferid.*	*simpl.*		*de seq.*
12	e	VII	26	B. V. Matris lacis.	*dupl.*		*a cap.*
13	f	VI	27	D. V. Romanæ S. Marim Majoris.	*duplex.*	B. V. in Insulâ Danubii.	*a cap.*
14	g	V	28	B. V. Matritensis de Remedio.	*dupl.*	B. V. Racculens. de Laureto	*de oct.*
15	A	IV	29	B. V. de Usoa.	*sem.*	B. V. Villarubian. de Sierra	*de seq.*
16	b	III	30	Ascensionis B. V. in Jerusal.	*dupl.*	B. V. Giennen. a Coronâ.	*de oct.*
17	c	Prid.	31	*De ferid.*	*simpl.*		*de fer.*

FEBRUARIUS.

CYCL. EPACT.	LIT. DOM.	DIES MENS.		QUALIT OFFIC.	COMM. PRO 9 LECTION.	VESPERÆ.
29	d	Kal.	1	Vigilia Purificationis B. V. M.	*simpl.*	*de seq.*
28	e	IV	2	Purificationis B. M. V.	*d. f. c.*	*de oct.*
27	f	III	3	D. V. Tungrensis. *Prima sedes Cinerum. 4.*	*dupl.* B. V. Himmer. de Consol.	*de oc.*
XXV 26	g	Prid.	4	Decem Beneplacitor. B. V. M.	*d. m.*	
25	A	Non.	5	De 4 die infra octavam.	*sem.* B. V. de Liberatione.	*de oct.*
24	b	VIII	5	Doloris B. V. in Simeonis Prophetia.	B. V. de Monte martyr.	*de oct.*
23	c	VII	7	De 6 die infra octavam.	*d. m.*	
21	d	VI	8	B. V. de Divino Consilio.	*sem.* B. V. Colonionsis.	*de oct.*
20	e	V	9	Octava Purificat. B. V. M. *Incipit Vita contemplativa. 10.*	*dupl.* B. V. de Tauro. *sim.* B. V. Lentitanis.	*de oct.* *de seq.*
19	f	IV	10	*De ferid.*	*simpl.*	*de seq.*
18	g	III	11	B. V. Septem Servorum.	*dupl.* B. V. Collensis.	*de seq.*
17	A	Prid.	12	Fugæ B. V. in Ægyptum.	*d. m.*	*de seq.*
16	b	Idib.	13	Modestiæ B. V. M.	*dup.* B. V. S. Apollinaris.	*de oct.*
15	c	XVI	14	D. V. Lustitana de Luce.	*sem.* B. V. Malacens. de Victoria	*de oct.*
14	d	XV	15	B. V. de Curriculo.	B. V. Lucernens. de Cespite	*de oct.*
13	e	XIV	16	Contemplationis B. V. M.	*dupl.*	*de seq.*
12	f	XIII	17	*De ferid.*	*simpl.*	*de seq.*
11	g	XII	18	Charitatis B. V. M.	*dupl.* B. V. de Colle Aurorm.	*de oct.*
10	A	XI	19	B. V. de Rupe-amatoris.	*sem.* B. V. Myanaensis.	*de seq.*
9	b	X	20	B. V. in Nuptiis Cana Galilææ. *Ultima sedes Septuagesimæ. 21*	*simpl.* B. V. de Casalibus.	*de oct.*
8	c	IX	21	B. V. de Moutors.	*simpl.* B. V. Vertenguelens.	*de seq.*
7	d	VIII	22	Baptismi B. V. M.	*d. 2 c.*	*de oct.*
6	e	VII	23	S. M. Novissimæ de Gratiis.	*sem.* B. V. Arelatensis	*de oct.*
5	f	VI	24	*De ferid.*	*simpl.*	*de seq.*
4	g	V	25	Exilii B. V. in Ægypto.	*dupl.* B. V. Alcalonsis de Spino.	*a cap.*
3	A	IV	26	B. V. Mexicanæ de Guadalupe.	*dupl.* B. V. Orcivallensis.	*de oct.*
2	b	III	27	D. V. Dercheensis.	*sem.* B. V. a Charitate.	*de seq.*
1	c	Prid.	28	In Somnum B. V. M.	*dupl.* B. V. Panorm. a Mirac.	*de oct.*

In anno bissextili Februarius est dierum 29, *et bis dicitur : Sexto Kalendas, id est, die* 24 *et* 25, *et littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Januarii, mutatur in præcedentem, ut si in Januario littera Dominicalis fuerit A, mutatur in præcedentem, quæ est g, et littera f tas servit* 24, 25.

MARTIUS.

CYCL. EPACT.	LIT. DOM.	DIES MENS.		QUALIT OFFIC.	COMM. PRO 9 LECT.	VESPERÆ.
	d	Kal.	1	B. V. de Cubis.	*simpl.* B. V. Tarascons. a Castro.	*de seq.*
29	e	VI	2	Vitæ interioris B. V. M.	*d. m.* B. V. Forolivionsis.	*de cod.*
28	f	V	3	B. V. de Olivario.	*dupl.* B. V. Venet. a Sanitat.	*de seq.*
27	g	IV	4	Prudentiæ B. V. M.	*dupl.*	*de cod.*
26	A	III	5	*De ferid.*	*simpl.*	*de seq.*
XXV 25	b	Prid.	6	Reversionis B. V. M. de Ægypto.	*d. m.*	*de cod.*
24	c	Non.	7	D. V. Salomitanæ. *Prima sedes Vitæ dolorosæ. 8. Primum Nocturnum Paschæ.*	*simpl.* B. V. Gulmarav. de Oliva.	*de seq.*
23	d	VIII	8	SS. Capillorum B. V. M.	*d. m.*	*de cod.*
22	e	VII	9	Profectio B. V. in Jerusalem. *Ultima sedes Cinerum. 10.*	*dupl.*	*a cap.*
21	f	VI	10	B. V. M. Hymni Acathisti.	*dupl.*	*de cod.*
20	g	V	11	B. V. de Vallevenariâ.	*sem.* B. V. Massil. de Guardia.	*de cod.*
19	A	IV	12	*De ferid.*	*simpl.*	*de seq.*
18	b	III	13	Amissionis Pueri Jesu in Jerusal.	*d. m.* B. V. de Livron.	*de cod.*
17	c	Prid.	14	B. V. Savonensis de Consortio	*sem.* B. V. de Vallicellâ.	*de cod.*
16	d	Idib.	15	D. V. Carnutensis.	*simpl.* Victor. B. V. Carnut.	*de seq.*
15	e	XVII	16	Inventionis Pueri Jesu in templo	*d. m.*	*de seq.*
14	f	XVI	17	Martyrii B. V. M.	*d. 2 c.*	*de cod.*
13	g	XV	18	Occursus B. V. Filio portanti crucem.	*dupl. 2* B. V. de Lagheto.	*de seq.*
12	A	XIV	19	SS. Sponsi B. V. M.	*d. 2 c.*	*de cod.*
11	b	XIII	20	*De ferid.*	*simpl.*	*de seq.*
10	c	XII	21	Obedientiæ B. V. M. *Prima sedes Paschæ, 22.*	*dupl.* B. V. Crucovienscs.	*de cod.*
9	d	XI	22	*De ferid.*	*simpl.*	*de fer.*
8	e	X	23	Constantiæ B. V.	*dupl.* B. V. de Gregnana.	*de cod.*
7	f	IX	24	Vigilia Annuntiationis B. V. M.	*simpl.*	*de seq.*
6	g	VIII	25	ANNUNTIATIONIS B. V. M.	*d. 2 c.*	*de cod.*
5	A	VII	26	D. V. Guadalupensis.	*dupl.*	*de oct.*
4	b	VI	27	De 3 die infra octav.	*sem.* B. V. Limanæ de Rosario.	*de oct.*
3	c	V	28	Consilii B. V. M.	*dupl.* B. V. Trevirensis.	*de oct.*
2	d	IV	29	De 5 die infra octavam.	*sem.* B. V. Cordubens. de Fonte Sancto.	*de oct.*
1	e	III	30	B. V. a Cryptâ.	*sem.* B. V. de Carasumada.	*de oct.*
*	f	Prid.	31	De 7 die infra octavam.	*sem.*	*de oct.*

APRILIS.

CYCL. EPACT.	LIT. DOM.	DIES MENS.		QUALIT OFFIC.	COMM. PRO 9 LECT.	VESPERÆ.
20	g	Kal.	1	Octava Annuntiationis B. V. M.	*d. m.*	*de oct.*
28	A	IV	2	*De ferid.*	*simpl.*	*de seq.*
27	b	III	3	Duodecim gratiarum B. V. M.	*dupl.* B. V. Tobetanæ.	*de oct.*
XXV 26	c	Prid.	4	*De ferid. Ultimum Novitiatum Paschæ*	*simpl.*	*de fer.*
25	24	d	Non.	5	*De ferid.*	*simpl.*	*de seq.*
23	e	VIII	6	S. M. de Populo.	*dupl.* B. V. Laufiensis in Umbrâ.	*de oct.*
22	f	VII	7	*De ferid.*	*sem.*	*de fer.*
21	g	VI	8	D. V. Græcen	*simpl.*	*de fer.*
20	A	V	9	*De ferid.*	*simpl.*	*de seq.*
19	b	IV	10	B. V. Bolonicnsis. *Ultima sedes Vitæ dolorosæ. 11*	*dupl.* B. V. Condimensis.	*de oct.*
18	c	III	11	*De ferid.*	*simpl.*	*de seq.*
17	d	Prid.	12	B. V. de Refugio.	*dupl.* B. V. Pratensis de Carcere	*de oct.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

16	e	Idib.	13	*De feriâ.*	*simpl.*			*de seq.*
15	f	xviii	14	Intellect. B. V. M.	*dupl.*	B. V. de Victoriâ.		*de eod.*
14	g	xvii	15	*De feriâ.*	*simpl.*			*de seq.*
13	A	xvi	16	B. V. Reginæ Pacis.	*dupl.*			*de fer.*
12	b	xv	17	D. V. Sichiemensis.	*semid.*	B. V. Biellensis de Oroppa.		*de eod.*
11	c	xiv	18	*De feriâ.*	*simpl.*			*de seq.*
10	d	xiii	19	D. V. Granatensis.	*simpl.*			*de fer.*
9	e	xii	20	B. V. de Mediolano.	*sem.*	B. V. de Apibus.		*de seq.*
8	f	xi	21	Benignitatis B. V. M.	*dupl.*	B. V. de Sancho Abarca.		*de eod.*
7	g	x	22	*De feriâ.*	*simpl.*			*de seq.*
6	A	ix	23	D. V. Florentinæ de Annuntiatâ	*dupl.*			*a cap.*
5	b	viii	24	Præexcellentiæ B. V. M.	*dupl.*	B. V. a Viridario.		*a cap.*
				Ultima sedes Paschæ. 25.				
4	c	vii	25	Apparition. B. V. de Bono Consilio.	*dupl.*	B. V. Heilbr. de Urticeto.		*a cap.*
3	d	vi	26	Dedication. S. M. supra Minervam.	*dupl.*	S. M. in Aquiro.		*de eod.*
2	e	v	27	Divitiarum B. V. M.	*simpl.*			*de eod.*
1	f	iv	28	*De feriâ.*	*dupl.*			*de seq.*
	g	iii	29	D. V. Baccuniensis.	*sem.*	B. V. de Betharamo.		*de seq.*
29	A	Prid.	30	*Prima sedes Ascensionis. 30.* Justitiæ B. V. M.	*dupl.*	B. V. de S. Joan. Damasc.		*a cap.*

MAJUS.

CYCL. EPACT.	LIT. DOM.	DIES MENS.			QUALIT OFFIC.	COMM. PRO 9 LEC.	VESPERÆ
28	b	Kal.	1	Conversation. B. V. in Chr. Resur.	*dupl.*		*de eod.*
27	c	vi	2	B. V. Ilturgensis de Capite.	*simpl.*	B. V. Cesihochoviensis	*de seq.*
XXV 26	d	v	3	Munsuetudinis B. V. M.	*dupl.*	B. V. de Bona liberatione.	*de eod.*
25	e	iv	4	B. V. de Luminibus.	*sem.*	B. V. Modicensis.	*de seq.*
24	f	iii	5	Gaudiorum B. V. M.	*d. m.*		*de eod.*
23	g	Prid.	6	Dedication. S. M. in Cosmedin.	*sem.*	B. V. de Aquilâ.	*de eod.*
22	A	Non.	7	*De feriâ*	*simpl.*		*de seq.*
21	b	viii	8	B. V. Odigitriæ.	*dupl.*	B. V. Pampelonens. de Vitâ.	*a cap.*
20	c	vii	9	Translation. Domûs B. V. in Dalm.	*dupl.*		*de eod.*
				Prima sedes Pentecostes. 10.			
19	d	vi	10	D. V. Ferrariana.	*simpl.*	B. V. Savonens. de Miser.	*de seq.*
18	e	v	11	Fortitudinis B. V. M.	*dupl.*	B. V. Ancon. de S. Cyriaco.	*de eod.*
17	f	iv	12	D. V. Araucanæ.	*simpl.*		*de seq.*
16	g	iii	13	Dedication. S. M. de Rotundâ.	*dupl.*	B. V. Agatensis de Gradu.	*a cap.*
15	A	Prid.	14	Dedication. S. M. de Tabulis.	*dupl.*	B. V. Silvasonens. de Bono odore.	*de eod.*
14	b	Idib.	15	*De feriâ*	*simpl.*		*de seq.*
13	c	xvii	16	D. V. Futarellensis de Misericordiâ.	*dupl.*		*de eod.*
				Prima sedes Vitæ activæ. 17.			
12	d	xvi	17	D. V. Barbastrens. de Podio.	*sem.*	B. V. Novæ.	*de seq.*
11	e	xv	18	Nobilitatis B. V. M.	*d. m.*		*de eod.*
10	f	xiv	19	B. V. de Rupe Gallinâ.	*dupl.*	B. V. de Angelis.	*de seq.*
9	g	xiii	20	*De feriâ*	*simpl.*		*de fer.*
				Prima sedes Corporis Chr. 21.			
8	A	xii	21	Dedication. B. V. de Monte Virgin.	*simpl.*		*de seq.*
7	b	xi	22	Sanctitatis B. V. M.	*dupl.*	B. V. Trivien. de Lacrymis.	*de eod.*
6	c	x	23	D. V. Claramontanæ de Portu	*sem.*	B. V. Buxerianæ.	*de seq.*
5	d	ix	24	S. M. Auxilium Christianor.	*d. m.*	B. V. Gidlenais.	*de eod.*
4	e	viii	25	D. V. Messanensis a Scalis.	*sem.*		*a cap.*
3	f	vii	26	D. V. Genuensis de Vineis.	*semid.*		*de seq.*
2	g	vi	27	B. V. Matris divini Pastoris.	*dupl.*		*a cap.*

1	A	v	28	Dedication. Ecclesiæ Herdensis.	*dupl.*	B. V. de Butsenit.		*a cap.*
	b	iv	29	SS. Lactis et aliar. Relig. B. V.	*dupl.*	N. D. Ardentium.		*de eod.*
29	c	iii	30	*De feriâ.*	*simpl.*			*de fer.*
28	d	Prid.	31	B. V. ab Alto.	*simpl.*	B. V. Nicopeiæ.		*de seq.*

JUNIUS.

CYCL. EPACT.	LIT. DOM.	DIES MENS.			QUALIT OFFIC.	COMM. PRO 9 LEC.	VESPERÆ
27	e	Kal.	1	Speciositatis B. M. V.	*dupl.*	B. V. Legion. de Regulâ.	*de eod.*
XXV 26	f	iv	2	*De feriâ.*	*simpl.*		*de seq.*
				Ultima sedes Ascensionis. 3.			
25	24	g	iii	3	Septem verborum B. M. V.	*d. m.*	*de eod.*
23	A	Prid.	4	*De feriâ.*	*simpl.*		*de seq.*
22	b	Non.	5	Perfectionis B. V. M.	*dupl.*	B. V. Bruxellens. de Victor.	*a cap.*
21	c	viii	6	Manifestation. S. M. in Cosmedin.	*dupl.*	B. V. Parisiens. de Toleran.	*a cap.*
20	d	vii	7	Patientiæ B. V. M.	*dupl.*		*a cap.*
19	e	vi	8	Sapientiæ B. V. M.	*dupl.*	B. V. Viterbiens. ad grad.	*de eod.*
18	f	v	9	*De feriâ.*	*simpl.*		*de feriâ.*
17	g	iv	10	D. V. Panormitanæ a Catenis	*simpl.*		*de seq.*
16	A	iii	11	Duodecim præregativar. B. V. M.	*dupl.*		*de eod.*
15	b	Prid.	12	D. V. Cellis-pratens. de Quercu.	*simpl.*		*de seq.*
				Ultima sedes Pentec. 13.			
14	c	Idib.	13	B. V. de Divino Adjutorio.	*dupl.*	B. V. Salemitan. de Sudore	*a cap.*
13	d	xviii	14	Gloriæ B. V. M.	*dupl.*	B. V. Minoric. de M. Tauro	*a cap.*
12	e	xvii	15	Temperantiæ B. V. M.	*dupl.*	B. V. de Vitâ-bonâ	*de eod.*
11	f	xvi	16	*De feriâ.*	*simpl.*		*de seq.*
10	g	xv	17	Simplicitatis B. V. M.	*dupl.*	B. V. de Horto.	*de eod.*
9	A	xiv	18	D. V. Ravetensis de Planctu.	*simpl.*	B. V. de Monte Filermo.	*de seq.*
8	b	xiii	19	Imperii B. V. M.	*dupl.*		*de eod.*
				Ultima sedes Domin. I. Vitæ activæ. 20.			
7	c	xii	20	D. V. de Magallonio.	*simp.*		*de seq.*
6	d	xi	21	D. V. Alcamensis a Miraculis	*sem.*	B. Castilion. de Nuce.	*de seq.*
5	e	x	22	Quinque sensuum B. V. M.	*dupl.*	B. V. Trialensis.	*a cap.*
4	f	ix	23	B. V. de Succursu.	*dupl.*		*de eod.*
				Ultima sedes Corp. Chr. 24.	*simp.*		
3	g	viii	24	*De feriâ.*	*dupl.*		*de seq.*
2	A	vii	25	Potentiæ B. V. M.	*dupl.*		*a cap.*
1	b	vi	26	Conversation. B. V. post Christ. ascens.	*sem.*	B. V. Pragens. de Cryptâ.	*de eod.*
	c	v	27	B. V. in monte Ætna.	*dupl.*	B. V. Avilens. de Gratiâ.	*de seq.*
29	d	iv	28	Castitatis B. V. M.	*dupl.*	B. V. Meerlensis.	*de eod.*
28	e	iii	29	*De feriâ.*	*simp.*		*de seq.*
27	f	Prid.	30	Pulchritudinis B. V. M.	*d. m.*		*de eod.*

JULIUS.

CYCL. EPACT.	LIT. DOM.	DIES MENS.			QUALIT OFFIC.	COMM. PRO 9 LECT.	VESPERÆ
26	g	Kal.	1	Vigilia Visitat. B. V. M.	*simpl.*		*de seq.*
XXV 25	A	vi	2	Visitationis B. V. M.	*d. 4 c.*		*de eod.*
24	b	v	3	SS. Vestium B. M. V.	*dupl.*	B. V. Messanens. a Litteris	
23	c	iv	4	De 3 die infra octavam.	*sem.*	S. M. a Palmis.	
22	d	iii	5	Trium Excellentiarum B. V. M.	*dupl.*		
21	e	Prid.	6	Prodigiorum B. V. M.	*dupl.*	B. V. Mantuanæ de Gratiis.	
20	f	Non.	7	De 6 die infra octavam.	*sem.*	B. V. Mislenicensis.	
19	g	viii	8	Dulcedinis B. V. M.	*dupl.*	N. D. de Donis.	
18	A	vii	9	Octava Visitationis	*d. m.*		*de eod.*
17	b	vi	10	*De feriâ.*	*simp.*		*de fer.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

16	c	iv	11	D. V. Fesulanæ de Saxo.	*simpl.*	B. V. Antuerpiens. de Peregrinis. *de seq.*
15	d	iv	12	Conversationis Apostolicæ B. V.	*dupl.*	B. V. Hirach. de Stellâ. *de eod.*
14	e	iii	13	D. V. Remensis.	*simpl.*	B. V. Acrimontanæ de Subsidio. *de seq.*
13	f	Prid.	14	Operum misericordiæ B. V.	*dupl.*	*de eod.*
12	g	Idib.	15	B. V. Salettensis.	*simpl.*	*de seq.*
11	A	xvii	16	B. V. de Monte Carmelo.	*d. m.*	Victoriæ B. V. Toletanæ. *de eod.*
10	b	xvi	17	B. V. de Porticu.	*dupl.*	S. M. Scalæ cœli. *de eod.*
9	c	xv	18	D. V. Pistoriensis de Humilitate.	*sem.*	B. V. Ravenatensis. *de seq.*
8	d	xiv	19	Gratiæ B. V. M.	*dupl.*	B. V. de Cervis. *de eod.*
7	e	xiii	20	*De feriâ.*	*simpl.*	*de seq.*
6	f	xii	21	Dedication. B. V. de Eremitis.	*dupl.*	B. V. Anastasiopolit. de Oleo. *a capit.*
5	g	xi	22	Dol. Fortitudin. B. M. V.	*dupl.*	B. V. Sixenens. de Choro. *a capit.*
4	A	x	23	D. V. Fogiensis septem Dolorum.	*dupl.*	B. V. de Covadonga. *a cap.*
3	b	ix	24	Dispensationis B. V. M.	*dupl.*	*a cap.*
2	c	viii	25	Trium Eminentiarum B. V.	*dupl.*	B. V. de Guarga. *de seq.*
1	d	vii	26	SS. Parentum B. V. M.	*d. m.*	*de eod.*
*	e	vi	27	*De feriâ.*	*simpl.*	*de seq.*
29	f	v	28	In memoriam B. V. M.	*dupl.*	B. V. de Cuniculis. *de eod.*
28	g	iv	29	B. V. Dispranitanæ de Luce.	*sem.*	B. V. Ratispon. de S Luca. *de seq.*
27	A	iii	30	Virginitatis perpetuæ B. V. M.	*d. 2 c.*	*de eod.*
XXV 26	b	Prid.	31	B. V. de Auxilio.	*dupl.*	B. V. Trevirens. de Deserto *de seq.*

AUGUSTUS.

CYCL. EPACT.	LIT. DOM.	DIES MENS.			QUALIT OFFIC.	COMM. PRO ℣ LAET.	VESPERÆ.
25	24	c	Kal.	1	SS. Corporis B. V. M.	*d. m.*	B. V. Aliagensis de Rubo. *de eod.*
23	d	iv	2	S. M. Angelorum de Portiunculâ.	*dupl.*	Valencenens. de Eremitor. *a cap.*
22	e	iii	3	Meritorum B. V. M.	*dupl.*	B. V. Paduanæ de Peste *de eod.*
21	f	Prid.	4	*De feriâ.*	*simpl.*	*de seq.*
20	g	Non.	5	Dedic. B. V. M. ad Nives	*d. m.*	*de eod.*
19	A	viii	6	B. V. Montis Guardiæ.	*semid.*	*de seq.*
18	b	vii	7	Visitatis B. V. M.	*d. m.*	*de eod.*
17	c	vi	8	B. V. Cameracens. de Gratiâ.	*sem.*	B. V. de Itinere. *de seq.*
16	d	v	9	Annorum B. V. M.	*dupl.*	B. V. Montis de Lætitiâ. *a cap.*
15	e	iv	10	Advocationis B. M. V.	*dupl.*	*de seq.*
14	f	iii	11	SS. Vim B. V. M.	*d. m.*	B. V. Bullensis de Compas. *de eod.*
13	g	Prid.	12	*De feriâ.*	*simpl.*	*de seq.*
12	A	Idib.	13	Felicissimi Obitûs B. M. V.	*d. m.*	*de eod.*
11	b	xix	14	Exsequiarum B. M. V.	*dupl.*	*de seq.*
10	c	xviii	15	*Incipit tempus Vitæ gloriosæ.* Assumptionis B. V. M.	*d. 1 c.*	*de eod.*
9	d	xvii	16	Die 2 die infra octav.	*sem.*	Voti Regis Galliæ. *de oct.*
8	e	xvi	17	Exaltationis B. M. V.	*d. m.*	B. Ilerdens. de Salute. *de oct.*
7	f	xv	18	Die 4 die infra octav.	*sem.*	Victoriæ Regis Galliæ. *de seq.*
6	g	xiv	19	Coronationis B. V. M.	*d. 2 c.*	*de oct.*
5	A	xiii	20	Die 6 die infra octavam.	*sem.*	B. V. Panormit. de Victor. *de oct.*
4	b	xii	21	Septem dolorum Beatitud. B. V. M.	*dupl.*	*de oct.*
3	c	xi	22	Octava Assumptionis B. V. M.	*dupl.*	S. M. Angelor. et Martyr. *de eod.*
2	d	x	23	SS. Tunicarum B. V. M.	*dupl.*	B. V. in VII. *de seq.*
1	e	ix	24	SS. Reliquiarum B. V. M.	*d. m.*	B. V. Nivellensis a Consiliis. *de eod.*
*	f	viii	25	Trium aureolarum B. V. M.	*dupl.*	*de seq.*
29	g	vii	26	SS. Conors B. V. M.	*d. 1 c.*	*de seq.*
28	A	vi	27	Septem Præexcellentiarum B. V. M.	*dupl.*	B. V. Smelcemensis. *de eod.*
27	b	v	28	B. V. Cincturatorum de Consolatione.	*dupl.*	B. V. Afflictorum. *a cap.*
26	c	iv	29	SS. Sepulchri B. V. M.	*dupl.*	*de eod.*
XXV 25	d	iii	30	*De feriâ.*	*simpl.*	*de seq.*
24	e	Prid.	31	Depositionis Venerandæ Zonæ B. V.	*dupl.*	B. V. Marpentanæ. *de seq.*

RUBRICÆ

GENERALES

BREVIARII MARIANI.

Omne quod ad Rubricas generales spectat, quadruplici includitur capite.

In I. agitur de officiorum diversitate.

In II. de singulis officii Horis.

In III. de singulis Horarum partibus.

In IV. de officio Parvo.

Caput. 1.

De Officiorum diversitate.

Officium quotidiè fit aut Duplex, aut Semiduplex, aut Simplex.

§. 1.

De Officio Duplici.

1. Officium fit duplex in diebus à feriâ V. majoris hebdomadæ usque ad feriam secundam Paschæ inclusivè, in dominicâ in Albis, in Ascensione Domini, et in festis in quibus vel in Kalendario, vel in proprio loco apponitur hæc vox *Duplex*.

2. Festum duplex celebratur eo die, quo cadit, nisi contingat illud transferri.

3. Habet primas et secundas vesperas integras, nisi cum alio simili concurrat, et totum officium fit de duplici, incipiendo à primis Vesperis usque ad completorium sequentis diei inclusivè, nisi aliter notetur.

4. In utrisque Vesperis, Matutino, et Laudibus tantùm, non autem in aliis horis, duplicantur antiphonæ, id est, integræ dicuntur in principio et in fine Psalmorum.

5. Ad Matutinum regulariter dicuntur tres nocturni, qui singuli constant tribus psalmis et tribus lectionibus, præterquàm in paschate Resurrectionis, et Pentecostes, cum duobus sequentibus diebus, in quibus tantùm dicitur unum nocturnum.

6. In duplicibus primæ classis tantùm dicitur ad Matutinum nonum Responsorium, post ultimam Lectionem: quod Respons. in iisdem duplicibus dicitur etiam post capitulum et ante Hymnum in primis et secundis Vesperis.

7. In duplicibus primæ et secundæ classis repetuntur ultima Responsoria cujuslibet nocturni post *Gloria Patri*, ab initio ℟. usque ad ℣.

8. In duplicibus primæ classis Completorium tàm post primas, quàm post secundas Vesperas dicitur de dominicâ: in duplicibus secundæ classis Completor. de dominicâ dicitur tantùm post prim. Vesper. Post secundas Vesperas verò, et in aliis

duplicibus dicitur, ut in quâlibet feriâ annotatur.

§. 2.

De Officio Semiduplici.

1. Officium fit semiduplex diebus dominicis, et in diebus infra octavas: item in festis, in quibus in Kalendario, vel proprio loco apponitur hæc vox *Semiduplex*.

2. De festo semiduplici fit eo die, quo cadit, nisi contingat transferri.

3. Habet totum officium integrum, sicut duplex, sed non dupli-cantur antiphonæ.

4. Ad Matutinum dicuntur tres nocturni, præterquàm infra octavam Paschæ et Pentecostes, in quibus dicitur unum nocturnum tantùm.

5. In fine Laudum et Vesperum Suffragia, seu commemorationes Sanctorum dicuntur, et in Primâ et Completorio preces, ut in Psallerio notatur.

§. 3.

De Officio Dominicæ.

1. De dominicâ semper fit officium in dominicis Prægnationis, seu Adventus Domini, nisi occurrat festum Immaculatæ Conceptionis, et in dominicis à Septuagessimâ usque ad Domin. quartam Quadragesimæ inclusivè, nisi occurrat festum Purificationis, aut Annuntiationis.

2. Dominicæ Passionis, in Ramis palmarum, Paschæ, in albis, et Pentecostes nunquàm omittuntur.

3. In aliis dominicis per annum fit etiam officium de dominicâ, nisi occurrat in eis festum duplex, quia tunc fit officium de duplici cum Lectionibus primi nocturni, nisi proprias habuerit, et commemoratione dominicæ, dicendo Homiliam in Evangelium dominicæ loco nonæ Lectionis festi duplicis.

4. Si verò aliquod festum semiduplex in eis occurrat, transfertur ad primam diem non impeditam.

5. In dominicis infra Octavam nullo festo duplici impeditis, Officium fit sicut infra Octavam, exceptis is, quæ illi dominicæ fuerint propria, omissis precibus, et suffragiis sanctorum.

6. De dominicâ occurrente die octavâ, dicitur tantùm Homilia in Evangelium pro novâ Lectione, ut supra dictum est, quandò fit officium de duplici in dominicâ.

7. Tempore Infantiæ dominica I. nunquàm omittitur: undecima verò semper est ultima, ut ibi notatur.

8. Quandò dominica quartæ Prægnationis incidat in Vigiliam SS. Partûs, officium fit de dominicâ, illis tantùm mutatis quæ fuerint propria Vigiliæ, excepto, quòd in tertio nocturno pro nonâ Lectione leguntur lectiones de Homiliâ Vigiliæ per modum unius. Responsoria verò Vigiliæ dicuntur in tertio nocturno, ut de more, loco RR. dominicæ.

9. Si solemnitas SS. Partûs incidat in dominicâ, sabbato sequenti fiet officium de dominicâ infra octavam, quod habetur proprium.

10. Dominicæ Puerperii et Vitæ contemplativæ, in quas incidant dominicæ septuagesimæ, sexagesimæ et quinquagesimæ, omittuntur omninò, et fit officium de his dominicis sine ullâ commemoratione nec dominicæ occurrentis, nec ullius festi. RR. autem et alia, quæ ipsæ propria non habuerint, sumuntur de proprio Temporis occurrentis.

11. Dominica quinta Puerperii, nisi impedita fuerit aliquo festo duplici, nunquàm omittitur, sed ponitur semper loco ultimæ, ut legatur liber 1. Regum, et fit commemoratio illius in quam transferatur.

12. Si septuagesima incidat in dominicam quintam puerperii, loco domin. tertiæ, quæ eo anno omittitur, ponitur quarta et loco quartæ ponitur quinta.

13. Si verò incidat in dominicam quartam ponitur quinta loco tertiæ, omissis tertiâ et quartâ: idem dicendum si incidat septuagesima in tertiam Dom: ponitur in secundâ, tertiâ, quartâ et quintâ omissis.

14. Si septuagesima incidat in dominicâm infra octavam Purificatio-

nis, officium fit ut in diebus infra octav. iis exceptis quæ fuerint propria: si tandem incidat in dominicam secundam vitæ contemplativæ, Lectiones primi et secundi nocturni hujus secundæ dominicæ leguntur in dominicâ primâ, ne omittatur liber 2. Regum, cum Homiliâ in Evangelium ejusdem primæ dominicæ.

15. Officium in dominicis à Septuagesimâ usque ad Pentecostem fit, ut ibi in propriis locis notatur.

16. Tempore Vitæ Activæ ponuntur tredecim dominicæ, quæ omnes possent infra hoc tempus occurrere: sed cum semper tot non occurrant, loco ultimæ ponitur semper dominica decima tertia, ut ibi notatur.

17. Tempore Vitæ gloriosæ similiter, eo anno quo fuerint duæ dominicæ tantùm, omittitur secunda, et ejus loco ponitur tertia, quæ semper ultima esse debet.

18. Officium dominicæ fit semiduplex et incipit à primis Vesperis in sabbato, et habet totum officium integrum usque ad completorium dominicæ inclusivè, nisi cum aliquo duplici occurrat.

19. *Ad* Matutinum dicuntur tres Nocturni cum Psalmis, ut in Psalterio, et leguntur novem Lectiones ut in proprio de Tempore.

§. 4.

De Octavis.

1. De Octavâ fit officium per octo dies continuos in festis, quæ Octavam habent.

2. In Pascha Resurrectionis et Pentecostes officium Octavæ terminatur in sabbato sequenti ad Nonam.

3. Infra octavam fit de festis duplicibus et semiduplicibus occurrentibus tantùm, non autem de transferendis, quia ad infra octavas nullum festum transfertur.

4. In duplicibus et semiduplicibus infra octavam occurrentibus, officium fit omninò de octavâ, iis exceptis quæ fuerint propria.

5. Infra octavas autem Paschæ et Pentecostes non fit de festo aliquo, etiam primæ classis, sed transfertur post octavam.

6. De simplicibus infraquascumque Octavas occurrentibus fit tantùm commemoratio legendo eorum proprias lectiones per modum unius loco nonæ lectionis, exceptis diebus infra octavas Resurrectionis et Pentecostes.

7. In diebus infra octavas officium fit semiduplex, exceptâ die octavâ, in quâ fit duplex: in Vesp. omnia dicuntur ut in secundis Vesperis solemnitatis, quæ octavam habet, etiàm in festis infra octavam occurrentibus; sed in primis Vesperis diei octavæ omnia dicuntur, ut in primis Vesperis Festivitatis.

8. Infra octavas non fiunt Suffragia consueta de Sanctis, nec dicuntur preces ad Primam, et Completorium, etiàmsi fiat officium de dominicâ, vel festo semiduplici.

9. Officium de Octavâ fit cum tribus nocturnis, novem scilicet Psalmis, et novem Lectionibus, exceptis Octavis Paschæ et Pentecostes, in quibus fit cum uno nocturno, ut suis locis ponitur: et omnia dicuntur ut in die festi præter Psalmos et Lectiones primi nocturni, quæ si non fuerint propria, sumantur de feriâ occurrenti: aliæ lectiones secundi et tertii nocturni dicuntur quæ infra Octavam posîtæ sunt, vel ibi annotatæ.

§. 5.

De officio Festi simplicis.

1. Officium fit simplex in diebus ferialibus, quandò occurrit fieri de feriâ: item in festis quandò in Kalendario apponitur hæc vox *Simplex* et in vigiliis festivitatum.

2. De officio simplici fit eo die quo cadit, nisi eodem die occurrat fieri officium novem Lectionum, vel de aliquibus feriis, quibus Festum simplex cedit.

3. Festum simplex habet tantùm primas Vesperas, in quibus dicuntur Psalmi et antiphonæ feriales, et à capitulo fit de festo, et ejus officium

terminatur ad Nonam.

4. Ad Matutinum post Invitatorium et Hymnum de festo dicitur unum nocturnum tantùm cum novem Psalmis, antiph. et RR. secundum feriam quæ occurrit, ut in officio feriali. Lectiones autem dicuntur, ut in proprio.

5. Ad Laudes et Horas officium fit ut in festis semiduplicibus sine precibus, sed cum suffragiis sanctorum ad Laudes et Vesperas, et cum precibus in Primâ, et in Completorio.

§. 6.

De Officio simplici Feriæ.

1. Officium feriale, hoc est simplex de tempore occurrenti, prout in Psalterio et proprio de tempore habetur, fit semper, quandò infra Hebdomadam non occurrit festum duplex, aut semiduplex, vel simplex, vel de octavâ.

2. Officium feriæ indè incipit, ubi desinit officium præcedentis; ita ut si in præcedenti die fuerit duplex vel semiduplex, officium Feriæ incipiat sequenti die à Matutino: si præcedenti die fuerit Festum simplex, de Feriâ fiat à Vesperis illius præcedentis diei inclusivè.

3. Terminatur autem officium de Feriâ, subsequente duplici vel semiduplici, ad Nonam: subsequente verò simplici, ad capitulum vesperarum, quia indè fit officium de simplici.

4. Ad Matutinum dicitur tantùm unum nocturnum cum novem Psalmis secundum ordinem feriarum in Psalterio, et tribus lectionibus ut in proprio de tempore.

5. Excipiuntur ab hoc ordinario officii ferialis tres feriæ majores Hebdomadæ Sanctæ, et feriæ octavarum Paschæ et Pentecostes, in quibus fit officium ut in propriis locis notatur.

6. Preces feriales dicuntur post antiphonam ad *Benedictus* in Laudib. et ad *Magnificat*, in Vesperis ante orationem, quæ sumitur de præcedenti dominica, excepto tempore paschali in quo omittuntur cum suffragiis sanctorum.

7. Cætera quæ ad officium feriæ pertinent, habentur inferiùs de singulis propriæ Rubricæ.

§. 7.

De officio simplici vigiliæ.

1. De vigiliâ fit officium quandò in Kalendario annotatur hæc vox *vigilia*, nisi eo die occurrat Festum novem Lectionum, in quo tantùm fiet commemoratio vigiliæ.

2. Si vigilia occurrat in dominicâ, de eâ fit officium in sabbato præcedenti si nullo sit festo novem lectionum impeditum; quia tum de Vigiliâ fiet tantùm commemoratio.

3. Excipitur ab hac regulâ Vigilia Nativitatis, Epiphaniæ et Assumptionis, quæ si venerint in dominicâ, fit de illis, ut in propriis locis dicitur.

4. Officium vigiliæ incipit, ubi desinit officium præcedentis diei: terminatur autem ad Nonam, ut dictum est de officio feriali.

5. Officium vigiliæ totum fit de feriâ occurrenti, ut in Psalterio, et tres Lectiones leguntur de Homiliâ in Evangelium Vigiliæ, cum tribus RR. feriæ occurrentis.

6. In Vigiliis dicuntur preces feriales, et commemorationes communes ad Laudes, aliaque omnia sicut in feriis.

7. Excipitur ab hoc ordinario vigiliarum vigilia Sanctissimi Partûs, Epiphaniæ et Assumptionis, ut in propriis locis notatur.

§. 8.

De Commemorationibus.

1. Commemorationes fiunt de festis simplicibus, vel de vigiliis, vel de feriis Quatuor temporum, vel de dominicis, quandò in eorum diebus incidit Festum novem Lectionum, etiam translatum, et de illis festis quorum in officiis propriis Commemoratio assignatur.

2. Commemorationes autem fiunt recitando loco nonæ Lectionis, vel Lectiones Simplicis per modum unius, vel Homiliam in Evangelium dominicæ, aut vigiliæ, aut feriæ Quatuor tempor. occurrentis.

3. In duplicibus primæ et secundæ classis, in dominicis Prægnationis, et in dominicis à septuagesimâ usque ad dominicam in albis inclusivè, et in feriis post dominicas in Palmis, Paschæ et Pentecostes, nullius festi simplicis fit commemor.

4. In dominicis septuagesimæ, sexagesimæ, quinquagesimæ, et quadragesimæ, occurrentibus in dominicis Puerperii, et vitæ contemplativæ nulla fit commemoratio dominicæ, quæ omittitur.

5. In duplicibus, quæ impediunt officium dominicæ, fit commemoratio dominicæ occurrentis, nisi festum duplex sit primæ classis, in quo nulla fit commemoratio, nec dominicæ, nisi dominica sit primæ aut secundæ classis.

6. In duplicibus secundæ classis fit tantùm commemoratio dominicæ, si quæ occurrat.

7. In concurrentiâ duarum commemorationum, nempe simplicis et dominicæ, omittitur commemoratio simplicis et fit tantùm commemoratio dominicæ.

8. In concurrentiâ simplicis et vigiliæ, omissâ commemoratione simplicis fit vigiliæ.

9. In concurrentiâ duorum simplicium, fit tantùm commemoratio dignioris. Dignius est festum simplex illo quod solùm ad commemorationem ponitur.

10. Si officium fit de vigiliâ, et facienda est commemoratio de simplici, tertia Lectio erit commemoratio simplicis.

11. Idem est dicendum de semiduplicibus, quæ casu simplificentur.

§. 9.

De translatione festorum.

1. Si aliquod festum duplex, nisi sit primæ classis, occurrat in dominicis Prægnationis et in dominicis à septuagesimâ usque ad dominicam in Albis, in feriâ quartâ cinerum, in feriis majoris hebeomadæ, post Pascha, et post Pentecostem, in die, dominicâ infra octavam, et in ipsa die octava Ascensionis Domini et Corporis Christi, transfertur ad primam diem festo duplici, aut semiduplici non impeditam.

2. Duplex autem primæ classis, non transfertur nisi occurrat in dominicâ Passionis, à dominicâ Palmarum, usque ad dominic. in Albis inclusivè, in die Ascensionis, in totâ Octavâ Pentecostes, et in solemnitate Corporis Christi.

3. Duplex secundæ classis non transfertur, si occurrat in die Octavâ et in dominicis infra Octavam Ascensionis, et Corporis Christi, sed in aliis diebus supra notatis transfertur, ut alia duplicia.

4. Duplicia majora, et minora, si occurrant in dominicis, et aliis diebus supra non exceptis, non transferuntur.

5. Festum semiduplex occurrens diebus suprà notatis, et in dominicis per annum transfertur ad primam diem non impeditam.

6. In festis quæ transferuntur extra tempus seu extra octavam, cui sunt assignata, officium fit de tempore ad quod fuerint translata, nisi aliter notetur.

7. Si duo, vel plura festa novem Lectionum simul eodem die veniant, fiat officium de majori, seu solemniori, altero inferiori ad alium diem translato.

8. Si plura festa novem Lectionum transferenda sint, prius transferatur duplex, quàm semiduplex: et inter plura duplicia, semper quod est solemnius transferatur, et prius de eo fiat: si verò fuerint æqualia unum ante alium transferatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus.

9. Festum simplex nunquàm transfertur: si de eo officium fieri non potest, fiat commemoratio, ut supra dictum est: si demùm venerit in illis diebus, in quibus de simplici nulla fit commemoratio, eo anno de illo nihil fiat.

10. Si aliquod festum novem Lectionum, in quo annotata est aliqua commemoratio transferatur, non tamen cum eo transfertur commemoratio, quæ semper proprio die suo fit, et si fieri nequeat, omittitur.

1 Si festum aliquod transferatur in diem festi simplicis, de simplici fit commemoratio; et si festum simplex habuerit commemorationem aliam, de hâc nihil fiat eo anno.

12. Commemoratio simplicis omittitur, quandò ejus loco facienda est commemoratio vigiliæ, vel dominicæ.

§. 10.

De Officiorum concurrentiâ.

1. Concurrentia officii attendenda est semper in secundis Vesperis ad ordinandum officium pro sequenti die. Itaque cum dicitur officium aliquod cum alio concurrere, intelligitur de præcedenti in secundis Vesperis cum sequenti in primis Vesperis.

2. Duplici ergò in secundis Vesperis concurrente cum alio sequenti duplici in primis, si utraque sint æqualia, à capitulo fit de sequenti, nisi aliter notetur. Si verò non fuerint æqualia, festum illud habebit integras Vesperas, sive præcedat, sive subsequatur, quod fuerit majoris solemnitatis.

3. Duplex concurrens cum festo semiduplici, cum dominicâ, et cum festo simplici, habet integras Vesperas.

4. Semiduplici festo et dominicâ concurrentibus cum sequenti duplici, Vesperæ dicuntur de duplici; concurrentibus verò cum alio semiduplici aut dominicâ, Vesperæ fiunt à capitulo de sequenti: concurrentibus landem cum simplici, de præcedenti dicantur.

5. Simplex cum aliis non potest concurrere, quia non habet secundas Vesperas. Si sequatur aliud simplex, Vesperæ erunt de sequenti.

6. In diebus infra octavam non fit concursus, cum Vesperæ dicantur ut in die, ut in proprio loco notatur. Si sequens festum est duplex, et præcedens semiduplex, aut vice versâ, antiphonæ duplicantur in Vesperis: et oratio, si fuerit propria, dicitur in Vesperis duplicis sive præcedentis sive sequentis, cujus causâ officium fit duplex.

7. Feria non potest concurrere cum aliâ feriâ, neque cum alio officio in secundis vesperis, quia ejus officium incipit et desinit, ubi desinit et incipit quodcumque aliud officium.

8. Cum verò occurrit, ut festum simplex veniat in feriis quatuor Temporum, in feriâ quartâ Cinerum, et in aliquâ Vigiliâ, non dicuntur de eo primæ Vesperæ, quia in sequenti die non habet officium, sed tantùm fit de eo commemoratio.

§. 11.

De ordinando Officio ex prædictis Rubricis.

1. Si quis velit ex supra dictis Rubricis ordinare officium diei, videat in kalendario, et in tabulâ festorum mobilium, de quo fiat officium die sequenti, et ut invenerit esse faciendum, sic ordinavit illud in Vesperis, et in aliis Horis nocturnis et diurnis.

2. Si ordinandum est officium de Tempore, id est, de dominicâ, vel de feriâ, recurrendum est ad Psalterium, ubi ordinatè ponitur quod est commune officii de Tempore, et ad proprium de Tempore, ubi ponuntur, quæ desunt in Psalterio.

3. Si ordinandum est officium de aliquâ Festivitate, recurrendum est ad proprium Festivitatum, ubi quæ sunt cuilibet Festo propria inveniuntur, et ad commune Festivitatum, ubi pro qualitate festi, et Temporis ponuntur ea quæ in festivitatibus propriâ non habentur.

Caput. II.

De singulis Officii Horis.

§. 1.

De Matutino.

1. Ad Matutinum semper dicitur antè secreto *Ave Maria*, quod etiàm servatur in aliis Horis. Deindè: *Domine labia mea etc.* pollice signando sibi os signo crucis. *Deus in adjutorium etc.* manu extensâ signando se signo crucis à fronte ad pectus, et à sinistro humero usque ad dexterum (quod etiàm servatur in principio aliarum Horarum) cum *Gloria Patri etc*, ut in principio Psalterii.

2. Deindè dicitur *Invitatorium* conveniens officio cum *Psalmo Invitatorio*, ut ibi etiàm describitur. Dicto *Psalmo* et repetito *Invitatorio*, dicitur *Hymnus*, qui officio de Tempore vel festivitate conveniat.

3. Postèa in duplicibus et semiduplicibus dicuntur tres nocturni. In quolibet nocturno dicuntur tres psalmi cum tribus antiphonis: sed in tempore Paschali seu Vitæ gaudiosæ, nisi aliter notetur, tres Psalmi dicuntur sub unâ antiphonâ in quolibet Nocturno.

4. In fine Psalmorum cujuscumque Nocturni dicitur *Versus* deindè *Pater Noster*, *Absolutio et Benedictio*, quæ in dominicâ ponuntur. Post hæc sequuntur *tres lectiones* cum *Responsoriis*.

5. In primo nocturno leguntur tres Lectiones de Scripturâ, quæ per ordinem in proprio de Tempore ponuntur, nisi aliæ in proprio loco assignentur. In duplicibus majoribus quæ proprias Lectiones de Scripturâ non habuerint, dicuntur de communi, ut ibi annotatur. Post singulas Lectiones dicitur unum *Respons.* officio conveniens.

6. In secundo nocturno post Psalmos, antiphonas, versus etc. dicuntur lectiones de aliquo sermone aut de Historiâ illius Festivitatis, de quâ fit officium, et ad quamlibet Lectionem conveniens Responsorium.

7. In tertio nocturno similiter post Psalmos et cætera superiùs assignata, legitur Homilia in Evangelium, quæ singulis officiis assignatur. Post septimam et octavam dicitur etiàm Responsorium, et aliquandò post nonam, ut suis locis notatur.

8. In officio trium Lectionum dicitur tantùm unum nocturnum, ut in feriali officio, id est, novem Psalmi cum tribus antiphonis, et tempore paschali cum unâ antiphonâ.

9. Post psalmos et Antiphonas dicitur Versus ut in Psalterio, tàm in feriali officio quàm simplici. Post versum *Pater noster*, absolutio, benedictiones, et tres Lectiones convenientes.

10. In officio feriali singulae Lectiones dicuntur de Scripturâ, quae eo die occurrat: si adsit Homilia, singulae tres de Homiliâ, et post singulas Lectiones Responsorium.

11. In simplici prima et secunda Lectio erit de Scripturâ occurrente, tertia de festo. Si fuerint duae Lectiones de festo prima tantum erit de Scripturâ. Si tres, nulla Lectio erit de Scripturâ.

12. Matutinum finitur Cantico *Te Matrem* nisi omittendum sit: quandò verò omittitur, finitur ultimo Responsorio.

§. 2.

De Laudibus.

1. Ad Laudes, expleto Matutino, absolutè dicitur: *Deus in adjutorium* etc. et dicuntur psalmi et Canticum cum antiphonis officio congruentibus.

2. Antiphonae in dominicis et in feriis, si propriae non assignantur, ut in Psalterio. In festis, quandò non adsint propriae, dicuntur de Communi Festivitatum.

3. Post psalmos et antiphonas leguntur capitulum, hymnus, versus, antiph. ad *Benedic.* cum eodem cantico et oratio, omnia pro qualitate officii de tempore vel de festo.

4 Preces, quandò dicendae sunt, dicuntur ante orationem: suffragia similiter, quandò sunt facienda, dicuntur post orationem.

5. Ante orationem, dicitur: *Domine, exaudi orat.* etc. et *Oremus* et post orationem repetitur *Domine, exaudi* deindè *Benedicamus Domino... et Fidelium animæ. Pater noster et Dominus det nobis etc.* et antiphona Beatae MARIÆ, ut habetur in fine

psalterii, si hunc finiatur officium; alioquin haec *antiphona* dicitur post ultimam Horam.

6. Quandò fiunt suffragia, *Domine exaudi*, non repetitur, nisi post ultimam orationem.

§. 3.

De Primâ.

1. Ad Primam *Ave Maria... secretò Deus in adjut.* Hymnus *Ortus ref.* et deindè inchoatur antiphona convenicns,

2. Sumuntur antiphonae ad omnes Horas in festis ex Laudibus per ordinem, quartâ praetermissâ.

3. Inchoatâ antiphonâ dicuntur tres Psalmi, ut in Psalterio ponuntur, et Symbolum *Quicumque*, quandò fit officium de dominicâ.

4. Post antiphonam dicitur capitulum ut in Psalterio in feriali officio, et in festis capitulum Laudum.

5. Post capitulum ℟. breve, *Virgo Mater etc.* Preces si dicendae sunt), *versus Domine exaudi. Oremus* et oratio ut in Laudibus.

6. Versus ℟. brev. mutatur in quolibet tempore, etin pluribus Festivitatibus, ut suis locis notatur.

7. Preces quae dicendae sunt, quando non fit de duplici, aut de infra octava, dicuntur post ℟. brev. et ante orationem.

8. Post orationem dicitur ℣. *In saeculum.* Oratio *Sancta MARIA... Pater noster.* Ac deindè Absolutio et Benedictio ante Canonem.

9. Dicto Canone finitur Prima cum ℣. *Fidelium.*

§. 4.

De Horis Tertiâ, Sextâ, et Nonâ.

1. Ante singulas has Horas dicitur secretò *Ave Mar.* deindè *Deus in adjutor. etc.* Hymnus, et inchoatur antiphona dicenda secundum officii qualitem ordine quo suprà.

2. Deindè dicuntur Psalmi, ut in Psalterio. Post Psalmos antiphona prius incohata, Capitulum, ℟. breve et Oratio, quae si in festis proprio festivitatum non fuerint propria, dicuntur de communi, et in dominicis et feriis ut in Psalterio.

§. 5.

De Vesperis.

1. Ad Vesperas *Ave Maria*, secretò: *Deus in adjutor, etc.* Deindè quinque Psalmi cum quinque antiphonis, ut assignantur in Psalterio pro feriali officio, et in proprio vel communi Festivitatum pro Festivitatibus.

2. Psalmi sempèr dicuntur, ut in feriâ occurrenti, nisi aliter notetur. Pro duplicibus primae et secundae classis in utrisque vesperis notantur in communi festivitatum. Tempore paschali in feriali officio dicuntur sub unâ antiphonâ.

3. Post Psalmos et antiphonas dicitur capitulum, hymnus, versus, antiphona ad *Magnificat*, cum eodem cantico et oratio, omnia de Tempore, vel de Festivitatibus pro qualitate officii.

4. Preces, quandò dicendae sunt, dicuntur post Orationem.

5. Terminatur officium in Vesperis, ut in aliis Horis.

§. 6.

De Completorio.

1. Completorium absolutè incipitur per ℣. *Converte nos Deus.* et deindè, *Deus in adj.* antiphona, quatuor Psalmi in dominicâ, et tres in aliis diebus tam ferialibus, quàm festivis, ut in Psalterio.

2. Post psalmos dicitur antiphona, hymnus, capitulum, ℟. breve, canticum *Nunc dimittis*, cum antiphonâ, et post antiphonam Oratio.

3. Preces, quando sunt faciendae, dicuntur ante orationem, ut de more.

4. Post ℣. *Benedicat nos.* dicitur una ex antiphonis B. MARIÆ cum ℣. et oratione pro temporis diversitate, ut in Laudibus dictum est, et tandem *Dicimus auxilium.*

5. Terminatur Completor. et totum officium dicendo secretò *Pater. Ave, Credo et Sacrosanctae et individuae*, cum alio *Pater et Ave* pro defectibus commissis.

Caput. III.

De Singulis Horarum partibus.

§. 1.

De Invitatorio.

1. Invitatorium sempèr dicitur in omni officio ad Matutinum, cum psalmo invitatorio, *Venite exultemus*, ordine in principio Psalterii descripto, sed variatur pro qualitate oficii, ut in Psalterio, proprio de Tempore, et proprio et communi festivitatum notatur.

2. In die Epiphaniae, et triduo ante Pascham omittitur.

3. Tempore paschali additur in fine duplex *Alleluia.*

§. 2.

De Hymnis.

1. Hymni sempèr dicuntur ad omnes horas, praeterquàm in triduo ante pascham usque ad dominicam in albis.

2. Ad Matutinum hymnus dicitur post psalmum Invitatorium, excepto die Epiphaniæ. Ad Laudes et Vesperas post capitulum: ad Horas ante Psalmos: ad Complet. post psalmos et antiphonam, et ante capitulum.

3. Dicuntur autem in officio de tempore, ut in Psalterio, si proprii in proprio de tempore non habeantur. Similiter in festis, si proprios hymnos non habent in suo proprio, dicuntur de communi.

§. 3.

De Antiphonis.

1. Ad omnes Horas sive nocturnas, sine diurnasdicuntursempèr cum Psalmis antiphonae, vel una, vel plures pro diversitate oficii vel horarum.

2. Si de tempore fiat officium, dicuntur antiphonae, ut in psalterio, nisi propriae assignentur, exceptis antiphonis ad *Bened.* et ad *Magnificat* in quâlibet dominicâ quae habentur propriae per totum annum.

3. Quando in Vesperis dicendae sint antiphonae de Laudibus, suis locis notatur.

4. Ad Horas dicuntur sempèr antiphonae de Laudibus, quartâ praetermissâ hoc ordine: ad Primam prima, ad Tertiam secunda, ad Sextam tertia, ad Nonam quinta.

5. Tempore paschali Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub unâ antiphonâ, quae officio conveniat; et in fine cujuslibet antiphonae additur, *alleluia* quandò in illis non habetur.

6. In duplicibus ad Vesperas, Matutinum, et Laudes tantùm antiphonae dicuntur integrae ante et post psalmos et Cantica. In aliis horis, et in officio non duplici, in principio psalmi vel Cantici inchoantur tantùm, et in fine dicuntur integrae.

§. 4.

De Psalmis.

1. Psalmi tàm in officio de tempore, quàm in officio de Festivitate per omnes horas dicuntur, eo ordine quo positi sunt in psalterio, nisi in proprio Festivitatum aliter notetur.

2. In primis Vesperis solemnitatum primae et secundae classis dicuntur psalmi, qui ante commune Festivitatum notati sunt. In secundis Vesperis dicuntur Psalmi de dominicâ, excepto ultimo, in cujus loco ponitur psalm. *Lauda Jerusalem.*

3. In Laudibus et Completorio earundem solemnitatum, dicuntur psalmi de dominicâ. Excipiuntur psalmi completorii post secundas Vesperas duplicium secundae classis, qui dicuntur de feriâ occurrenti.

4. Psalmi ad Matutinum in duplicibus primae et secundae classis, qui non fuerint proprii dicuntur de dominicâ.

5. Psalmi ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam sempèr dicuntur ut in psalterio, tam in officio de tempore, quàm in festivitatibus.

6. In fine psalmorum sempèr dicitur Gloria Patri, praeterquàm in triduo majoris Hebdomadae ante Pascham.

7. In hoc triduo ponuntur psalmi proprii, qui in illis diebus tantùm recitantur.

§. 5.

De Canticis.

1. Cantica dicuntur tàm in officio de tempore, quàm in festivitatibus ad Laudes, Vesperas, et Com-

pletorium, ut in psalterio ordinantur.

§. 6.

De Versibus.

1. Versus sempèr dicuntur ad Matutinum post ultimum psalmum et antiphonam cujuslibet nocturni, ad Laudes et Vesperas post Hymnum, et ad alias Horas et Completorium in ℟. brevi.

2. In Pascha Resurrectionis et per octavam versus tantùm dicitur in nocturno. In aliis Horis non dicitur.

3. Versibus praedictis tempore paschali sempèr additur *allelúia*; non autem versibus Precum, neque versibus ℟℟. ad Matutinum.

4. Versus ponuntur in psalterio pro officio de tempore, et in proprio vel communi Festivitatum pro Festivitatibus.

§. 7.

De Absolutionibus et Benedictionibus.

1. Absolutiones et Benedictiones dicuntur per ordinem in officio novem Lectionum ante Lectiones, ut in psalterio ponuntur, praeterquàm in Triduo majoris Hebdomadae in quo omittuntur.

2. Si fiat officium trium Lectionum, Absolutio et Benedictiones dicuntur hoc ordine: Feriâ II et V. dicuntur ut in primo nocturno: Feriâ III. et VI. ut in secundo noct. et in Feriâ IV. et Sabbato, ut in tertio Noct. excepto quòd in Feriâ IV. et et Sabbato prima Benedictio, nisi legatur Evangelium, erit: *Nos cum prole piâ...* loco Benedictionis *Evangelica Lectio.*

3. Si autem singulæ tres Lectiones in quâlibet feriâ sint de Homiliâ super Evangelium Absolutio dicitur secundùm ordinem feriae, ut supra, Benedictiones verò ut in tertio nocturno.

4. Quandò verò tertia Lectio in officio trium Lectionum, et nona in officio novem erit Homilia super aliud Evangelium, pro tertiâ, vel nonâ Benedictione dicitur: *Per evangelica dicta.*

5. Benedictio octava in diversis temporibus mutatur, et multotiès in diversis Festivitatibus ejusdem Temporis.

6. In diebus infra octavam dicitur octava Benedictio ut in die, nisi alicui festo propria adsit.

7. In Primâ Absolutio et Benedictio ante Canonem sempèr dicitur sine variatione, ut in suo loco ponitur.

§. 8.

De Lectionibus.

1. Lectiones leguntur ad Matutinum post versum nocturnorum.

2. In duplicibus et semiduplicibus dicuntur novem: id est tres in quolibet nocturno. In Feriis, in Vigiliis, et in simplicibus leguntur tres tantùm.

3. In primo nocturno in officio novem Lectionum sempèr leguntur tres Lectiones de Scripturâ, quæ quandò suis in locis non assignantur, sumuntur de Feriis pro Tempore.

4. In secundo nocturno, si fit de aliquo festo Lectiones leguntur, vel de Historiâ illius, vel de aliquo sermone, aut tractatu, qui ei conveniat; quæ Lectiones, si non adsint propriæ, leguntur de communi Festivitatum.

5. De communi festivitatum etiàm completur numerus trium Lectionum alicujus Festi, quod tantùm habeat unam vel duas Lectiones proprias in secundo Nocturno.

6. Si fit de dominicâ vel de alio festo novem Lectionum per annum, etiàm de infrâ Octav. leguntur tres Lectiones de sermone, qui in illis ponitur.

7. In tertio nocturno sempèr leguntur tres Lectiones de Homiliâ in Evangelium posilae in proprio vel in communi assignatae.

8. Primae Lectioni de Homiliâ sempèr praeponitur principium Evangelii de quo est ipsa Homilia.

9. Excipitur ab hoc ordinario lectionum Matutinum tridui majoris Hebdomadae ante pascham.

10. Pro recitatione Lectionis ad

commemorationem simplicis, aut vigiliae, aut dominicae vide Rubricam sub titulo de *Commemorationibus.*

11. In recitatione Homiliae propriae Festi, quod habet commemorationem, translati ad aliam diem in quâ nulla occurrit commemoratio fieri, attendatur ad divisionem Homiliae, ut nulla desit Lectio facienda.

12. Officio trium Lectionum, si fiat de feriâ tres Lectiones leguntur de Scripturâ feriae occurrentis. Si fiat de simplici, quod habeat duas lectiones proprias, prima tantùm erit de Scripturâ, secunda et tertia de festo. Si unam tantùm habeat, prima et secunda de Scripturâ, tertia verò de festo.

13. Lectiones Scrip urae variantur per annum. Tempore Expectationis leguntur quotidiè, quandò propriae non assignantur ut in dominicâ illius temporis, in quâ celebratur Festum *Prædestinationis* ab Æterno. Aliae verò leguntur tempore Infantiæ, aliæ in Præguatione, aliæ in Puerperio, aliæ demùm in quolibet alio tempore.

14. Singulæ dominicæ per annum suas proprias in tribus nocturnis habent Lectiones.

15. Lectiones primi nocturni leguntur cum titulo Libri, ex quo sumuntur, excepto triduo majoris Hebdom. et die SS. Partûs.

16. Lectiones secundi nocturni leguntur etiàm cum titulo quandò sunt de aliquo sermone, vel tractatu, addito nomine auctoris: aliàs minimè.

17. Similiter in tertio nocturno præponitur nomen auctoris, cujus est Homilia.

18. Commemorationes simplicium leguntur similiter cum titulo Lectioni præposito.

19. In fine cujuscumque Lectionis dicitur: *Tu autem, Domina nostra intercede pro nobis*, et respondetur *Deo gratias.* Triduo ante Pascham excepto, ut ibi notatur.

§. 9.

De Responsoriis post Lectiones.

1. Responsoria dicuntur post Lectiones ad Matutinum: id est, post quamlibet Lectionem dicitur unum Responsorium.

2. In duplicibus primæ classis dicuntur novem Responsoria, et post nonum dicitur Canticum: *Te Matrem Dei.*

3. In dominicis Prægnationis, et à septuagesimâ inclusivè usque ad Pascham, et triduo ante Pascham dicuntur etiàm novem Responsoria, sed sine Cantico *Te Matrem.*

4. In diebus infra Octavam duplicium primæ classis nonum Respons. dicitur post octavam Lectionem, omisso Responsorio octavo, quod solùm in die dicitur.

5. In duplicibus primæ classis post capitulum in utrisque Vesperis dicitur etiàm Responsorium, quod nonum est in ordine Matutini.

6. In duplicibus secundæ classis, et in aliis festis duplicibus et semiduplicibus, ac in dominicis suprà non exceptis, dicuntur tantùm octo Responsoria.

7. In ultimo Responsorio cujuslibet nocturni, et in Responsorio post Capitulum ad Vesperas, quandò dicitur, additur *Gloria Patri*, et repetitur pars Responsorii assignata asterisco, vel totum Responsorium in duplicibus primæ et secundæ classis, et tempore Passionis, in quo non dicitur *Gloria Patri.*

8. In officio autem trium Lectionum, quandò fit de festo simplici, et in feriis temporis Paschalis (exceptâ feriâ secundâ Rogationum), dicuntur duo Responsoria, quia post tertiam Lectionem dicitur Canticum *Te Matrem.*

9. In aliis feriis extra tempus Paschale, ac in vigiliis non exceptis dicuntur tria Responsoria: quæ Responsoria, si non fuerint propria, sumuntur sempèr, etiàm in simplicibus Festis, de Tempore occurrenti.

10. Tempore paschali in fine Responsorii ante ℣. additur duplex *alleluia.*

§. 10.

De Hymno Te Matrem.

1. Hymnus *Te Matrem* dicitur

in omnibus festis per annum, tàm trium, quàm novem Lectionum, et per eorum octavas: Dicitur etiàm in omnibus dominicis à dominicâ Expectationis usque ad Prægnationem, seu Adventum Domini: à dominicâ infra Octav. SS. Partûs usque ad Septuagesimam, et à dominicâ Resurrectionis usque ad finem anni Mariani, et in omnibus feriis Temporis paschali.

2. Non dicitur autem in dominicis Prægnationis, neque in dominicis à Septuagesimâ ad pascham, neque in feriâ secundâ Rogationum, neque in aliis feriis extra tempus paschale.

3. Cum dicitur, omittitur nonum Responsorium, exceptis duplicibus primæ classis, vel tertium Responsorium nocturni, et statim dicitur post ultimam Lectionem.

4. Cum non dicitur, ejus loco ponitur nonum vel tertium nocturni Responsorium, quo dicto, statim inchoantur Laudes similiter quandò dicitur *Te Matrem* eo hymno dicto, statim inchoantur Laudes.

§. 11.

De Capitulis.

1. Capitula semper dicuntur ad Vesperas, Laudes, et alias Horas, dictis Psalmis et Antiphonis, et ad Completorium post Hymnum.

2. Capitula omittuntur omninò à feriâ V. majoris Hebdomadæ usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusivè.

3. In proprio de tempore dicuntur, ut in Psalterio dominicis illis, quæ propria capitula habuerint, exceptis: In festis autem dicuntur vel ut in proprio, vel ut in communi festivitatum.

4. In festis Capitulum positum in Vesperis regulariter dicitur quoquè ad Laudes, ad Primam, et ad secundas Vesperas.

§. 12.

De Symbolo Quicumque.

1. Symbolum *Quicumque* dicitur ad Primam post Psalmum *Retribue* in omnibus dominicis per annum, quandò officium fit de dominicâ.

2. In dominicis in quibus fit officium de aliquo duplici, omittitur.

3. Omittitur quoquè in dominicis Paschæ et Pentecostes, et in aliis dominicis infra Octavas solemnitatum.

§. 13.

De Responsoriis brevibus.

1. Responsoria brevia dicuntur post Capitulum ad Primam, ad Tertiam, ad Sextam et ad Nonam, et ad Completorium.

2. A feriâ autem V. majoris Hebdomadæ usque ad dominicam in Albis exclusivè non dicuntur.

3. Ad Primam et Completorium semper dicuntur eodem modo, ut in Psalterio.

4. Ad alias Horas dicuntur, ut in Psalterio, si fiat de tempore, et ut in proprio vel communi Festivitatum, si fiat de Festo.

5. Tempore Passionis loco *Glor. Patri* repetitur Responsor. ab initio, ut ibi notatur, et extra illud tempus repetitur post *Gloria Patri*.

6. Versus ℟. brevi ad Primam mutatur sæpè sæpius per annum, tam in officio de tempore, quam in festivitatibus.

7. Tempore paschali in Respons. brevibus additur duplex *alleluia*, quæ etiam repetuntur, loco partis Responsorii, quæ essel repetenda.

§. 14.

De Oratione.

1. Oratio in Vesperis et Laudibus dicitur post antiphon. ad *Magnif.* et ad *Benedict.* nisi quandò dicendæ sunt preces, quæ dicuntur post antiph. et ante orationem.

2. Ad primam et ad alias Horas oratio dicitur post Respons. breve, excepto quandò dicuntur preces in Primâ, quia tunc dicitur post preces.

3. In Completorio, si dicuntur preces, dicitur oratio post preces: si non sunt preces dicitur post *antiph.* ad *Nunc dimittis*.

4. In Completorio semper dicitur eadem oratio, excepto triduo ante Pascham: In aliis Horis regulariter dicitur oratio, quæ dicta est ad primas Vesperas, vel ad Laudes.

5. Oratio dominicæ præcedentis dicitur in feriali officio per totam Hebdomadam, quandò propria non assignatur.

6. In diebus infra octavam dicitur oratio, ut in die, similiter et in die octavâ, nisi alia notetur.

7. Ante orationem semper dicitur ℣. *Dom. exaud.* et *Oremus*: et in fine repetitur ℣. *Dom. exaudi* postquàm responsum fuerit *Amen*.

8. Si oratio dirigatur ad Patrem, concluditur *Per Dominum*: Si ad Filium: *Qui vivis*... Si in principio fiat mentio Filii: *Per eumdem Dom.* Si verò in fine: *Qui tecum vivit*... Si fiat mentio Spiritûs Sancti: *in unitate ejusdem Spiritûs Sancti*.

§. 15.

De Precibus.

1. Preces feriales ad Laudes et ad Vesperas post *aut.* ad *Magnif.* et ad *Bened.* dicuntur tantùm quandò fit officium de feriâ extra tempus paschale.

2. In Adventu, in Quadragesimâ, in Quatuor Temp. excepto infra Octav. Pentecostes, et in Vigiliis (præterquàm in Vigil. SS. Partûs, Epiph. et Assumptionis), recitantur flexis genibus.

3. Preces ad Primam, et ad Complet. dicuntur quandò non fit officium duplex, vel de infraoctav. et flexis genibus in advent. in Quadrages. ut in Laudibus.

§. 16.

De Suffragiis Sanctorum.

1. Suffragia Sanctorum dicuntur extra tempora Prægnationis, Puerperii, Vitæ dolorosæ et gaudiosæ post orationem in Vesper. et Laudib. in semiduplicibus, in simplicibus, in dominicis et in feriis.

2. In duplicibus, in diebus infraoctav. et in temporibus supra citatis, suffragia Sanctorum omittuntur.

§. 17.

De Canone.

1. Quotidiè in Primâ præterquàm in triduo majoris Hebdomadæ, post Absolutionem et Benedictionem legitur Canon cum suo titulo.

2. In dominicis et feriis legitur ut in Proprio de Tempore juxta tempora et feriæ diversitatem, quod idem observatur in festis proprium Canonem non habentibus.

3. Quandò omittitur aliqua Dominica cum suâ hebdomadâ, Canones totius hebdomadæ quæ illam sequuntur, etiàm omittuntur.

4. Canones dominicarum et feriarum Februari, quandò hæ dominicæ et feriæ venerint post Septuagesimam, transferuntur qui lecti non fuerint, ad ultimas Dominicas et Hebdomadas post Pentecostem, eorum ordine servato.

5. In fine Canonis semper dicitur: *Tu autem, Domina nostra, intercede pro nobis*: et respondetur: *Deo gratias*.

§. 18.

De Oratione Dominicâ. Pater noster.

1. Oratio dominicâ dicitur secretò post psalmos in quolibet nocturno: in fine Laudum ante *antiph.* de Tempore: in Primâ post orationem *Sancta MARIA*: in Completor. post eamdem antiphonam, et tandem ante preces, quandò dicendæ sunt.

2. Quandò dicitur, solùm profertur clarâ voce: *Pater noster*, et ultima verba: *Et ne nos... Sed libera*, ante et post antiphon. B. V. dicitur tota secretò.

§. 19.

De Salutatione angelicâ.

1. Salutatio angelica Ave MARIA semper dicitur secretò ante omnes horas, præterquàm in Completorio, in cujus initio omittitur, sed dicitur in ejus fine una cum *Pater nost.* et Symbolo Apostol.

§. 20.

De Antiphonâ B. Virginis.

1. Antiphonæ Beatæ MARIÆ, vel de temporæ positæ in fine Psalterii, dicuntur pro temporis diversitate, ut ibi; annotatur, (præterquàm intriduo ante Pascham) in fine Laudum, sive ultimæ horæ, et in fine Complet.

2. Dicuntur autem flexis genibus, excepto die dominicâ à primis

vesperis, et toto tempore paschali.

§. 20.

De Symbolo Apostolorum.

1. Symbolum Apostolorum *Credo* dicitur quotidiè in fine Completorii dicto *Pater noster* et *Ave Mar.*

2. Terminatur officium cum oratione *Sacrosanctæ* et *alio Pater et Ave.*

Caput IV.

De Officio Parvo.

§. 1.

De Officio parvo Immaculatæ Conceptionis.

1. Hoc officium parvum dicitur in Sabbatis per annum, quando fit officium de Sabbato.

2. In Sabbatis Quadragesimæ et Vitæ gaudiosæ seu tempore paschali non dicitur.

3. Quandò dici debeat, in Matutinis et in Vesperis præponitur officio diei, et in aliis horis postponitur.

4. Cum postponatur, recitari debet post ℣. *Benedicamus Domino*, etiàm in Primâ, et tunc finitâ Primâ officii Parvi, concluditur Prima feriæ.

5. Quomodò autem recitari debeat, in proprio loco dicitur.

§. 2.

De Officio Parvo septem Dolorem.

1. Hoc officium dicitur tantùm in feriis sextis Quadragesimæ; quando fiat officium de feriâ.

2. In aliis feriis sextis per annum omittitur, etsi fiat de feriâ, nisi dicatur ad libitum.

3. Quandò dici debeat, etiàm præponitur officio diei in Matutinis et in Vesperis, et dicitur post ℣. *Benedicamus Domino*, ut in alio officio parvo ordinatur.

4. Post Completorium hujus officii recitantur Litaniæ septem Dolorum.

TABELLA FESTIVITATUM

JUXTA RITUS QUALITATEM.

DUPLICIA I. CLASSIS.

—

Nativitas B. M. V.
Encænia omnium Eccles. B. V.
Omnes Festivitates B. V. M.
Præsentatio B. M. V.
Conceptio immaculata B. V.
Partus B. M. V.
Epiphania Domini.
Desponsatio B. V. M.
Purificatio B. V. M.
Annuntiatio B. V. M.
Feria V. in Cœna Domini.
Feria VI. in Parasceve.
Sabbatum Sanctum.
Dominica Resurrectionis.
Feria II. post Pasch.
Feria III. post Pasch.
Ascensio Domini.
Pentecostes.
Feria II. post Pent.
Feria III. post Pent.
SS. Corpus Christi.
Visitatio B. M. V.
Assumptio B. M. V.
SS. Cor B. M. V.

DUPLICIA II. CLASSIS.

—

Prædestinatio B. V. M. ab æterno.
Septem dolores B. V. M.
Oblatio B. V. M. in Templ.
Circumcisio Domini.
Baptismus B. V. M.
Martyrium B. V. M.

SS. Sponsus B. V. M.
Virginitas B. V. M.
Coronatio B. V. M.

DUPLICIA MAJORA.

—

Expectatio Nativ. B. V.
Præsignatio B. V. M.
B. V. in utero materno.
Octava Nativit. B. V.
B. V. de Mercede.
Misericordia B. V. M.
SS. Oculi B. V. M.
SS. Rosarium B. V. M.
B. V. de Columnâ.
Octava Encæniarum.
Puritas B. V. M.
Septem dona B. V. M.
D. V. Deritus. de Cingulo.
Octava omnium Festiv.
Patrocin. B. V. M.
Sept. Virtut. B. V.
Octava Præsentation.
Annunt. Concept. B. V.
Translatio domûs B. V. M.
Octava Immac. Concept.
Expectatio Partûs B. V. M.
SS. Uterus B. V. M.
Maternitas B. V. M.
Octava Epiphaniæ.
SS. Ubera B. V. M.
Decem Benaplacita B. V.
Dolor B. V. in Sim. Prophet.
Octava Purificationis.
Fuga in Ægyptum.
Vita interior B. V.
Reversio de Ægypto.
SS. Capilli B. V. M.
Amissio pueri JESU.
Inventio pueri JESU.
Octava Annuntiationis.
Gaudia B. V. M.
Nobilitas B. V. M.
Auxilium Christianor.
Septem verba B. V. M.
Pulchritudo B. V. M
Octava Ascensionis.
Octava SS. Corporis Chr.
Octava Visitationis.
B. V. de Monte Carmelo.
SS. Parentes B. V. M.
SS. Corpus B. V. M.
Dedicat. ad Nives.
Viduitas B. V. M.
SS. Vita B. V. M.
Feliciss. Obitus B. V.
Exaltatio B. V. M.
Beatitudo B. V.
Octava Assumption.
SS. Reliquiæ B. V.

Festa Duplicia, Semiduplicia et Simplicia assignata jam in Kalendario non annotantur.

DOMINICÆ

in quibus fit Duplex.

Dominica Resurrect.
Dominica in Albis.
Domin. Pentecostes.

DOMINICÆ

Semidupl. I. Classis quæ nunquam omittuntur.

—

Dom. I. Infantiæ.
Dom. I. Prægnationis.
Dom. I. Quadrages.
Dom. I. Passionis.
Domin. Palmarum.

DOMINICÆ

Semid. II. Classis quæ non omittuntur nisi in Duplicibus I. Classis.

—

Dom. II. III. et IV. Prægnat.
Domin. infra oct. SS. Part.
Dom. Septuagesimæ.
Dom. Sexagesimæ.
Dom. Quinquagesimæ.
Dom. II. III. et IV. Quadr.

FERLÆ MAJORES.

Quæ nunquàm omittuntur.

—

Feria IV. Cinerum.
Feriæ majoris Hebdom.

FERLÆ.

De quibus saltem fit. Comm.

Quatuor tempora.
Feria II. Rogatior.
Vigiliæ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ORATIO

Dicenda ante officium, id est, ante Matutinum.

Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum, *et ad laudandum et invocandum sanctissimam Genitricem tuam*: munda quoquè cor meum ab omnibus vanis, perversis et alienis cogitationibus: intellectum illumina, affectum inflamma, ut dignè, attente ac devotè *has ejus laudes recitare valeam*, et, *ipsâ intercedente*, exaudiri merear ante conspectum divinæ Majestatis tuæ. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO

Dicenda in fine Officii, id est, post Completorum.

Sacrosanctæ et individuæ Trinitati, crucifixi Domini nostri JESU-Christi humanitati, beatissimæ et gloriosissimæ, semperque Virginis MARIÆ fœcundæ integritati, et omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus et gloria ab omni creaturâ, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Beata viscera MARIÆ Virginis quæ portaverunt æterni Patris Filium.
℟. Et beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum.
Pater. Ave. Credo.

PSALTERIUM

DISPOSITUM

PER HEBDOMADAM

CUM ORDINARIO OFFICII DE TEMPORE.

DOMINICA.

AD MATUTINUM.

Ante Matutinum, et omnes Horas, præterquàm ad Completorium, dicitur secretò:

Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui JESUS. Sancta MARIA, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in horâ mortis nostræ. Amen.

Deindè clarâ voce dicitur.

℣. Domine, labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus, in adjutorium meum intende.
℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Allelúia.

Loco Allelúia *à Septuagesimâ usque ad Pascha dicitur*: Laus tibi, Domine Rex æternæ gloriæ.

Invitatorium. Ave MARIA, gratiâ plena: ' Dominus tecum. *Repetitur.* Ave MARIA, gratiâ plena: Dominus tecum.

PSALMUS INVITATORIUS.

Venite, exultemus MARIÆ, jubilemus Dominæ Reginæ nostræ: præcupemus faciem ejus in jubilatione, et in canticis collaudemus eam.

Ave MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Quoniàm Imperatrix magna et advocata potens super omnes Sanctos: quoniàm non repellet Dominus preces MARIÆ, quia in manu ejus posuit thesauros gratiarum, et miserias nostras ipsa conspicit.

Dominus tecum.

Quoniàm MARIA est Mater nostra, et protegit filios diligentes ipsam: venite, adoremus, et procidamus ante eam: confiteamur illi cum fletibus peccata nostra, quoniàm populus summus MARIÆ, et oves pascuæ ejus.

Ave MARIA, gratiâ plena: Dominus tecum.

Hodiè si exultabimus salutiferæ Dominæ nostræ: jubilabimus in lætitiâ cordis nostri, quoniàm impetrabit nobis indulgentiam plenam, et assistet pro nobis ante tribunal Dei.

Dominus tecum.

Cantemus ergò gloriosæ Genitri-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ORATIO

Dicenda ante officium, id est, ante Matutinum.

Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum, *et ad laudandum et invocandum sanctissimam Genitricem tuam*: munda quoquè cor meum ab omnibus vanis, perversis et alienis cogitationibus: intellectum illumina, affectum inflamma, ut dignè, attente ac devotè *has ejus laudes recitare valeam*, et, *ipsâ intercedente*, exaudiri merear ante conspectum divinæ Majestatis tuæ. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO

Dicenda in fine Officii, id est, post Completorum.

Sacrosanctæ et individuæ Trinitati, crucifixi Domini nostri JESU-Christi humanitati, beatissimæ et gloriosissimæ, semperque Virginis MARIÆ fœcundæ integritati, et omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus et gloria ab omni creaturâ, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Beata viscera MARIÆ Virginis quæ portaverunt æterni Patris Filium.
℟. Et beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum.
Pater. Ave. Credo.

PSALTERIUM

DISPOSITUM

PER HEBDOMADAM

CUM ORDINARIO OFFICII DE TEMPORE.

DOMINICA.

AD MATUTINUM.

Ante Matutinum, et omnes Horas, præterquàm ad Completorium, dicitur secretò:

Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui JESUS. Sancta MARIA, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in horâ mortis nostræ. Amen.

Deindè clarâ voce dicitur.

℣. Domine, labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus, in adjutorium meum intende.
℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Allelúia.

Loco Allelúia *à Septuagesimâ usque ad Pascha dicitur*: Laus tibi, Domine Rex æternæ gloriæ.

Invitatorium. Ave MARIA, gratiâ plena: ' Dominus tecum. *Repetitur.* Ave MARIA, gratiâ plena: Dominus tecum.

PSALMUS INVITATORIUS.

Venite, exultemus MARIÆ, jubilemus Dominæ Reginæ nostræ: præcupemus faciem ejus in jubilatione, et in canticis collaudemus eam.

Ave MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Quoniàm Imperatrix magna et advocata potens super omnes Sanctos: quoniàm non repellet Dominus preces MARIÆ, quia in manu ejus posuit thesauros gratiarum, et miserias nostras ipsa conspicit.

Dominus tecum.

Quoniàm MARIA est Mater nostra, et protegit filios diligentes ipsam: venite, adoremus, et procidamus ante eam: confiteamur illi cum fletibus peccata nostra, quoniàm populus summus MARIÆ, et oves pascuæ ejus.

Ave MARIA, gratiâ plena: Dominus tecum.

Hodiè si exultabimus salutiferæ Dominæ nostræ: jubilabimus in lætitiâ cordis nostri, quoniàm impetrabit nobis indulgentiam plenam, et assistet pro nobis ante tribunal Dei.

Dominus tecum.

Cantemus ergò gloriosæ Genitri-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ci Dei, in hymnis et confessionibus benedicamus eam, quia suscipiet in fine animas nostras, et introducet nos in requiem æternam.

Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Dominus tecum.

Ave MARIA, gratiâ plena.

Dominus tecum.

HYMNUS 1. *Ex quod. Devot.*

Salve, Regina Empirei,
Mater misericordiæ,
Unica spes mortalium,
Et vera fons dulcedinis.
Nos Evæ filii exules
Voces clamantes mittimus,
Et suspirantes gemimus
In valle plenâ lacrymis.
Eja advocata pauperum,
Eja lux alma in tenebris,
Vultum gratiosi luminis
Converte, ô cara Genitrix.
Fructum tui ventris virginis,
Quem nos videre cupimus,
Ostende post exilium
In sempiterna sæcula.

Doxologia de tempore.

IN I. NOCTURNO.

Per ann. antiph. Qui me invenerit. *Temp. advent.* Missus est. *Temp. pasch.* Convertisti.

PSALM. 1.

Beatus vir, qui diligit nomen tuum, MARIA Virgo: ' gratia tua animam ejus confortabit.

' Tanquàm lignum aquarum fontibus irrigatum uberrimè: ' in eo fructum justitiæ propagabis.

Benedicta tu inter mulieres, ' propter humilitatem et credulitatem cordis sancti tui.

Universas enim feminas vincis pulchritudine carnis: ' superas Angelos et Archangelos excellentiâ sanctitatis.

Misericordia tua et gratia ubiquè prædicatur: ' Deus operibus manuum tuarum benedixit.

Gloria Patri, et Filio, ' et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc et semper: ' et in sæcula sæculorum. Amen.

Sic dicitur semper in fine cujuslibet Psalmi, nisi aliter notetur.

Per annum ant. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem à Domino.

Ant. Qui audit me.

Temp. adv. ant. Missus est Angelus Gabriel ad MARIAM Virginem, desponsatam JOSEPH.

Ant. Ne timeas.

PSALM. 2.

Quarè fremuerunt inimici nostri: ' adversùm nos meditati sunt inania.

Protegat nos dextera tua, Mater Dei: ' ut acies terribilis confundens et destruens eos.

Venite ad eam omnes qui laboratis, et tribulati estis: ' et dabit refrigerium animabus vestris.

Accedite ad eam in tentationibus vestris: ' et stabiliet vos serenitas vultûs ejus.

Benedicite illam in toto corde vestro: ' misericordiâ enim illius plena est terra.

Per ann. ant. Qui audit me, non confundetur, et qui operantur in me, non peccabunt.

Ant. Qui eluciant me.

Temp. adv. ant. Ne timeas, MARIA, invenisti enim gratiam apud Dominum. *Antip.* Dabit.

PSALM. 3.

Domina, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? ' in potestate tuâ persequeris, et dissipabis eos.

Dissolve collizationes impietatis nostræ: ' tolle fasciculos peccatorum nostrorum.

Miserere mei, Domina, et sana infirmitatem meam: ' tolle dolorem et angustiam cordis mei.

Ne tradas me manibus inimicorum meorum: ' et in die mortis conforta animam meam.

Deduc me ad portum salutis: ' et spiritum meum redde factori, et creatori meo.

Per ann. ant. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterèa benedixit te Deus in æternum.

Temp. adv. ant. Dabit Filio tuo Deus sedem David patris ejus, et regnabit in æternum.

℣. Angelus Domini nuntiavit MARIÆ.

℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

Temp. pasc. ant. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, alleluia, alleluia.

℣. Surge, Domine, in requiem tuam, alleluia.

℟. Tu et arca sanctificationis tuæ, alleluia.

Pater noster, *dicitur secretò.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

Absolutio.

Exaudi, Domina, preces servorum tuorum, et intercede pro nobis, quæ Mater es Filii Dei excelsi. ℟. Amen.

Jube Domne benedicere.

Benedictio. Benedictione perpetuâ benedicat nos Virgo Mater Dei. ℟. Amen.

Deindè leguntur Lectiones de Scripturâ cum Responsoriis, ut in proprio de tempore assignantur.

Pro 2. Lectione Benedictio. Primogenita Dei Filia nos benedicere, et adjuvare dignetur. ℟. Amen.

Pro 3. Lectione Benedictio. Spiritûs Sancti Sponsa in amore Dei accendat corda nostra. ℟. Amen.

IN II. NOCT.

Per ann. ant. Benedicta.

Temp. adv. ant. Quomodò.

Temp. pasc. ant. Secundum.

PSALM. 5.

Verba mea auribus percipe, Domina: ' et ne avertas à me speciositatem vultûs tui.

Converte luctum nostrum in gaudium: ' et tribulationem nostram in jubilationem.

Corruant ante pedes nostros inimici nostri: ' virtute tuâ eorum capita conterantur.

Benedicat te omnis lingua: ' et nomen sanctum tuum confiteatur omnis caro.

Spiritus enim tuus super mel dulcis: ' et hæreditas tua super mel et favum.

Per ann. ant. Benedicta tu Filia à Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus.

Ant. Quia fecit.

Temp. adv. ant. Quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco? *Ant.* Spiritus Sanctus.

PSALM. 7.

Domina mea, in te speravi: ' de inimicis meis libera me, Domina.

Conclude ora leonis, et dentes ejus: ' et labia persequentium constringe.

Non moreris propter nomen tuum: ' facere nobis misericordiam tuam.

Splendor vultûs tui fulgeat super nos: ' ut serenetur conscientia nostra apud Altissimum.

Si persequatur inimicus animam meam, Domina: ' adjutorio tuo conforter, ne vibret gladium suum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

contra me.

Per ann. ant. Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. *Ant.* Ecce enim.

Temp. adv. ant. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Ant.* Et quod.

PSALM. 8.

Domina, Dominus noster factus est Frater noster, * et Salvator noster.

Ut ignis in rubo, et ros in vellere, * descendit in te æternum Verbum Dei.

Spiritu Sancto fecundante, * obumbravit tibi virtus Altissimi.

Benedictus sit mundissimus conceptus tuus: * benedictus sit partus tuus virgineus.

Benedicta sit munditia carnis tuæ: * benedicta sit dulcedo misericordiæ cordis tui.

Per ann. ant. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Temp. adv. ant. Et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

℣. Ecce ancilla Domini.

℟. Fiat mihi secundum verbum tuum.

Temp. pasc. ant. Secundum multitudinem dolorum meorum, alleluia, consolationes tuæ, alleluia, lætificaverunt animam meam, alleluia, alleluia.

℣. Surrexit Dominus de sepulchro, alleluia.

℟. Et apparuit Matri suæ, allel.

Pater nost. *Secretò.* ℣. Et ne nos. ℟. Sed libera.

Absolutio. Ipsius pietas et misericordia nos adjuvet, quæ præ-

dilecta Filia est Dei Patris.

℟. Amen.

Jube Domne benedicere.

Benedictio. Dei Mater omnipotentis sit nobis propitia et clemens.

℟. Amen.

Deindè leguntur Lectiones et ℣ℊ. quæ in proprio loco assignantur.

Pro 5. *Lect. Bened.* Filia Dei MARIA perpetuæ obtineat nobis gaudia vitæ. ℟. Amen.

Pro 6. *Lect. Bened.* Ignem divini amoris accendat MARIA in cordibus nostris. ℟. Amen.

IN III. NOCT.

Per annum ant. In conspectu.

Temp. adv. ant. Ecce Virgo.

Temp. pasc. ant. Venite.

PSALM. 10.

In Domînâ confido * propter dulcedinem misericordiæ nominis sui.

Oculi ejus in pauperem respiciunt, * et manus ejus ad pupillum et viduam sunt extentæ.

Exsurgite illam à juventute vestrâ, * et glorificabit vos ante faciem populorum.

Misericordia illius nostrorum auferat multitudinem peccatorum, * et fœcundilatem nobis conferat meritorum.

Extende ad nos brachium tuum, Virgo gloriosa, * et ne avertas à nobis gloriosum vultum tuum.

Per ann. ant. In conspectu Angelorum psallam tibi, Domina gentium. *Ant.* Arripe illam.

Temp. adv. ant. Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Ant.* Concipies.

PSALM. 12.

Usquequò, Domina, oblivisceris me, * et non liberas me in die tribulationis?

Usquequò exaltabitur inimicus meus super me? * potentiâ virtu-

tis tuæ contere ipsum.

Aperi oculos misericordiæ tuæ: * ne inimicus noster adversùs nos prævaleat.

Magnificamus te gratiæ inventricem, * per quam sæcula reparantur.

Exaltata super choros Angelorum: * ante thronum Dei ora pro nobis.

Per ann. ant. Arripe illam, et exaltabit te, cum eam fueris amplexatus. *ant.* Tenui eam.

Temp. adv. ant. Concipies Virgo, et paries Deum pariter et hominem. *Ant.* Paries Filium.

PSALM. 14.

Domina, quis habitabit in tabernaculo Dei? * aut quis requiescet cum senatoribus populi?

Pauperes spiritu et mundo corde: * mites, pacifici, atque lugentes.

Recordare, Domina, ut loquaris pro nobis bona: * et indignationem Filii tui avertas à nobis.

Amplectamur MARIÆ vestigia peccatores: * et ejus beatis pedibus provolvamur.

Teneamus eam fortiter, nec dimittamus, * donec ab eâ meruerimus benedici.

Per ann. ant. Tenui eam, nec dimittam, donec benedixerit mihi.

℣. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ.

℟. Et innumerabilis honestas per manus illius.

Temp. adv. ant. Paries Filium, et virginitatis non patieris detrimentum.

℣. Et Verbum caro factum est.

℟. Et habitavit in nobis.

Temp. pasc. ant. Venite, audite, et narrabo, quanta fecit Deus animæ meæ, alleluia.

℣. Adjuvabit eam Deus, allel.

℟. Manè diluculò, alleluia.

Pater nost. *Secret.* ℣. Et ne nos. ℟. Sed libera.

Absolutio. A vinculis peccatorum nostrorum dissolvat nos Sponsa Spiritûs Sancti, Regina cœlorum.

℟. Amen.

Jube Domne benedicere.

Benedictio. Evangelica lectio sit nobis salus, et protectio. ℟. Amen.

Nunc legitur Evangelium convenions, cum Homilia.

Pro 8. *Lect. Bened.* Cujus laudes canimus, ipsa Virgo Virginum intercedat pro nobis ad Dominum. ℟. Amen.

Pro 9. *Lect. Bend.* Per Virginem Matrem concedat nobis Dominus salutem et pacem. ℟. Amen.

Sequens Canticum semper dicitur in fine Matutini, præterquàm in Adventu seu tempore Præquationis B. M. in Dominicis à Septuagesimâ usque ad Paschan, et in feriali officio extra tempus paschale.

In festis verò novem lectionum, etiàm in Adventu, et in Quadragesimâ, et toto tempore paschali, etiàm in feriali officio, exceptâ feriâ secundâ rogationum, semper dicitur.

CANTICUM 1.

S. Bonaventuræ ad instar illius in SS. Ambrosii et Augustini.

Te Matrem Dei laudamus: * te MARIAM Virginem profitemur.

Te æternum Patris Filiam * omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli et Archangeli: * tibi Throni et Principatus fidèliter deserviunt.

Tibi omnes Potestates, et omnes Virtutes cœlorum * et universæ Dominationes obediunt.

Tibi omnes Chori, * tibi Cherubim et Seraphim exultantes assistunt.

Tibi omnis angelica creatura *

incessabili voce proclamat.

Sancta.

Sancta.

Sancta MARIA * Dei Genitrix, et Mater, et Virgo.

Pleni sunt cœli et terra * majestatis fructûs ventris tui.

Te gloriosus Apostolorum chorus * sui creatoris Matrem collaudat.

Te beatorum Martyrum cœtus candidatus * Christi Genitricem glorificat.

Te gloriosus Confessorum exercitus * Trinitatis templum appellat.

Te sanctorum Virginum chorea amabilis * virginitatis et humilitatis exemplum prædicat.

Te tota cœlestis curia * Reginam honorat.

Te per universum orbem * Ecclesia invocando concelebrat.

Matrem * divinæ Majestatis.

Venerandam te veram * Regis cœlestis Puerperam.

Sanctam quoquè, * dulcem et piam.

Tu Angelorum Domina, * tu paradisi janua.

Tu scala * regni cœlestis et gloriæ.

Tu thalamus, * tu arca pietatis et gratiæ.

Tu vena misericordiæ, * tu Sponsa et Mater Regis æterni.

Tu templum et sacrarium Spiritûs Sancti: * totius beatissimæ Trinitatis nobile triclinium.

Tu mediatrix Dei et hominum: * amatrix mortalium, cœlestis illuminatrix.

Tu agonizalrix pugnantium, advocata pauperum: * miseratrix et refugium peccatorum.

Tu eregatrix munerum, * superatrix ac terror dæmonum et superborum.

Tu mundi Domina, cœli Regina: * post Deum sola spes nostra.

Tu salus te invocantium, * portus naufragantium, pereuntium refugium.

Tu Mater omnium beatorum, * gaudium plenum post Deum, omnium supernorum civium solatium.

Tu promotrix justorum, * congregatrix errantium, promissio Patriarcharum.

Tu veritas Prophetarum, * præconium et doctrix Apostolorum, magistra Evangelistarum.

Tu fortitudo Martyrum, * exemplar Confessorum, honor et festivitas Virginum.

Tu ad liberandum exulem hominem, * Filium Dei suscepisti in uterum.

Per te, expugnato hoste antiquo, * sunt aperta fidelibus regna cœlorum.

Tu cum Filio tuo sedes * ad dexteram Patris.

Tu ipsum pro nobis roga, Virgo MARIA, * quem nos ad judicandum credimus esse venturum.

Te ergo poscimus, tuis famulis subveni, * qui pretioso sanguine Filii tui redempti sumus.

Æternâ fac, pia Virgo, * cum sanctis tuis glorià numerari.

Salvum fac populum tuum, Domina, * ut simus participes hæreditatis Filii tui.

Et rege nos, * et custodi nos in æternum.

Per singulos dies, * o Pia, te salutamus.

Et laudare te cupimus * usque in æternum mente et voce.

Dignare, dulcis MARIA, * nunc et semper nos sine delicto conservare.

Miserere, Pia, nobis: * miserere nobis.

Fiat misericordia tua magna nobiscum, * qui in te, Virgo MARIA, confidimus.

In te, dulcis MARIA, speramus, * nos defendas in æternum.

Te decet laus, te decet imperium: * tibi virtus et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Hic non dicitur Gloria Patri. *In aliis canticis dicitur.*

AD LAUDES.

℣. Deus, in adjut. ℟. Domine, ad adj.—Gloria Patri.—Sicut erat.—Alleluia *vel* Laus tibi.

Per ann. ant. Surge.

In adv. aut. Egredietur.

Tamp. pasc. ant. Alleluia.

PSALM. 92.

Dominus regnavit, decorem induit: * Matremque suam ornamento coronavit virtutum.

Adimpleat propitiationem suam in nobis Mater pacis: * et viam æquitatis doceat servos suos.

Qui desideratis sapientiam Christi: * servite Matri ejus animo reverenti.

Quis satisfaciet enarrare opera tua, Domina? * et quis investigabit thesauros misericordiæ tuæ?

Sustine deficientes in tentationibus suis: * destina illos in sortem veritatis.

In adv. ant. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. *Ant.* Radix Jesse.

PSALM. 99.

Jubilate Dominæ nostræ omnes homines terræ: * servite illi in lætitiâ, et jucunditate.

In toto animo vestro accedite ad illam: * et in omni virtute vestrâ conservate vias ejus.

Investigate illam, et manifestabitur vobis: * estote mundi corde, et apprehendetis eam.

Quibus auxiliata fueris, Domina, erit refrigerium pacis: * et à quibus averteris vultum tuum, non erit spes ad salutem.

Recordare nostri, Domina, et non apprehendent nos mala: * succurre nobis in fine, et inveniemus vitam æternam.

In adv. ant. Radix Jesse, qui exurget judicare gentes, in eum gentes sperabunt. *Ant.* Virga Jesse.

PSALM. 62.

Deus, Deus meus; * per Matrem te glorificabo.

Virginaliter enim te concepit et sine angustiâ te parturivit:

Benedicta sis, ô Domina nostra: * et pro nobis assiste ante thronum Dei.

Species et claritas * in conspectu tuo.

Custodi animam meam, Domina: * ut nunquàm corruat in peccato.

Per ann. ant. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni. *Ant.* Ne dimittas eam.

In adv. ant. Virga Jesse beata Virgo est, et flos de radice ejus Christus Dominus. *ant.* Et requiescet. *Temp. pasc. ant.* Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. *ant.* Alleluia.

CANTICUM 2.

S. Bonaventuræ ad instar illius trium pueror. Dan. 3.

Benedicite omnia opera *Domini* Dominæ gloriosæ: * laudate et superexaltate eam in sæcula.

Benedicite Angeli Dominæ nostræ: * benedicite cœli Dominæ nostræ.

Benedicat omnis creatura Dominam nostram: * quam Rex sic voluit benedici.

Benedicta sis, ô summi Regis Filia, * quæ odore præis cuncta lilia.

Benedicta sis corona Dominarum omnium: * benedicta sis gloria Jerusalem.

Odor tuus sicut odor agri pleni,

UNIVERSIDAD DE NAVARRA DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cui benedixit Dominus: * qui in benedicentes te redundat, irrigans omnia intima eorum.

Qui benedixerit tibi, ô Virgo beata, * sit ille jugitèr benedictus.

Qui maledixerit tibi, rosa candidissima, * sit ille jugitèr maledictus.

Non recedat de domo servorum tuorum * vini et olei abundantia.

In nomine tuo omne genuflectatur * cœlestium, terrestrium et infernorum.

Benedicamus Deum, qui te creavit; * benedictus uterque Pater, qui te generavit.

Benedicta sis, Domina, in cœlo, et in terrâ: * laudabilis, et gloriosa, et superexaltata in sæcula.

Per ann. ant. Ne dimittas eam, et custodiet te: dilige eam, et conservabit te. *Ant.* Viæ ejus.

In adv. ant. Et requiescet super eum Spiritus sapientiæ et intellectûs. *Ant.* Exulta.

Temp. pasc. ant. Alleluia, gaudete omnes, alleluia, in resurrectione Christi, alleluia. *Ant.* Allel.

PSALM. 150.

Laudate Dominam in sanctis ejus: * laudate eam in virtutibus, et miraculis ejus.

Laudate eam cœtus Apostolorum: * laudate eam chori Patriarcharum et Prophetarum.

Laudate eam exercitus Martyrum: * laudate eam turbæ Doctorum et Confessorum.

Laudate eam in collegio Virginum et continentium: * laudate eam ordines Anachoritarum et Monachorum.

Laudate eam conventus Religiosorum omnium: * laudate eam omnes animæ civium supernorum: omnis spiritus laudet Dominam nostram.

Per ann. ant. Viæ ejus, viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ.

In adv. ant. Exulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem: ecce Virgo pariet Filium.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

CAPITULUM. *Pro v.* 8. 32.

Nunc ergo, filii, audite me: beati qui custodiunt vias meas: audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam.

℟. Deo gratias.

Sic respondetur semper in fine cujuslibet capituli.

HYMNUS 2.

Auroræ lux nos edocet
Laudare te, Deipara,
De cujus illæso sinu
Sol verus orbi prodiit.

Memento, Christe, corporis
De Matre sumpti Virgine:
Tibique carnis vinculo
Favere junctis diligas.

MARIA plena gratiâ,
Sis Mater in nos provida:
In morte nunc que filios
Semper benigna protege.

Mundi per æquor naufragum
Tu stella, quæ nos dirigis:
Ductu tuo da prosperos
Subire fines patriæ. Amen.

Doxologia de tempore.

Per ann. ℣. Ora pro nobis, Sancta Deigenitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

In adv. ℣. Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum.

℟. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

In præq. ℣. Veritas de terrâ orta est.

℟. Et justitia de cœlo prospexit.

Temp. pas. ℣. Regina cœli, lætare, Alleluia.

℟. Quia surrexit Filius tuus, alleluia.

CANTICUM 3.

S. Bonaventuræ ad instar illius Zachariæ. Luc. 1.

Benedicta sis, Domina et Mater Dei mei Israel: * quia per te visitavit, et fecit redemptionem plebis tuæ.

Et erexit unicornu salutaris castitatis tuæ: * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Isaiæ, * et aliorum sanctorum Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis præsta, Virginum Virgo: * et de manu omnium qui nos oderunt, pacem nobis tribue.

Et fac misericordiam pro parentibus et nobis: * ut memor sis testamenti omnipotentis Dei.

Quod juravit ad Patres nostros, * Abraham, et semini ejus in sæcula.

Ita sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati: * à quiete serviamus illi.

In sanctitate et justitiâ coram te: * omnibus diebus nostris.

Et tu, MARIA, Propheta Dei vocaberis: * quoniàm novisti, quod respexit humilitatem ancillæ suæ.

Per quam dedit scientiam salutis plebi ejus * in remissionem peccatorum.

Per viscera multitudinis misericordiæ tuæ, * visita nos, stella matutina oriens ex alto.

Illumina tenebras sedentium in umbrâ mortis: * et eas luce dilectissimi Filii tui digneris installare.

Miserere, clementissima Mater, nobis miseris peccatoribus: * qui retroacta peccata pœnitere negligimus, ac multa quotidiè pœnitenda committimus.

Deindè dicitur antiph. et oratio propria, et post eam (si id tempus requirit) fiunt commemorationes communes de S. Joseph etc, quæ positæ sunt in fine Psalterii.

In fine conclussionis orationis dicitur.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Deindè post Laudes (aut post ultimam Horam) dicto Pater noster *et* ℣. Dominus det nobis suam pacem. ℟. Et vitam æternam. Amen. *dicitur una ex antiphonis pro temporis diversitate, quæ ponuntur post Psalterium: quod quotidiè observatur post Laudes, et Completorium.*

AD PRIMAM.

Ave MARIA *secretò.* ℣. Deus, in adj. ℟. Dom. ad adj. Gloria Patr. Sicut, allel. *vel* Laus tibi, Dom.

HYMNUS 3.

Ortus refulgel lucifer
Fugans tenebras noctium:
Tu, sole amicta, Femina,
Mentium pelle caliginem.

Ac cœpta dum fluet dies,
O Virgo custos pervigil,
Quos sævus hostis obsidet,
Semper benigna protege.

Et cum dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit,
Placabilem tuâ prece
Fac esse nobis Filium.

Doxologia de Tempore.

Per ann. ant. Meum est. *In adv. ant.* Egredietur. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 53.

Domina, in nomine tuo salvum me fac: * et ab in justitiis meis libera me.

Ut non noceat mihi calliditas inimici: * sub umbrâ alarum tuarum protege me.

O Domina mea, adjuvame: *

gratiam tuam largire animæ meæ.

Voluntariè offeram tibi sacrificium laudis: ℣ et confitebor nomini tuo, quoniàm bonum est.

Quoniàm ex omni tribulatione liberabis me: ℣ et inimicos meos despiciet oculus meus.

PSALM. 118.

Beati immaculati in viâ, ℣ qui Matrem Domini imitantur.

Beati imitatores humilitatis ejus: ℣ beati participes imaginis illius.

Beati perscrutatores virtutum illius: ℣ beati conformes imagini illius.

Beati qui conceptum et partum illius venerantur: ℣ beati qui devotè ei famulantur.

Beati qui in eâ habent spem, et confidentiam: ℣ beati qui per illam suscipient felicitatem sempiternam.

1. DIVISIO. PSALMI 118.

Retribue servo tuo, et vivifica me: ℣ et faciam voluntatem tuam.

Incola ego sum in terrâ: ℣ nihil abscondas mihi de amore tuo.

Concupivit anima mea ℣ laudem tuam desiderare omni tempore.

Tu enim es salus mea in Domino? ℣ quæ me morti adjudicatum liberasti.

Quid pro his retribuam nisi me totum? ℣ Domina, suscipe me.

SYMBOLUM

D. Bonavent. ad instar illius S. Athanasii.

Non dicitur hoc symbolum, nisi quandò fit officium de Dominicâ.

Quicumque vult salvus esse, ℣ ante omnia opus est, ut teneat de MARIA firmam fidem.

Quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, ℣ absque dubio in æternum peribit.

Quoniàm ipsa sola Virgo manens peperit ℣ sola cunctas hæreses interemit.

Confundatur, et erubescat Hæbreus; ℣ qui dicit Christum ex JOSEPH semine esse natum.

Confundatur Manichæus; ℣ qui dicit Christum fictum habere corpus.

Palleat omnis, qui hoc ipsum aliundè, ℣ non de MARIA dicit assumpsisse.

Idem namque Filius, qui est Patris in divinis unigenitus: ℣ est verus unigenitus Virginis MARIÆ Filius.

In cœlis sine matre: ℣ in terris sine patre.

Nam sicut anima rationalis et caro propter unionem de homine verè nascitur: ℣ ita Deus et homo Christus de MARIA Virgine verè generatur.

Induens carnem de carne Virginis: ℣ quia sic genus humanum redimi congruebat.

Qui secundum divinitatem æqualis Patri: ℣ secundum verò humanitatem minor Patre.

Conceptus in utero Virginis MARIÆ, Angelo nuntiante, de Spiritu Sancto, ℣ nec tamen Spiritus Sanctus est Pater ejus.

Genitus in mundum sine pœnâ carnis Virginis Matris, ℣ quia sine delectatione carnis conceptus.

Quem lactuit Mater: ℣ ubere de cœlo pleno.

Quem circumstant Angeli obstetricum vice, ℣ nunciantes pastoribus gaudium magnum.

Hic à Magis muneribus adoratus, ℣ ab Herode in Ægyptum fugatus, à Joanne in Jordane baptizatus.

Traditus, captus, flagellatus, ℣ crucifixus, mortuus et sepultus.

Cum glorià resurrexit: ℣ ad cœlos ascendit.

Spiritum Sanctum in Discipulos, ℣ et in Matrem misit.

Quam demum ipse ad cœlos assumpsit, ℣ et sedet ad dexteram Filii, non cessans pro nobis exorare.

Hæc est fides de MARIA Virgine: ℣ quam nisi quisque fidelitèr, firmitèrque crediderit, salvus esse non poterit.

Per ann. aut. Meum est consilium, et æquitas; mea est prudentia, mea est fortitudo.

In ade. aut. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.

Temp. pasc. aut. Alleluia, alleluia, alleluia.

CAPITULUM. *Judith.* 13. 31.

Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniàm in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel.

℟. *brev.* Virgo Mater Dei vivi: ℣ Miserere nobis. Virgo Mater Dei vivi: miserere nobis.

In expectatione ℣. Quæ ventura es in mundum.

In infant. ℣. Quæ in tuâ infantiâ maximè Deo placuisti.

In ade. ℣. Quæ de Spiritu Sancto concepisti.

In puerper. ℣. Quæ Filium Dei peperisti.

In vit. contempl. ℣. Quæ optimam partem elegisti.

In passion. ℣. Quæ in passione Filii doloris gladio transfixa fuisti.

Temp. pasc. ℣. Quæ in resurrectione Filii tui lætata fuisti.

In vit. activ. ℣. Quæ sollicita salutis omnium fuisti.

In vit. glor. ℣. Quæ sedes ad dexteram Filii tui.

In Dedicat. ℣. Quæ domus Dei effecta fuisti.

Miserere nobis.—Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.—Virgo Mater Dei vivi: miserere nobis.

℣. Memento nostri, Domina.

℟. In beneplacito tuo.

Sequentes preces non dicuntur in Duplicibus, et infra octavas. Sed tunc dicto ℟. *brevi dicitur statim.*

℣. Domine, exaudi:

℟. Et clam. meus. *Cum orat.*

Kirie eleison. Christe eleison. Kirie eleison. Pater nost. *secretò.*

℣. Et ne nos. ℟. Sed libera nos.

℣. Et ego ad te, Domina mea, clamavi.

℟. Et manè oratio mea præveniet te.

℣. In matutinis meditabor in te.

℟. Quia fuisti adjutrix mea.

℣. Manè astabo tibi, et videbo.

℟. Quoniàm Mater misericordiarum tu es.

℣. Adjuva me, Domina, contra inimicum.

℟. Fac ut conteratur sub pedibus meis.

℣. Ne des illi potestatem in animâ meâ.

℟. Custodi omnia interiora et exteriora mea.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio de Laudibus, et post Orationem.

℣. In sæculum memoria ejus in benedictione.

℟. Immortalis est enim memoria illius.

Deindè absolutè sine Oremus dicitur.

Oratio.

Sancta MARIA, et omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari et salvari, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Kirie eleison. Christe eleison. Kirie eleison. Pater noster. *Secret.*

℣ Et ne nos inducas in tentationem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℣. Sed libera nos à malo.

Absolutio.

De sede majestatis suæ respiciat in nos, meritis tuis, Virgo MARIA, et dies nostros in suâ pace disponat omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Jube Domne benedicere.

Benedictio.

Alma Virgo Virginum nos benedicere et adjuvare dignetur. ℟. Amen.

Deindè legitur Canon cum titulo in festis, ut in proprio dic habetur: in feriis autem et in festivitatibus proprium canonem non habentibus, ut in propria de Tempore juxta temporis et feriæ diversitatem.

In fine canonis semper dicitur: Tu autem, Domina nostra, intercede pro nobis.

Et respondetur, Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

AD TERTIAM.

Ave Mar. ℣. Deus, in ad. ℟. Domine, ad adj.—Gloria.—Alleluia *vel* Laus tibi.

HYMNUS 4.

Horâ diei Tertiâ,
Quâ, Virgo, te requirimus,
Nos siste labis nescios,
Quem parturisti Filio.

Plaga cruenta criminis
Nos Eva læsos edidit:
Intacta Mater altera,
Defer salutem sontibus.

Doxologia de tempore.

Per ann. ant. Per me.

Temp. adv. ant. Radix Jesse.

Temp. pasc. ant. Alleluia.

PSALM. 118. DIV. 2.

Legem pone mihi, Domina, voluntatis tuæ, sanctarum sanctissima; ' et exquiram eam semper.

Deduc me in semitam miserationum tuarum, mulierum pulcherrima: ' quia ipsum volui.

Inclina animam meam ad superorum amorem, Domina: ' et non ad impudicitiam.

Ecce concupivi castimoniam tuam à juventute meâ: ' in misericordiâ tuâ confirma me.

Et observabo viam testimoniorum tuorum in sæculum: ' et scrutabor mandata Filii tui, quæ dilexi.

PSALM. 118. DIV. 3.

Memor esto verbi tui, Dominarum primiciera: ' in quo mihi spem dedisti.

Hæc in potestatum fluctibus tenuit me: ' quia eloquium tuum vivificabit me.

Circumdederunt me viri mendaces: ' et congregata sunt super me flagella, et ecce manus tua eripuit me.

Communicavi in bonis omnibus timentibus te: ' et custodientibus olimxè mandata tua.

Miserationibus tuis plena est terra: ' idcò viam justificationum tuarum exquisivi.

PSALM. 118. DIV. 4.

Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domina: ' de quo gaudent Angeli.

Disciplinam morum tuorum, et æquitatem tuam doce me: ' quia verbis tuis præ cunctis credidi.

Bonum mihi, quia onere tuo humiliasti me: ' sequar conversationem tuam.

Qui amant servientes tibi, venerabuntur: ' qui autem abominatus fuerit eos, ruet in æternum.

Veniant mihi sempèr guttæ clementiæ tuæ, et vivam: ' quia lex tua sancta meditatio mea est.

Per ann. ant. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.

In adv. ant. Radix Jesse, qui

exurget judicare gentes, in eum gentes sperabunt.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

CAPITULUM. *Judit.* 15. 10. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

℟. *Brev.* Qui me invenerit, ' Inveniet vitam.

Qui me. *repetitur.* ℣. Et hauriet salutem à Domino.—Inveniet.—Gloria.—Qui me inven.

℣. Transite ad me omnes. ℟. Et à generationibus meis implemini. *Oratio de Laudibus.*

AD SEXTAM.

Ave ℣. Deus, in. ℟. Domine, ad.—Glor. alleluia. *vel* Laus tibi.

HYMNUS 5.

Nos hora Sexta convocat,
Et te precemur admonet;
Virgo Dei puerpera,
Adsis preci, quam salvimus.

Christo sedes dum proxima,
Regnas et inter cœlites:
His de supernis fontibus
Effunde terris munera.

Doz de temp.

Per ann. ant. Filii.

In adv. ant. Virga Jesse.

Temp. pasc. ant. Alleluia.

PSALM. 118. DIV. 5.

Defecit in semitis tuis anima mea, Domina: ' et nisi miseratio maxima esset, perissem utique in infirmitate meâ.

Defecerunt oculi mei in contemplatione tuâ: ' velut uter in pruinâ, à te visa est anima mea.

Secundum bonitatem tuam vivifica me: ' et non dilivisear sermones tuos, quia tibi adhærere bonum est.

Dispositione tuâ perseverat mundus: ' quem tu cum Deo fundasti ab initio.

Tuus totus sum ego, Domina, salvum me fac: ' quoniàm desiderabiles erant laudes tuæ in tempore peregrinationis meæ.

PSALM. 118. DIV. 6.

Quomodò dilexi legem tuam, Domina: ' in conspectu meo sempèr.

Suavitatum tuarum affluentia cor meum alienavit à me: ' et caro mea mirabilitèr exultavit in te.

Quàm dulcia peccatoribus eloquia tua, Domina: ' super omnem melodiam refectio tua dulcis ori meo.

Illuminatio gressibus meis verbum tuum: ' et lumen inæffabile semitis meis.

Quotiès exasperaverunt me peccatores inferni, quia à charitate tuâ declinare nolui: ' ego autem speravi in te, Domina.

PSALM. 118. DIV. 7.

Iniquos odio habui: ' et legem tuam dilexi, Domina gratiosa.

Adjuva me, et salvus ero, Domina mundi: ' et meditabor honorificentiam mandatorum tuorum.

Fac me sempèr stare in timorè tuo: ' et ne tradas me, Virgo, calumniantibus me.

Vernaculus tuus sum ego: ' minimus in familiâ tuâ.

Custodi me, Domina, ' à negligentibus judicia justitiæ tuæ.

Contemnes omnes discedentes à judiciis tuis: ' quia injusta est conversatio eorum.

Per ann. ant. Filii, audite me: beati qui custodiunt vias meas.

In adv. ant. Virga Jesse beata Virgo est, et flos de radice ejus Christus Dominus.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

CAPITULUM. *Eccl.* 24. 23. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei fruc-

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Universitaria "A. Reyes"

tus honoris et honestatis.

℟. *Br.* Venerunt mihi omnia bona * Paritèr cum illâ.—Venerunt. ℣. Et inæstimabilis honestas per manus illius.—Paritèr.—Glor.—Vener.

℣. Longitudo dierum in dexterâ ejus.

℟. Et in sinistrâ illius divitiæ et gloria.

Oratio de Laud.

AD NONAM.

Ave. ℣. Dom. in ad. ℟. Dom. ad.—Glor.—Allel. *vel* Laus.

HYMNUS 6.

Dat hora Nona debitam
Laudem tibi, Virgo parens :
Fac, horâ dante ultimâ,
Tuo fruamur Filio.

Tu supplicando prævales,
Et obtines, quod postulas :
Ora, Deus nos pondere
Mortis perennis liberet.

Dox. de Temp.

Per ann. ant. Erat eleganti.

In adv. ant. Exulta satis.

Temp. pasc. ant. Alleluia.

PSALM. 118. DIV. 8.

Mirabilia testimonia tua, Mater alma: * et sermonibus tuis illuminatum est cor meum.

Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis : * filiæ regum cellaudant faciem tuam.

Ardens verbum labiorum tuorum vehementèr : * qui ad te properat, percipiet illud.

Arundo agitata sum in conspectu tuo; * tene me, Domina, sub jugo tuo, ne confundar.

Servientes tibi plùs aliis invadunt dracones inferni : * sed tu, Domina, defende nos.

PSALM. 118. DIV. 9.

Clamavi in toto corde meo ad te, Domina : * de necessitatibus meis clementèr eripe me.

Vocem gemitûs mei exaudi, Domina mea: * doce me, quid acceptum sit apud te omni tempore.

Longè à nescientibus te salus: * qui autem præstat in obsequio tuo, procùl fiet à perditione.

Misericordia tua rigat universum, Domina, * in salutari tuo vivifica me.

Initium eloquiorum tuorum veritas in æternum : * et legem tuam immaculatam non sum oblitus.

PSALM. 118. DIV. 10.

Principes persecuti sunt me gratis: * et ab invocatione tuâ trepidat spiritus malignus.

Pax multa observantibus nomen tuum, Mater Dei: * et non est illis scandalum.

Septenis horis decantavi tibi laudem, Domina : * juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret oratio mea in conspectu tuo: * ut non derelinquam te, Domina, omnibus diebus vitæ meæ.

Quoniàm viæ tuæ * misericordiæ et veritas.

Concupiscam in æternum laudare te, Domina: * cum docueris me justificationes tuas.

Per ann. ant. Erat eleganti aspectu nimis, et in omnibus famosissima.

In adv. ant. Exulta satis, filia Sion : jubila, tilia Jerusalem : ecce Virgo pariet filium.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

CAPITULUM. *Sap.* 7. 26.

Candor est lucis æternæ, et speculum sine maculâ Dei majestatis, et imago bonitatis illius.

℟. *brev.* In me gratia * Omnis viæ, et veritatis.—In me. ℣. In me omnis spes vitæ, et virtutis.—Omnis.—Gloria.—In me. ℣. Ego mater pulchræ dilectionis et timoris. ℟. Et agnitionis et sanctæ spei.

Oratio de Laudibus.

Sic quotidiè dicuntur Horæ, quandò fit officium de Domin. vel de feriâ. In festis autem antiphonæ, capitula, et ℟℟. brevia dicuntur, quandò non sunt propria, ut in communi festivitatum.

Temp. paschali et vitæ gloriosæ ad ℟℟. brev. additur Duplex Alleluia, *ut suo loco annotatur.*

DOMINICA AD VESPERAS.

Ave. ℣. Deus, in ad. ℟. Dom. ad. Glor.—Allel. *vel* Laus.

Per ann. ant. Astitit.

In adv. ant. Respexit.

Temp. pasc. ant. Surge.

PSALM. 109.

Dixit Dominus Dominæ nostræ; * sede, Mater mea, à dextris meis.

Bonitas et sanctitas placuerunt tibi: * ideò regnabis mecum in æternum.

Corona immortalitatis in capite sancto tuo: * cujus fulgor et gloria non exinguetur.

Miserere nostri, Domina, Mater lucis et splendoris: * illumina nos, Mater veritatis et virtutis.

De thesauris tuis infunde nobis sapientiam Dei : * et intellectum prudentiæ, et formam disciplinæ.

In adv. ant. Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ *ant.* Beatam.

Per ann. ant. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. *Ant.* Videntes.

Temp. pasc. ant. Surge, propera, amica mea, alleluia, columba mea, alleluia, formosa mea, allel. *ant.* Jam hiems.

PSALM. 110.

Confitebor tibi, Domina, in toto corde meo: * glorificabo te in totâ mente meâ.

Opera gratiæ tuæ commemorabuntur, * et testamentum misericordiæ tuæ ante thronum Dei.

Per te missa est redemptio à Deo: * populus pœnitens habebit spem salutis.

Intellectus bonus omnibus honorantibus te : * et sors illorum erit inter angelos pacis.

Gloriosum et admirabile est nomen tuum: * qui illud in corde retinent, non expavescent in puncto mortis.

Per ann. ant. Videntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt. *ant.* Favus.

In adv. ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi Dominus magna. *ant.* Fecit mihi.

Temp. pasc. ant. Jam hiems transiit, imber abiit et recessit, alleluia. *ant.* Flores.

PSALM. 111.

Beatus vir, qui timet Dominam, * et beatum cor, quod diligit illam.

Jucundus homo, qui non satiatur laude tuâ: * et à relatu virtutum tuarum non fatigatur.

Exortum est in corde illius lumen Dei: * Spiritus Sanctus illuminat intelligentiam ejus.

Disperge, Domina, gratiam tuam pauperibus tuis: * esurientes refove et egenos.

In memoriâ æternâ fiunt per te nomina: * ab auditu terribili non trepidet cor nostrum.

Per ann. ant. Favus distillans labia tua, mel et lac sub linguâ tuâ. *ant.* Hortus conclusus.

In adv. ant. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. *ant.* Benedictus.

Temp. pasc. ant. Flores apparuerunt in terrâ nostrâ, tempus putationis advenit, alleluia, alleluia, *ant.* Dilectus.

PSALM. 112.

Laudate, pueri, Matrem Dei : * glorificate, scnes, nomen ejus.

Benedicta sit MARIA, Mater

Christi: ' ipsa enim est via ad patriam sanctitatis.

Excelsus super Cherubim thronus ejus: ' et sedes ejus super cardines cœli.

Super humiles vultus ejus: ' et super confidentes in eâ aspectus illius.

Misericordia ejus super omnem carnem: ' et eleemosina ipsius usque ad extremum terræ.

Per can. ant. Hortus conclusus, fons signatus, putens aquarum viventium. *ant.* Regina.

In adv. ant. Benedicta tu inter mulieres, quæ credidisti verbis Archangeli. *ant.* Perficientur.

Temp. pasc. ant. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, alleluia. *ant.* Dilectus.

PSALM. 113.

In exitu animæ meæ de hoc mundo: ' occurre illi, Domina, et suscipe eam.

Consolare eam vultu sancto tuo: ' aspectus dæmonis non conturbet illam.

Esto illi scala ad regnum cœlorum: ' et iter rectum ad paradisum Dei.

Impetra ei à Patre indulgentiam pacis, ' et sedem lucis inter servos Dei.

Sustine devotos ante tribunal Christi: ' suscipe causam eorum in manibus tuis.

Per ann. ant. Regina mundi, Domina cœli, loquere Regi pro nobis.

In adv. ant. Perficientur in te omnia, quæ dicta sunt tibi à Domino.

Temp. pasc. ant. Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, alleluia.

CAPITULUM. *Prov.* 8. 32.

Nunc ergo, filii, audite me: beati qui custodiunt vias meas: audite disciplinam et estote sapientes, et nolite abjicere eam.

HYMNUS 7. *Brev. rom.*

Ave maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cœli porta.

Sumens illud ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.

Virgo singularis,
Inter omnes mitis:
Nos culpis solutos
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum:
Ut videntes JESUM,
Semper collætemur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

Per ann. ℣. Vultum tuum deprecabuntur.

℟. Omnes divites plebis.

In adv. ant. ℣. Prophetæ prædicaverunt.

℟. Nasci Salvatorem de Virgine MARIA.

In pœrp. ℣. Veritas de terrâ orta est.

℟. Et justitia de cœlo prospexit.

Temp. pasc. ℣. Gaude et lætare, Virgo MARIA, alleluia.

℟. Quia surrexit Dominus verè, alleluia.

CANTICUM *B. M. V. Luc.* 1.

Magnificat, ' anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus ' in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ' ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est, ' et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus à progenie in progenies ' timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: ' dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: ' et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: ' et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, ' recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros, ' Abraham, et semini ejus in sæcula.

Deindè dicitur antiphona et oratio propria, et fiunt (si id tempus requirit) commemorationes communes, ut in fine Psalterii.

AD COMPLETORIUM.

Absolutè incipitur.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus, in ad. ℟. Dom. ad. adj. Gloria. Allel. *vel* Laus. *Per annum ant.* Si dormieris. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 4.

Cum invocarem, exaudisti me, Domina, ' et è sublimi solio tuo dignata es mei recordare.

A rugientibus præparatis ad escam; ' et de manibus quærentium me, liberavit gratia tua.

Quoniàm benigna est misericordia et pietas tua: ' in omnes qui invocant nomen sanctum tuum.

Benedicta sis, Domina, in æternum: ' et majestas tua in sæculum.

Glorificate eam omnes gentes in virtute vestrâ: ' et cuncti populi terræ extollite magnificentiam ejus.

PSALM. 30.

In te, Domina, speravi, non confundar in æternum: ' in gratiâ tuâ suscipe me.

Inclina ad me aurem tuam: ' et in mœrore meo lætifica me.

Tu es fortitudo mea, et refugium meum: ' consolatio mea, et protectio mea.

Ad te, Domina, clamavi, dum tribularetur cor meum: ' et exaudisti me de vertice collium æternorum.

Educ me de laqueo, quem absconderunt mihi: ' quoniàm tu es adjutrix mea.

In manus tuas, Domina, commendo spiritum meum, ' totam vitam meam, et diem ultimum meum.

PSALM. 90.

Qui habitat in adjutorio Matris Dei: ' in protectione ipsius commorabitur.

Concursus hostis non nocebit ei: ' sagitta volans non tanget eum.

Quoniàm liberabit eum de laqueo insidiantis, ' et sub pennis suis proteget eum.

Clamate ad illam in periculis vestris, ' et flagellum non appropinquabit tabernaculo vestro.

Fructus gratiæ inveniet, qui speravit in illâ: ' porta paradisi reserabitur ei.

PSALM. 133.

Ecce nunc benedicite Dominam, ' omnes qui speratis in nomine sancto ejus.

Gaudete gaudio magno, qui exaltatis, et glorificatis eam: ' quia lætabimini ab ubertate consolationis ejus.

Ecce nunc inundante ubertate, declinabit ad vos, ' ad consolandum et lætificandum corda vestra.

Benedicite illam, omnes servi ejus, ' et memoriale sit in desiderio animæ vestræ.

Benedicite illam, omnes angeli et sancti Dei: ' laudate in sæcula mirabilia ejus.

Per ann. ant. Si dormieris, fili mi, sub protectione meâ, non timebis, quiesces, et suavis erit somnus tuus. *Temp. pas. ant.* Alleluia, alleluia, alleluia.

HYMNUS 8.

Virgineis titulis
Matris quæ jungis honores,
Hâc natos foveas
Nocte benigna tuos.
Fulgida stella maris,
Sæcli dum mergimur undis,
Sis lux in tenebris,
Et benè fida quies.
Si sopor obrepit,
Casti fac Mater amoris,
Cor vigilans uno
Spiret amore Dei.
O Regina potens,
Propriùs res aspice nostras:
Dicaris populi
Vita salusque tui.
Gloria summa Patri,
Compar sit gloria Nato
Quo peperit Virgo,
Gloria Spiritui. Amen.

CAPITULUM. *Prov.* 8. 34.

Beatus homo, qui audit me, et vigilat ad fores meas quotidiè, et observat ad postes ostii mei.

℟. *Cr.* In manus tuas, Domina, * Commendo spiritum meum.—In manus ℣. Totam vitam meam, et finem ultimum meum.—Commendo.—Gloria.—Tu.

℣. Custodi me, Domina, ut pupillam oculi.

℟. Sub umbrâ alarum tuarum protege me.

Ant. Custodi nos,

CANTICUM SIMEONIS. *Luc* 2.

Nunc dimittis servum tuum, Domine, * secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei * salutare tuum.

Quod parasti * ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium, * et gloriam plebis tuæ Israel.

Ant. Custodi nos, Domina, et absconde nos in corde tuo, ut sive vigilemus, sive dormiamus, toto nostro corde te diligamus.

Tempore pasch. et vitæ glor. additur. Alleluia, alleluia.

Sequentes preces non dicuntur in Duplicibus, et infra oct. sed tunc post antiph. dicitur.

℣. Dom. exaud. ℟. Et clamor. *et oratio ut infra.*

Kirie eleison, Christe eleison, Kirie eleison. Pater nost. *secretò.*

℣. Et ne nos ind. ℟. Sed liber.

℣. MARIA, Mater gratiæ, Mater misericordiæ.

℟. Tu nos ab hoste protege, et mortis horâ suscipe.

℣. Erue nos in die malâ.

℟. Et in die mortis ne oblviscaris animæ meæ.

℣. In exitu animæ meæ de hoc mundo.

℟. Occurre illi, Domina, et suscipe eam.

℣. Esto illi scala ad regnum cœlorum.

℟. Et iter rectum ad paradisum Dei.

℣. Domine, exaudi oration.

℟. Et clamor meus.

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui in sinu Beatissimæ Virginis MARIÆ requiescere dignatus es: da, quæsumus, nobis, ipsâ intercedente, ut inimici per noctem devitemus insidias, et tu sis nostra quies, et tutum præsidium. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Benedictio. Benedicat et custodiat nos Virgo MARIA, Mater Dei Filii, Filia Dei Patris, et Sponsa Dei Spiritûs Sancti. ℟. Amen.

Nunc statim dicitur una ex antiphonis pro temporis oportunitate, quæ ponuntur in fine Psalterii, et post antih. Pater, Ave, Credo.

Hoc modo dicitur quotidiè Completorium mutatis tantùm Psalmis, qui in singulis Feriis proprii inveniuntur, cum suâ antiph. Quod observatur etiàm in festis.

Antiph. ad Nunc dimittis. *in diebus infra hebdomadam, loco* Custodi nos. *dicitur hæc quæ sequitur.*

Sub tuum præsidium confugimus, Sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

Temp. Paschali et vitæ gloriosæ additur Alleluia, Alleluia.

In solemnitatibus Duplic. 1. Classis, Completorium dicitur omninò ut in Dominicâ tàm post prim. quàm post secund. Vesper. In duplicibus vero 2. Clas. Complet. de Dom. dicitur tantùm post prim. Vesper. Post secund. autem Psalm. Compl. dicuntur de fer. occurr, ut in aliis Dupl.

FERIA II.

AD MATUT.

Ave.

℣. Domine, labia. ℟. Et os meus.

℣. Deus, in ad. &c.

Invitatorium. Christum MARIÆ Filium,* Venite, adoremus. *Psalm. invit.* Venite exultemus. *p.* 1.

HYMNUS 9. *Apud de Benedict.*

Ave, suprema Virginum,
Magni Parentis Filia,
Et Sponsa sacri Flaminis,
Christique Mater inclita.
Vestita sole fulgido,
Quæ calce lunam subteris:
Et cincta stellis tempora
Splendescis intra regiam.
Tu Mosis arca mistica,
Suave manna continens:
Tu clausus hortus undiquè,
Turrisque munitissima.
Tu fortitudo Martyrum,
Decusque Confitentium:
Tu Virginum pulcherrima,
Regina cœlo præsides.
A te, Parens mitissima,
Opem gementes poscimus:
Dulcem præsare Filium,
Ut nostra tollat crimina.

Doxol. de tempore.

Sequentes novem Psalmi dividuntur in tres nocturnos, quandò fit officium novem lection. In officio simplici et feriali dicuntur per modum unius nocturni cum tribus antiphonis interpositis per annum, et cum unâ tantùm tempore pasch. Idem est observandum in aliis feriis.

Per ann. ant. Tibi debetur.

Temp. pasch. ant. Circumdedisti.

PSALM. 6.

Domina, ne infurore Dei sinas corripi me: * neque in irâ ejus judicari.

Propter honorem nominis tui, Domina, * propitietur nobis gloriosus fructus ventris tui.

De portâ inferi, et de ventre abyssi * tuis sanctis precibus libera nos.

Aperiantur nobis januæ sempiternæ, * ut enarremus in æternum mirabilia tua.

Quia non mortui, neque qui in inferno sunt laudabunt te, Domina: * sed qui tuâ gratiâ vitam æternam obtinebunt.

PSALM. 9.

Confitebor tibi, Domina, in toto corde meo: * et narrabo in populis laudem et gloriam tuam.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Tibi enim debetur gloria, * et gratiarum actio, et vox laudis.

Invenient gratiam peccatores apud Deum, * per te inventricem gratiæ et salutis.

Respirent ad indulgentiam humiles pœnitentes: * sana contritiones cordis eorum.

In pulchritudine pacis et requie opulentâ, * cibabis nos post laborem peregrinationis nostræ.

PSALM. 11.

Salvum me fac, Mater pulchræ dilectionis: * fons clementiæ, et dulcor pietatis.

Girum terræ sola circuis, * ut subvenias invocantibus te.

Pulchræ sunt viæ tuæ: * et semitæ tuæ pacificæ.

In te refulget species castitatis, * lumen justitiæ, et splendor veritatis.

Amicta solari lumine velut vestimento: * duodecim stellarum coronâ rutilas radianti.

Per ann. ant. Tibi debetur gloria, et gratiarum actio, et vox laudis. *ant.* Esto.

PSALM. 13.

Dixit insipiens adversarius noster in corde suo: * persequar, et comprehendam et interficiet eum manus mea.

Exurge, Domina, et prævені eum, et supplanta eum: * destrue omnes conatus illius.

Tuam pulchritudinem sol et luna mirantur: * tibi angelicæ potestates serviunt et famulantur.

Tuo tactu lenissimo sanantur infirmi: * tuo odore roseo mortui revivíscunt.

Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, * in tua se clausit viscera factus homo.

PSALM. 17.

Diligam te, Domina cœli et terræ: * et in gentibus nomen tuum invocabo.

Confitemini illi tribulati corde: * et roborabit vos contra inimicos vestros.

Stilla nobis, Dominaꝫ, gratiam uberum tuorum, * et manante lacte dulcedinis tuæ refice viscera puerorum tuorum.

Religiosi omnes honorate illam: * quia ipsa est adjutrix, et vestra specialis advocata.

Esto refrigerium nostrum, gloriosa Mater Christi; * quia tu es totius religionis mirabile firmamentum.

PSALM. 20.

Domina, in virtute tuâ lætabitur cor nostrum, * et in dulcedine nominis tui consolabitur anima nostra.

De sedibus tuis mitte nobis sapientiam, * per quam in omni veritate dulcitèr illustremur.

A carnalibus desideriis concede gratiam abstinendi; * ut lumen gratiæ in nostris cordibus oriatur.

Quàm dulcia diligentibus te eloquia tua, Domina, * quàm suaves sunt cogitationes tuæ.

Gloriam et honorem psallam tibi: * et in nomine tuo glorificabor in sæculum.

Per ann. ant. Esto refugium nostrum, et consolabitur anima nostra. *ann.* Dilexi.

PSALM. 25.

Judica me, Domina, quoniàm ab innocentiâ meâ digressus sum: * sed quia speravi in te, non infirmabor.

Ure cor meum igne amoris tui: * et cingulo castitatis restringe renes meos.

Quoniàm misericordia tua et clementia tua ante oculos meos: * et delectatus sum in voce laudis tuæ.

Domina, dilexi decorem faciei tuæ: * et veneratus sum suavem majestatem tuam.

Confitemini nomini ejus, quoniàm sanctum est: * enarrentur in sæculum mirabilia ejus.

PSALM. 27.

Ad te, Domina, clamabo, et exaudies me: * in voce laudis tuæ vivificabis me.

Miserere mei in die angustiæ meæ: * et in luce veritatis tuæ libera me.

Benedicta sis, ò Domina mea, * in finibus omnibus orbis terræ.

Sanctuarium, quod firmaverunt manus tuæ, * est sanctum templum corporis tui.

Conscientia tua munda, et immaculata est: * locus propitiationis et habitaculum sanctum.

PSALM. 32.

Exultate justi in Virgine MARIA: * et in rectitudine cordis collaudate eam.

Accedite ad eam cum reverentiâ et devotione: * et delectetur cor vestrum in salutatione ejus.

Impendite illi sacrificium laudis: * et inebriamini ab uberibus dilectionis illius.

Influit enim vobis radios suæ pietatis: * et clarificabit vos fulgore misericordiæ suæ.

Suavissimus est fructus illius: * in ore et corde sapientis dulcescit.

Per ann. ant. Dilexi, Domina, decorem faciei tuæ.

Per ann. ℣. Accedite ad eam, et illuminamini.

℟. Et facies vestra non confundetur.

In adv. ℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Temp. pasc. ant. Circumdedisti me lætitiâ, Domine, alleluia, allel.

℣. In resurrectione Christi, allel.

℟. Virgo MARIA lætata est, allel.

Deindè leguntur tres lectiones, quæ suis in locis assignantur pro temporis diversitate.

Absolutio. Exaudi, Domina.

Benedictiones: tres primæ, quæ ponuntur pro I. Noct. Dom. p. 3.

AD LAUDES.

℣. Deus, in ad. ℣. &c.

Per ann. ant. Liquore tuo.

Temp. pasc. ant. Alleluia.

PSALM. 38.

Dixi: custodiam vias meas, ò Domina: * cum per te gratia Christi fuit data.

Liquore tuo liquefactum est cor meum: * amore tuo inflammata sunt viscera mea.

Exaudi orationem meam, Domina, et deprecationem meam: * et contabescant adversarii mei.

Miserere mei de cœlis, et de altitudine throni tui: * et ne permittas me in valle miseriæ conturbari.

Custodi pedem meum, ne labatur; * et in fine meo sit præsens gratia tua.

Per ann. ant. Liquore tuo liquefactum est cor meum. *ant.* Sanctæ.

PSALM. 42.

Judica me, Domina, et discerne causam meam de gente perversâ: * à serpente maligno et dracone pestifero libera me.

Sancta fœcunditas tua disperdat eum: * beata virginitas tua conterat caput ejus.

Sanctæ preces tuæ corroborent nos contra draconem: * sancta merita tua exinaniant virtutem ejus.

Persecutorem animæ meæ mitte in abyssum: * puteus infernalis deglutiat eum viventem.

Ego autem, et anima mea in terrâ captivitatis meæ benedicam nomen tuum: * et conglorificabo te in sæcula sæculorum.

Per ann. ant. Sanctæ preces tuæ corroborent nos contra draconem. *ant.* Clarifica me.

PSALM. 66.

Deus misereatur nostri, et benedi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cat nobis: * per illam quæ eum genuit.

Miserere nostri, Domina, et ora pro nobis: * in sanctam lætitiam converte mœstitiam nostram.

Illumina me, stella maris: * clarificame, Virgo clarissima.

Extingue ardorem noxium cordis mei: * refrigera me gratiâ tuâ.

Protegat me semper gratia tua: * præsentia tua illustret finem meum.

Per ann. ant. Clarifica me, Virgo clarissima. *ant.* Ecce Domina.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia. *ant.* Alleluia.

CANTICUM 4.

S. Bonaventuræ instar illius Isaiæ. c. 12.

Confitebor tibi, Domina: * quoniàm per te placatus est mihi Dominus, et consolatus est me.

Ecce Domina salvatrix mea: * fiducialiter agam in te, et non timebo.

Quia fortitudo mea, et laus mea in Domino tu es: * et facta es mihi in salutem.

Hauriam aquas in gaudio de rivulo: * et semper invocabo nomen tuum.

Notas facite in populis virtutes Dominæ nostræ: * quia excelsum est valdè nomen ejus.

Exulta et lauda, totum genus humanum: * quia talem dedit tibi mediatricem Dominus Deus tuus.

Per ann. ant. Ecce Domina salvatrix mea, non timebo. *ant.* Exaltationes.

Temp. pasc. ant. Alleluia, in Dominâ meâ gaudebo semper, alleluia, *ant.* alleluia.

PSALM. 149.

Cantate Dominæ nostræ canticum novum: * laus ejus in congregatione justorum.

Lætentur cœli de glorià ejus: * insulæ maris et totus orbis.

Aqua et ignis laudent eam: * frigus et æstus, splendor et lumen.

Exaltationes ejus in gutture justorum, * et laudes ejus in ore triumphantium.

Civitas Dei, jucundare in illâ, * et pro incolis tuis frecuenta illi laudem.

Per ann. ant. Exaltationes ejus in cœtu triumphantium.

Temp. pasc. ant. Alleluia, allel. alleluia.

CAPITULUM. *Eccl. c.* 24. 16.

Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

HYMNUS 10. *Santeuil.*

Quis te canat mortalium,
Virgo Dei puerpera?
Adeste, puri spiritus,
Vestri sit illud muneris.

Quis inter augustissima
Mentis tuæ sacraria,
Dotes quis evolvet tuas
Et territus non hæreat?

Dic, Virgo, quæ vis traxerit
Patri coævum Filium
Ab hujus æterno sinu
Mortalis in Matris sinum?

Ad hos honorum te gradus
Non efferet simplex fides,
Non virginalis te pudor,
Nec igne fervens charitas.

Sed quæ sibi nunquàm placet,
Deò placens modestia:
Quâ jam tibi fis vilior,
Hâc digna fis Mater Dei.

Quàm celsa, quæ se deprimens
Altum Tonantem deprimet!
In te sui jam non memor
Descendet è cœlo Deus.

Doxologia de tempore.

Per ann. ℣. Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

In adv. ℣. Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum.

℟. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

In præg. ℣. Veritas de terrâ orta est.

℟. Et justitia de cœlo prospexit.

Ad. Benedict. *ant.* Tu MARIA, * propheta Dei vocaberis, quia respexit Deus humilitatem tuam.

Preces, ut in fine Psalterii, Oratio de Dom. præcedenti, et suffragia Sanctorum.

Temp. pasc. ℣. Regina cœli, lætare, alleluia.

℟. Quia surrexit Filius tuus, allel.

Ad. Benedic. *ant.* Surrexit Christus, * et apparuit Matri suæ, allel. alleluia.

Oratio de Dom. præc. quod semper observatur in fer. Off.

Horæ dicuntur quotidiè, prout notatum est in Dominicâ.

AD VESPERAS.

Ave. ℣. Deus, in adj. ℟. Dom. ad. &c.

Per ann. ant. Splendor. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 23.

Domini est terra et plenitudo ejus: * tu autem, sanctissima Mater, cum eo regnas in æternum.

Gloriam et decorem induisti: * omnis lapis pretiosus amictus, et operimentum tuum.

Splendor solis super caput tuum, * lunaris pulchritudo sub pedibus tuis.

Sidera micantia ornant sedile tuum: * astra te glorificant jugiter matutina.

Memento nostri, Domina, in beneplacito tuo: * et fac nos dignos glorificandi nomen tuum. *ant.* Splendor solis super caput tuum. *ant.* Dignare.

PSALM. 24.

Ad te, Domina, levavi animam meam: * in judicio Dei tuis precibus non erubescam.

Neque illudant mihi adversarii mei: * in te enim præsumentes, de te roborantur.

Non prævaleant adversum me laquei mortis: * et castra malignantium non impediant gressus meos.

Collide impetum eorum in virtute tuâ: * et cum mansuetudine occurre animæ meæ.

Ductrix mea esto ad patriam: * et me cœtui angelorum digneris aggregare.

Ant. Dignare me cœtui angelorum aggregare. *ant.* Sit manus tua.

PSALM. 28.

Afferte Dominæ nostræ, filii Dei: * afferte Dominæ nostræ laudem et reverentiam.

Da virtutem nobis, Mater sancta, * et benedictionem laudantibus atque glorificantibus te.

Exaudi gemitus suspirantium ad te: * et ne spernas vota invocantium nomen tuum.

Sit manus tua ad succurrendum mihi parata: * et auris tua intendens ad deprecationem meam.

Benedicant tibi cœli et terra: * mare et orbis terrarum.

Ant. Sit manus tua ad succurrendum mihi parata. *ant.* Sumite.

PSALM. 33.

Benedicam Dominam, in omni tempore: * et non deficiet laus ejus in ore meo.

Magnificate eam mecum; * omnes qui impinguati estis lacte devotionis ejus.

In periculis, in rebus dubiis invocate eam; * et in necessitatibus invenietis auxilium et refrigerium dulce.

Sumite exemplum conversationis ejus: * et æmulamini studia charitatis et humilitatis illius.

Quia ergo, Domina, humillima fuisti: * verbum increatum ex te car-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nem suscipere coegisti.

Ant. Sumite exemplum conversationis ejus. *ant.* In cubili meo.

PSALM. 54.

Exaudi, Domina, orationem meam: * et ne comtemnas deprecationem meam.

Contristatus sum in cogitatione meâ: * quia judicia Dei perterruerunt me.

Tenebræ mortis venerunt super me: * et pavor inferni horribiliter invasit me.

Ego autem in solitudine expecto consolationem tuam: * et in cubili meo attendo misericordiam tuam.

Glorifica manum et dexterum brachium tuum: * et prosternantur in nobis inimici nostri.

Ant. In cubili meo attendo misericordiam tuam.

Temp pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

CAPITULUM. *Eccl.* 24. 17.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho.

HYMNUS 11. *Sanctæ.*

O quæ polo sublimior
Regina cœli diceris!
Nos è supernis sedibus,
MARIA clemens, aspice.

Christus sibi, quos eligit
Fratres, adopta filios;
Et matris in nos viscera
Mitesque vultu indue.

Quid à Deo non obtines
Supplex tuum per Filium,
Quem virginali victimam
Offers placentem dexterâ?

Confissa tanto pignore
Ama favere noxiis
A te dato quos sanguine
Tuus redemit Filius.

Fac, Virgo, nostris castitas
Intacta regnet cordibus,
Vitæque puræ criminum
Sit mors beata terminus.

Doxolog. de tempore.

Per ann. ℣. Vultum tuum deprecabuntur.

℟. Omnes divites plebis.

In adv. ℣. Prophetæ prædicaverunt.

℟. Nasci Salvatorem de Virgine MARIA.

In puerper. ℣. Veritas de terrâ orta est.

℟. Et justitia de cœlo prospexit.

Temp. pasc. ℣. Gaude et lætare, Virgo MARIA, alleluia.

℟. Quia surrexit Dominus verè, alleluia.

Ad. Magnificat *ant.* Fecit mihi * magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Temp. pasc. ad. Magnif. *ant.* Congratulamini mihi omnes, * qui diligitis me, alleluia, quia ipse, quem expectabam, apparuit mihi, allel.

Preces, oratio et suffrag. ut in fine Psalterii.

AD COMPLET.

℣. Converte ℟. Et averte. ℣. Deus, in ad. &c. *ant.* Gratiosus. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 83.

Quàm dilecta tabernacula tua, Domina virtutum! * quàm amabilia tentoria requietionis tuæ!

Honorate illam peccatores: * et impetrabit vobis gratiam et salutem.

Super thus et balsamum oratio ejus, incensum preces ejus: * non revertentur vacuæ, nec inanes.

Intercede pro me, Domina, apud Christum tuum: * nec derelinquas me in vitâ, nec in morte.

Benignus est enim spiritus tuus: * gratia tua replet orbem terrarum.

PSALM. 86.

Fundamenta vitæ in animâ justi: *

perseverare in charitate usque in finem.

Misericordia tua relevat pauperem in adversitate: * et invocatio tui nominis immittit ei confidentiam bonam.

Miserationibus tuis repletur paradisus: * et à terrore tuo hostis confunditur infernalis.

Qui sperant in te, invenient thesauros pacis: * et qui te non invocat in hâc vita, non perveniet ad regnum Dei.

Fac, Domina, ut vivamus in gratiâ Spiritûs Sancti: * et perdue animas nostras ad sanctum finem.

PSALM. 88.

Misericordias tuas, Domina; * in sempiternum decantabo.

Unguento pietatis tuæ medere contritos corde: * et oleo misericordiæ tuæ refove dolores nostros.

Gratiosus vultus tuus mihi appareat in extremis: * formositas faciei tuæ lætificet egredientem spiritum meum.

Excita spiritum meum ad amandam bonitatem tuam: * excita mentem meam ad exfollendam nobilitatem et pretiositatem tuam.

Libera me ab omni tribulatione malâ: * et ab omni peccato custodi animam meam.

Ant. Gratiosus vultus tuus lætificet egredientem spiritum meum.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Reliqua ut in die Dominicâ, quod quotidiè observatur, pag. 18.

FERIA III.

AD MATUTIN.

Ave. ℣. Dom. lab. ℟. Et os. ℣. Deus, in adj. &c.

Invitator. Qui manè vigilant ad me, * Invenient me.

Psalm. invit. Venite exultemus. *p.* 1.

HYMNUS 12. *S. Anselm.*

Lux, quæ luces in tenebris,
Ex alvo nata Virginis,
Nostram noctem nos exue,
Tuumque diem indue.

MARIA, Dei thalamus,
Posce te venerantibus,
Virtutibus ut splendeant,
Quos reatus obtenebrant.

O mundo venerabilis,
Virgo Mater mirabilis:
MARIA plena gratiâ,
Ora pro nobis miseris.

Quæ genuisti Filium,
A summo Patre genitum:
Per hæc tua nos merita
A lapsu mortis libera.

Doxolog. de temp.

Ant. Confitemini. *Temp. pasc. ant.* Dextera.

PSALM. 15.

Conserva me, Domina, quoniàm speravi in te: * mihique tuæ stillicidia gratiæ impertire.

Alvus tuus virginalis et viscera tua * Filium Deiaitissimi genuerunt.

Benedicta sint ubera tua, * quibus lacte deifico Salvatorem enutristi.

Confitemini laudes Virgini gloriosæ: * quicumque apud eam gratiam et misericordiam invenistis.

Date magnificentiam nomini ejus: * et collaudate in sæculum conceptum, atque partum ejus.

PSALM. 16.

Exaudi, Domina, justitiam meam et amorem: * amove à me tribulationem meam.

Confitebor tibi in voce exultationis: * cum magnificaveris super me misericordiam tuam.

Imitamini eam sanctæ virgines Dei: * ut imitatæ sunt Agnes, Barbara, Dorothea, et Catharina.

Honorificate eam in voce labiorum vestrorum: * per hoc ejus gratiam Agatha, Lucia, Margarita et

Cæcilia susceperunt.

Sponsum dabit vobis Patris Filium: * et de paradisi liliis coronam incomparabiliter radiantem.

PSALM. 18.

Cœli enarrant gloriam tuam * et unguentorum tuorum fragrantia in gentibus est dispersa.

Respirate ad illam perditi peccatores, * et perducet vos ad indulgentiæ portum.

In hymnis, et psalmis, et canticis pulsate viscera ejus; * et stillabit vobis gratiam dulcedinis suæ.

Glorificate eam justi ante thronum Dei: * quia fructu ventris ejus justificati estis operati.

Laudate eam cœli cœlorum: * et nomen ejus glorificet omnis terra.

Ant. Confitemini laudes Virgini gloriosæ. *ant.* Benedicta.

PSALM. 19.

Exaudi nos, Domina, in die tribulationis: * et precibus nostris converte clementem faciem tuam.

Ne projicias nos in tempore mortis nostræ: * sed succurre animæ, cum deseruerit corpus suum.

Mitte angelum in occursum ejus: * per quem à malignis hostibus defendatur.

Ostende ei serenissimum Judicem sæculorum: * qui ob tui gratiam indulgentiam ei largiatur.

Sentiat in pœnis refrigerium tuum: * et concede ei locum inter electos Dei.

PSALM. 21.

Deus, Deus meus: * respiciat in me meritis suis Virgo semper MARIA.

Domina mea, clamavi ad te per diem et noctem: * et fecisti cum servo tuo misericordiam tuam.

Quia ego speravi in misericordiâ tuâ: * sempiternum à me opprobium abstulisti.

Deriserunt me inimici mei undiquè: * tu autem sub umbrâ manûs tuæ contulisti mihi refrigerium bonum.

Adorent te familiæ gentium: * et glorificent te omnes ordines angelorum.

PSALM. 22.

Dominus regit me, Virgo Dei genitrix: * quia tu amabilem vultum ejus ad me convertisti.

Benedicti sunt oculi tui splendidissimi: * quos digneris convertere super nos peccatores.

Benedictum sit lumen et splendor faciei tuæ: * benedicta sit gratia vultûs tui.

Benedicta sit misericordia manuum tuarum: * benedicta sit emanatio virginei lactis tui.

Benedicant te Apostoli, et Prophetæ Dei: * Martyres, et Confessores et Virgines psallant tibi.

Ant. Benedicta sit gratia vultûs tui. *ant.* Gloriam.

PSALM. 26.

Domina, illuminatio mea sit splendor faciei tuæ: * et serenitas tuæ gratiæ refulgeat menti meæ.

Exalta caput meum, et ego psallam: * psalmum nomini tuo decantabo.

Ne avertas faciem tuam à me: * quia speciem et decorem tuum à juventute meâ concupivi.

Te amavi et exquisivi, Regina cœlorum: * misericordiam tuam et gratiam tuam ne subtrahas à servo tuo.

Confitebor tibi in nationibus: * et thronum gloriæ tuæ glorificabo.

PSALM. 29.

Exaltabo te, Domina, quoniàm suscepisti me: * ab iniquo adversario meo liberabis me.

Convertere ad me, et vivifica me, et de portis mortis reduc me: * et de fluctibus tribulationum quæ circumdederunt me.

Propter imperium et magnificentiam dexteræ tuæ: * contere et dissipa omnes adversarios meos.

Et ego offeram tibi sacrificium laudis: * et gloriam tuam devotiùs exaltabo.

Exultate cœli, et jucundare terra: * quia consolatur MARIA servus suos, et pauperum suorum miserebitur.

PSALM. 31.

Beati, quorum corda te diligunt, Virgo MARIA: * peccata ipsorum à te misericorditèr dilluentur.

Sancta, casta, et florigera ubera tua, * quæ florem viriditatis perpetuæ eruperunt.

Decor pulchritudinis tuæ corruptionem non videbit: * et vultûs tui gratia in æternum non marescet.

Benedicta tu, Virga Jesse sublimis: * quæ te usque ad sedentem in thronum dilatasti.

O Virgo Regina! ipsa es via, * per quam nos salus de supernis sedibus visitavit.

Ant. Gloriam tuam devotiùs exaltabo.

℣. Accedite ad eam, et illuminamini.

℟. Et facies vestra non confundetur.

In ade. ℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui

Temp. pasc. ant. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, alleluia.

℣. In resurrectione tuâ, Christe, alleluia.

℟. Virgo MARIA lætata est, allel.

Deindè leguntur Lectiones cum rit. huic feriæ propriæ pro temporis opportunitate.

Absolutio. Ipsius pietas.

Benedictiones, tres ille quæ positæ sunt in 2. *Nocturno Dominicæ.*

AD LAUDES.

℣. Deus, in adj. ℟. Dom. ad adj.

Gloria. Alleluia *vel* Laus. *ant.* In tuâ. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 34.

Judica, Domina, nocentes me: * et contra eos exurge, et judica causam meam.

Anima mea in te lætabitur: * et tuis beneficiis devotus exultabo.

Gratiâ et dulcedine tuâ pleni sunt cœli et terra: * undiquè tuis beneficiis irretisti nos.

Quocumquè enim pergimus, * occurrit nobis diffusio tui interis virginalis.

Curramus ergo, carissimi, et ita nobilem et dulcissimam Virginem salutemus: * ut in suæ dilectionis gremio quiescamus.

Ant. In tuâ misericordiâ requiescam. *ant.* Inclina.

PSALM. 35.

Dixit injustus, ut peccet in abscondito * per se à malo proposito: discedat Mater Dei.

Inclina vultum Dei super nos: * coge illum peccatoribus misereri.

Domina, in cœlo misericordia tua: * et gratia tua diffusa est super terram.

Potentia et virtus in brachio tuo: * roborel et fortitudo in dexterâ tuâ.

Benedictum sit imperium tuum super cœlos: * benedicta sit magnificentia tua super terram.

Ant. Inclina vultum Dei super nos. *ant.* Delectamini.

PSALM. 36.

Noli æmulari in malignantibus, Domina: * furorem eorum dulcifica per gratiam tuam.

Sperate in illâ religiosi et claustrales: * confidite in illâ clerici et seculares.

Delectamini in laudibus illius: * et exaudiet petitiones cordis vestri.

Meliùs est modicum cum gratiâ illius, * quàm thesauri argentei, et lapides pretiosi.

Gloria semper tibi, ô Regina cœlorum: * et in ullo tempore noli nos oblivisci.

Ant. Delectamini in laudibus illius. *ant.* Pater meus.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia. *ant.* Vicit.

CANTICUM 5.

S. Bonav. ad instar illius Zachariæ Isai. 38.

Ego dixi circa dimidium dierum meorum: * vadam ad MARIAM, ut me Christo reconciliet.

Quæsivi residuum annorum meorum: * in amaritudine animæ meæ.

Generatio mea ablata est, quia Pater et Mater, et omnia dereliquerunt me: * MARIA autem assumpsit me.

Sperabam in illâ manè, serò et meridiè: * quasi leo sic contrivit omnia ossa peccatorum meorum.

Et tu, Domina, eruisti animam meam, ut non periret: * et de manu canis unicam meam.

Domina, salvum me fac: * et laudes tuas cantabo omnibus diebus vitæ meæ.

Ant. Pater meus dereliquit me: MARIA autem assumpsit me. *ant.* Glorificate.

Temp. pasc. ant. Vicit leo, allel. de tribu Juda, allel. *ant.* Alleluia.

PSALM. 148.

Laudate Dominam nostram de cœlis: * glorificate eam in excelsis.

Laudate eam omnes homines et jumenta: * volucres cœli et pisces maris.

Laudate eam sol et luna: * stellæ et circuli planetarum.

Laudate eam Cherubim et Seraphim: * Throni, et Dominationes, et Potestates.

Laudate eam omnes legiones Angelorum: * laudate eam omnes ordines spirituum supernorum.

Ant. Glorificate eam in excelsis.

Temp. pasc. ant. Alleluia, allel. alleluia.

CAPITULUM. *Eccl.* 24. 20.

Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

HYMNUS 13. *S. Anselm.*

Præfulgens sol justitiæ
Ortus de sacrâ Virgine,
Splendore tuo noxias
Nostras illustra tenebras.
Orientis castissima
Mater, fac nobis, Domina,
Vita prorsùs ut decidat
Vetus, nova proficiat.
Dei Mater, ô Domina,
Nostraque Mater inclyta:
Emunda nos à vitiis,
Et orna sanctis meritis.
O Genitrix Altissimi,
Sublimis tantâ gratiâ:
Per tua sacra merita
Dele nostra peccamina.

Doxolog. de temp.

Per ann. ℣. Ora pro nob. ℟. Ut digni effic.

In adv. ℣. Rorate cœli des. ℟. Aperiatur terra.

In nuerp. ℣. Veritas de ter. ℟. Et justitia de cœl.

Ad Benedict. *ant.* De manu omnium, * qui nos oderunt, pacem nobis tribue.

Preces, Oratio de Dom. præced. suffrag. Sanctor.

Temp. pasc. ℣. Regina cœli, læt. ℟. Quia surrexit &c.

Ad. Benedict. *ant.* Quem meruisti * portare, Domina, resurrexit, sicut dixit, allel. allel.

AD VESPER.

Ave. ℣. Deus, in adj. &c.

Ant. Spes nostra. *Temp. pasc. ant.* alleluia.

PSALM. 37.

Domina, ne in furore suo arguat me

Dominus: * nobis veniam obtine de peccatis.

In conspectu tuo sit omne desiderium nostrum: * spes nostra, et confidentia nostra.

Cor meum conturbatum est in me: * recedit lux de visceribus meis.

Illumina splendore tuo cæcitatem meam: * dulcifica dulcore tuo contritionem meam.

Ne derelinquas nos, Domina, Mater Dei: * gratia tua, et virtus sit à dextris meis.

Ant. Spes nostra, et confidentia nostra tu es. *ant.* Exaudisti.

PSALM. 39.

Expectans expectavi gratiam tuam: * et fecisti mihi secundum multitudinem misericordiæ nominis tui.

Exaudisti preces meas: * et eduxisti me de lacu miseriæ et de fovea inimici.

Multa et mirabilia sunt dona tua, Domina: * incomparabilia sunt munera gratiarum tuarum.

Exultent, et lætentur super te omnes qui diligunt te: * qui oderunt nomen tuum, corruant in infernum.

Benedicta sis in æternum, Domina: * in sæculum et in sæculum sæculi.

Ant. Exaudisti, Domina, preces meas. *ant.* Te cupit.

PSALM. 40.

Beata MARIA intelligit super egenum, et pauperem: * in ejus laudibus perseverantem.

Domina angelorum, Regina mundi: * munda cor meum igne amoris et charitatis tuæ.

Tu es mater illuminationis cordis mei: * tu es nutrix refovens mentem meam.

Te cupit os meum collaudare: * te affectat mens mea affectissimè venerari.

Te desiderat anima mea exorare: * quia tuitioni tuæ se commendat tota substantia mea.

Ant. Te cupit os meum collaudare. *ant.* Accendatur.

PSALM. 41.

Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum: * ita ad amorem tuum anhelat anima mea.

Quia tu es genitrix vitæ meæ: * et altrix Reparatoris carnis meæ.

Quia tu es lactatrix Salvatoris animæ meæ: * initium et finis totius salutis meæ.

Exaudi me, Domina, et mundentur sordes meæ: * illumina me, Domina, et illustrentur tenebræ meæ.

Accendatur amore tuo tepor meus: * gratiâ tuâ expellatur tepor meus.

Ant. Accendatur amore tuo tepor meus. *ant.* Ineffabilia.

PSALM. 43.

Domina, auribus nostris audivimus: * patres nostri annuntiaverunt nobis.

Quia ineffabilia sunt merita tua: * et valdè stupenda mirabilia tua.

Domina, innumerabiles sunt virtutes tuæ: * et inæstimabiles misericordiæ tuæ.

Exulta anima mea, et lætare in illâ: * quia multa bona sunt laudatoribus præparata.

Benedicta sis, Regina cœlorum et angelorum: * et benedicantur à Deo laudatores magnificentiæ tuæ.

Ant. Ineffabilia sunt merita tua, Domina.

Temp. pasc. ant. Alleluia, allel. alleluia.

CAPITULUM. *Eccl.* 24. 21.

Quasi storax, et galbanus, et ungula, et quasi libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mistum odor meus.

HYMNUS 14. *S. Anselm.*

Sol casto nascens utero,
Vesperascente sæculo,

Illustra nos perpetuò,
Ne declines in vespere.
Æterni solis Genitrix,
Tuis hoc sanctis meritis
Age, quo perpes maneat
Nobis, nec unquàm decidat.
Mater diei perpetis
Obsiste nostris tenebris,
Ne lucem nobis dissipent,
Et nos delictis implicent.
O Virgo lux indesinens,
Jugi nos fove lumine:
O Mater nostra, dissipa
Culpæque noctem remove.

Doxolog. de tempore.

Per ann. ℣. Vultum tuum.
℟. Omnes div.
In adv. ℣. Prophetæ præd.
℟. Nasci salv.
In puerp. ℣. Veritas de ter.
℟. Et justitia.

Ad. Magnific. *ant.* Ecce enim * ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Preces et suff. Sanctor. ut in fine Psalteri.

Temp. pasc. ℣. Gaude et læt.
℟. Quia surrex.

Ad. Magnif. *ant.* Magnificate * Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum; alleluia, alleluia, allel. *Oratio de Dom. præced.*

AD COMPLET.

℣. Converte. ℟. Et averte. ℣. Deus, in adj. &c. *ant.* Beneficiis. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 44.

Eructavit cor meum verbum bonum, Domina: * cum rore melifluo extitit dulceoratum.

Per tuam sanctitatem peccata mea purgentur: * per tuam integritatem mihi incorruptibilas condonetur.

Per tuam virginitatem anima mea à Christo adamatur: * et sibi amoris vinculo sociatur.

Per tuam fœcunditatem ego captivus sum redemptus: * per tuum partum virgineum de morte æterna sum eremptus.

Per tuam prolem dignissimam perditus sum restitutus: * et de exilio miseriæ in patriam beatitudinis sum reductus.

PSALM. 45.

Domina, refugium nostrum tu es in omni necessitate nostrâ: * et virtus potentior conterens inimicum.

Beneficiis tuis plenus est mundus: * superant cœlestia, penetrant et infernа.

Plenitudine gratiæ tuæ quæ in inferno erant: * se lætantur liberata.

Obtentu fœcunditatis tuæ virgineæ, quæ supra mundum sunt; * se gaudent restaurata.

Per gloriosum tuæ virginitatis sanctissimæ partum; * homines angelorum sunt socii et concives.

PSALM. 46.

Omnes gentes, plaudite manibus: * psallite in jubilo Virgini gloriosæ.

Quoniàm ipsa est janua vitæ, porta salutis: * et via nostræ reconciliationis.

Spes pœnitentium, solamen lugentium: * pax beata cordium, atque salus.

Miserere mei, Domina, miserere mei: * quia tu es lux et spes confidentium in te.

Per tuam salutarem fœcunditatem placeat: * ut peccatorum venia mihi concedatur.

Ant. Beneficiis tuis, Domina, plenus est mundus.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Reliqua, ut in Dominicâ p. 18.

FERIA IV.

AD MATUT.

Ave. ℣. Dom. lab. ℟. Et os m. ℣. Deus, in ad. &c.

Incitator. Qui vigilaverit propter illam: * Citò securus erit.

HYMNUS 13. *Salla.*

Nocturna jam silentia
Rumpente gallo, strenui
Rumpamus et nos carmine
Matrem canentes Virginem.
Laudanda nocte est puerpera,
Quæ nocte Filium Dei
Tactûs virilis nescia
Concepit alvo cœlitûs.
Quæ nocte Virgo partui
Antica præsens postera
Vitalis infra luminis
Auras eumdem protulit.
Quæ nocte moliens fugam
Pupo timens theandrico
Ægyptias in dissilas
Oras eumdem transtulit.
Quæ cordis haud effabili
Ardore pernox manserat
Orationi Filium
Noctu vacantem prosequens.
Qua dormiente, paneulâ
Qua parte non insomnibus
Oratione, noctibus
Erat cor ejus pervigil.

Doxolog. de tempore.

Ant. Virginem. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 47.

Magna es, Domina, et laudabilis valdè: * in civitate Dei cœli, in universâ ecclesiâ electorum ejus.

Ascendisti cantantibus angelicis choris: * Archangelis constipata, rosis et liliis coronata.

Occurrite illi Potestates, et Principatus: * obviate ei Virtutes et Dominationes.

Cherubim et Thoni, et Seraphim exaltate eam: * et constituite eam à dextris sponsi amantissimi Filii ejus.

O quàm lætо animo et sereno aspectu suscepisti eam, Domine, * et dedisti ei principatum super omnes Dominationes tuas!

PSALM. 48.

Audite hæc omnes gentes: * auribus percipite, qui ingredi cupitis regnum Dei.

Virginem MARIAM honorate: * et invenietis vitam, et salutem perpetuam.

Pauperes servos tuos, Domina, * felici confœderatione conjunge Christo.

Esuriem parvulorum tuorum * fructu ventris tui refice et sustenta.

Remansisti enim incorrupta post partum; * et inviolata post filium.

PSALM. 49.

Deus Deorum MARIÆ locutus est * per Gabrielem nuntium suum, dicens:

Ave gratiâ plena, Dominus tecum: * per te salus mundi reparatur.

Speciem et decorem tuum * Altissimi Filius concupivit.

Adorna thalamum tuum, Sion: * præpara te in occursum Dei tui.

Per Spiritum enim Sanctum concipies: * tuum partum faciet virgineum, et jucundum.

Ant. Virginem MARIAM honorate. *ant.* Purifica.

PSALM. 50.

Miserere mei, Domina: * quæ Mater misericordiæ nuncuparis.

Et secundum viscera misericordiarum tuarum * munda me ab omnibus iniquitatibus meis.

Effunde gratiam tuam super me: * et solitam clementiam tuam ne subtrahas à me.

Quoniàm peccata mea confitebor tibi: * et coram te me accusso de scleribus meis.

Fructui ventris tui me reconcilia: * et pacifica me ei, qui me creavit.

PSALM. 51.

Quid gloriaris in malitiâ: * maligne serpens, draco infernalis?

UNIVERSIDAD DE NAVARRA · FONDO ANTIGUO · BIBLIOTECA GENERAL DE HUMANIDADES

Illustra nos perpetuò,
Ne declines in vespere.
Æterni solis Genitrix,
Tuis hoc sanctis meritis
Age, quo perpes maneat
Nobis, nec unquàm decidat.
Mater diei perpetis
Obsiste nostris tenebris,
Ne lucem nobis dissipent,
Et nos delictis implicent.
O Virgo lux indesinens,
Jugi nos fove lumine:
O Mater nostra, dissipa
Culpæque noctem remove.

Doxolog. de tempore.

Per ann. ℣. Vultum tuum.
℟. Omnes div.
In adv. ℣. Prophetæ præd.
℟. Nasci salv.
In puerp. ℣. Veritas de ter.
℟. Et justitia.

Ad. Magnific. *ant.* Ecce enim * ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Preces et suff. Sanctor. ut in fine Psalteri.

Temp. pasc. ℣. Gaude et læt.
℟. Quia surrex.

Ad. Magnif. *ant.* Magnificate * Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum; alleluia, alleluia, allel. *Oratio de Dom. præced.*

AD COMPLET.

℣. Converte. ℟. Et averte. ℣. Deus, in adj. &c. *ant.* Beneficiis. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 44.

Eructavit cor meum verbum bonum, Domina: * cum rore melifluo extitit dulceoratum.

Per tuam sanctitatem peccata mea purgentur: * per tuam integritatem mihi incorruptibilas condonetur.

Per tuam virginitatem anima mea à Christo adamatur: * et sibi amoris vinculo sociatur.

Per tuam fœcunditatem ego captivus sum redemptus: * per tuum partum virgineum de morte æterna sum eremptus.

Per tuam prolem dignissimam perditus sum restitutus: * et de exilio miseriæ in patriam beatitudinis sum reductus.

PSALM. 45.

Domina, refugium nostrum tu es in omni necessitate nostrâ: * et virtus potentior conterens inimicum.

Beneficiis tuis plenus est mundus: * superant cœlestia, penetrant et infernа.

Plenitudine gratiæ tuæ quæ in inferno erant: * se lætantur liberata.

Obtentu fœcunditatis tuæ virgineæ, quæ supra mundum sunt; * se gaudent restaurata.

Per gloriosum tuæ virginitatis sanctissimæ partum; * homines angelorum sunt socii et concives.

PSALM. 46.

Omnes gentes, plaudite manibus: * psallite in jubilo Virgini gloriosæ.

Quoniàm ipsa est janua vitæ, porta salutis: * et via nostræ reconciliationis.

Spes pœnitentium, solamen lugentium: * pax beata cordium, atque salus.

Miserere mei, Domina, miserere mei: * quia tu es lux et spes confidentium in te.

Per tuam salutarem fœcunditatem placeat: * ut peccatorum venia mihi concedatur.

Ant. Beneficiis tuis, Domina, plenus est mundus.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Reliqua, ut in Dominicâ p. 18.

FERIA IV.

AD MATUT.

Ave. ℣. Dom. lab. ℟. Et os m. ℣. Deus, in ad. &c.

Incitator. Qui vigilaverit propter illam: * Citò securus erit.

HYMNUS 13. *Salla.*

Nocturna jam silentia
Rumpente gallo, strenui
Rumpamus et nos carmine
Matrem canentes Virginem.
Laudanda nocte est puerpera,
Quæ nocte Filium Dei
Tactûs virilis nescia
Concepit alvo cœlitûs.
Quæ nocte Virgo partui
Antica præsens postera
Vitalis infra luminis
Auras eumdem protulit.
Quæ nocte moliens fugam
Pupo timens theandrico
Ægyptias in dissilas
Oras eumdem transtulit.
Quæ cordis haud effabili
Ardore pernox manserat
Orationi Filium
Noctu vacantem prosequens.
Qua dormiente, paneulâ
Qua parte non insomnibus
Oratione, noctibus
Erat cor ejus pervigil.

Doxolog. de tempore.

Ant. Virginem. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 47.

Magna es, Domina, et laudabilis valdè: * in civitate Dei cœli, in universâ ecclesiâ electorum ejus.

Ascendisti cantantibus angelicis choris: * Archangelis constipata, rosis et liliis coronata.

Occurrite illi Potestates, et Principatus: * obviate ei Virtutes et Dominationes.

Cherubim et Thoni, et Seraphim exaltate eam: * et constituite eam à dextris sponsi amantissimi Filii ejus.

O quàm lætо animo et sereno aspectu suscepisti eam, Domine, * et dedisti ei principatum super omnes Dominationes tuas!

PSALM. 48.

Audite hæc omnes gentes: * auribus percipite, qui ingredi cupitis regnum Dei.

Virginem MARIAM honorate: * et invenietis vitam, et salutem perpetuam.

Pauperes servos tuos, Domina, * felici confœderatione conjunge Christo.

Esuriem parvulorum tuorum * fructu ventris tui refice et sustenta.

Remansisti enim incorrupta post partum; * et inviolata post filium.

PSALM. 49.

Deus Deorum MARIÆ locutus est * per Gabrielem nuntium suum, dicens:

Ave gratiâ plena, Dominus tecum: * per te salus mundi reparatur.

Speciem et decorem tuum * Altissimi Filius concupivit.

Adorna thalamum tuum, Sion: * præpara te in occursum Dei tui.

Per Spiritum enim Sanctum concipies: * tuum partum faciet virgineum, et jucundum.

Ant. Virginem MARIAM honorate. *ant.* Purifica.

PSALM. 50.

Miserere mei, Domina: * quæ Mater misericordiæ nuncuparis.

Et secundum viscera misericordiarum tuarum * munda me ab omnibus iniquitatibus meis.

Effunde gratiam tuam super me: * et solitam clementiam tuam ne subtrahas à me.

Quoniàm peccata mea confitebor tibi: * et coram te me accusso de scleribus meis.

Fructui ventris tui me reconcilia: * et pacifica me ei, qui me creavit.

PSALM. 51.

Quid gloriaris in malitiâ: * maligne serpens, draco infernalis?

UNIVERSIDAD DE NAVARRA · FONDO ANTIGUO · BIBLIOTECA GENERAL DE HUMANIDADES

Submitte caput tuum mulieri : * ejus fortitudine demergeris in profundum.

Contere eum, Domina, pede virtutis tuæ: * exurge et dissipa maliliam ejus.

Extingue potentiam ejus: * et virtutem illius redige in favillam.

Ut viventes exultemus in nomine tuo: * et læto animo dicamus tibi laudem.

PSALM. 32.

Dixit insipiens in corde suo: * hominem ejiciam de tabernaculo filiorum Dei.

Egrediar, et ero spiritus mendax in ore serpentis: * et per feminam ejiciam virum ejus.

Sicut exaltantur, ò miser, cœli à terrâ: * exaltatæ sunt cogitationes Dei à cogitationibus tuis.

Noli extolli de casu mulieris : * quia mulier conteret caput tuum.

Tu illi foveam præparasti: * et in sagenâ illius capieris.

Ant. Pacifica me ei qui me creavit. *ant.* Glorifica.

PSALM. 35.

Miserere mei, Domina, quoniàm conculcaverunt me hostes mei quotidiè: * omnes cogitationes eorum in malum contra me.

Excita furorem, et memento belli: * et super eos effunde iram tuam.

Innova signa, et immuta mirabilia: * sentiamus adjutorium brachii tui.

Glorifica nomen tuum super nos: * ut cognoscamus, quoniàm in sæculum misericordia tua.

Stilla nobis guttam suavitatis tuæ: * quia tu es pincerna gratiæ dulcoris.

PSALM. 36.

Miserere mei, Domina, miserere mei: * quia paratum est cor meum exquirere voluntatem tuam.

Et in umbrâ alarum tuarum requiescam: * quia delectabile est mihi refrigerium tuum.

Manus tuæ distillant myrrham primam: * et digiti tui unguenta gratiarum.

Et fragmenta mali punici est guttur tuum: * et spiramen oris tui suave compositum thimiama.

Tu enim es mater pulchræ dilectionis, et anchora spei: * portus indulgentiæ, et janua salutis.

PSALM. 37.

Si verè utique justiam loquimini: * justitiæ et misericordiæ honorate Reginam.

Ad laudem enim, et gloriam pertinet Salvatoris, * quidquid honorificum suæ impensum fuerit Genitrici.

Rosæ Martyrum te circumdant, ò Regina! * et lilia Virginum ambiunt thronum tuum.

Laudate eam simul astra matutina: * concentum illi facile omnes filii Dei.

Glorificate eam cœli et terra: * maria, ac flumina, ac fundamenta orbis.

Ant. Glorifica nomen tuum super nos.

Per ann. ℣. Accedite ad. ℟. Et facies vestra.

In adv. ℣. Benedicta tu. ℟. Et benedictus.

Temp. pasc. ant. Alleluia, Christus resurgens à mortuis, jam non moritur, alleluia.

℣. In resurrectione tuâ. ℟. Virgo MARIA.

Deindè leguntur lectiones hùic feriæ assignatæ pro temporis diversitate.

Absolutio. A vinculis.

Prima benedictio. Nos cum prole piâ &c.

Secunda et tertia ut in III. Noct. Dominicæ, pag. 3.

AD LAUDES.

℣. Deus, in adj. ℟. Dom. ad. &c.

Ant. Exurge. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 58.

Eripe me de inimicis meis, Domina mundi : * exurge in occursum meum, Regina pietatis.

Aurum obrizum in ornamentis tuis: * sardius et topazius in diademate tuo.

Jaspis et amethistus in dexterâ tuâ: * beryllus et chrysolitus in sinistrâ tuâ.

Hyacinthus et achates in pectore tuo: * carbunculi scintillantes in monilibus tuis.

Myrrha, thus, et balsamum in manibus tuis: * saphirus et smeragdus in digitis tuis.

Ant. Exurge in occursum meum. *ant.* Lætifica.

PSALM. 59.

Deus repulisti nos propter peccata nostra: * et miseritus es nobis per Virginem MARIAM.

Intercede pro nobis, salutifera Mater Dei: * quæ Angelorum et hominum salutem peperisti.

Tu enim mœstis exultationem infundis: * et mœrentibus lætitiam et dulcorem.

Lætifica nos dulcifluo sono oris tui: * et liquore tuo roseo perfunde corda nostra.

Tonale illi desuper, et date illi laudem: * glorifica illam terra cum omnibus habitatoribus tuis.

Ant. Lætifica nos dulcifluo sono oris tui. *ant.* Esto mihi.

PSALM. 60.

Exaudi, Domina, orationem meam: * supra firmam petram stabilias mentem meam.

Esto mihi turris fortitudinis: * me tuearis à facie crudelis vastatoris.

Ut castrorum acies sis illi terribilis: * et vivus corruat in profundum inferni.

Tu enim es rutilans et decora : * nubes rorifera, et consurgens aurora.

Pulchra es, et clara, ut luna plenissima: * tanquàm sol refulgel sacer aspectus tuus.

Ant. Esto mihi turris fortitudinis. *ant.* Linguis. *Temp. pasc.* Allel. allel. allel. *ant.* Audite.

CANTICUM 6.

S. Bonav. instar illius Annæ.

1. *Reg.* 1.

Exultavit cor meum in Domino: * et exaltatum est cornu meum in Domiâ meâ.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: * per MARIAM Matrem ejus.

Non est sancta, ut est Domina nostra: * quæ sola supergressa est universas.

Recedant ergo vetera de ore nostro: * et linguis loquamur novis.

Exulta et lauda MARIAM, Sion et Jerusalem: * quia maxima in Dominabus Israel.

Ipsa pauperem facit et ditat : * humiliat et sublevat.

Altior cœlo, terrâ latior * est hæc Domina nostra.

Ant. Linguis loquamur novis in laudem Virginis. *ant.* Glorifica.

Temp. pasc. ant. Audite et narrabo quanta fecit Deus animæ meæ, alleluia. *ant.* Alleluia.

PSALM. 147.

Lauda Jerusalem Dominam: * glorifica illam etiàm, ò Sion.

Ipsa enim construit muros tuos: * et filios tuos benedicit.

Gratia sua te impinquat: * pacemque donat terminis tuis.

Emisit verbum suum Altissimus: * et virtus ejus obumbravit illi.

Levemus corda nostra cum manibus ad illam: * ut suam influentiam sentiamus.

Ant. Glorifica illam, ò Sion.

Temp. pasc. ant. Alleluia, allel. alleluia.

CAPITULUM. *Eccl.* 49. 22.

Ego quasi therebintus expandi ramos meos: et rami mei honoris et gratiæ.

HYMNUS 16. *Salla.*

Auroræ, ave, canentium
Volucrium concentui
Christatus ales præcinens
Ipsam propinquam nuntiat.

Harum choro, fas, accinat
Noster, MARIÆ Virgini,
Solis perennis luminis
Auroræ, ave, clamantium.

Hanc manè, par est, quærere,
Quæ tunc sibi excubantibus
Se consequendam clamitat,
Se seque præbet obviam.

Quæ fausta se quærentibus
Vitam reperta porrigit,
Mundo sit apparentium
Quæ vera lux mortalium.

Queis insuper divinitùs
Dandam salutem cordium,
Christum reclusum gentibus
Lumen propinat splendidum.

Doxolog. de tempore.

Per ann. ℣. Ora pro nob. ℟. Ut digni eff.

In adv. ℣. Rorate cœli. ℟. Aperiatur terr.

In puerper ℣. Veritas de ter. ℟. Et justitia de cœlo.

Ad. Benedic. *ant.* Tu MARIA * propheta Dei vocaberis.

Preces, orat. etc. ut in feriâ II.

Temp. pasc. ℣. Regina cœl. ℟. Quia surrex.

Ad. Benedict. *ant.* Per te visitavit, * et fecit redemptionem plebis suæ, alleluia, alleluia.

AD VESPER.

Ave. ℣. Deus, in adj. ℟. Dom. ad adj. &c.

Ant. Exaudi. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 61.

Nonne, Domina, tibi subjecta erit anima mea: * quæ Salvatorem omnium genuisti. *

Memento nostri, perditorum salvatrix: * exaudi planctus cordis nostri.

Infunde gratiam de thesauris tuis: * et unguentis tuis placa dolorem nostrum.

Da nobis gaudium et lætitiam: * ut confundas bonorum inimicos.

Ablue omnia peccata nostra: * sana omnes infirmitates nostras.

Ant. Exaudi planctus cordis nostri. *ant.* Illustra.

PSALM. 63.

Exaudi, Domina, orationem meam cum deprecor: * à pavore crudelis libera animam meam.

Impetra nobis servulis tuis pacem: * et securitatem in tremendo judicio.

Benedicta tu super omnes mulieres: * et benedictus fructus ventris tui.

Illumina, Domina, oculos meos: * et illustra cæcitatem meam.

Da mihi in te confidentiam bonam, * in vitâ et in fine meo.

Ant. Illustra, Domina, cæcitatem meam. *ant.* Pallio.

PSALM. 64.

Te decet hymnus, Domina nostra, in Sion: * laus et jubilatio in Jerusalem.

Benedictionem omnium gentium dedit tibi Dominus: * laudem et gloriam ante conspectum populorum.

Benedixit te Dominus in misericordiâ suâ: * et thronum tuum constituit super ordines Angelorum.

Gratiam et decorem posuit in labiis tuis: * et pallio gloriæ induit corpus tuum.

Coronam radiantem posuit in capite tuo: * et virtutum monilibus te decentèr ornavit.

Ant. Pallio gloriæ induit corpus tuum. *ant.* Omnis.

PSALM. 65.

Jubilate Dominæ nostræ omnis terra: * psallite hymnum nomini ejus, date honorificentiam majestati ejus.

Benedictum sit cor tuum, Domina; * cum quo ardentèr et sincèrè Filium tuum dilexisti.

Respice voluntatem meam, gloriosa Virgo: * miseriam et angustiam meam ne tardes removere.

Aufer tribulationem meam: * dulcifica languorem meum.

Benedicat te omnis caro: * et glorificet te omnis lingua.

Ant. Omnis caro te benedicat. *ant.* Non deficiat.

PSALM. 67.

Exurgat MARIA, et dissipentur inimici ejus: * conterantur omnes sub pedibus ejus.

Impetum inimicorum nostrorum dissipa: * destrue omnem iniquitatem eorum.

Ad te Domina, clamavi in tribulatione: * et serenasti conscientiam meam.

Non deficiat laus tua in ore nostro: * et amor tuus de visceribus nostris.

Pax multa diligentibus te, Domina: * anima eorum non videbit mortem in æternum.

Ant. Non deficiat laus tua in ore nostro.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

CAPITULUM. *Prov.* 8. 22.

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio.

HYMNUS 17. *Ex quod. devot.*

Æterni Patris Filiam,
Et Matrem Unigeniti,
Et Sponsam sacri Flaminis
Christi fideles diligant.

Illam, quam colunt Angeli,
Et venerantur Seraphim,
Totis medullis cordium
Amemus omni tempore.

Est Genitrix dulcissima,
Tenero amore fertilis:
Suosque infantes protegit
Eosque in cœlum evehit.

Juvenes ergo, et virgines
Senesque cum junioribus,
Deiparam diligite,
Illi placere quærite

Doxolog. de tempore.

Per ann. ℣. Viltum tuum. ℟. Omnes div.

In adv. ℣. Prophetæ præd. ℟. Nasci Salv.

In puerp. ℣. Veritas de ter. ℟. Et justitia.

Ad. Magnificat. *ant.* Fecit potentiam * in brachio suo, ut exaltaret humiles. *Prec. etc. ut in fer. II.*

Temp. pasc. ℣. Gaude et læt. ℟. Quia surr.

Ad. Magnific. *ant.* Fecit potentiam * in brachio suo, et consolatus est me, allel., allel.

AD COMPLET.

℣. Converte. ℟. Et averte.

Ant. Gloriosus. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 68.

Salvum me fac, Domina: * quoniàm intraverunt concupiscentiarum aquæ usque ad animam meam.

Infixus sum in limo peccati: * et aquæ voluptatis circumdederunt me.

Plorans ploravi in nocte: * et dies lætitiæ ortus est mihi.

Salva animam meam, Genitrix Salvatoris: * quia per te vera salus data est omni mundo.

Dum, nuntiante Angelo, fuisti obumbrata: * et Patris sapientiâ prægnans et gravidata.

PSALM. 69.

Domina, in adjutorium meum intende: * et luce misericordiæ tuæ

illustra mentem meam.

Doce nos exquirere bonitatem tuam: * ut enarremus mirabilia tua.

Ostende potentiam tuam contra inimicos nostros: * ut sanctificeris in nationibus procul.

In irâ flammæ tuæ mergantur in infernum: * et qui conturbant servos tuos, invenant perditionem.

Miserere servorum tuorum, superquos invocatum est nomen tuum: * et ne sinas angustiari eos in tentationibus suis.

PSALM. 70.

In te, Domina, speravi, non confundar in æternum: * in tuâ misericordiâ libera me, et eripe me.

Propter multitudinem iniquitatum mearum * oppressus sum vehementèr.

Facti sunt hostes mei in capite meo: * subsanaverunt me, et deriserunt me quotidiè.

Vide, Domina, quoniàm tribulor: * expande manus tuas, succurre pereunti.

Neque moreris propter gloriam nominis tui: * ut efficiaris mihi in gaudium et salutem.

Ant. Ploràns ploravi in nocte.

Temp. pasch. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Reliqua ut in Domin. p. 18.

FERIA V.

AD MATUTIN.

Ave. ℣. Dom. lab. ℟. Et os. ℣. Deus, in adj.

Invitator. Filii, audite me: * Beati qui custodiunt vias meas.

HYMNUS 18.

Justi si sempèr timidi
Mortem pavent et Dæmonem,
Nobis, eheu quantò miseris!
Quale refugium erit?

Memento de Deo Deus,
Quod Matre natus Virgine
Nobis misertus perditi
Mundi Redemptor veneris.

Et nos, Dei Virgo parens,
Vultu benigno respice:
Memento, quod sumus tui
Licet indigni filii.

Tu nostra pax et gloria,
Dulcis Parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis horâ suscipe.

Doxolog. de tempore.

Ant. Resperge. *Temp. paschal. ant.* Eripuit.

PSALM. 71.

Deus judicium tuum Regi da: * et misericordiam tuam Reginæ Matri ejus.

In manu tuâ salus et vita consistunt: * lætitia perpetua, et æternitas gloriosa.

Resperge cor meum dulcedine tuâ: * fac me oblivisci miserias hujus vitæ.

Trahe me post te vinculis misericordiæ tuæ: * et fomentis gratiæ et pietatis tuæ sana dolorem meum.

Concupiscentias sempiternas excita in animam meam: * et de gaudio paradisi inebria mentem meam.

PSALM. 72.

Quàm bonus Israel Deus * his qui colunt Matrem suam, et venerantur!

Ipsa enim est solatium nostrum * et in laboribus subventio nostra.

Obtexit caligine animam meam hostis: * in visceribus meis, Domina, lumen fac oriri.

Avertatur à me ira Dei per te: * placa eum meritis, et precibus tuis.

In judicio pro me assiste: * coram eo suscipe causam meam, et mea sis advocata.

PSALM. 73.

Ut quid, Domina, repulisti nos: * nec subvenis in die tribulationis?

Ingrediatur oratio mea in conspectu tuo: * et voces gementium

ne despexeris.

Intendit arcum suum contra nos inimicus: * firmavit dexteram suam, et non est consolator.

Disrumpe in nobis ligaturam malitiarum suarum: * et libera nos dexterâ tuâ.

Repelle eum in locum perditionis: * sempiterna damnatio suscipiat eum.

Ant. Resperge cor meum dulcedine tuâ. *ant.* Fortitudo.

PSALM. 74.

Confitebimur tibi, Domina, et laudabimus nomen tuum: * fac nos in tuis laudibus delectari.

Cantate ei, habitatores terræ: * et laudem ejus in populis nuntiate.

Confessio et magnificentia coram illâ: * fortitudo et exultatio in throno illius.

Adorate illam in decore illius: * glorificate opificem pulchritudinis illius.

Recordamini in sempiternum misericordiæ illius: * retinete in mente virtutes et mirabilia illius.

PSALM. 75.

Notus in Judæâ Deus: * in Israel honorificentia Matris ejus.

Dulcis est memoria ejus super mel et favum: * et amor ejus super omnia aromata.

Salus et vita in domo illius: * et in tabernaculo illius est gloria sempiterna.

Honorificate illam cœli et terra: * quia summus Artifex hanc mirabilitèr honoravit.

Date illi omnes creaturæ laudem: * et stupendam misericordiam ejus extollite gratulantes.

PSALM. 76.

Voce meâ ad Dominam clamavi: * et suâ gratiâ intendit mihi.

Abstulit à corde meo mœstitiam et mœrorem: * et suavitate suâ cor meum dulcoravit.

Formidinem meam erexit in confidentiam bonam: * et suo aspectu mellifluo mentem meam serenavit.

Adjutorio sancto suo evasi pericula mortis: * et de manu crudelis subterfugi.

Gratias Deo et tibi, Mater pia: * de omnibus, quæ assecutus sum pietate et misericordiâ tuâ.

Ant. Fortitudo et exultatio in throno illius. *ant.* Pulchritudo.

PSALM. 77.

Attendite, populi Dei, præcepta Dei: * et Reginæ gratiæ nolite oblivisci.

Aperite cor ad investigandum eam: * et labia ad glorificandum illam.

Descendat amor ejus in cordibus vestris: * concupiscite placere illi.

Pulchritudo ejus vincit solem et lunam: * compositio ejus ad ornamenta virtutum.

Miserere mei, Regina gloriæ et honoris: * et ab omni periculo custodi mentem meam.

PSALM. 78.

Domina, venerunt gentes in hæreditatem Dei: * quàs tu meritis tuis Christo confœderasti.

Sit eloquium tuum dulce coram ipso: * et conjunge me illi, qui me redemit.

Extende brachium tuum contra hostem crudelem: * et denuda mihi versutiam illius.

Vox tua dulcis super omnem melodiam: * armonia angelica eimon valet comparari.

Distilla mihi suavitatem gratiarum tuarum: * et tuorum charismatum fragrantiam et odorem.

PSALM. 79.

Qui regis Israel, intende ad me: * fac me dignè Matrem tuam collaudare.

Expergiscere de pulvere anima mea: * perge in occursum Reginæ cœli.

Solve vincula colli tui, paupercula anima mea: * et gloriosis laudibus accipe illam.

Odor vitæ de illâ progreditur: * et omnis salus de corde illius scaturizat.

Charismatum suorum fragrantiâ suavi: * animæ mortuæ suscitantur.

Ant. Pulchritudo ejus vincit solem.

Per ann. ℣. Accedite ad. ℟. Et facies vestra.

In ade. ℣. Benedicta tu. ℟. Et Benedict.

Temp. pasc. ant. Eripuit me de tribulatione meâ, et consolatus est me, alleluia.

℣. In resurrectione tuâ. ℟. Virgo MARIA.

Deindè Lectiones huic feriæ pro tempore assignatæ. Absol. et benedictiones ut in Feriâ II.

AD LAUDES.

℣. Deus, in. ℟. Dom. ad. &c.

Ant. Capacissima. *Tempore pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 80.

Exultate Dominæ, adjutrici nostræ: * jubilate in lætitiâ cordis vestri.

Accendantur affectus vestri in illam: * et inimicos vestros induet confussione.

Imitemur humilitatem ejus: * obedientiam, et mansuetudinem illius.

Omnes gratiæ radiant in illâ: * capacissima enim fuit capacitas illius.

Currite ad illam cum devotione sanctâ: * et de bonis suis participabit vobis.

Ant. Capacissima fuit capacitas illius. *ant.* Terge.

PSALM. 81.

Deus in synagogâ Judæorum: * de quâ ut rosa de sentibus progressa est Mater Dei.

Terge fœditatem meam, Domina: * quæ semper rutilas puritate.

Fonte vitæ influe in os meum: * ex quo viventes aquæ profluunt et emanant.

Omnes sitientes venite ad illam: * et de fonte suo gratanter vos potabit.

Qu hauriet ex eo, saliet in vitam æternam: * et qui bibit ex eo, non sitiet unquàm.

Ant. Terge fœditatem meam. *ant.* Liqueat.

PSALM. 82.

Domina mea, quis similis erit tibi: * quæ gratiâ et gloriâ superemines universas.

Sicut exaltantur cœli à terrâ: * sic tu præcelsior cunctis et nimis exaltata.

Vulnera cor meum charitate tuâ: * fac me dignum gratiâ et muneribus tuis.

Liqueat caro mea in timore tuo: * et concupiscentiâ tuâ cor meum inflammetur.

Fac me desiderare honorificentiam et gloriam tuam: * ut per te recipiar ad pacem JESU-Christi.

Ant. Liqueat caro mea in timore tuo. *ant.* Dextera.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia. *ant.* Gloriosè.

CANTICUM 7.

D. Bonav. instar illius Moysis. Ex. 15.

Cantemus Dominæ gloriosæ Virgini MARIÆ: * in hymnis et confessionibus benedicamus eam.

Domina nostra, omnipotens post Deum nomen ejus: * currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare.

Dextera tua, Domina, magnificata est in fortitudine: * quia in multitudine misericordiæ tuæ stravisti adversarios meos.

De ore leonis liberasti me, Domina: * et tanquàm infantem genitum Mater suscepisti me.

O Domina, carissima mea! * velut gallina tege me mirabili possessione tuâ.

Tuus totus ego sum; * et omnia mea tua sunt, Virgo, super omnia benedicta.

Ponam te sicut signaculum super cor meum: * quia fortis est ut mors dilectio.

Ant. Dextera Dominæ nostræ magnificata est in fortitudine. *ant.* Magna.

Temp. pasc. ant. Gloriosè magnificatus est Dominus, alleluia. *ant.* Alleluia.

PSALM. 116.

Laudate Dominam, quoniàm bonus est psalmus: * jucunda et decora sit illi nostra laudatio

Ipsa enim medetur contritis corde: * et refovet eos unguento pietatis.

Magna est virtus illius: * et clementia ejus nullum habebit finem.

Præcinite ei in jubilatione: * et in confessione psalmum canite illi.

Beneplacitum est ei super timentes Deum: * et in eis, qui sperant in misericordiâ ejus.

Ant. Magna est virtus illius.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

CAPITULUM. *Sap.* 6. 15.

Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet.

HYMNUS 19. *Ex quod. devot.*

Ave decus virgineum,
Regina regni davidis,
Virga floris dominici
Arca panis angelici.
Stella, Regina sæculi,
Mater illius parvuli,
Quem adorarunt populi,
Et semper colunt pavidi.
Tu sanctarum dulcissima,
Tu puellarum Domina,
Tu virginum dux pervia,
Tu sola salus omnium.
Post JESUM nihil potentius,
Nihil sanctius, nihil jucundius:
Nihil invenitur dulcius,
Nihil purius, nihil sanctius.

Doxolog. de tempore.

Per ann. ℣. Ora pro nobis.
℟. Ut digni eff.
In ade. ℣. Rorate cœli des.
℟. Aperiatur.
In puerp. ℣. Veritas de ter
℟. Et justitia de.

Ad. Benedict. *ant.* Visita nos, * Stella matutina oriens ex alto. *Preces, orat.* &c. *ut in feriâ II.*

Temp. pasc. ℣. Regina cœli.
℟. Quia surrexit.

Ad. Benedict. *ant.* Vidit MARIA * Resurrectionem Domini: prima vidit, et credidit, alleluia, alleluia

AD VESPER.

℣. Deus, in ad. ℟. Dom. ad. &c.

Ant. Sentite. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 84.

Benedixisti, Domine, domum tuam: * consecrasti habitationem tuam.

Hæc est speciosa inter filias Jerusalem: cujus memoria est in benedictione.

Beatissimam prædicaverant illam omnes sancti: * glorificate illam virtutes et dominationes.

Populi gentium exquirite prudentiam ejus: * et investigate thesauros misericordiæ illius.

Sentite de illâ in bonitate: * et in simplicitate cordis exquirite illam.

Ant. Sentite de illâ in bonitate. *ant.* Fons.

PSALM. 85.

Inclina, Domina, aurem tuam, et exaudi me: * converte vultum et miserere mei.

Distillatio dulcoris tui oblectat

animas sanctorum: * et infusio charitatis tuæ super mel dulcissimum.

Irradiatio gloriæ tuæ dilucidat intellectum: * et lux miserationum tuarum perducit ad salutem.

Fons bonitatis tuæ inebriat sitientes: * et aspectus faciei tuæ retrahit à peccato.

Scire et cognoscere te est radix immortalitatis: * et enarrare virtutes tuas est via salutis.

Ant. Fons bonitatis tuæ inebriat sitientes. *ant.* Virtus tua.

PSALM. 87.

Domina auxiliatrix salutis meæ: * in die clamavi et nocte coram te.

Ingrediatur oratio mea in conspectu tuo: * consolare cum facie tuâ mœstitiam meam.

Multiplicata sunt mala in animâ meâ: * expurga eam de sordibus et peccatis.

Virtus tua persequatur inimicos nostros: * ne nos impediant ad salutem.

Confer gratiam animæ ad resistendum eis: * conforta cor nostrum contra concupiscentias carnis.

Ant. Virtus tua persequatur inimicum. *ant.* Carmen.

PSALM. 89.

Domina, refugium facta es nobis * in cunctis necessitatibus nostris.

Diffusio gratiæ tuæ producit operationes tuas: * et stillicidium dulcoris tui affectiones facit sanctissimas.

Miserationum tuarum, Domina, recordabor: * sacrificium laudis, et carmen lætitiæ psallam tibi.

Qui honorant te coronam pro cinere obtinebunt: * et pallium laudis pro spiritu mœroris.

Qui sperant in te, amicti lumine induentur: * gaudium et perpetuam lætitiam sortientur.

Ant. Carmen lætitiæ psallam tibi. *ant.* Confitemini.

PSALM. 91.

Bonum est confiteri Virgini MARIÆ: * et psallere illi gloriam prosperitas est mentis.

Annunciare merita ejus lætificat intellectum: * et imitari opera ejus exhilarat angelos Dei.

Qui acquirit gratiam ejus, * agnoscetur à civibus paradisi.

Et qui habuerit claritatem nominis ejus, * annotabitur in libro vitæ.

Exurge, Domina, et judica causam nostram: * et ab insurgentibus in nos libera nos.

Ne retrahas à peccatore dexteram tuam: * et excipe gladio tuo jacula vastatoris.

Ant. Confitemini Virgini gloriosæ. *Temp. pasc. ant.* Alleluia, alleluia, alleluia.

CAPITULUM. *Prov.* 8. 35.

Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem à Domino: qui autem in me peccaverit, lædet animam suam.

HYMNUS 20.

Sydus MARIÆ splendidum,
Te laudet omne sæculum:
Ex quo sub mundi vespere
Sol ortus est justitiæ.

Da cor tenebris eripi,
Da verâ luce perfrui,
Quæ noctem vitæ veteris
Novis illustret meritis.

Per te purgemur vitiis,
Solvamur culpæ vinculis:
Mens vulsis spinis eruta
Virtutum gerat germina.

Dozolog. de tempore.

Per anv. ℣. Vultum tuum depr. ℟. Omnes div.

In adv. ℣. Prophetæ prædic. ℟. Nasci Salv.

In puerp. ℣. Veritas de terrâ. ℟. Et justitia.

Ad. Magnificat. *ant.* Exultavit Spiritus meus, * quia ancillam humilem respexit Deus.

Preces Orat. &c. ut in feriâ II.

Temp. pasc. ℣. Gaude et lætare. ℟. Quia surr.

Ad. Magnificat. *Ant.* Exultavit Spiritus meus * in Deo salutari meo. alleluia, alleluia.

AD COMPLETOR.

℣. Converte. ℟. Et averte. ℣. Deus, in ad. &c. *ant.* Servite. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 93.

Deus ultionum Dominus: * sed tu, Mater misericordiæ, ad miserandum inflectis.

Magnificentia tua prædicatur in sæculum: * qui autem colunt te, invenient viam pacis.

Servite illi reverenter exultantes: * et sanabit vos benedictus fructus ventris illius.

Respice, Domina, humilitatem servorum tuorum: * et laudabunt te in generationibus sæculorum.

Magnifica nomen tuum in multiplicatione gratiarum tuarum: * et ne sinas servos tuos subjacere periculis.

PSALM. 94.

Venite, exultemus Dominæ nostræ: * jubilemus salutiferæ MARIÆ Reginæ nostræ.

Præoccupemus faciem ejus in jubilatione: * ei in canticis collaudemus eam.

Venite, adoremus, et procidamus ante eam: * confiteamur illi cum fletibus peccata nostra.

Impetra nobis, Domina, indulgentiam plenam: * assiste pro nobis ante tribunal Dei.

Suscipe in fine animas nostras: * et introduc nos in requiem æternam.

PSALM. 95.

Cantate plenæ gratiæ canticum novum: * cantate MARIÆ omnes terrigenæ orbis.

Quoniam omnes angelos sanctitatitate præcellit et natos mulierum, * virtutibus, mirabilibus et signis.

Formositas et gloria in vultu illius: * gratia in oculis ejus.

Afferte illi gloriam et honorem: * exultate in eâ omnes creaturæ Dei.

Admirabile commercium habetis per eam: * ex quâ vocati estis filii Dei excelsi.

Ant. Servite illi reverenter exultantes. *Temp. pasc. ant.* Alleluia, alleluia, alleluia.

Reliqua ut in Dominicâ, p. 18.

FERIA VI.

AD MATUTINUM.

Ave. ℣. Dom. lab. ℟. Et os m. ℣. Deus, in adj. &c.

Invitatorium. Qui elucidant me, * Vitam æternam habebunt.

HYMNUS 21. *S. Petr. Dam.*

MARIA decus hominum
Regis æterni solium,
Septem columnis edita
Domus à sapientia.

Tu fontis fons viventis
Oriens orientis;
Liber ille signatus
Victori viro datus.

Tu porta templi clausa,
Superni Regis aula;
Ærarium talenti
Per quod sumus redempti.

Tu nova maris stella,
Celsi poli fenestra;
Scala quâ cœlum terris
Jungis ima supernis.

Tu nos venturo Judici
Commenda prece supplici:
Tuis intentos laudibus
Mitis cernat ac placidus.

Sit tibi laus, Altissime,
Qui natus es ex Virgine:
Sit honor ineffabili

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Patri, Sancto que Flamini. Amen.

Ant. Adorate. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 96.

Dominus regnavit: * exultet MARIA in omni imperio dominationis suæ.

Adorate eam cives curiæ paradisi: * exaltate eam Virgines speciosæ filiæ ejus.

Quoniàm elevata est super principatus et dominationes; * exaltata est super angelorum et archangelorum legationes.

Patriarchæ et Prophetæ concrepate illi laudem: * concentum illi facite Apostoli, Martyresque Christi.

Confessores cum Virginibus de canticis Sion dicite canticum ei: * et regratiamini ei Monachi sancti de accepîs triumphis.

PSALM. 97.

Cantate Dominæ nostræ canticum novum: * quia mirabilia fecit.

In conspectu gentium revelavit misericordiam suam: * in extremis terræ auditum est nomen ejus.

Recordare, Domina pauperum et miserorum: * et sustenta eos ope refrigerii sancti tui.

Tu autem, Domina, suavis et verax: * patiens nimis, et miseratione plena.

Conculca hostes animarum nostrarum: * et contumaciam illorum elide brachio sancto tuo.

PSALM. 98.

Dominus regnavit, irascantur populi: * MARIA sub Cherubim sedet à dextris.

Magna est in Sion gloria tua, Domina: * et in Jerusalem magnificentia tua.

Cantate ante eam chori virginales: * et adorate thronum ejus, quia sanctus est.

In dexterâ ejus ignea lux: * et in circuitu ejus sanctorum milia.

Mandata ejus ante oculos ejus: * et justitiæ regula in corde ejus.

Ant. Adorate eam cives paradisi. *ant.* Lætifica.

PSALM. 100.

Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domina: * psallam tibi in exultatione cordis, cum lætificaveris animam meam.

Laudabo nomen tuum, et gloriam tuam: * et præstabis refrigerium animæ meæ.

Zelatus sum amorem et honorem tuum: * ideò defendas causam meam ante judicem sæculorum.

Allectus sum gratiâ et bonitate tuâ; * oro, ne fraudes spe, et confidentiâ bonâ.

Confòrta animam meam in novissimis; * et in carne istâ fac me conspicere Salvatorem.

PSALM. 101

Domina, exaudi orationem meam: * et clamor meus ad te veniat.

Non avertas sacrum aspectum tuum à me: * neque abomineris me propter immunditiam meam.

Non derelinquas me in cogitatu, et consilio inimicorum meorum: * et ne sinas me cadere in exprobationem illorum.

Qui confidunt in te, non timebunt colubrum tortuosum: * et qui exaltant te præceptis evaduni manus acherontis.

Per virginalem conceptum tuum da mihi in te confidentiam bonam: * et per admirabilem partum tuum lætifica animam meam.

PSALM. 102.

Benedic anima mea Matri JESU-Christi: * et omnia præcordia mea glorificate nomen ejus.

Ne obliviscaris beneficia ejus: * nec gratiam, nec consolationem illius.

Gratiâ ejus peccata relaxantur: * et misericordiâ ejus ægritudines reparantur.

Benedicite ei omnes virtutes cœlorum: * glorificate eam chori Apostolorum et Prophetarum.

Benedicite ei mare, et insulæ gentium: * hymnum dicite ei cœli et habitatores eorum.

Ant. Lætifica animam meam. *ant.* Salus.

PSALM. 103.

Benedic, anima mea, Virgini MARIÆ: * honor et magnificentia ejus in perpetuum.

Formositatem et pulchritudinem induisti: * amicia es, Domina, fulgenti vestimento.

De te procedit peccatorum medela, * et pacis disciplina, et fervor charitatis.

Imple nos servos tuos virtutibus sanctis: * et ira Dei non appropinquet nobis.

Jucunditatem æternam da servis tuis: * et noli eos oblivisci in certamine mortis.

PSALM. 104.

Confitemini Dominæ nostræ, et invocate nomen ejus: * cantate ei narrantes virtutes ejus.

Laudate et exaltate eam, virgines filiæ Sion: * quia desponsabit vobis Regem Angelorum.

Honorate Reginam plenam omni gratiâ: * et contemplamini cum reverentiâ sanctissimum vultum ejus.

Salus sempiterna in manu tuâ, Domina: * qui te dignè honorificaverunt, susciperunt illam.

Clementia tua non deficiet à sæculis æternis: * et misericordia tua à generatione in generationem.

PSALM. 105.

Confitemini Dominæ nostræ, quoniàm bonum est: * per cunctas tribus terræ enarrate misericordias ejus.

Longè est ab impiis conversatio ejus: * à viâ Altissimi non declinavit pes ejus.

Fons irrigantis gratiæ procedit ed ore illius: * et emanatio virginalis sanctificans animas castas.

Spes de gloriâ paradisi in corde illius: * qui devoto animo honorificaverit illam.

Miserere nostri, fulgentissima Regina cœli: * et præsta consolationem de gloriâ tuâ.

Ant. Salus sempiterna in manu tuâ.

℣. Accedite ad eam. ℟. Et facies.

In adv. ℣. Benedicta tu. ℟. Et benedictus.

Temp. pasc. ant. Glorificate eam chori Apostolorum, alleluia. ℣. In resurrect. ℟. Virgo MARIA.

Lectiones de feriâ VI. pro temporis diversitate.

Absolutio et Bened. ut in Feriâ III.

AD LAUDES.

℣. Deus, in. ℟. Dom. ad &c.

Ant. Beatus vir. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 106.

Confitemini Domino, quoniàm bonus: * confitemini Matri ejus, quoniàm in sæculum misericordia ejus.

Innocentiam et viam prudentiæ ostende nobis, Domina: * et viam intelligentiæ indica servis tuis.

Timor Dei illustrat intellectum; * et amor tuus exhilarat illum.

Beatus vir, cujus eloquium est tibi gratum; * illius ossa impinquabuntur adipe et pinguedine.

Eloquium tuum sustentat animam imbecillem: * et labia tua esurientem animam refocillant.

Ant. Beatus vir, cujus eloquium est tibi gratum. *ant.* Emissiones.

PSALM. 107.

Paratum cor meum, Domina, paratum cor meum: * laudes psallere et cantare.

Major est charitas tua cunctis divitiis: * et gratia tua super aurum

et lapidem pretiosum.

Beatitudo et justitia donantur à Deo: * qui autem de peccatis convesti fuerint ad te, pœnitentiæ remedium consequentur.

Emissiones tuæ gratia et pax: * qui autem tibi placuerit, procùl fiet à perditione.

Esto umbraculum in tentationibus nostris: * expansio manuum tuarum defendat nos à devorante.

Ant. Emissiones tuæ gratia et pax. *ant.* Respice.

PSALM. 108.

Domina, laudem meam ne despexeris: * et hoc dedicatum tibi psalterium digneris acceptare.

Respice voluntatem cordis mei: * et affectionem meam fac tibi beneplacentem.

Propera ad visitandum servos tuos: * sub tegumento manûs tuæ illæsi conserventur.

Illuminationem Spiritûs Sancti per te suscipiant: * et refrigerium contra cupiditatis destum.

Medere contritis corde, Domina: * et refove eos unguento pietatis.

Ant. Respice voluntatem cordis mei. *ant.* Operuit.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia. *ant.* Egressa.

CANTICUM 8.

D. Bonaventuræ instar Habacuc. c. 3.

Domina, audivi auditionem tuam, et timui: * consideravi opera tua, et expavi.

Domina, opus tuum, * circa medium annorum vivificasti illud.

Confitebor tibi, Domina; * quia abscondisti hæc à sapientibus, et revelasti ea parvulis.

Operuit cœlos gloria tua: * et misericordiâ tuâ plena est terra.

Egressa es, Virgo, in salutem populi tui: * in salutem cum Christo tuo.

O benedicta, in manibus tuis est reposita nostra salus: * recordare pia paupertatis nostræ.

Quem vis ipse salvus erit: * et à quo avertis vultum tuum, vadit in interitum.

Ant. Operuit cœlos gloria tua. *ant.* Spiritus.

Temp. pasc. ant. Egressa est Virgo in salutem populi sui, alleluia. *ant.* Alleluia.

PSALM. 145.

Lauda, anima mea, Dominam: * glorificabo eam, quamdiù vixero.

Nolite cessare à laudibus ejus: * et per singula momenta recogitate illam.

Cum exierit spiritus meus, Domina, sit tibi commendatus: * et in terrâ ignotâ præsta illi ducatum.

Non conturbent eum culpæ priùs commissæ: * nec teneant ipsum occursus malignantis.

Perduc eum ad portum salutarem: * ibi præstolatur securè adventum Redemptoris.

Ant. Spiritus meus, Domina, sit tibi commendatus.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

CAPITULUM. *Cantic. 4. 11*

Favus distillans labia tua, mel et lac sub linguâ tuâ, et odor vestimentorum tuorum sicut thuris.

HIMNUS 22. *Ex D. Bernardo.*

O Virgo mi dulcissima,
Spes spirantis animæ,
Te quærunt piæ lacrimæ,
Te clamor mentis intimæ!
Tu lumine lucidior,
Tu balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior,
Cæteris amabilior.
Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio:
Tu mea gloriatio,
Virgo mundi salvatio.
Tu fons misericordiæ,

Tu veræ lumen patriæ,
Pelle nubem tristitiæ,
Dans nobis lucem gloriæ.

Dozolog. de tempore.

Per ann. ℣. Ora pro nob. ℟. Ut dign.

In adv. ℣. Rorate cœli des. ℟. Et nubes.

In puerp. ℣. Veritas de ter. ℟. Et justitia de.

Ad. Benedict. *ant.* Stella matutina, * illuminare his, qui in tenebris sedent. *Preces, orat. &c. ut in fer. II.*

Temp. pasc. ℣. Regina cœli. ℟. Quia surrex.

Ad. Benedict. *ant.* Qui pendebat * è ligno crucis, surrexit summo diluculò, alleluia, alleluia.

AD VESPER.

Ave. ℣. Deus, in adj. ℟. Dom. ad. *Ant.* Visitatio. *Temp. pasch. ant.* Alleluia.

PSALM. 114.

Dilexi Matrem Dei, Domini mei: * et lux miserationum ejus infulsit mihi.

Circumdederunt me dolores mortis: * et visitatio MARIÆ lætificavit me.

Dolorem, et periculum incurri: * et recreatus sum gratiâ illius.

Nomen ejus, et memoriale illius sit in medio cordis nostri: * et non nocebit nobis ictus malignantis.

Convertere anima mea in laudem ipsius: * et invenies refrigerium in novissimis tuis.

Ant. Visitatio MARIÆ lætificavit me. *ant.* Compatere.

PSALM 115.

Credidi, propter quod locutus sum * gloriam tuam, Domina, orbi terræ.

Compatere animæ meæ, et dirige illam: * dignare beneplacitum tuum insinuare illi.

Statue illi testamentum pacis, et dilectionis tuæ: * præbe illi ingenui memoriam nominis tui.

De benedictione ventris tui da mihi sustentationem: * et de pinguedine gratiæ tuæ dulcora animam meam.

Disrumpe vincula peccatorum meorum: * et de virtutibus exorna faciem animæ meæ.

Ant. Compatere animæ meæ. *ant.* Veritas.

PSALM. 116.

Laudate Dominam nostram omnes gentes: * glorificate eam omnes populi.

Quoniàm confirmata est super nos gratia et misericordia ejus: * et veritas illius permanet in æternum.

Qui dignè coluerit illam, justificabitur: * qui autem neglexerit illam, morietur in peccatis suis.

Labia angelorum enarrabunt sapientiam ejus: * et omnes cives paradisi cantabunt ejus laudem.

Bono animo accedentes ad illam: * non capientur ab angelo devastante.

Ant. Veritas illius permanet in æternum. *ant.* Via.

PSALM. 117.

Confitemini Domino, quoniàm bonus: * confitemini Matri ejus, quoniàm in sæculum misericordia ejus.

Amor illius expellit peccatum à corde: * et gratia illius expiat conscientiam peccatoris.

Via veniendi ad Christum est appropinquare ad illam: * qui autem fugerit eam, non inveniet viam pacis.

Qui obduratus est in peccatis, sæpè invocet iliam: * et lux in suis tenebris orietur.

Qui tristatur in corde suo, clamet ad illam: * et dulcoranti stillicidio inebriabitur.

Ant. Via veniendi ad Christum est appropinquare ad illam. *ant.* Domina.

PSALM. 119.

Ad Dominam, cum tribularer, clamavi: * et exaudivit me.

Domina, libera nos ab omni malo * cunctis diebus vitæ nostræ.

Contere caput inimicorum nostrorum * pede insuperabili virtutis tuæ.

Ut exultavit spiritus tuus in Deo salutari tuo: * sic veram digneris infundere lætitiam cordi meo.

Ad Dominum accede rogatura pro nobis, * ut per te nostra peccata deleántur.

Ant. Domina, libera nos ab omni malo.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

CAPITULUM. *Cant.* 6. 3.

Pulchra es, amica mea, suavis et decóra sicut Jerusalem: terribilis, ut castrorum acies ordinata.

HYMNUS 23. *Salla.*

Urgente apud nos permane,
Regina lucis, vespere,
Lustrans tuo nos lumine
Mundo tenebris obrulo.

Flammâ tuâ videlicet
Caligo mentis pellitur
Spes confovetur algida,
Ardescit igne charitas.

Palescit hâc versutia
Tecnas parantis dæmonis,
Coctum cor hâc infictile
Hujùsce vis eliditur.

Tu namque pulchræ Mater es
Dilectionis, scilicet
Illius ignis, Filius
Terris tuus quem miserat.

Doxolog. de tempor.

Per ann. ℣. Vultum tuum. ℟. Omnes div.

In adv. ℣. Prophetæ prædi. ℟. Nàsci Salv.

In puerp. ℣. Veritas de ter. ℟. Et justitia.

Ad. Magnific. *Ant.* Beatam me dicent * omnes generationes, quia fecit mihi magna Dominus.

Oratio, Preces &c. ut in feriâ II.

Temp. pasc. ℣. Gaude et. ℟. Quia surr.

Ad. Magnific. *ant.* Dextera Domini * magnificata est in fortitudine, alleluia, alleluia.

AD COMPLETOR.

℣. Converte. ℟. Et averte. ℣. Deus, in adj. &c. *ant.* Custodi nos. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 120.

Levavi oculos meos ad te, Mater Christi: * per quam venit solatium omni carni.

Auxilium tuum, et gratiam tuam nobis impende * in omni tribulatione nostrâ.

Custodi nos, Virgo MARIA, * ne peccatorum laqueo capiamur.

Non dormit, neque dormiet pupilla oculi tui: * ut tuâ sempèr custodiâ protegamur.

Angelorum et hominum te laudat omnis lingua: * et ante te omnia genua curvantur.

PSALM. 121.

Lætatus sum in te, Regina cœli: * quia te duce, in domum Domini ibimus.

Jerusalem cœlestis civitas: * ad te, MARIA prævià, veniemus.

Pacem et indulgentiam nobis impetra: * et palmam de hostibus, et triumphum.

Confortare et consolare cor nostrum * tuæ dulcedine pietatis.

Sic nobis, Domina, tuam infunde clementiam: * ut devotè in Domino moriamur.

PSALM 122.

Ad te levavi oculos meos: * Regina, quæ habitas in cœlis.

Adjutorium nostrum in virtute sit nominis tui: * per te omnia opera nostra dirigantur.

Benedicta sis in cœlo, et in terrâ: * in mari, et in omnibus abyssis.

Benedicta sit fœcunditas tua: * benedicta sit virginitas et munditia tua.

Benedictum sit corpus tuum sanctum: * benedicta sit anima tua sanctissima.

Ant. Custodi nos, Domina, Virgo MARIA.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Reliqua de Dominicâ p. 18.

SABBATO.

AD MATUTIN.

Ave. ℣. Dom. lab. ℟. Et os m. ℣. Deus, in adj. &c.

Invitatur. Confitemini Dominæ nostræ: * Et invocate nomen ejus.

Hymnus 24.

O Virgo formosissima!
At te canendum surgimus:
Te nostra quærunt pectora
Te mente clamor intimâ.

Mentes, manusque tollimus,
Te deprecantes supplices:
Te cogat indulgentia
Nostras voces attendere.

Tu vides nostram sarcinam,
Peccata, quæ nos opprimunt:
Exonera nos crimine,
Dissolve nostra vincula.

Esto, Benigna, vulnerum,
Nostri medela spiritûs:
Carnemque fac promptissimam
Et sorde munda pectora.

Tu quidquid oras, impetras;
Tu quidquid optas, obtines:
Natus tibi nil denegat
Est qui Deus cunctipotens.

Doxolog. de tempore.

Ant. Esto Virgo. *Temp. paschal. ant.* Exaltabo.

PSALM. 123.

Nisi, quia Domina nostra erat in nobis: * invenissent nos pericula multa.

Esto, Virgo, defensatrix nostra: * et ante Deum advocata propitia.

Ostende nobis, Domina, misericordiam tuam: * et conforta nos in servitio sancto tuo.

Benedicant te sancti angeli in cœlo: * benedicant te omnes homines super terram.

Ne tradas bestiis animas confitentium tibi: * ora te canentium non obturentur.

PSALM. 124.

Qui confidunt in te, Mater Dei: * non timebunt à facie inimici.

Gaudete et exultate omnes qui diligitis eam: * quia adjuvabit vos in die tribulationis vestræ.

Reminiscere miserationum tuarum, Domina: * et releva peregrinationem incolatûs nostri.

Converte amabilem vultum tuum super nos: * confunde et destrue omnes inimicos nostros.

Benedicta sint omnia opera manuum tuarum Domina: * benedicta sint omnia sancta miracula tua.

PSALM. 125.

In convertendo faciem tuam serenissimam super nos: * lætificabis nos, virginea mater Dei.

Benedicta sis, ó Sacrarium Christi: * præ cunctis mulieribus super terram.

Benedictum sit gloriosum nomen tuum: * quod os Domini mirabiliter nominavit.

Non deficiat laus tua de labiis nostris: * nec charitas tua de præcordiis nostris.

Qui te diligunt, benedicantur à Deo: * et qui te volunt diligere, non defraudentur à fide.

Ant. Esto, Virgo, defensatrix nostra *ant.* Benedictum.

PSALM 126.

Nisi, Domina, ædificaveris domum cordis nostri: * non permanebit ædificium ejus.

Ædifica nos gratiâ et virtute tuâ:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

* ut maneamus firmi in perpetuum.

Benedictum sit eloquium tuum: * et benedicta sint omnia verba oris tui.

Benedicantur à te, qui te benedicunt: * et in numero justorum computentur.

Benedic, Domina, te benedicentes: * et ne unquàm avertas ab eis gratiosum vultum tuum.

PSALM. 127.

Beati omnes qui timent Dominam nostram: * et beati omnes, qui sciunt facere voluntatem tuam, et beneplacitum tuum.

Benedicti sint pater et mater, qui te genuerunt: * quorum memoria permanet in sæculum.

Benedictus est venter, qui te portavit: * et benedicta sunt ubera, quæ te lactaverunt.

Converte misericordiam tuam super nos: * et deprecabilis esto super servos tuos.

Intuere et respice opprobium nostram: * aufer à nobis cunctas iniquitates nostras.

PSALM. 128.

Sæpè expugnaverunt me à juventute meâ inimici mei: * libera me, Domina, et vindica me ab ipsis.

Ne des illis potestatem in animam meam: * custodi omnia interiora, et exteriora mea.

Obtine nobis veniam peccatorum; * per te Sancti Spiritûs gratia nobis detur.

Fac nos dignè et laudabilitèr pœnitere: * ut beato fine ad Deum veniamus.

Placatum tunc et serenissimum nobis ostende * gloriosum fructum ventris tui.

Ant. Benedictum sit eloquium tuum. *ant.* Erue me.

PSALM. 129.

De profundis clamavi ad te, Domina: * Domina, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem laudis, et glorificationis meæ.

Libera me de manu adversariorum meorum, * confunde ingenia et conatus eorum contra me.

Erue me in die malâ: * et in die mortis non obliviscaris animæ meæ.

Deduc me ad portum salutis: * inter justos scribatur nomen meum.

PSALM. 130.

Domina, non est exaltatum cor meum: * neque sublimati sunt oculi mei.

Benedixit te Dominus in virtute tuâ: * qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros.

Benedictus sit, qui te à peccato originali præservavit: * et mundam de matris utero te produxit.

Benedictus sit, qui te obumbravit: et suâ gratiâ te fœcundavit.

Benedic nos Domina, et conforta nos in gratiâ tuâ, * ut per te ante conspectum Domini præsentemur.

PSALM. 131.

Memento, Domina, David: * et omnium invocantium nomen tuum.

Da nobis in nomine tuo fiduciam: * et confundantur adversarii nostri.

Consolare nos in terrâ peregrinationis nostræ: * et releva paupertatem nostram.

Da nobis panem lacrymarum, Virgo Sancta: * et dolorem peccatorum in terrâ incolatûs nostri.

Redde nobis propitium benedictum fructum ventris tui, * et Spiritûs Sancti gratiâ repleamur.

Ant. Erue me in die malâ.

Per ann. ℣. Accedite ad eam. ℟. Et facies.

In adv. ℣. Benedicta tu. ℟. Et benedictus.

Temp. pasc. ant. Exaltabote, * Domine, quoniàm suscepisti me, allel.

℣. In resurrect. ℟. Virgo MARIA.

Lectiones de Sabbato pro temporis diversitate.

Absolutio et Benedictiones ut in Feriâ IV.

AD LAUDES.

℣. Deus. ℟. Dom. ad. &c.

Ant. Esto.

Temp. pasc. ant. Alleluia.

PSALM. 132.

Ecce quàm bonum et quàm jucundum MARIA, * diligere nomen tuum.

Unguentum effusum et aromaticum est nomen tuum * diligentibus ipsum.

Quoniàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domina, * quam præparasti diligentibus, et sperantibus in te.

Esto refugium pauperum in tribulatione: * quia tu es baculus pauperum et miserorum.

Inveniant omnes, quæso, gratiam apud Deum: * qui te in suis necessitatibus invocabunt.

Ant. Esto baculus pauperum. *ant.* Respiremus.

PSALM. 134.

Laudate nomen Domini: * benedicite nomen MARIÆ Matris ejus.

MARIÆ præcamina frequentate: * et suscitabit vobis voluptates sempiternas.

In animâ contritâ veniamus ad illam: * et non stimulabit nos cupiditas peccati.

Qui cogitat de illâ in tranquilitate mentis: * inveniet dulcorem et requiem pacis.

Respiremus ad illam in fruitione nostrâ: * et reserabit nobis atria triumphantium.

Ant. Respiremus ad illam. *ant.* Comprime.

PSALM. 135.

Confitemini Domino, quoniàm bonus: * quoniàm per suam dulcissimam Matrem datur misericordia ejus.

Impetra nobis, Domina, amicitiam JESU-Christi: * et custodi nos, ne perdamus innocentiam nostram.

Comprime hostem nostrum imperio tuo: * ne feriat in nobis virtutem charitatis.

Bona naturalia conserva nobis: * et bona gratiæ per te multiplicentur.

Illumina vias, et semitas nostras: * ut noscamus quæ beneplacita sunt Deo.

Ant. Comprime hostem nostrum. *ant.* In fide.

Temp. pasc. ant. Alleluia, allel. allel. *ant.* In Domino.

CANTICUM 9.

S. Bonavent. instar illius Moysis. Deut. 32.

Audite cœli, quæ loquor de MARIA: * audiat terra verba oris mei.

Magnificate ipsam mecum sempèr: * et exaltemus nomen ejus in sæculum sæculi.

Generatio prava, atque perversa, * agnosce Dominam nostram salvatricem tuam.

Nunquid non ipsa est Mater tua, * quæ possedit, et in fide generavit te?

Si hanc dimittis, non est amicus Cæsaris: * quoniàm sine eâ non salvabit te.

Utinam superes, ac intelligeres, * ac novissima prævideres.

Quemadmodùm infans sine nutrice non potest vivere: * ita sine Dominâ nostrâ non potes habere salutem.

Sitiat ergo anima tua ad ipsam: * tene eam, nec dimitte, donec benedixerit tibi.

Repleatur os tuum laude suâ: * decanta totâ die magnificentiam ejus.

Ant. In fide generavit te Virgo. *ant.* Offeramus.

Temp. pasc. ant. In Domino gaudebo, et exultabo in JESU, Filio meo, alleluia. *ant.* Alleluia.

PSALM. 136.

Super flumina Babylonis sederunt Hæbrei: * nos verò super iniquitates nostras lugeamus.

Clamemus humiles ad puerperam Virginem: * offeramus ei planctus et suspiria nostra.

Non invenitur propitiatio sine illâ, * nec salus sine fructu illius.

Per illam peccata purgantur: * et per fructum illius animæ dealbantur.

Per illam fit satisfactio peccati: * per fructum illius sanitas condonatur.

Ant. Offeramus ei planctus et suspiria nostra

Temp. pasc. ant. Alleluia, allel. alleluia.

CAPITULUM. *Sap.* 8. 16.

Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium.

HYMNUS 25. *Salla.*

Coruscat eccè proximi,
Cui MARIAM cœlites
Mirantur exæquabilem,
Index Eoi lucifer.

Lunam velut pellucidam
Plaudunt et hi pulcherrimam,
Electionis unicæ
Soli fatentes comparem.

Castrensium phalangium
Ut ordinato robore,
Totus solâ perterritus
Quam contremiscit tartarus.

Quos, præmonente phosphoro,
Primo diei lumine
Exordientes, laudibus
Nos æmulari congruit.

Quas prosequentes ultimam
A luce primâ ad vesperam
Nos ducat usque haud devios
Per veritatis semitas.

Orcum simùl coerceat,
Potentiore debiles
Ejusce victas prælio
Ne culpa mentes inquinet.

Doxolog. de tempore.

Per ann. ℣. Ora pro nobis. ℟. Ut digni effic.

In adv. ℣. Rorate cœli des. ℟. Aperiatur.

In puerper. ℣. Veritas de terra. ℟. Et justitia.

Ad. Benedict. *ant.* Oriens ex alto * illuminavit nos stella matutina.

Preces, orat &c. *ut in Feriâ II.*

Temp. pasc. ℣. Regina cœli. ℟. Quia surrex.

Ad. Benedic. *ant.* Illuminare, * Virgo, his qui in tenebris sedent, alleluia, alleluia.

AD VESPERAS.

℣. Deus, in ad. ℟. Dom. ad adj.

Ant. In animâ. *Temp. pasc. ant.* Alleluia.

PSALM. 137.

Confitebor tibi, Domina, in toto corde meo: * quia per te expertus sum clementiam JESU-Christi.

Audi, Domina, verba mea, et preces meas: * et in conspectu angelorum cantabo tibi laudes.

In quâcumque die invocavero te, exaudi me: * et multiplica virtutem in animâ meâ.

Confiteantur tibi omnes tribus et linguæ: * quia per te salus restituta est nobis.

Ab omni perturbatione libera servos tuos: * et fac eos vivere sub pace et protectione tuâ. *ant.* In animâ meâ virtutes multiplica. *ant.* Dulcedo.

PSALM. 138.

Domina, probasti me, et cognovisti me: * ruinam, et transgressionem meam.

Copiosa facta est super me misericordia tua: * et dilatata est super me clementia tua.

Imperfectum meum aspexit oculus tuus, * et palpebræ tuæ viderunt vias meas.

Affluentiam desiderii sancti habeamus à Spiritu Sancto: * et macula peccati non turbet conscientiam nostram.

Serenet corda nostra lux misericordiæ tuæ: * et recreet nos tuæ pacis dulcedo.

Ant. Dulcedo pacis recreet nos, Domina. *ant.* Cadat.

PSALM. 139.

Eripe me, Domina, ab omni malo: * et ab hoste inferni defende me.

Contra me tetendit arcum suum, * et in fraude suâ insidiatur mihi.

Constringe vires ejus malignas: * et obtunde potentèr astutias ejus.

Converte iniquitatem ipsius in verticem illius: * et in foveam, quam fecit, cadat festinantèr.

Nos autem exultemus in servitio tuo: * et in tuis laudibus gloriemur.

Ant. Cadat diabolus in foveam, quam fecit. *ant.* Fac me.

PSALM. 140.

Domina, clamavi ad te, exaudi me: * intende orationi meæ, et postulationi meæ.

Dirigatur obsecratio mea velut incensum in conspectu tuo: * et in tempore sacrificii serotini, et matutini.

Non declinet cor meum in verbis malignantibus: * et nequitia cogitatûs non subvertat sensum meum.

Fac me assentiri beneplacito cordis tui: * et tuis actionibus conformari.

Gladio intelligentiæ reverbera cor meum: * et igniculo charitatis inflamma mentem meam.

Ant. Fac me assentiri beneplacito cordis tui. *ant.* Hostis.

PSALM. 141.

Voce meâ ad Dominam clamavi: * ipsamque humiliter deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus lacrymam meam: * et dolorem meum ipsi exposui.

Insidiatur hostis calcaneo meo: * extendit contra me rete suum.

Adjuva me, Domina, ne corruam coram eo: * fac, ut conteratur sub pedibus meis.

Educ de carcere animam meam, ut confiteatur tibi: * ei psallat Deo forti in perpetuum.

Ant. Hostis meus insidiatur calcaneo meo.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

CAPITULUM. *Cant.* 4. 9.

Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa: vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.

HYMNUS 26.

Te deprecamur vespere,
Dum sol recedit igneus,
O Virgo, luce pulchrior,
Infunde lumen mentibus.

Horis diei singulis
Laudes tibi persolvimus:
Nunc verò nocte proximâ
Laudi preces conjungimus.

Semper draco nam vigilans
Plùs nocte robur exerit;
Illo sed ipsa fortior
Potentiam ejus contere.

Nec, dum tenebris volvitur
Telluris orbis, deseras
Tuos amor quos efficit,
Quos tua stringit charitas.

Doxolog. de tempore.

Per ann. ℣. Vultum tuum. ℟. Omnes div.

In adv. ℟. Prophetæ prædi. ℟. Nasc. Salv.

In puerp. ℣. Veritas de terr. ℟. Et justitia.

Ad. Magnificat. *ant.* Exaltavit * humiles recordatus misericordiæ suæ.

Non dicuntur Preces. Orat de Dom. sequent. Suffrag.

Temp. pasc. ℣. Gaude et læt. ℟. Quia surrexit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad. Magnific, *ant.* Exultavit * Spiritus meus in resurrectione Filii mei, alleluia, alleluia.

AD COMPLET.

℣. Converte. ℟. Et averte.

Ant. Ne avertas. *Temp. pasc. aut.* Alleluia.

PSALM. 142.

Domina, exaudi orationem meam:* percipe tuis auribus supplicationem meam.

Persecutus est malignus vitam meam: * deposuit in terrâ conversationem meam.

Denigravit me caligine suâ: * et anxiatus est nimis spiritus meus.

Ne avertas faciem tuam à me: * ut non corruam cum descendentibus in lacum.

Emitte lucem tuam, et gratiam tuam; * et repara denuò vitam meam, et conscientiam meam.

PSALM. 143.

Benedicta sis, Domina, quæ instruis servos tuos ad prælium: * et eos roboras contra inimicum.

Fulgure, et coruscatione dissipa illum: * mitte jucula tua, ut confundas illum.

Clarifica de alto manum tuam: * et cantent servi tui laudem et gloriam tuam.

Eleva de terrenis affectionem nostram; * de sempiternis deliciis refice viscera nostra.

Concupiscentiam supernorum accende in cordibus nostris: * et de gaudiis paradisi velis nos recreari.

PSALM. 144.

Exaltabo te, Mater Filii Dei: * et per singulos dies cantabo laudes tuas.

Generatio et populi laudabunt opera tua: * et misericordiam tuam insulæ expectabunt.

Abundantiam dulcedinis tuæ angeli eructabunt: * et suavitatem tuam sancti pronuntiabunt.

Oculi nostri sperant in te, Domina; * mitte nobis cibum et escam delectabilem.

Laudationem tuam loquetur lingua mea: * et benedicam te in sæculum sæculi.

Ant. Ne avertas faciem tuam à me, quia persecutus est malignus vitam meam.

Temp. pasc. ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Reliqua ut in Dominicâ, p. 18.

PRECES.

Sequentes preces semper dicuntur in feriali officio extra tempus paschale et vitæ glor. post ant. ad Benedict. *in Laudibus, et post ant. ad* Magnificat *in Vesperis. In adventu vero, in quadragesimâ, quat. temp. et vigiliis (exceptis vigiliis Nativitatis SS. Partûs, et Assumpt. et Vigiliâ et quat. temp. Pentecostes, in quibus diebus nullæ dicuntur preces), dicuntur flexis genibus.*

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. *Secreto.*

℣. Et ne nos. ℟. Sed libera nos.

℣. Libera me, Domina, de manu adversariorum meorum.

℟. Confunde ingenia, et conatus eorum contra me.

℣. Illumina oculos meos, ne unquàm obdormiam in morte.

℟. Ne quandò dicat inimicus meus, prævalui adversùs eum.

℣. Salva me ex ore leonis.

℟. Et de manu canis salva animam meam.

℣. Salvum me fac in tuâ misericordiâ.

℟. Domina, non confundar, quoniam invocavi te.

℣. Dignare, dulcis MARIA.

℟. Nunc et semper nos sine delicto conservare.

In adventu et quadragesimâ dicitur sequens Psalmus: qui in alio

tempore omittitur, et statim dicitur.

℣. Domina, ex. ℟. Et clamor meus.

PSALM. 50.

Miserere mei, Domina: * quæ mater misericordiæ nuncuparis.

Et secundum viscera misericordiarum tuarum: * munda me ab omnibus iniquitatibus meis.

Effunde gratiam tuam super me: * et solitam clementiam tuam ne subtrahas à me.

Quoniàm peccata mea confitebor tibi: * et coràm te me accuso de sceleribus meis.

Fructui ventris tui me reconcilia: * et pacifica me ei, qui me creavit.

Gloria Patri. Sicut erat.

℣. Domine, ex. ℟. Et clamor.

Oratio de Dominicâ præcedenti.

COMMEMORATIONES COMMUNES, SEU SUFFRAGIA SANCTORUM.

IN FINE VESP. ET LAUD. DICENDA.

Sequentes Commemorationes non dicuntur in adv. seu prægnatione, neque in puerperio, neque temp. passionis, nec in paschali, nec in vitâ glor. neque quandò fit Officium duplex, aut de infra octavam.

DE S. JOSEPH.

Ad Vesper. JOSEPH, autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

Ad Laudes. JOSEPH, Fili David, noli timere accipere MARIAM, conjugem tuam; quod enim in eâ natum est, de Spiritu Sancto est.

℣. Constituit eum dominum domûs suæ.

℟. Et principem omnis possessionis suæ.

Oremus. *Oratio.*

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur: ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur.

DE S. JOACHIM.

Ad Vesper et ad Laud. Laudemus virum gloriosum in generatione suâ, quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus.

℣. Potens in terrâ erit semen ejus.

℟. Generatio rectorum benedicetur

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui præ omnibus sanctis tuis beatum Joachim Genitricis Filii tui Patrem esse voluisti; concede quæsumus, ut cujus memoriam veneramur, ejus quoquè perpetuò patrocinia sentiamus.

DE SANTA ANNA.

Ad Vesperas et ad Lau. Ant. Pro puellâ istâ oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum.

℣. Exultavit cor meum in Domino.

℟. Quia lætala sum in salutari tuo.

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui beatæ Annæ gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis Unigeniti tui Mater effici mereretur: concede propitius, ut cujus commemorationem facimus, ejus apud te patrociniis adjuvemur.

DE SANCTIS.

Ad vesp. et ad laud. ant. Sancti Dei omnes, intercedere dignemini pro nostrâ omniumque salute.

℣. Lætamini in Domino, et exultate justi.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oremus. *Oratio.*

Protege, Domine, populum tuum et Apostolorum tuòrum Petri, et Pauli patrocinio confidentem perpetuâ defensione conserva.

Omnes sancti tui, quæsumus, Domine, nos ubique adjuvent, ut

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus: et pacem tuam nostris concede temporibus, et ab Ecclesiâ tuâ cunctam repelle nequitiam: iter, actus et voluntates nostras, et omnium famulorum tuorum, in salutis tuæ prosperitate dispone: benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, et omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dominum.

ANTIPHONÆ

Sequentes dicuntur in fine laudum, et completorii juxta diversa tempora flexis genibus: in dominicis vero et tempore paschali non flectuntur genua.

ANTIPHONA I.

A primis Expectationis B. M. V. Vesper. usque ad ejus Nativ.

HYMN. 27. *S. Anselm.*

Gaude Dei Genitrix Virgo immaculata:
Gaude, quæ gaudium ab angelo suscepisti;
Gaude, quæ genuisti æterni luminis claritatem;
Gaude Mater pietatis, et misericordiæ;
Gaude Sancta Dei Genitrix Virgo:
Tu sola semper innupta:
Te laudat omnis factura
Genetricem lucis:
Sis pro nobis, quæsumus, pia Interventrix.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Oremus. *Oratio.*

Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosâ beatæ MARIÆ, semper Virginis intercessione, à presenti liberari tristitiâ, et æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum.

ANTIPHONA II.

Tempore Infantiæ, á primis vesper. Nativitat. B. V. usque ad Domin. prim. Adventûs.

HYMNUS 28. *S. Petr. Dam.*

Scala, thronusque Dei,
Nitor orbis, janua cœli,
Mater ave Christi,
Scala, thronusque Dei.
Tu nova stella maris,
Quâ lux est reddita terris;
Ortus et es solis,
Tu nova stella Maris.
Tu super astra levas,
Petimus quod subruit Eva;
Illa gravat culpâ,
Tu super astra levas.
Gloria summa Patri,
Genitæ sit gloria proli
Flamine cum parili,
Gloria summa Patri. Amen.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Oratio.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut Beatissimæ Virginis MARIÆ gaudeamus suffulti præsidiis, cujus immaculatæ Infantiæ magnificis informamur exemplis. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus.

ANTIPHONA III.

A vesperis sabbati ante Dom. 1. adv. usque ad primas vesp. SS. Partûs exclusivè.

HYMN. 29.

Alma Redemptoris Mater, quæ pervia cœli
Porta manes, et stella maris, succurre cadenti,
Surgere qui curat, populo: tu quæ genuisti,
Naturâ mirante, tuum sanctum Genitorem.
Virgo priùs ac posteriùs, Gabrielis ab ore

Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

℣. Angelus Domini nuntiavit MARIÆ.

℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

Oremus. *Oratio.*

Gratiam tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde: ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

ANTIPHONA IV.

A primis vesper. SS. Partûs usque ad Purificat.

HYMN. 30.

Inviolata, integra, et casta es MARIA,
Quæ es effecta fulgida cœli porta:
O Mater alma Christi carissima!
Suscipe pia laudum præconia:
Nostra ut pura pectora sint et corpora,
Te nunc flagitant devota corda et ora.
Tua per præcata, dulcisona,
Nobis impetres veniam per sæcula.
O benigna! ó Regina! ó MARIA!
Quæ sola inviolata permansisti.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix, intercede pro nobis.

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui salutis æternæ beatæ MARIÆ virginitate fœcunda humano generi præmia præstitisti, tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum. ℟. Amen.

ANTIPHONA V.

A primis Vesper. Purificat, usque ad Pascham.

HYMN. 31.

Ave, Regina cœlorum,
Ave, Domina Angelorum:
Salve radix, Salve porta,
Ex quâ mundo lux est orta.
Gaude, Virgo gloriosa,
Super omnes speciosa:
Vale, ó valdè decora,
Et pro nobis Christum exora.

℣. Dignare me, laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus. *Oratio.*

Concede, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium: ut qui sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio à nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem Christum, Dominum nostrum. ℟. Amen:

ANTIPHONA VI.

Tempor. Vitæ dolorosæ, ó Vesperis ante Dominicam Passionis usque ad Feriam V. in Cœnâ Domini.

HYMN. 33. *Salla.*

Salve, acuto, quàm beata,
Virgo Mater, prædicata,
Tàm doloris ictu cultro,
JESUS ut peremptus ultrò
Per crucis tormenta diræ
Filios ægros ob iræ;
Quem tuo placa precatu,
Nos ut eximat reatu.

℣. Nos dignare tuos vitâ sentire dolores:

℟. Morteque nos nostrâ, Virgo tuere potens.

Oratio.

Interveniat pro nobis, quæsumus Domine JESU--Christe, nunc et in horâ mortis nostræ apud tuam clementiam Beata Virgo MARIA Mater tua, cujus sacratissimam animam in horâ tuæ passionis doloris gladius pertransivit: Qui vivis et regnas cum Deo

003734

Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus. Per omnia.

ANTIPHONA VII.

A completor. Sabb. Sancti usque ad 1. *Dom. post. Pentec.*

HYMN. 32.

Regina cœli lætare, Alleluia,
Quia quem meruisti portare, Alleluia.
Resurrexit, sicut dixit, Alleluia.
Ora pro nobis Deum, Alleluia.

℣. Gaude, et lætare, Virgo MARIA, Alleluia.

℟. Quia surrexit Dominus verè Alleluia.

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui per Resurrectionem Filii tui, Domini nostri JESU-Christi, mundum lætificare dignatus es: præsta, quæsumus, ut per ejus Genitricem Virginem MARIAM perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eumdem Christum Dom.

ANTIPHONA VIII.

A Compl. Sabb. ante 1 *Dom. post Pentec. usque ad Assumpt.*

Salve, Regina, Mater misericordiæ. Vita, dulcedo, et spes nostra, salve. Ad te clamamus, exules filii Evæ. Ad te suspiramus gementes et flentes in hâc lacrymarum valle. Eja ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et JESUM benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo MARIA!

℣. Ora pro nobis. ℟. Ut digni effic.

Oremus. *Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris MARIÆ corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum efficimereretur, Spiritu Sancto cooperante, præparasti: da, ut cujus commemoratione lætamur, ejus piâ intercessione ab instantibus malis, et à morte perpetuâ liberemur. Per eumd. Christum.

ANTIPHONA IX.

Tempore Vitæ Gloriosæ à primâ Vesper. Asumptionis usque ad finem Augusti recitanda.

HYMNUS 34. *Jacob. Balde.*

Orbis ave Regina, cui subterniture æther,
Pæque turmæ syderum
Ambitione micant.
Cujus certatim submittunt osculasceptro
Illime mentium genus,
Mitis ave Domina.
Salve egressa solo quamvis sitiente liquoris.
Jessea radix, floridum
Gignere visa Deum.
Salve porta sacræ lucis: tua transit ante
Quàm nos adiret, limina
Sol inaperta puer.
Hinc nitet alma dies: gaude, pulcherrima, gaude:
Nam nulla Virgo conferet
Se, speciosa, tibi.
Dulcis amica vale, genitumque inflecte Tonantem:
Decora Mater Numinis,
Dulcis amica, vale. Amen.

℣. Memores erunt Nominis tui, Domina.

℟. In generatione et generationem.

Oratio.

Quæsumus, Omnipotens Deus, ut Sanctissimæ Genitricis tuæ nunquàm nobis desit auxilium, cujus quotidiè non cessamus merita gloriosa recolere. Qui vivis et regnas.

ABSOLUTIONES
et
BENEDICTIONES

dicendæ ante Lectiones in Officio àm nov. quàm trium Lectionum.

In 1. *Nocturno, et in II. et V. Feriis.*

Absolutio.

Exaudi, Domina, preces servorum tuorum, et intercede pro nobis, quæ Mater es Filii Dei excelsi.

℟. Amen.

Benedictiones.

1. Benedictione perpetuâ benedicat nos Virgo Mater Dei. ℟. Amen.

2. Primogenita Dei Filia nos benedicere et adjuvare dignetur. ℟. Amen.

3. Spiritûs Sancti Sponsa in amore Dei accendat corda nostra. ℟. Amen.

In II. Noctur. et in III. et VI. Feriis.

Absolutio.

Ipsius pietas, et misericordia nos adjuvet, quæ prædilecta Filia est Dei Patris. ℟. Amen.

Benedictiones.

1. Dei Mater omnipotentis sit nobis propitia et clemens. ℟. Amen.

2. Filia Dei MARIA perpetuæ obtineat nobis gaudia vitæ. ℟. Amen

3. Ignem divini amoris accendat MARIA in cordibus nostris. ℟. Amen.

In III. Noct. et in Feriâ IV et Sabbat.

Absolutio.

A vinculis peccatorum nostrorum dissolvat nos Sponsa Spiritûs Sancti, Regina cælorum. ℟. Amen.

Benedictiones.

1. Evangelica lectio sit nobis salus et protectio. ℟. Amen.

2. *Bened. mutatur pro temporis diversitate. ut inferiùs pro Festivitatibus notatur, exceptis temporib. vitæ activ. et vitæ contempl. in quibus dicitur quæ sequitur.*

2. Cujus laudes caninus, ipsa Virgo Virginum intercedat pro nobis ad Dominum. ℟. Amen.

3. Per Virginem Matrem concedat nobis Dominus salutem et pacem. ℟. Amen.

Quandò in feriâ IV. et Sabb. fit Officium trium Lectionum, prima benedictio erit.

Nos cum prole piâ benedicat Virgo MARIA. ℟. Amen.

2. Cujus laudes canimus.

3. Per Virginem Matrem.

Quandò nona lectio sit Evangel. cum Homiliâ, nona benedictio erit.

Per evangelica dicta deleantur nostra delicta. ℟. Amen.

Si in officio trium Lectionum legitur Evangelium cum Homil. benedictiones erunt.

1. Evangelica Lectio.

2. Cujus laudes.

3. Per Virginem Matrem.

In festivitatibus octava benedictio erit.

Tempore Expectationis. Cujus adventum expectamus.

Temp. Infantiæ. Cujus infantiam colimus.

Temp. Prægnat. Cujus prægnationem virginalem.

Temp. Puerperii. Cujus partum intemeratum.

Temp. Vitæ Contempl. Cujus festum colimus.

Temp. Passionis. Cujus angustias col.

Temp. paschali. Cujus gaudia col.

Temp. Vitæ actic. Cujus festum colim.

Temp. Vitæ glor. Cujus gloriam colimus.

In comm. Dedict. Cujus festum colimus.

Quæ benedictio octava in aliquibus Festivitatibus etiàm mutatur, et dicitur ea quæ in propriis locis notatur.

In solemnitatibus, quæ habent octavam, benedictio propria dici dicitur quotidiè per octav. nisi in diebus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN © DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

infr octav. alia propria dicenda sit.

DOXOLOGIÆ.

Dicendæ in fine hymnorum ejusdem metri pro diversitate temporum, quandò non assignatur propria.

Tempore Expectationis.

JESU per Annæ Filiam
Venture, sit communitèr
Tibi, Patri, almo Flamini
Interminata gloria. Amen.

Tempore Infantiæ.

Sit Trinitati gloria
Nobis dedit nam Virginem,
Salvos potest quæ reddere
Suos amantes famulos. Amen.

Temp. Præq. seu in Ad.

Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par tibi laus, Spiritus,
Quo dante Virgo concipit,
Manetque sempèr integra. Amen.

Tempore Puerperii.

JESU, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Tempore Vitæ contemplativæ.

Summo Parenti cœlitum,
Magnæque proli Virginis,
Sancto simùl Paraclito
Sit summa laus et gloria. Amen.

Tempore Passionis.

Sit honor, laus, devotio
JESU MARIÆ Filio
Tenso crucis patibulo
Pro redimendo populo. Amen.

Tempore paschali.

JESU, tibi sit gloria,
Surgendo qui de mortuis
Apparuisti Virgini
Matri tuæ, per sæcula. Amen.

Tempore Vitæ activæ.

Summo Parenti cœlitum,
Magnæque proli Virginis,
Sancto simul Paraclito
Sit summa laus et gloria. Amen.

Tempore Vitæ gloriosæ.

Te nunc, Redemptor, quæsumus
Ut Virginis consortio
Jungas precantes servulos
In sempiterna sæcula. Amen.

CONCLUSIONES ORATIONUM

pro earum diversitate.

1. *Si oratio dirigatur ad Patrem dicatur:*

Per Dominum nostrum JESUM-Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

2. *Si dirigatur ad Filium, dicatur:*

Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum.

3. *Si in principio orationis fiat mentio Filii, dicatur:*

Per eumdem Dominum nostrum &c. *ut supra.*

4. *Si in fine orationis, dicatur:*

Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti &c.

5. *Si fiat mentio Spiritûs Sancti, dicatur:*

In unitate ejusdem Spiritûs Sancti &c.

PROPRIUM DE TEMPORE.

I.
EXPECTATIO
B. MARIÆ V.

Quæ à Kalendis Septembris usque ad ejus Nativitatem recolitur.

REPONSORIA

dicenda tàm in Dominicâ, quàm in officio feriali aut simplici toto hoc tempore:

In 1 Noct. Dominicæ, et in feriis II. et V.

℟. 1. Ab æterno Deus te præordinavit Matrem unigeniti Verbi, * Teque sibi pulcherrimam prædestinavit sponsam. ℣. Elegit te Deus ex omni carne.—Teque. *Repetitur usque ad ℣. et sic in alis.* ℟℟.

In officio trium Lectionum omittitur sequens. ℟. *et ejus loco ponitur* ℟. 3. *ut infra.*

℟. 2. Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam: * Antequàm quidquam faceret à principio. ℣. Nondum erant abyssi, necdum fontes aquarum eruperant.—Antequàm.

℟. 3. Elegit eam Deus, et præelegit eam: * Elegit eam in habitationem sibi. ℣. Quam Deus ante sæcula in gloriam nostri generis destinabit.—Elegit.—Gloria.—Elegit. *In offic. 2. Class.* ℟. Elegit. *In II. Noc. Dom. et in fer. III. et VI.*

℟. 4. Matrem suam Deus elegit ex omni carne, * Qui naturus de Virgine universum orbem salvare debebat. ℣. Elegit eam Deus, et prælegit eam.—Qui.

In officio simplic. trium lect. omittitur sequens ℟. *et ejus loco ponitur* ℟ 6. *ut infra.*

℟. 4. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequàm terra fieret. * Dominus possedit me in initio viarum suarum. ℣. Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ. Dominus.

℟. 6. Erexit Deus cornu salutis nobis in domo David pueri sui, * Sicut loculus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum ejus. ℣. Omnes Prophetæ annuntiaverunt dies istos.—Sicut.—Gloria.—Sicut. *In offic. 2 Class. repetitur.* ℟. Erexit.

In III. Noct. Dom. et in Fer. IV. et Sabb.

℟. Priusquàm nascerer, Deo præsens aderam, * Antequàm fierem, benè illi cognita fueram. ℣. Elegit me ante mundi constitutionem, ut essem sancta, et immaculata.—Anteq.

In officio simpl. trium lection. omittitur sequens ℟. *et ejus loco ponitur* ℟. 9 *ut infra.*

℟. 8. Juravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eam: * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. ℣. Jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem nostrum.—De.

℟. 9. Ecce veniet Expectatio omnium gentium: * Festinate et occurrite illi, dicentes: ave gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

infr octav. alia propria dicenda sit.

DOXOLOGIÆ.

Dicendæ in fine hymnorum ejusdem metri pro diversitate temporum, quandò non assignatur propria.

Tempore Expectationis.

JESU per Annæ Filiam
Venture, sit communitèr
Tibi, Patri, almo Flamini
Interminata gloria. Amen.

Tempore Infantiæ.

Sit Trinitati gloria
Nobis dedit nam Virginem,
Salvos potest quæ reddere
Suos amantes famulos. Amen.

Temp. Præq. seu in Ad.

Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par tibi laus, Spiritus,
Quo dante Virgo concipit,
Manetque sempèr integra. Amen.

Tempore Puerperii.

JESU, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Tempore Vitæ contemplativæ.

Summo Parenti cœlitum,
Magnæque proli Virginis,
Sancto simùl Paraclito
Sit summa laus et gloria. Amen.

Tempore Passionis.

Sit honor, laus, devotio
JESU MARIÆ Filio
Tenso crucis patibulo
Pro redimendo populo. Amen.

Tempore paschali.

JESU, tibi sit gloria,
Surgendo qui de mortuis
Apparuisti Virgini
Matri tuæ, per sæcula. Amen.

Tempore Vitæ activæ.

Summo Parenti cœlitum,
Magnæque proli Virginis,
Sancto simul Paraclito
Sit summa laus et gloria. Amen.

Tempore Vitæ gloriosæ.

Te nunc, Redemptor, quæsumus
Ut Virginis consortio
Jungas precantes servulos
In sempiterna sæcula. Amen.

CONCLUSIONES ORATIONUM

pro earum diversitate.

1. *Si oratio dirigatur ad Patrem dicatur:*

Per Dominum nostrum JESUM-Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

2. *Si dirigatur ad Filium, dicatur:*

Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum.

3. *Si in principio orationis fiat mentio Filii, dicatur:*

Per eumdem Dominum nostrum &c. *ut supra.*

4. *Si in fine orationis, dicatur:*

Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti &c.

5. *Si fiat mentio Spiritûs Sancti, dicatur:*

In unitate ejusdem Spiritûs Sancti &c.

PROPRIUM DE TEMPORE.

I.
EXPECTATIO
B. MARIÆ V.

Quæ à Kalendis Septembris usque ad ejus Nativitatem recolitur.

REPONSORIA

dicenda tàm in Dominicâ, quàm in officio feriali aut simplici toto hoc tempore:

In 1 Noct. Dominicæ, et in feriis II. et V.

℟. 1. Ab æterno Deus te præordinavit Matrem unigeniti Verbi, * Teque sibi pulcherrimam prædestinavit sponsam. ℣. Elegit te Deus ex omni carne.—Teque. *Repetitur usque ad ℣. et sic in alis.* ℟℟.

In officio trium Lectionum omittitur sequens. ℟. *et ejus loco ponitur* ℟. 3. *ut infra.*

℟. 2. Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam: * Antequàm quidquam faceret à principio. ℣. Nondum erant abyssi, necdum fontes aquarum eruperant.—Antequàm.

℟. 3. Elegit eam Deus, et præelegit eam: * Elegit eam in habitationem sibi. ℣. Quam Deus ante sæcula in gloriam nostri generis destinabit.—Elegit.—Gloria.—Elegit. *In offic. 2. Class.* ℟. Elegit. *In II. Noc. Dom. et in fer. III. et VI.*

℟. 4. Matrem suam Deus elegit ex omni carne, * Qui naturus de Virgine universum orbem salvare debebat. ℣. Elegit eam Deus, et prælegit eam.—Qui.

In officio simplic. trium lect. omittitur sequens ℟. *et ejus loco ponitur* ℟ 6. *ut infra.*

℟. 4. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequàm terra fieret. * Dominus possedit me in initio viarum suarum. ℣. Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ. Dominus.

℟. 6. Erexit Deus cornu salutis nobis in domo David pueri sui, * Sicut loculus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum ejus. ℣. Omnes Prophetæ annuntiaverunt dies istos.—Sicut.—Gloria.—Sicut. *In offic. 2 Class. repetitur.* ℟. Erexit.

In III. Noct. Dom. et in Fer. IV. et Sabb.

℟. Priusquàm nascerer, Deo præsens aderam, * Antequàm fierem, benè illi cognita fueram. ℣. Elegit me ante mundi constitutionem, ut essem sancta, et immaculata.—Anteq.

In officio simpl. trium lection. omittitur sequens ℟. *et ejus loco ponitur* ℟. 9 *ut infra.*

℟. 8. Juravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eam: * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. ℣. Jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem nostrum.—De.

℟. 9. Ecce veniet Expectatio omnium gentium: * Festinate et occurrite illi, dicentes: ave gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℣. Nunc abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, sed veniens veniet, et non tardabit.—Festinate.—Gloria.—Festinate. *In offic. 2. Classis*, Ecce veniet.

LECTIONES DE SCRIPTURA.

Hoc Expectationis tempore, quandò lectiones de Scripturâ non assignantur propriæ, in propio festivitatum, dicuntur ut in Dominicâ in Expectatione: Dominus possedit me, *quæ inferiùs ponuntur. Idem dicendum, si fiat officium de feriâ cum ut feriæ occurrentis, ut superiùs posita sunt.*

DOMINICA IN EXPECTATIONE.

PRÆDESTINATIO B. M. V. AB ÆTERNO.

Duplex 2. Classis

Omnia non propria dicuntur ut in die Expectationis B. M. V. prima Septem. ut in propio Festivitat.

Festum si aliquod in hâc Dom. incidat, transfertur ad primam diem non impeditam.

IN I. VESPER.

Antiphonæ ut in 1. vesper. Expect. Psalmi ut in Solemn.

CAPITULUM. *Prov.* 8. 22.

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequàm terra fieret. ℟. Deo gratias.

HYMNUS. 34. *Guarini.*

Antequàm terræ et latices coirent,
Æquori leges fierent, et ante
Quàm decerrarent vitrei cilatis
Cursibus amnes;
Diva tu Patris generata corde,
Omnibus ludens aderas: scatebant
Gargites tecum: revoluta tecum
Unda fluebat.
Sit decus summo sine fine Christo;
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Ad. Magnif. *dicitur ant. O. diei occurentis, ut habetur in proprio festiv., diebus ante Nativitatem B. M. V.*

Oratio ut infra ad laudes. Completorium de Dominicâ.

AD MATUT.

Invitatorium. Laudemus Deum nostrum * In Prædestinatione Beatissimæ Virginis MARIÆ.

HYMNUS 35. *Guarini.*

Sistitur tellus: ades, imminentes
Colligunt nubes pluvias: adesque
Cum vices anni redeunt, et astra
Tempora ducunt.
Mille tu ducis choreas: et altos
Pectori Mater stimulas amores:
Ante mater, quam vitio parentum
Serpere cunctos
Visa sit labes. Sieterat Tonanti,
Fulmine abjecto, genus indè nostrum
Ferre: non ullas licet ingravarent
Crimina terras.
Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

IN I. NOCT.

Antiph. ut in die Exp. Psalm. de Dominicâ.

De libro Sapientiæ.

Lect. 1. *Prov. c.* 8. v. 22.

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequàm terra fieret. Nondùm erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdùm fontes aquarum eruperant: necdùm montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar.

Tu autem, Domina nostra, intercede pro nobis. ℟. Ab æterno. p. 59.

LECT. 2. *Eccles.* 24. v. 5.

Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam: ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram: ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columnâ nubis. Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi, et in omni terrâ steti: et in omni populo, et in omni gente primatum habui. Tu. ℟. Ego ex ore. p. 39.

LECT. 3. v. 14.

Ab initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. Tu. ℟. Elegit eam. p. 59.

IN II. NOCT.

Sermo venerabilis Thomæ à Kempis Presbyteri.

Sermo 25. ad Novitios.

LECT. 4.

Recogitate ergò diligenter antiqua sanctorum patriarcharum gesta, de quorum stirpe orta est Mater Dei MARIA, tanquàm rosa inter spinas sine spinâ. Sicut enim olim per multos sanctos viros Patriarchas et Prophetas, per judices et reges, per sacerdotes et levitas, per doctores et scribas, verbis, signis, et figuris prænuntiatus est Christus Dei Filius ex Virgine pro mundi redemptione nasciturus, et in cruce passurus; ità convenienter satis, et sapienter ordinatione divinâ, præfigurata, et præconizata est beatissima ac devotissima Virgo MARIA, per sacras illius temporis virgines, per illustres feminas, per castas viduas, per devotas prophetisas, et per cæteras honestas matronas in castitate viventes, atque ob pudicitiæ custodiam cum puellis suis, in domibus et cameris ab aspectibus virorum inclusas. Tu. ℟. Matrem. p. 50.

LECT. 5.

O verè inclita proles, ex insigni patriarcharum prosapiâ nobiliter procreata, ex sacerdotali genere generosè producta, ex pontificali dignitate dignissimè derivata, ex prophetali choro verissimè prænuntiata, ex regali stirpe illustrissimè edita, ex Davidicâ lineâ rectissimè originata, ex nobilissimâ tribu Juda clarissimè prolata, ex Israeliticâ plebe felicissimè progenita, ex electo populo Dei singulariter præelecta ex sanctis et religiosis ac Deo placitis parentibus, divinâ præordinatione in lucem mundi serenissimè exorta. Tu. ℟. Ab æterno. p. 39.

LECT. 6.

O felix et illibata Virgo MARIA, omni laude et honore dignissima, omni amore et reverentiâ ab omnibus amplexanda! O splendida Virginum gemma! Tu ab initio, et ante sæcula à Deo es prædestinata, Redemptorem mundi præfinito tempore paritura, à patriarchis desiderata, et prophetis prænuntiata: à multis regibus, et justis adoptata, à devotissimo populo in Israel diu expectata, et tandem à Deo misericorde ægrotanti mundo visibiliter demonstrata. O sacra et illustrissima Virgo MARIA, quàm præclarum, et laudandum est nomen tuum in universâ terrâ! Tu. ℟. Elexit Deus. p. 59.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECT. 7. *c.* 1. *v.* 1.

Liber generationis JESU-Christi, Filii David, filii Abraham. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Damasceni.

De ortodoxâ fide libr. 4. *c.* 14.

Beata Virgo MARIA, quæ ante omne ævum præscientiæ Dei consilio prædestinata erat, variisque Prophetarum imaginibus, et sermonibus adumbrata, et præmuntiata, præfinito tandèm tempore ex radice Davidis, juxta ac illi promissum erat, orta est. Dictumque quippè est: Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Tu. ℟. Priusquàm nascerer. p. 59.

Bened. Cujus Prædestinationem.

LECT. 8.

Cæterum quod JOSEPH ex davidicâ tribu originem duxerit, sacratissimi Evangelistæ Matthæus et Lucas liquidò demonstrarunt. Verùm Matthæus ex Davide per Salomonem JOSEPHUM deducit: Lucas autem per Nathan. At vero Sanctæ Virginis genus utrumque situit. Quo circa sciendum est, nec apud Hæbreos, nec in Scripturâ Sacrâ hunc morem fuisse, ut mulierum genus recenseretur. Tu. ℟. Ecce.

LECTIO 9.

Atqui hoc lege cautum est, ne tribus una ex alienâ tribu conjuges accerseret: ac proindè JOSEPH, qui ex stirpe Davidicâ oriundus, justus que erat (hanc enim ei laudem tribuit divinum Evangelium) Sanctam Virginem præter legis præscriptum haudquaquàm despondisset, nisi ex eodem sceptro, aut tribu traxisset genus: undè satis habuit Evangelista JOSEPH genus demonstrare. Tu. Te Matrem. p. 5.

AD LAUDES.

Antiphonæ ut in primâ die Septemb.

CAPITULUM. *Prov.* 8. *v.* 22.

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequàm terra fieret. ℟. Deo gratias.

HYMNUS 36. *Guarini.*

Una de multis mihi grata: dixit
Totius latè Fabricator orbis.
Una: quæ jàm nunc mihi mater esto,
Currite soles.
Currite, ô quantum properare terris
Laudis ex illâ videa: parentum
Nesciet culpam: referetque ferrea
Sæcula in aurum.
Illa venturæ mihi præter omnes
Complacet Virgo: simul una præstat
Omnibus, quantum præit inter ignes
Luna minores.
Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Ad. Benedict. *ant.* Ab æterno me Deus prædestinavit, Matrem Verbi æterni, et ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Oremus. *Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui beatissimam Virginem MARIAM ab æterno in Matrem Unigeniti Filii tui prælegisti: concede propitius, ut qui ejus Prædestinationem devotè recolimus ad bealitudinem prædestinemur æternam. Per eumdem.

Ad Prim. Capit. de Laud. ℣. ℟. brev. Quæ ab æterno prædestinata fuisti.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Constit. Ineffabilis. *Die* 8. *Dec.* 1854.

1. Ineffabilis Deus..... ab initio et ante sæcula unigenito Filio suo Matrem, ex quâ caro factus in

beatâ temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit tantoque præ creaturis universis est prosequutus amore, ut in illâ unâ sibi propensissimâ voluntate complacuerit. Tu autem, Domina nostra, intercede pro nobis. ℟ Deo grat.

IN II. VESP.

Antiph. ut in II. Vesp. diei Expect. Psalmi de II. Vesp. Solemn. Capitul. de Laudib.

HYMNUS 37.

Salve mundi Domina,
Cœlorum Regina:
Salve Virgo Virginum,
Stella matutina.
Ab æterno Deus
Te prædestinavit
Matrem Unigeniti
Verbi, quo creavit
Terram, pontum, ælera:
Te pulcham ornavit
Sibi Sponsam, in quâ
Adam non peccavit.
Sit laus summa Pàtri,
Summo Christo decus,
Spiritui Sancto
Tribus honor unus. Amen.

Ad. Magn. *dicitur ant.* O. *diei occurrentis. Orat. de Laudib.*

CANONES

In Feriis Temp. Expectationis, et in Festis quæ proprios non habuerint, recitandi ad Primam.

1. Scripturæ de Virgine prælo-quuntur.

FERIA II.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabilis. 8. *Dec.* 1854.

2. Ipsissima verba, quibus divinæ Scripturæ de increatâ Sapientiâ loquuntur, ejusque sempiternas origines repræsentant, consuevit (Ecclesia) tum in Ecclesiasticis officiis tum in Sacrosanctâ Liturgiâ adhibere, et ad illius Virginis primordia transferre, quæ uno eodemque decreto cum divinæ Sapientiæ Incarnatione fuerint præstituta. Tu.

FERIA III.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabilis. 8. *Dec.* 1854.

3. «Sancti Ecclesiæ Patres,» Prophetarum adhibentes eloquia, non alitèr ipsam augustam Virginem concelebrarunt, ac uti columbam mundam, et sanctam Jerusalem, et excelsum Dei thronum, et arcam sanctificationis et domum quam sibi æterna ædificavit Sapientia, et Reginam illam quæ deliciis affluens et inixa super dilectum suum ex ore Altissimi prodivit omninò perfecta, speciosa ac penitùs cara Deo, et nullo unquàm labis nævo maculata. Tu.

FERIA IV.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabilis. 8. *Dec.* 1854.

Nunquàm cessarunt «Ecclesiæ Patres» Deiparam appellare vel lilium inter spinas, vel terram omninò intactam, virgineam, illibatam, immaculatam, semper benedictam, et ab ob omni peccati contagione liberam, ex quâ formatus est Adam. Tu.

FERIA V.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabilis. 8. *Dec.* 1854.

Dixerunt «Sancti Ecclesiæ Patres» hanc Divam Virginem vel irreprehensibilem, lucidissimum, amœnissimumque innocentiæ, immortalitatis, ac deliciarum paradisum à Deo ipso consitum, et ab omnibus venenosi serpentis insidiis defensum, vel lignum immarcessibile, quod peccati vermis nunquàm corruperit, vel fontem sempèr illimem, et Spiritûs Sancti virtute signatum. Tu.

FERIA VI.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabilis. 8 *Dec.* 1854.

6. «Deiparam appellarunt Sancti Patres» vel divinissimum templum, vel immortalitatis thesaurum, vel unam et solam non mortis sed vitæ filiam, non iræ sed gratiæ germen, quod semper virens ex corruptâ infectâque radice singulari Dei providentiâ præter statas communesque leges effloruerit. Tu.

SABBATO

Ex Div. Bernardo Abbate.

Serm. 3. super Salve Regina.

7. De hac «Sanctissimâ Deipara» et ob hanc et propter hanc omnis scriptura facta est, propter hanc totus mundus factus est, et hæc gratia Dei plena est, et per hanc homo redemptus est, Verbum Dei caro factum est. Deus humilis et homo sublimis. Tu.

II.

INFANTIA

B. MARIÆ V.

seu ab ejus Nativitate usque adejus Prægnationem, vel usque ad Adventum.

CANONES

In diebus infra Octavam Nativitatis quæ proprios non habuerint recitandi.

FERIA II.

Ex Alexandro Papâ Tertio.

Ep. 32 ad soldanum Iconii. Concil. tom. 27 p. 283.

8. Quod Moysi ignis in rubo apparuit, et non est rubus corruptus igne, virginitatis integritas in MARIA monstratur. Tu.

FERIA III.

Ex Alexandro Papâ Tertio.

Et 32. ut supra.

9. Quod virgis aliarum tribuum remanentibus siccis, virga Aaron de cujus stirpe Beatissima traxit originem, fronduit et floruit, flos in virgâ Jesse, quem vaticinavit Isaias, partum scilicet in corruptæ Virginis indicavit. Tu.

«FERIA IV.

Ex Alexandro Papâ Tertio.

Ep 32. ut supra.

10. Quod vellus Gedeonis, rore cœli completum est, cum area circumquaque arida remaneret, ros Spiritûs Sancti dessignatur in Virgine, quæ ad hoc propter humilitatem suam specialitèr et singulariter est à Domino prælecta. Tu.

FERIA V.

Ex Divo Bernardo Abbate.

Hom 2 super missus.

11. In Isaiæ testimonio florem Filium, virgam intellige Matrem; quoniàm et virga floruit absque germine, et virgo concepit non ex homine. Nec Virgæ virorem floris læsit emissio: nec Virginis pudorem sacri partûs editio. Tu.

FERIA VI.

Ex Bonifacio Papâ Nono.

Cons. 1. Supern. benignit.—1389. *Bull. Rom. Tom. 3. p. 2 p. 378.*

12. De clarâ stirpe regiâ Davidicâ prælegit. «Deus» Virginem, in cujus utero mystico spiramine Verbum ipsum carnem susciperet.. perfectam Reginam... quæ tanto Regi digna fuit sui corporis thalamum præparare. Tu.

SABBATO.

Ex Divo Bernardo Abbate.

Super Miss. Homil. 2.

13. Quod Moysi mostratum est in rubo et igne, Aaroni in virgâ et flore, Gedeoni in vellere et rore, hoc apertè Salomon prævidit in forti muliere et ejus pretio, apertiùs Jeremias præcinivit de feminâ et viro, apertissimè Isaias declaravit de Virgine et Deo, Gabriel tandèm exibuit ipsam salutando. Tu.

RESPONSORIA

dicenda post Lectiones, quæ tempore Infantiæ propria non habuerint tàm in officio Dominicæ, quàm in feriali.

In I. Noct. Domin. et in II. et V. feriis Infantiæ.

℟. 1. O puella gratiâ æquanda nullis, * Mater et Virgo supra omnes Virgines, et maxima. ℣. Quæ sola vincis cœlitum omnes ordines. —Mater et Virgo, *repetitur usque ad* ℣, *et sic in aliis* ℟℟.

2. ℟. Una est columba mea, perfecta mea: * una est matri suæ, electa genitrici suæ. ℣. Viderunt eam Filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt. —Una.

℟. 3. Revertere, revertere, Sulamitis: * Revertere, revertere, ut intueamur te. ℣. Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es.—Revertere.—Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.—Revertere.

In II. Noctur. Dom. et in III. et VI. Feriis.

℟. 4. Diffusa est gratia in labiis tuis, * Propterèà benedixit te Deus in æternum. ℣. Mirrha, et gutta, et casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. —Propterèà.

℟. 5. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa * Dedi suavitatem odoris. ℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi.

℟. 6. Specie tuâ et pulchritudine tuâ. * Intende, prosperè procede et regna. ℣. Propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam.—Intende.—Gloria.—Intende.

In III. Noct. Domin. et in Feriis IV. et Sabbat.

℟. 7. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; * Propterèà unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.

℣. Concupivit Rex decorem tuum, quoniàm ipse est Dominus Deus tuus. Propterèà.

℟. 8. (*Hoc* ℟. *omittitur in Dom. et in oct. Lect. dicitur ejus loco* ℟. 9. *ut infra.*) Filiæ tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur * Omnes divites plebis.

℣. Memores erunt nominis tui in omni generatione, et generationem. —Omnes.

℟. 9. Omnis gloria ejus filiæ regis ab intùs, * In fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.

℣. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.—In.—Gloria.—In.

LECTIONES

DE

SCRIPTURA.

Pro feriis temporis Infantiæ, et pro I. Noct. Festivitatum, quæ proprias non habuerint à die 1. Septembr. usque ad adventum.

PRO FERIIS II. INFANTIÆ.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c. 1. v. 1.*

Parabolæ Salomonis, Filii David, regis Israel. Ad sciendam sapientiam, et disciplinam: ad intelligenda verba prudentiæ, et suscipiendam eruditionem doctrinæ, justitiam et judicium, et æquitatem: ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia et intellectus. Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens, gubernacula possidebit. Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientium, et ænigmata eorum. Tu autem, Domina nostra, intercede pro nobis. *Sic semper concludantur lectiones, et respondetur.* ℟. Deo gratias. ℟. O puella. *p. 65.*

LECTIO 2.

Timor Domini, principium sapien-

6. «Deiparam appellarunt Sancti Patres» vel divinissimum templum, vel immortalitatis thesaurum, vel unam et solam non mortis sed vitæ filiam, non iræ sed gratiæ germen, quod semper virens ex corruptâ infectâque radice singulari Dei providentiâ præter statas communesque leges effloruerit. Tu.

SABBATO

Ex Div. Bernardo Abbate.

Serm. 3. super Salve Regina.

7. De hac «Sanctissimâ Deipara» et ob hanc et propter hanc omnis scriptura facta est, propter hanc totus mundus factus est, et hæc gratia Dei plena est, et per hanc homo redemptus est, Verbum Dei caro factum est. Deus humilis et homo sublimis. Tu.

II.

INFANTIA

B. MARIÆ V.

seu ab ejus Nativitate usque adejus Prægnationem, vel usque ad Adventum.

CANONES

In diebus infra Octavam Nativitatis quæ proprios non habuerint recitandi.

FERIA II.

Ex Alexandro Papâ Tertio.

Ep. 32 ad soldanum Iconii. Concil. tom. 27 p. 283.

8. Quod Moysi ignis in rubo apparuit, et non est rubus corruptus igne, virginitatis integritas in MARIA monstratur. Tu.

FERIA III.

Ex Alexandro Papâ Tertio.

Et 32. ut supra.

9. Quod virgis aliarum tribuum remanentibus siccis, virga Aaron de cujus stirpe Beatissima traxit originem, fronduit et floruit, flos in virgâ Jesse, quem vaticinavit Isaias, partum scilicet in corruptæ Virginis indicavit. Tu.

«FERIA IV.

Ex Alexandro Papâ Tertio.

Ep 32. ut supra.

10. Quod vellus Gedeonis, rore cœli completum est, cum area circumquaque arida remaneret, ros Spiritûs Sancti dessignatur in Virgine, quæ ad hoc propter humilitatem suam specialitèr et singulariter est à Domino prælecta. Tu.

FERIA V.

Ex Divo Bernardo Abbate.

Hom 2 super missus.

11. In Isaiæ testimonio florem Filium, virgam intellige Matrem; quoniàm et virga floruit absque germine, et virgo concepit non ex homine. Nec Virgæ virorem floris læsit emissio: nec Virginis pudorem sacri partûs editio. Tu.

FERIA VI.

Ex Bonifacio Papâ Nono.

Cons. 1. Supern. benignit.—1389. *Bull. Rom. Tom. 3. p. 2 p. 378.*

12. De clarâ stirpe regiâ Davidicâ prælegit. «Deus» Virginem, in cujus utero mystico spiramine Verbum ipsum carnem susciperet.. perfectam Reginam... quæ tanto Regi digna fuit sui corporis thalamum præparare. Tu.

SABBATO.

Ex Divo Bernardo Abbate.

Super Miss. Homil. 2.

13. Quod Moysi mostratum est in rubo et igne, Aaroni in virgâ et flore, Gedeoni in vellere et rore, hoc apertè Salomon prævidit in forti muliere et ejus pretio, apertiùs Jeremias præcinivit de feminâ et viro, apertissimè Isaias declaravit de Virgine et Deo, Gabriel tandèm exibuit ipsam salutando. Tu.

RESPONSORIA

dicenda post Lectiones, quæ tempore Infantiæ propria non habuerint tàm in officio Dominicæ, quàm in feriali.

In I. Noct. Domin. et in II. et V. feriis Infantiæ.

℟. 1. O puella gratiâ æquanda nullis, * Mater et Virgo supra omnes Virgines, et maxima. ℣. Quæ sola vincis cœlitum omnes ordines. —Mater et Virgo, *repetitur usque ad* ℣, *et sic in aliis* ℟℟.

2. ℟. Una est columba mea, perfecta mea: * una est matri suæ, electa genitrici suæ. ℣. Viderunt eam Filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt. —Una.

℟. 3. Revertere, revertere, Sulamitis: * Revertere, revertere, ut intueamur te. ℣. Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es.—Revertere.—Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.—Revertere.

In II. Noctur. Dom. et in III. et VI. Feriis.

℟. 4. Diffusa est gratia in labiis tuis, * Propterèà benedixit te Deus in æternum. ℣. Mirrha, et gutta, et casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. —Propterèà.

℟. 5. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa * Dedi suavitatem odoris. ℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi.

℟. 6. Specie tuâ et pulchritudine tuâ. * Intende, prosperè procede et regna. ℣. Propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam.—Intende.—Gloria.—Intende.

In III. Noct. Domin. et in Feriis IV. et Sabbat.

℟. 7. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; * Propterèà unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.

℣. Concupivit Rex decorem tuum, quoniàm ipse est Dominus Deus tuus. Propterèà.

℟. 8. (*Hoc* ℟. *omittitur in Dom. et in oct. Lect. dicitur ejus loco* ℟. 9. *ut infra.*) Filiæ tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur * Omnes divites plebis.

℣. Memores erunt nominis tui in omni generatione, et generationem. —Omnes.

℟. 9. Omnis gloria ejus filiæ regis ab intùs, * In fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.

℣. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.—In.—Gloria.—In.

LECTIONES

DE

SCRIPTURA.

Pro feriis temporis Infantiæ, et pro I. Noct. Festivitatum, quæ proprias non habuerint à die 1. Septembr. usque ad adventum.

PRO FERIIS II. INFANTIÆ.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c. 1. v. 1.*

Parabolæ Salomonis, Filii David, regis Israel. Ad sciendam sapientiam, et disciplinam: ad intelligenda verba prudentiæ, et suscipiendam eruditionem doctrinæ, justitiam et judicium, et æquitatem: ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia et intellectus. Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens, gubernacula possidebit. Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientium, et ænigmata eorum. Tu autem, Domina nostra, intercede pro nobis. *Sic semper concludantur lectiones, et respondetur.* ℟. Deo gratias. ℟. O puella. *p. 65.*

LECTIO 2.

Timor Domini, principium sapien-

tiæ. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. Fili mi, si te lacìaverint peccatores, ne acquiescas eis. Tu. ℟. Una est. *p.* 65.

LECTIO 3. *c.* 15.

Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem. Ipsi quoquè contra sanguinem suum insidiantur, et molìuntur fraudes contra animas suas. Sic semìlæ omnis avari, animas possidentium rapiunt. Tu.

℟. Revertere. *p.* 51.

PRO FERIIS III.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 20.

Sapientia foris prædìcat, in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamìtat, in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens: Usquequò parvuli diligìtis infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia, cupient, et imprudentes odibunt scientiam? Convertìmini ad correptionem meam: en proferam vobis spirìtum meum, et ostendam vobis verba mea. Tu. ℟. Diffusa est. *p.* 65.

LECTIO 2.

Quia vocavi et renuìstis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexìstis omne consìlium meum, et increpationes meas neglexìstis. Ego quoquè in interìtu vestro ridebo, et subsanabo, cum vobis, id quod timebatis, advenerit. Cum irruerit repentina calamìtas, et interìtus, quasi tempestas ingruerìt: quandò venerit super vos tribulatio, et angustia: tunc invocabunt me, et non exaudiam: manè consurgent, et non invenient me. Tu. ℟. Sicut cedr. *p.* 65.

LECTIO 3.

Eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, nec acquìeverint consìlio meo, et detraxerint universæ correptioni meæ. Comedent igìtur fructus viæ suæ, suìsque consìliis saturabuntur. Aversio parvulorum interfìciet eos, et prosperitas stultorum perdet illos. Qui autem me audierit, absque terrore requìescet, et abundantiâ perfruetur, timore malorum sublato. Tu. ℟. Specie tuâ. *p.* 65.

PRO FERIIS IV.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 2. *v.* 1.

Fili mi, si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua: inclìna cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ: si quæsieris eam, quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies. Tu. ℟. Dilexisti. *p* 65.

LECTIO 2.

Quia Dominus dat sapientiam: et ex ore ejus prudentia et scientia. Custodiet rectorum salutem, et protèget gradientes simplicitèr, servans semìtas justitiæ, et vias sanctorum custodiens. Tunc intelliges justitiam, et judìcium, et æquitatem, et omnem semìtam bonam. Tu ℟. Filiæ Tyri. *p.* 65.

LECTIO 3.

Si intraverit sapientia cor tuum, et scientia animæ tuæ placuerit: consìlium custodiet te, et prudentia servabit te, ut eruàris à viâ malâ, et ab homine, qui perversa loquìtur. Ut ambules in viâ bonâ: et calles justorum custòdias. Qui enim recti sunt, habitabunt in terrâ, et simplices permanebunt in eâ. Impii verò de terrâ perdentur: et qui iniquè aguunt, auferentur ex eâ. Tu. ℟. Omnis glor. *p.* 65.

PRO FERIIS V.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 3. *v.* 1.

Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat. Longitudinem enim dierum, et annos vitæ, et pacem apponent tibi. Misericordia et veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui: et invenies gratiam, et disciplinam bonam coram Deo et hominibus. Tu. ℟. O puella. *p.* 65.

LECTIO 2.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innìtaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogìta illum, et ipse dirìget gressus tuos. Ne sis sapiens apud temetipsum: time Deum, et recede à malo: sanìtas quippè erit umbìlico tuo, et irrigatio ossium tuorum. Tu. ℟. Una est. *p.* 65.

LECTIO 3.

Honora Dominum de tuâ substantiâ, et de primitìis omnium frugum tuarum da ei: et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt. Disciplinam Domini, fili mi, ne abjìcias: nec deficias cum ab eo corriperis; quem enim diligit Dominus, corrìpit et quasi pater in filio complacet sibi. Tu. ℟. Revertere. *p.* 65.

PRO FERIIS VI.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 3. *v.* 13.

Beatus homo, qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentiâ: melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, et auri primi, et purìssimi fructus ejus: pretiòsior est cunctis opìbus: et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dexterâ ejus, et in sinistrâ illius divitiæ et gloria. Tu. ℟. Diffusa. *p.* 65.

LECTIO 2.

Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacìficæ. Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam; et qui tenuerit eam beatus. Dominus sapientiâ fundavit terram, stabilìvit cœlos prudentiâ. Sapientiâ illius eruperunt abyssi, et nubes rore concrescunt. Tu. ℟. Sicut *p.* 65.

LECTIO 3.

Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis: custodi legem atque consìlium: et erit vita animæ tuæ, et gratia faucibus tuis. Tunc ambulàbis fiduciàliter in viâ tuâ, et pes tuus non impinget. Si dormieris, non timebis: quiesces, et suavis erit somnus tuus. Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum, ne capiàris. Tu. ℟. Specie *p.* 65.

IN SABBATIS.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 4. *v.* 4.

Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præceptâ mea et vives. Possìde sapientiam, possìde prudentiam: neobliviscaris, neque declìnes à verbis oris mei. Ne dimittas eam et custodiet te: dilìge eam et conservabit te. Principium sapientiæ, possìde sapientiam, et in omni possessione tuâ acquìre prudentiam. Tu. ℟. Dilex. *p.* 65.

LECTIO 2.

Arripe illam, ex exaltabit te: glorificàberis ab eâ, cum eam fueris amplexatus. Dabit capìti tuo augmenta gratiarum, et coronâ inclytâ protèget te. Audi, fili mi, et suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ. Tu. ℟. Filiæ Tyri. *p.* 65.

LECTIO 3.

Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis: quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum. Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia ipsa est vita tua. Tu. ℣. Omnis glor. *p.* 51.

CANONES

Ante Dominicam Primam Infantiæ, in Feriis, si quæ occurrant, et in diebus proprios non habentibus, recitandi.

II.

CONCEPTIO IMMACULATA.

1. *In adversarios imm. Conceptionis.*

FERIA II.

Ex Sixto Papâ Quarto.

Const. Grave nimis. *ann.* 1483. *Concil. tom.* 34. *p.* 28.

14. Assertiones eorum, qui affirmare præsumerent, eos qui credererent aut tenerent Dei Genitricem ab originalis peccati maculâ in suâ conceptione præservatam fuisse, propterea aliçujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut hujusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes alicujus peccati reatum incurrere: utpote falsas, et erroneas, et à veritate penitùs alienas, editosque libros id continentes, quo ad hoc auctoritate apostolicâ tenore præsentium reprobamus et damnamus. Tu.

FERIA III.

Ex Sixto Papâ Quarto.

Constitut. ut supra.

15. Auctoritate apostolicâ statuimus et ordinamus, quod.... qui de cætero ausu temerario præsumpserint in eorum sermonibus ad populum, seu aliàs quomodolibet affirmare hujusmodi per nos improbatas et damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, postquàm de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant. Tu.

FERIA IV.

Ex S. Pio Papâ Quinto.

Const. 149. Si scandala *an.* 1570. *Bullar. T.* 4. *p.* 3. *p.* 120.

16. Interdicimus et prohibemus, nequis post hac vel in concionibus, vel in privatis disputationibus vel quovis alio modo.... aliquem de Beatæ MARIÆ Conceptione à se dissentientem palàm vel occultè reprehendere, irridere, aut lædere audeat, sed vel hâc de re omninò sileat, id quod sanè rectius et utilius fuerit, aut certè quod sibi probabilius videbitur eâ quâ decet modestiâ exponat, contrariam non improbando sententiam. Tu.

FERIA V.

Ex S. Pio Papâ Quinto.

Const. 38. *Super Specul. an.* 1570. *B. Rom. T.* 4. *p.* 3. *p.* 138.

17. Statutum Sixti Quarti super immaculato Virginis conceptu, quod à Tridentinâ Synodo renovatum est (...) apostolicâ auctoritate tenore præsentium confirmamus et approbamus. Tu.

FERIA VI.

Ex S. Pio Papâ Quinto.

Const. ut supra.

18. Nemo, cujuscumque Ordinis gradus conditionis, vel dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel ubicumque promiscua virorum et mulierum multitudo convenire solet, de Conceptionis Beatæ Virginis MARIÆ controversiâ alteratâ parte disputare... vel hâc de ipsâ quæstione... vulgari sermone scribere vel dictare præsumat. Tu.

SABBATO.

Ex Paulo Papâ Quinto.

Const. 263. Reg. pacifici. *an.* 1616.

Tom. V. p. 4. *pag.* 210.

19. Constitutiones Sixti et Pii Prædecessorum nostrorum de Conceptione Beatæ MARIÆ Virginis apostolicâ auctoritate tenore præsentium approbamus et confirmamus... et inviolabiliter ab omnibus observari præcipimus, donec à Romanâ apostolicâ sede hujusmodi controversia fuerit definita. Tu.

DOMINICÆ

TEMPORE INFANTIÆ.

Hæ Dominicæ incipiunt post octav. Naticit. B. V. usque ad ejus Prægnationem, Antiph. per annum.

DOMINICA I.

Semiduplex 1. *classis. Hæc Dom.* 1. *nunquàm omittitur.*

Omnia ut in Psalterio, cum Lectionib. quæ sequuntur.

IN I. NOCT.

De libro Genesis.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 1.

In principio creavit Deus cœlum et terram. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi; et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona, et divisit lucem à tenebris. Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem. Tu. ℣. O puella. *p.* 65.

LECTIO 2.

Dixit quoquè Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum cœlum. Tu. ℣. Una est. *p.* 65.

LECTIO 3.

Dixit verò Deus: congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida. Et factum est ità. Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod esset bonum. Tu. ℣. Revert. *p.* 65.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Serm. 3. *super Salv. Regin. Inter ejus opera.*

LECTIO 4.

Fiat, inquit, firmamentum, et dividat aquas ab aquis. Omnibus firmamentis firmius firmamentum tu, Domina, quæ eum, quem cœli capere non poterant, cepisti, et concepisti, portasti, et non deficisti: genuisti, aluisti, pavisti, mammasti et educasti. Tu in medio aquarum dividisti aquas ab aquis, affectus videlicet æternorum ab affectibus temporalium. Tuam enim animam pertransivit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Tu. ℣. Diffusa. *p.* 65.

LECTIO 5.

Posuit in hoc firmamento Deus solem et lunam, Christum et Ecclesiam, et stellas, prærogativas gratiarum multas. Laudamus Dominum in sanctis ejus. Firmitas, robur, et constantia, et fortitudo mentis ejus, quia mundi contempsit gloriam, carnis calcavit illecebras. Virtus est Altissimi, de quâ scriptum est: et virtus Altissimi obumbravit tibi. Tu. ℣. Sicut cedr. *p.* 65.

LECTIO 6.

Non solùm autem cœlum, et firmamentum Domina rerum intelligitur; sed aliis nominibus convenienter appellatur, et rerum vocabulis designatur. Ipsa tabernaculum Dei, ipsa templum, ipsa domus, ipsa arca diluvi, arca testamenti, urna aurea: ipsa manna, virga Aaron, vellus Gedeonis, porta Ezechielis. Et ut brevitèr concludam, de hâc et

ob hanc, et propter hanc omnis scriptura facta est: propter hanc totus mundus factus est, et hæc gratiâ Dei plena est, et per hanc homo redemptus est, Verbum Dei caro factum est: Deus humilis, et homo sublimis. Tu. ℟. Specie tuâ. *p.* 65.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 4. *v.* 46.

In illo tempore: Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur capharnaum. Et reliqua.

Homilia Beati Alberti Magni, Episcopi.

De laudibus B. M. V. libr. 11. *c.* 4.

MARIA est villa, et fuit designata per Capharnaum, quod interpretatur villa consolationis. Nam sicut Deus, et pater Domini nostri JESU-Christi est Pater misericordiæ, et Deus totius consolationis, sicut et ipsa, non tamen sicutissimè, est mater misericordiæ et totius consolationis, quæ consolatur nos in omni tribulatione nostrâ. Tu. ℟. Dilexisti. p. 65.

LECTIO 8.

Interpretatur etiam Capharnaum villa pulchritudinis, vel villa pinquedinis. Expone, quomodò hæc villa sita est in monte virtutum, quia virtutes ejus excellunt virtutes omnium sanctorum. Et habet hæc villa tria in se, quæ habent villæ sitæ in montibus, scilicet quod est mundissima, clarissima et sanissima. Tu. ℟. Omnis glor. p. 51.

LECTIO 9.

In hâc autem villâ habuit Dominus, quasi duplicem villicum, scilicet JOSEPH et JESUM. JOSEPH unus villicus, cui desponsata est, ut custodiret eam, quod et legitimè fecit. Alius villicus JESUS Filius ejus, qui optimè custodivit eam, sicut Filius Matrem carissimam. Fuerunt bona hujus villæ, conceptus virginalis salvo pudore, et partus sine dolore, hoc est sine læsione naturalium. Tu. Te Matrem Dei *p.* 5

Ad Benedict. *ant.* Mater misericordiæ * et totius consolationis consoletur nos in omni tribulatione nostrâ.

Oremus. *Oratio.*

Miserere, Domine, famulis tuis, et dirige actus eorum quotidiè in bonum, ut omni tempore in servitio sanctissimæ Genitricis tuæ Virginis MARIÆ permaneant. Qui vivis.

CANON.

Ex Decreto Sanctæ Congregationis Romanæ et universalis Inquisitionis. 31 *Aug.* 1617.—*B. R.*—*Tom. V. p.* 4. *p.* 234.

20. Sanctissimus Dominus noster Paulus Papa Quintus... præcipit omnibus et singulis... ut in posterum donec articulus Immaculatæ Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis à sanctâ sede apostolicâ fuerit definitus, non audeant in publicis concionibus, lectionibus conclusionibus et aliis quibuscumque actibus publicis asserere quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Tu.

Ad Magnif. *ant* Respiremus * ad MARIAM, et reserabit nobis atria triumphantium.

CANONES

Infra Hebdomadam primam Infantiæ recitandi.

FERIA II.

Ex Decreto Sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis.

Sub Greg. XV. an 1622.—*B. Rom. T. V. p. V. pag.* 45.

21. Sanctissimus Dominus noster... præcipit omnibus et singulis... ut in posterum, donec hujusmodi articulus à sanctâ sede apostolicâ fuerit diffinitus, vel per eam

aliter fuerit ordinatum, non audeant in ullis actibus publicis neque in sermonibus et scriptis privatis asserere, quod Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hâc opinione affirmativâ aliquo modo agere aut tractare. Tu.

FERIA III.

Ex Alexandro Papâ Septimo.

C. *Solicitud. omn. Ecclesiar. an.* 1661.—*B. R. Tom. VI. p. V. p.* 182.

22. Constitutiones et decreta à prædecessoribus nostris edita in favorem sententiæ asserentis animam Beatæ MARIÆ Virginis in sui creatione, et in corpus infusione, Spiritûs Sancti gratiâ donatam, et à peccati originali præservatam fuisse, nec non et in favorem festi et cultûs Conceptionis ejusdem Virginis Deiparæ, secundum istam piam sententiam exibiti, innovamus, et sub censuris et pœnis in eisdem constitutionibus contentis observari mandamus. Tu.

FERIA IV.

2. *Canones de Immaculata Virginis Conceptione.*

Ex Concilio Tridentino.

Sess. 5.—*Die* 17 *Jun.* 1546. *Decr. de pecc. origin.*

23. Declarat hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem MARIAM, Dei Genitricem: sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ quarti sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat. Tu.

FERIA V.

Ex Pio Papâ Nono

Const. Inefabilis. *Die* 8. *Dec. an.* 1854.

24. Declaratione «Concilii» Tridentini Patres, ipsam Beatissimam Virginem ab originali labe solutam pro rerum temporumque adjunctis satis innuerunt, atque adeò perspicuè significarunt nihil ex divinis litteris, nihil ex traditione, Patrumque auctoritate ritè afferri posse, quod tantæ Virginis prerogativæ quovis modo refragetur. Tu.

FERIA VI.

Ex S. Pio Papâ Quinto.

Const. 122. Consueverunt. *ann.* 1569.—*Bull. R. Tom. IV. p.* 3. *p.* 77.

25. Germine suo tortuosi serpentis caput «Virgo» obtrivit, et cunctas hæreses sola interemit, ac benedicto fructu ejus ventris mundum primi Parentis lapsu damnatum salvavit. Tu.

SABBATO.

Ex Pio Papâ Nono.

Encycl. ad Patriarch. etc. Gaetæ 2 *Febr.* 1849.

26. Has vobis, venerabiles fratres, scribimus litteras, ut quisque vestrum in propiâ diœcesi publicas preces indicendas ac peragendas curet... ut in tanti momenti re illud consilium suscipere valeamus, quod ad majorem tum sancti nominis sui gloriam, tum beatissimæ Virginis laudem, tum militantis Ecclesiæ utilitatem possit pertinere. Tu.

DOMINICA II. INF.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De libro Genesis.

LECT. 1. *c.* 2. *v.* 1.

Igitur perfecti sunt cœli, et terra, et omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat. Et requievit die septimo ab omni opere quod patraral. Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso

cessáverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret. Tu. ℣. O puella. *p.* 65.

LECT. 2.

Istæ sunt generationes cœli et terræ, quandò creata sunt in die quo fecit Dominus Deus cœlum et terram : et omne virgultum agri, antequàm oriretur in terrâ : omnemque herbam regionis priusquàm germinaret : non enim pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat, qui operaretur terram. Tu. ℣. Una est. *p.* 65.

LECT. 3.

Sed fons ascendebat de terrâ, irrigans universam superficiem terræ. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. Tu. ℣. Revertere. *p.* 65.

IN II. NOCT.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Inter ejus opera.

LECTIO 4.

Grande nobis mysterium divinæ majestas in Adæ figurâ præmisit. Sicut enim Deus noster, cum primùm Adam facere vellet, non ex conjunctione viri ac mulieris hominem, ut esset, effecit; sed accipiens terram, indè hominem divinâ quâdam arte formavit : ita sine viri conjunctione Deum in virginali alvo incorporari dispensavit. Ergo si tunc licuit hominem sine homine nasci, cur non licuit hominem sine homine per MARIAM Virginem procreari? Tu. ℣. Diffusa est. *p.* 65.

LECTIO 5.

Quoniàm sicut Adam ex terrâ virgine figuratus est; ità et Christum ex Virgine nasci agnoscitur. Ibi tunc flatus Dei de terrâ vivum hominem surgere fecit ad vitam; mundum Spiritus Sanctus de MARIA Virgine Christum hominem figuravit, in quo Deus ad reparationem hominis habitaret. Adam enim ibi tunc nascitur, hic renovatur et resuscitatur in Christo. Denique sicut tunc in alvo terræ Salvator Adæ membra composuit; sic etiàm nunc ex Virginis alvo Christus sua membra composuit. Tu. ℣. Sicut cedrus. *p.* 65.

LECTIO 6.

De Genesi cont. Manich.

Fons autem ascendebat de terrâ, et irrigabat omnem faciem terræ. Facies terræ, idest, dignitas terræ, Mater Domini, Virgo MARIA rectissimè accipitur, quam irrigavit Spiritus Sanctus, qui fontis et aquæ nomine in Evangelio significatur : ut qualis Adam de limo terræ, talis homo ille fieret. Qui constitutus est in paradiso, ut operaretur ibi, et custodiret, id est, in voluntate Patris, ut eam impleret, atque servaret. Tu. ℣. Specie tuâ. *p.* 65.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Mathæum.

LECTIO 7. *c. 6. v. 5.*

In illo tempore : Dixit JESUS Discipulis suis : cum oratis, non eritis, sicut hypocritæ.... Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Hom. 3. super missus.

Et ingressus angelus ad MARIAM : quo ingressu ad eam? Puto in secretarium pudici cubiculi, ubi illa forsassis clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito. Solent Angeli astare orantibus, et delectari in his quos vident levare puras manus in oratione : holocaustum sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. MARIÆ autem orationes, quantùm placuerint in conspectu Altissimi, Angelus indicavit, qui ingressus ad eam tàm reverenter salutavit. Tu. ℣. Dilexisti. *p.* 65.

LECTIO 8.

Nec fuit difficile Angelo per clausum ostium penetrare ad abdita Virginis, qui utique ex subtilitate substantiæ suæ hoc habet in naturâ, ut nec seris ferreis ejus arceatur ingressus, quocumquè suus eum impetus ferat. Angelicis enim spiritibus parietes non obsistunt, sed cuncta illis visibilia cedunt, cuncta æquè corpora, quantumlibet solida vel spissa penetrabilia sunt eis ac pervia. Tu. ℣. Omnis. *p.* 65.

LECTIO 9.

Suspicandum igitur non est, quod apertum invenerit Angelus ostium Virginis : cui nimirum in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia : vel ne orantis perturbaretur silentium, vel continentis castitas tentaretur. Clauserat itaquè etiàm illâ horâ suum super se habitaculum Virgo prudentissima, sed hominibus, non Angelis. Proindè et si ad eam potuit intrare Angelus, sed nulli hominum facilis patebat accessus. Tu. ℣. Te Matrem. *p.* 5.

Ad. Benedict. *ant.* Intra cubiculum, et clauso ostio orabat Patrem Virgo MARIA in abscondito.

Oremus. *Oratio.*

Protege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis, et beatæ MARIÆ patrociniis confidentes à cunctis hostibus redde securos. Per Dominum, &c.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Encycl. 2. Febr. 1849.

27. In primis noscere vel maximè cupimus, quid vos ipsi, venerabiles Fratres, pro eximiâ vestrâ prudentiâ «de Immaculatæ Virginis Conceptione» sentiatis, quid exoptetis. Tu.

Ad. Magnif. *ant.* Fons ascendebat de terrâ irrigans universam faciem terræ.

CANONES.

Infra Hebdomadam secundam Infantiæ recitandi.

FERIA II.

Ex Pio Papâ Nono.

Encycl. die 2. *Febr.* 1849.

28. Optamus autem vehementèr, «Venerabiles Fratres» ut majore quâ fieri potest celeritate nobis significare velitis, quâ devotione vester clerus, populusque fidelis erga Immaculatæ Virginis Conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret, ut ejusmodi res ab apostolicâ sede decernatur. Tu.

FERIA III.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Inefabilis. 8. *Decemb.* 1854.

29. Sanctissima Virgo arctissimo et indisolubili vinculo cum «Christo» conjuncta, unà cum illo et per illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso plenissimè triumphans illius caput immaculato pede contrivit. Tu.

FERIA IV.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. ut supra.

30. Heva serpenti miserè obsequuta et ab originali excidit innocentiâ, et illius manciputum evasit, sed Beatissima Virgo originale donum jugitèr angens, quin serpenti aures unquàm præbuerit, illius vim potestatemque virtute divinitùs acceptâ labefactavit. Tu.

FERIA V.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. ut supra.

31. Affirmarunt «Sancti Ecclesiæ Patres» Beatissimam Virginem fuisse per gratiam ab omni peccati labe integram; ac liberam ab

omni contagione et corporis et animæ et intellectûs, cum Deo conservatam et sempiterno fœdere illi conjunctam nunquàm fuisse in tenebris, sed semper in luce, et idcircò idoneum planè extitisse Christo habitaculum non pro habitu corporis sed pro gratiâ originali. Tu.

FERIA VI.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. ut supra.

32. Testati sunt «Sancti Patres... Deiparam» esse meritoque celebrari, ut illam, quæ proprium Dei opus primum extiterit, ignitis maligni telis latuerit, et pulchra naturâ, ac labis prorsùs omnis nescia, tanquàm aurora undequaquè rutilans in mundum prodiverit in suâ Conceptione immaculata. Tu.

SABBATO.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. ut supra.

33. Non enim decebat, ut illud vas electionis communibus laceresretur injuriis, quoniàm plurimùm à cæteris differens, naturâ communicabat non culpâ: imo prorsùs decebat, ut sicut Unigenitus in cœlis Patrem habuit quem Seraphim ter sanctum extollunt, ita Matrem haberet in terris, quæ nitore sanctitatis nunquàm caruerit. Tu.

DOM. III. INFANT.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De libro Genesis.

LECT. 1. *c.* 2. *v.* 8.

Plantaverat autem Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formaverat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave: lignum etiàm vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali. Tu.

℣. O puella. *p.* 65.

LECTIO 2.

Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui indè dividitur in quatuor capita. Nomen uni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum: et aurum terræ illius optimum est: ibi invenitur bidellium, et lapis onychimus. Tu. ℣. Una est. *p.* 65.

LECTIO 3.

Et nomeu fluvii secundi Gehon: ipse est qui circumit omnem terram Æthiopiæ. Nomen verò fluminis tertii Tygris: ipse vadit contra Assyrios. Fluvius autem quartus, ipse est Euphratres. Tulit ergò Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, et costudiret illum. Tu. ℣. Revertere. *p.* 65.

IN II. NOCT.

Sermo. S. Petri Damiani Episcopi.

In Natali Domini.

LECTIO 4

Fluvius (ait Scriptura) egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandam universam superficiem terræ, qui indè dividitur in quatuor capita. Fluvius iste Dominus meus JESUS, qui de duobus locis voluptatis egreditur, ex utero Patris, et ex utero Virginis. Undè Propheta, Dominus Deus noster fluvius gloriosus, exiliens in terram silientem, sed ineffabilibus differentiis longè aliter à Patre, quàm à Matre egreditur, quia etsi hæc temporalis Nativitas gloriosa est, multò gloriosior est æterna. Tu. ℣. Diffusa. *p.* 65.

LECTIO 5.

Nunc accingamus nos ad videndum, qualiter egrediatur de Virgine; quia egressio isla dulcior et affectuosior est humanæ miseriæ, quæ intuentium pectora concutit, et irrorat oculos, et beatis fontibus vultus amantium perfundit. Hic locum voluptatis uterum MARIÆ intelligo, in quo cumulavit omnes delicias deliciarum Dominus, de cujus deliciis Spiritus Sanctus admiratorio sermone in amoris cantico eructat: Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens? Tu. ℣. Sicut cedrus. *p.* 65.

LECTIO 6.

Ex hoc voluptatis loco egreditur humanitate, quia vestitus cilicio nostræ mortalitatis visibilis humanis oculis apparuit. De Virgine virgam, de libro autem generationis lineam faciens, divinitatis hamum invexit, quem carne operuit virginali, ut draco magnus illectus ad carnem, ferrum divini numinis subsentiret. Egreditur et cum novitate, quia nunquàm sic natus est homo, sicut nascitur. Solus iste de Virgine nascitur, et Virginis uterum novo et singulari partu divinitas humanata sigillat. Tu. ℣. Specie tuâ. *p.* 65.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECT. 7. *c.* 7. ℣. 6.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Et reliqua.

Homilia Sancti Thomæ Episcopi Valentini.

Concion. in Præsentat. B. M. V.

Non dabitur sanctum hoc canibus, neque preliosa margarita nostra porcis. Sicut enim si canibus dederis sanctum, aut porcis margaritam, nec sanctum canes sanctificat, nec margaritæ nutriunt porcos. Sed é contra canes coinquinant sanctum, et porci margaritas sordidant vel confringunt: ità si hominibus caninos vel porcinos mores habentibus sanctum dederis, vel margaritas porrexeris, id est, mysteria secreta de Deo simùl et homine, de Matre pariter ac Virgine crèdenda, et veneranda, nec sanctum illud sanctificat, nec margaritæ ipsos oblectant; sed è contra ipsi sanctum istud coinquinant, margaritam nostram pessumdant, mysteria veritatis blasphemant. Tu. ℣. Dilexisti. *p.* 65.

LECTIO 8.

Sanctum est corpus Christi, propterea illis solis dandum est, qui capaces facti sunt. Itèm ejusdem Christi Domini Mater margarita est, quia sicut margarita inclusæ chocleis positæ sunt in profundum maris, sic virginitatis simùl et maternitatis involuta et altissima mysteria fidei sunt. Sicut omnis homo non potest se mergere, et de profundo tollere margaritas, nisi in arte peritus; sic non omnis homo potest descendere in altitudinem sacrorum mysteriorum, et invenire absconditas margaritas, sed fidem catholicam vitâ et moribus edoctus tantùm. Tu. ℣. Omnis glor.

LECTIO 9.

Canes sunt omnes gentiles vel hæretici improbabiles, latrantes plurimùm adversus Matrem Dei, latrantes aliquandò adversùs Deum blasphemiis. Porci autem sunt Christiani, qui in carnalibus deliciis delectantur, nec aspicient aliquandò cœlos, nec quærunt Deum, ejusque sacratissimam Matrem venerantur. Sed nunquid non dabitur margaritam nostram adinvenire, et inventa potiri? Utique invenitur ab iis, qui non tentant eam, et apparet eis, qui fidem habent in illâ. Tu. Tè Matr. *p.* 5.

Ad Benedict. *ant.* Nolite * margaritam nostram mittere ante

porcos.

Oremus. *Oratio.*

Obtineat nobis, Domine, sanctissimæ Genitricis tuæ intercessio gloriosa intimum charitatis affectum, ut te toto corde, et toto affectu sempèr diligamus. Qui vivis.

CANON

Ex Pio Papâ Nono.

Const. ut supra.

34. Dei param sapissimè «Patres» compellarunt Immaculatam, omnique ex parte immaculatam, innocentem et innocentissimam, illibatam, undequaquè illibatam, Sanctam, et ab omni peccati sorde alienissimam, totam puram, totam integeratam. Tu.

Ad Magnif. *Ant.* Fluvius ' egrediebatur de loco voluptatis.

CANONES.

Infra Hebdomadam tertiam Infantiæ recitandi.

3. De Festo Conceptionis.

FERIA II.

De antiquis Ecclesiæ Ritibus, *Martene Tom. 4. libr. 4. c. 2. n. XV. pag.* 187.—*Ad an.* 660.

35. Festum diei Conceptionis Sanctæ MARIÆ, quo scilicet ipsa concepta est, Sanctus Ildephonsus celebrari constituit, et ejus constitutione per totam Hispaniam solemniter colitur sexto Idus Decembris. Tu.

FERIA III.

Ex Ervigio Visigothorum Rege. *Libr. 12. Visigot. leg. tit. 6. Mart. ut supra an.* 684.

36. Festum Sanctissimæ Virginis MARIÆ, quo gloriosa Conceptio ejusdem Genitricis Domini celebratur. Tu.

FERIA IV.

Ex Concilio Londinensi. *Ann.* 1328. Cap. 1. tit. 2.—Labb. *Tom. 7. col.* 1538. *S. Aselm. flor. an.* 1060.

37. Venerabilis Anselmus, prædecessor noster post alia quædam ipsius antiquiorâ solemnia, Conceptionis «Beatæ MARIÆ Virginis» solemne superaddere dignum duxit. Tu.

FERIA V.

Ex Statuto Altonis Prioris Sancti Petri de Regulâ.

An. 1154. *Martene de antiq. Eccl. Ritib. Tom. 4. p.* 187.

38. Statuimus, ut festum de Beatæ Dei Genitricis MARIÆ Conceptione, quod jam ferè per totam Galliam devotissimè ab omni christiano percelebratur populo, hoc et à fratribus nostris, et totâ plebe venerabiliter deinceps celebretur. Tu.

FERIA VI.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Cænomanensis.

An. 1247.—*Martene de Vet. Scriptor T. 7. col.* 1403.

39. Dies Beatæ Virginis feriandi per annum in Diœcesi Cænomanensi, Purificatio, Annuntiatio, Visitatio, Assumptio, Conceptio.

SABBATO.

Ex Statuto Monasterii Sancti Theodorici propè Remos.

An. 1296. *Marten. De ant. Eccl. Ritib. Tom. 4. p.* 188.

40. Statuimus, et etiàm inter nos unanimiter ordinamus, ut festivitas Conceptionis gloriosæ Virginis MARIÆ, fiat ex nunc singulis annis in nostro Monasterio, et in perpetuum celebretur, prout constitutum est, festivitatem ipsius Dei Genitricis in dicto Monasterio celebrari. Tu.

DOM. IV. INFANT.

Semiduplex.

IN I. NOCTE.

De libro Genesis.

Lect. 1. c. 6. ℣. 13.

Dixit «Dominus» ad Noe: finis universæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, et ego disperdam eos cum terrâ. Fac tibi arcam de lignis lævigatis: mansiunculas in arcâ facies, et bitumine linies intrinsecùs et extrinsecùs. Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in quâ spiritus vitæ est subter cœlum: universa, quæ in terrâ sunt, consummentur. Tu. ℟. O puella.

LECTIO 2.

Ponamque fœdus meum tecum: et ingredieris arcam tu, et filii tui, uxor tua, et uxores filiorum tuorum tecum. Et ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum, masculini sexûs et feminini. Fecit igitur Noe omnia, quæ præceperat illi Deus. Tu. ℟. Una. *p.* 65.

LECTIO 3. *c. 7. ℣. 7.*

Et ingressus est Noe, et filii ejus, uxor ejus, et uxores filiorum ejus cum eo in arcam, propter aquas diluvii... Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram: et multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime è terrâ. Vehementèr enim inundaverunt, et omnia repleverunt in superficie terræ: porro arca ferebatur super aquas. Tu. ℟. Revertere. *p.* 65.

IN II NOCT.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis. *Serm. de B. Maria, inter ejus opera.*

LECTIO 4.

Arcas duas fuisse, legimus in veteri testamento, unam arcam diluvii, alteram testamenti. In novo quidem testamento tres fuerunt aliæ. Prima arca est Ecclesiæ, secunda gratiæ, tertia sapientiæ: arca Noe significavit arcam Ecclesiæ, arca fœderis arcam gratiæ, sanctitatem scilicet MARIÆ. Per sapientiæ arcam intelligimus humanitatem JESU-Christi sanctissimam. Tu. ℟. Diffusa. *p.* 65.

LECTIO 5.

Arca etiam Noe significavit arcam gratiæ, excellentiam scilicet MARIÆ. Sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium, sic per istam peccati naufragium. Illam Noe, ut diluvium, evaderet fabricavit: istam Christus, qui est pax nostra, et requies, ut humanum genus relimeret, sibi preparavit. Tu. ℟. Sicut cedrus. *p.* 65.

LECTIO 6.

Per illam octo animæ tantùm salvantur: per istam omnes ad æternam vitam, quæ per octonarium numerum significata est, vocantur. Per illam pancorum facta est liberatio: per istam humani generis salvatio. Illa centum annorum fabricata est spatio: in istâ omnium virtutum fuit perfectio. Illa facta est de lignis lævigatis: ista de virtutibus ædificata est consummatis. Illa superferebatur aquas diluvii: ista non sensit naufragia ullius vitii. Tu. ℟. Specie tuâ. *p.* 65.

IN III NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c. 14. v. 11.*

In illo tempore: dixit JESUS Pharisæis: omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis. *In assumpt. B. V. artic. 2 c. 2.*

Vide igitur, quomodò in Virgine benedictâ ipsius humilitas, et divina bonitas quâdam piâ oppositione contendunt. MARIA se humiliat, et Deus eum exaltat. MARIA non solùm se humiliat, sed in humilitate sub omni rationali creaturâ se abissat: et Deus eam

non solùm exaltat, sed super omnem etiam angelicam creaturam magnificat. Tu. ℣. Dilexisti. *p.* 65.

LECTIO 8.

MARIA Dominum in animâ magnificat, et sublimis Deus eam, ut suam reverendissimam Matrem reverentèr adorat, et ad eam honore inæstimabili corporalitèr se inclinat. O stupendum prodigium, et inauditæ altitudinis fastigium, ut à muliere Dei Filius quodammodò recognoscere videatur suum esse humanum! Quid non debuit Virgini concedere, quam tantum voluit honorare! Tu. ℣. Omnis gloria. *p.* 65.

LECTIO 9.

Profectò isto respectu honoris non respiceret Dei Filius millesies mille millia Seraphim, et infinities infinitos: sed nec ipsi insimul omnes possent verè Deum diligere, et verè ipso frui, ut filio uteri sui, sicut fecit Virgo et Mater. Hoc siquidem sumo gradu inter puræ creaturæ gradus, omnes summi Seraphici in Virgine sublimantur, qui in quantum sunt idem, quod Virgo ipsâ et per ipsam diligunt, et fruuntur Dei Filio, ut ipsorum filio naturali, et inæstimabili Dei dilectione facto filio creturæ. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad. Benedict. *ant.* Deposuit potentes de sede, et ancillam humilem exaltavit Deus.

Oremus. *Oratio.*

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut semper beatissimam Virginem MARIAM invocantes, voluntatem tuam, et dictis exequamur et factis. Per Dominum, &c.

CANON.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Cameracensis.

An. 1310.—*Martene de ant. Scriptorib. T.* 7. *col* 1341.

41. Statuimus, et omnibus subditis nostris Ecclesiasticis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, in jungentes, ut, cum apud eam exuberare debeat devotio fidelium, quæ nostra est apud Deum Mediatrix, et Impetratrix promptissima gratiarum, Festum Conceptionis gloriosissimæ Virginis MARIÆ, octavo diæ mensis Decembris cum Matutinis et Missâ, cæterisque divinis obsequiis devotè celebretur. Tu.

Ad. Magnif. *ant.* Area Deifera elevabatur in sublime, et ferebatur super aquas. Per ipsam naufragium evasimus.

CAN NES.

Infra Hebdomadam quartam Infantiæ recitandi.

FERIA II.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Cameracensis. *Ut supra.*

42. Præcipimus dictum. «Conceptionis gloriosissimæ Virginis» Festum, tanquàm festivum et solemne, sub pœnâ excomunicationis reverenter observari ab omnibus christianis. Tu.

FERIA III.

Ex Concilio Londinensi.

Ann. 1328. *Capt.* 1. *lit.* 2.—*Labb. Concil. T.* 7. *col.* 1536.

43. Statuimus et firmitèr præcipiendo mandamus, quatenùs festum Conceptionis Beatæ Virginis in cunctis Ecclesiis nostræ Cantuariensis Provinciæ festivè et solemnitèr de cætero celebretur. Tu.

FERIA IV.

Ex Statuto Synodali Ecclesiæ Suessonensis.

An. 1334. *n.* 22. *de festa. Mart. Tom.* 9. *col.* 1555.

44. In Decembri Festum Conceptionis Beatæ MARIÆ, Virginis servatur, sed non à carrucis. Tu.

FERIA V.

Ex Theodirico Abbate Corbeiensi. *An.* 1337.—*Marten. de Veterib. Scriptor. T.* 1. *col.* 1471.

45. Diem Conceptionis sacratissimæ magnificentissimis honoribus prosequi cupientes, pio affectu duximus statuendum, quod prædicta ineffabilis sanctificationis dies ab omnibus nostris subjectis Monasteriis et Ecclesiis in septem candelis et cappis, et aliis solemnibus ad hoc concurrentibus singulis annis celebretur. Tu.

FERIA VI.

Ex Joanne Primo, Aragoniæ Rege. *Decret. Dat. Valentiæ, ann.* 1394.

46. Disponimus et jubemus per omnia regna nostra et terras «Festum Conceptionis Beatæ Virginis» annuatim cum reverentiâ maximâ celebrari perpetuò ab universis et singulis fidelibus ortodoxis, tàm religionis et clericis, quàm laicis infimis, atque mediis, et supremis..... Tu.

SABBATO.

Ex Sixto Papâ Quarto.

Const. Cum præcels. 1 *Mart.* 1476. *Concil. T.* 14. *p.* 26.

47. Dignum... debitum reputamus, universos Christi fideles, ut omnipotenti Deo (.....) de ipsius immaculatæ Virginis mirâ conceptione gratias et laudes referant, et institutas propterea in Ecclesiâ Dei Missas, et alia divina officia dicant, et illis intersint, indulgentiis et peccatorum remissionibus invitare... Tu.

DOM. V. INFANT.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De libro Genesis.

LECTIO 1. *c.* 28. *v.* 1.

Vocavit Isaac Jacob, et benedixit eum, præcepitque ei, dicens: noli accipere conjugem de genere Chanaan. Sed vade, et proficiscere in Mesopotaniam Syriæ ad domum Bathuel patris matris tuæ, et accipe tibi indè uxorem de filiabus Laban avunculi tui... Igitur egressus Jacob de Bersabè pergebat Haran. Cumque venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum, tullit de lapidibus, qui jacebant, et superponens capiti suo, dormivit in eodem loco. Tu. ℣. O puella. *p.* 65.

LECTIO 2.

Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoquè Dei ascendentes, et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac: terram in quâ dormis tibi dabo, et semini tuo: eritque semen tuum, quasi pulvis terræ, et benedicentur in te, et in semine tuo cunctæ tribus terræ. Tu. ℣. Una est. *p.* 65.

LECTIO 3.

Cumque evigilasset Jacob de somno, ait: verè Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque: Quàm terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cæli! Surgens ergo Jacob manè, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper. Tu. ℣. Revertere. *p.* 65.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bonaventuræ Episcopi. *De Ecclesiastica Hierarch. p.* 1. *c.* 7.

LECTIO 4.

Quia in altissimis et inaudilis Dei consiliis semper mansit Beata Virgo, et aliquid præter cœlestia inter mundi prospera non curavit, ideo significatur in Genesi per scalam, quam vidit Jacob, cujus cacumen langebat cœlum, et Dominus in-

nixus scalæ. Scala cœlica, per quam patet ascensus ad æterna est MARIA, quæ à Jacob est visa in somnis, quia MARIÆ præsentia prævisa est multipliciter à Prophetis. Tu. ℣. Diffusa. *p.* 65.

LECTIO 5.

Latera hujus scalæ sunt tribus duæ, scilicet sacerdotalis et regalis, ex quibus MARIA contraxit originem secundum carnem. Gradus interscalares sunt ejus privilegia et dignitates singulares: hujus scalæ cacumen in Deo est, et ei conjungitur per cœlestem conversationem, sicut dicitur in Apocalipsi: signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus. Tu. ℟. Sicut cedr. *p.* 63.

LECTIO 6.

De istâ inhærentiâ cum cœlo dicit Bernardus: O Virgo Virginum! virga sublimis, in quâ Iuum sanctum verticem erigis usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum majestatis. Nec id quidem mirum est, quia mittis in altum radices humilitatis. Per hanc scalam descendit Angelus magni consilii, ut nostram assumeret infirmitatem. Per hanc etiàm scalam angeli ascendunt: qui angelicam vitam ducunt. Tu. ℣. Specie tuâ. *p.* 65.

IN III NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 1. *c.* 5. *v.* 14.

In illo tempore: dixit JESUS discipulis suis: Non potest abscondi civitas supra montem posita. Et reliqua.

Homilia Beati Alberti Magni Episcopi.

In Biblia Mariana.

Non potest civitas abscondi, idest, MARIA celari supra montem posita, scilicèt virtutum et gratiarum. Neque accenduni, scilicet Pater et Filius et Spiritus Sanctus, lucernam, id est, MARIAM, quæ accensa fuit in die Incarnationis; et ponunt eam sub modio, sicut faciunt ipsam inhonorantes, sed super candelabrum, id est, Ecclesiam, ut luceat indifferenter omnibus qui in domo sunt, id est, in Ecclesiâ, vel in mundo. Tu. ℣. Dilexisti. *p.* 65.

LECTIO 8.

Si offers munus tuum ante altare, id est, ad MARIAM, vade priùs reconciliari fratri tuo, id est, JESU-Christo. Qui petit à te, ô MARIA, instanter, da ei. Glossa: quæ honestè et justè dari possunt, et volenti mutuari à te, quæ difficillima es, ne averteris. Tu. ℣. Omnis gloria. *p.* 65.

LECTIO 9.

Solem suum, id est, Virginem MARIAM oriri facit per nativitatem in mundo, per gratiam in mente, super bonos, ut confirmentur, consolentur et illuminentur: et super malos, ut convertantur, et salventur. Et pluit super justos et injustos, sed aliter. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *Ant.* Lucerna ardens et lucens, Virgo MARIA, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.

Oremus. *Oratio.*

Concede nos, quæsumus Deus, beatissimæ Virginis MARIÆ, exempla sectari, ut per terrestrium rerum contemptum, ipsius adjutorio æterna gaudia capiamus. Per Dominum.

CANON

Ex Statuto Ecclesiæ Gerundensis. *Die* 23. *Oct.* 1591.—*Españ. Sagrad. Tom.* 44. *pag.* 327.

48. Considerantes, quod in Gerundensi Ecclesiâ nulla fiat festivitas de Conceptione seu Sanctificatione Beatæ MARIÆ Virginis, quæ intitulatur sexto idus Decembris... dignum reputaverunt, atque justum de dictâ Conceptione seu Sanctificatione festari in Ecclesiâ supradictâ. Tu.

Ad Magnific. *Ant.* Scala Jacob' cujus cacumen cœlos tangebat, Virgo divina.

CANONES

Infra Hebdomadam 3. *Infantiæ recitandi.*

FERIA II.

Ex Urbano Papâ Octavo. *Const.* 388. Sanctæ et immacul. *ant.* 1631.—*Bul. Rom. T.* 6. *p.* 1 *p.* 295.

49. In Ecclesiâ Sancti Jacobi Hispanorum de urbe festum Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis, etiam ipsâ secundâ Dominicâ adventûs, cum in illam inciderit, sub ritu duplici primæ classis celebrari concedimus. Tu.

FERIA III

Ex Innocentio Papâ Decimo. *Const.* 3. In his. *an.* 1644. *Tom.* 6. *Boll.* ℣. *p.* 3 *p.* 4.

50. Quoad festum Conceptionis Deiparæ Virginis in Regnis Hispaniarum tantùm, obstaculum Constitutionis Urbani Octavi, «in quâ non ponitur inter festa de præcepto Festum Conceptionis Beatæ Virginis, et tolluntur contrariæ consuetudines,» apostolicâ auctoritate tenore præsentium removemus. Tu.

FERIA IV

Ex Alexandro Papâ Septimo. *Const.* 136. In his. *an.* 1657.—*Bull.* R. *Tom.* 6. *p.* 4. *pag.* 183.

51. Quoad Festum Conceptionis Deiparæ Virginis in regno Galiarium, obstaculum Constitutionis Urbani Octavi «in quâ non ponitur inter festa de præcepto festum Conceptionis Beatæ Virginis» apostolicâ auctoritate tenore præsentium removemus. Tu.

FERIA V.

Ex Clemente Papâ Undecimo. *Const.* 120. Commissi nob. *an.* 1708.—*B. R. Tom.* 10. *p.* 1. *pag.* 206.

52. Festum Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis Immaculatæ ubique terrarum in posterum ab omnibus et singulis utriusque sexûs fidelibus sicut alia festa de præcepto observantiis Festorum comprehendi, auctoritate apostolicâ tenore præsentium decernimus, præcipimus et mandamus. Tu.

FERIA VI.

Ex Benedicto Papâ Decimoquarto. *Allocut.* 26. *Nov.* 1742.—*Bull. Bened. XIV. tom.* 2.

53. Singulis quibuscumque annis fieri mandamus ac præcipimus, ut capella Pontificia in Liberianâ Basilicâ in festo Conceptionis Virginis Immaculatæ, in honorem ejusdem, quotannis celebranda cæteris annumeretur. Tu.

SABBATO.

Ex Decreto Sacror. Rituum Congregationis.—10. *Dec.* 1843. *Ordin. Prædicator.*

54. Gregorius Decimus Sextus Ordini Prædicatorum concessit indultum deinceps juxta proprium ritum Festum Conceptionis Deiparæ celebrandi cum octavâ solemni, prout celebrantur Festa Annuntiationis, Assumptionis, ac Sacratissimi Rosarii. Tu.

DOMIN. VI. INFANT.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De libro Exodi.

Lect. 1. *c.* 3. *v.* 1.

Moyses autem pascebat oves Jethro soceri sui Sacerdotis Madian:

cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb, apparuitque ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi: et videbat quod rubus arderet, et non comburetur. Dixit ergò Moyses: vadam, et videbo visionem hanc magnam, quarè non comburatur rubus. Tu. ℟. O puella. p. 65.

LECTIO 2.

Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocabit eum de medio rubi, et ait: Moyses, Moyses. Qui respondit: Adsum. At ille: ne appropies, inquit, hùc: solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est. Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Tu. ℟. Una est. p. 65.

LECTIO 3.

Abscondit Moyses faciem suam non enim audebat aspicere contra Deum. Cui ait Dominus: vidi afflictionem populi mei in Ægipto, et clamorem ejus audivi propter duritiam eorum, qui præsunt operibus... Sed veni et mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israel de Ægypto. Tu. ℟. Revertere. p. 65.

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Gregorii Nisseni.
In die Natali Domini.

LECTIO 4.

Dei Genitricis incorruptam integritatem magnus ille Moyses per eam lucem, in quâ sibi Deus apparuit, videtur cognovisse, qui cum rubus arderet, nec tamen consumeretur. Transiens enim, inquit, videbo visionem hanc magnam, non loci motum, ut arbitror, per transitum declarans, sed temporis transitum. Tu. ℟. Diffusa. p. 65.

LECTIO 5.

Quod enim tunc per flammam, et rubum significabatur, progrediente tempore, quod intercedebat, perspicuè in mysterio Virginis apertum fuit. Quemadmodùm enim illic est rubus, et accendit ignem, et non comburitur; ità hic est Virgo, quæ lucem parit, et non corrumpitur. Quod autem per rubum Virginis corpus, quod Deum peperit, intelligatur, ne te similitudinis pudeat. Tu. ℟. Sicut cedus. p. 65.

LECTIO 6.

O rem mirandam! Virgo Mater efficitur, et permanet Virgo. Cernis novum naturæ ordinem? In aliis mulieribus, quandò aliqua est virgo, non est mater. Nam posteà quàm effecta est mater, virginitatem non habet. Hic autem utrumque nomen in idem concurrit. Eadem enim et Mater et Virgo est. Nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem solvit. Tu. ℟. Specio tuâ. p. 65.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c. 7. v. 41.*

In illo tempore: duo debitores erant cuidam fœneratori. Et reliqua.

Homilia B. Alberti Magni Episcopi.
In Bibliâ Marianâ.

Quis ergo eum plùs diligit? Respondens Simon dixit: Æstimo, quòd is, cui plùs donavit. Sed beatissimæ Virgini super omnem creaturam plùs donatum est: ergò super omnes creaturas diligit. Item Deus dat omnibus affluenter, non tamen omnes recipiunt æqualiter. Hujus diversitatis duplex est causa. Alia ex parte recipientis, quia alter altero capacior est. Tu. ℟. Dilexisti.

LECTIO 8.

Hanc autem capacitatem operatur humilitas vera, juxta illud: humilibus dat gratiam. Ergò ubi major humilitas, ibi major capacitas est. Sed ipsa super omnes humillima fuit. Ergò maximè capax est: ergò maxima gratiarum recipere potuit: scilicet, quantam recipere potuit, tantam recipit. Item ex parte datis est diversitas doni, quia cum dans det secundum rationem, et retrò respiciat finem, majus donum dat, quod dat ad majorem finem. Tu ℟. Omnis gloria. *p.* 65.

LECTIO 9.

Sed dabatur MARIÆ gratiam ad essendum Matrem Dei, et omnibus aliis datur ad essendos servos, et ancillas Dei. Sicut ergò improportionabiliter majus est esse Matrem Dei, quàm servum Dei, ita improportionabiliter erit majus donum ad essendum Matrem Dei, quàm ad essendum servum Dei. Sed donum, in quo omnia donantur, est charitas beatissimæ Virginis: ergò improportionabiliter major erat charitate omni creaturâ. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad. Benedict. *ant.* Simon, quis Deum plus diligit? æstimo, quòd is, cui plus donatum est.

Oremus. *Oratio.*

Absorbeat, quæsumus, Domine, animas nostras ab omnibus quæ sub cœlo sunt, ille charitatis ignis, quo beatissimæ Unigeniti tui Matri donatam est plùs super omnem creaturam te diligere. Qui tecum vivit.

CANON.

Ex Decreto Sac. Rituum Congregationis.
Episcop. Gallic. Ap. Perrone.

55. Conceditur Dioecesibus Galliæ indultum celebrandi Festum Conceptionis Deiparæ Dominicâ secundâ adventûs, cum unicâ Missâ solemni in quâlibet Ecclesiâ, addito Præfationi verbo immaculata, et cùm plenariâ Indulgentiâ... quamcumque Ecclesiam memoratâ die visitantibus. Tu.

Ad. Magnif. *ant.* Rubus, quem viderat Moyses incombustum, conservatam præsignavit tuam laudabilem virginitatem.

CANONES.

Infra Hebdom. 6. Infantiæ recitandi.
4. *De his quæ ad Officium et Missam Conceptionis pertinent.*

FERIA II.

Ex Sixto Papâ Quarto.
Const. Cum præcelsa. *an.* 1476.
Concil. T. 34. *p.* 26.

56. Ordinamus, quòd omnes et singuli Christi fideles, qui Missam et Officium Conceptionis Beatæ Virginis gloriosæ... in die Conceptionis ejusdem et per octavas ejus devotè celebraverint et dixerint, aut illis Horis Canonicis interfuerint, quotiès id fecerint, eamdem prorsùs indulgentiam consequantur, quàm in festo Corporis Christi et per ejus Octavas.... Tu.

FERIA III.

Ex Leone Papâ Decimo.
Const. Piæ Christi. *an.* 1518. *asservatur Molinæ Aragon.*

57. Vobis et pro tempore existentibus Rectoribus et beneficiatis... parrochialium Ecclesiarum oppidi Molina, ut in nocte ante diem festum Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis post Laudes hujusmodi annis singulis in Ecclesiâ Sancti Ægidii unam Missam in cantu cum Presbytero, Diacono et Subdiacono solenniter celebrare liberè et licitè valeatis... de speciali dono gratiæ perpetuò indulgemus. Tu.

FERIA IV.

Ex Decreto Sanctæ Romanæ Inquisitionis.
Sub. Greg. XV. an. 1622.

58. Sanctitas sua.... omnibus

et singulis personis Ecclesiasticis... mandat ac præcipit, ut in Sacro-Sancto Missæ sacrificio ac divino officio celebrando, tàm publicè quàm privatim, non alio quàm Conceptionis nomine «in Missâ et officio Conceptionis Beatæ Virginis» uti debeant. Tu.

FERIA V.

Ex Alexandro Papâ Septimo. *Const.* 483. Quæ inter. *an.* 1661. *B. Rom. Tom.* 6. *p.* 6. *p.* 20.

59. In omnibus Regnis Hispaniarum et Indiarum Regis Catholici imperio subjectis, tum à sæcularibus tum à Regularibus, qui horas canonicas recitare tenentur, Officium et Missa Conceptionis Beatæ MARLÆ Virginis Immaculatæ cum octavâ in posterum de præcepto recitetur. Tu.

FERIA VI.

Ex Alexandro Papâ Septimo. *Const.* 513. 518. 523. *an.* 1665. *Bull. Rom. Tom.* 6. *p.* 6.

60. In omnibus Ditionibus et Dominiis Duci Sabaudiæ, et Magno Duci Etruriæ subjectis, et in toto statu Mediolanensi, ac in Marchionatu Finariensi, ab omnibus qui Horas canonicas recitare tenentur, officium et Missa Conceptionis Beatæ MARLÆ Virginis Immaculatæ cum Octavâ in posterum de præcepto recitetur. Tu.

SABBATO.

Ex Clemente Papâ Nono. *Const.* 16. *et* 33. *an.* 1667.—*Bull. Rom. Tom.* 6. *part.* 6.

61. In societate JESU, et in Ordine Eremitarum Sancti Augustini ab omnibus Religiosis qui Horas canonicas recitare tenentur, officium et Missa Conceptionis Beatæ MARLÆ Virginis Immaculatæ cum octavâ in posterum de præcepto recitetur. Tu.

DOM. VII. IEFAET.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De libro Exodi.

LECTIO 1. *c.* 31. *v.* 1.

Loculus est Dominus ad Moysen, dicens: ecce vocavi ex nomine Beseleel filium Uri, filii Uur, de tribu Juda, et implevi eum spiritu Dei, sapientiâ, et intelligentiâ, et scientiâ in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, et argento, et ære, marmore et gemmis, et diversitate lignorum. Dedique ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan. Tu. ℣. O puella. *p.* 65.

LECTIO 2.

Et in corde omnis eruditi posui sapientiam, ut faciat cuncta, quæ præcepi tibi, tabernaculum fœderis et arcam testimonii, et propitiatorium, quod super eam est, et cuncta vasa tabernaculi, mensamque et vasa ejus, candelabrum purissimum cum vasis ejus, et altaria thymiamatis, et holocausti, et omnia vasa eorum. Tu. ℣. Una est. p. 65.

LECTIO 3. *c.* 37. *v.* 1

Fecit autem Beseleel et arcam de lignis setim, habentem duos semis cubitos in longitudine, et cubitum ac semissem in latitudine, altitudo quoquè unius cubiti fuit et dimidii: vestivi que eam auro purrissimo intùs ac foris. Et fecit illi coronam auream per gyrum, conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos ejus: duos annulos in latere uno, et duos in altero. Vectes quoquè fecit de lignis setim, quos vestivit auro, et quos misit annulos ad portandum eam. Tu. ℣. Revertere. p. 65.

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Serm. de Sancta Maria. Inter ejus opera.

LECTIO 4.

Arca quoquè testamenti typum tenet sanctæ Dei Genitricis. Illam fecit Beseleel: istam condidit Emmanuel. Beseleel Ooliab in opere socium habuit, et Virgo quoquè virginum condita, præelecta, præservata et ornata per Spiritum Sanctum, et ejus omnipotentem Filium fuit. Beseleel interpretatur umbra Dei: Ooliab protectio mea. Prior ille Spiritûs Sancti, iste verò typum tenet Filii. ℣. Diffusa. p. 65.

LECTIO 5.

Beseleel ergò cum socio arcam testamenti fabricavit: Sancta quoquè Trinitas Virginem sibi sanctificavit, ac templum sanctissimum consecravit, hospitiumque mundissimum sibi præparavit, thalamum quoquè, de quo Sponsus præ filiis hominum speciosus ad publicum procederet, decentèr præornavit. Neque enim Pater abesse potuit, ubi ejus Spiritum et Filium cooperari volvit. Tu. ℣. Sicut cedrus. *p.* 65.

LECTIO 6.

Arca verò testamenti de lignis setim facta est, et MARIA de spinoso et hispido Judæorum populo et arido proereata est. Setim enim interpretatur spinæ. Alitèr Eva spina, rosa MARIA. Revera Eva spina fuit, quæ et virum suum ad mortem pupugit, et posteritati suæ peccati aculeum infixit. Eva ergo spina fuit: MARIA rosa extitit. Eva spina vulnerando. MARIA rosa omnium affectus mulcendo. Eva spina infigens omnibus mortem, MARIA rosa reddens salutiferam omnibus sortem. Tu. ℣. Specie tuâ. *p.* 65..

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 11. *v.* 11

In illo tempore: dixit JESUS turbis: amen dico vobis: non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardini Senensis

De amore glorioso Ser. 49. *p.* 1

Dico, quòd minimus angelus existens in vitâ æternâ est decies pulchrior, quam sit pulchrior anima, quàm unquàm fecerit Deus, et quam anima sancti Joannis Baptistæ, exceptâ animâ Christi et Virginis gloriosæ. Et licet dicatur quod inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ, tamen qui minor est inter angelos, in vitâ est minor eo valdè. Tu. ℣. Dilexisti *p.* 65.

LECTIO 8.

Et nota illud dicere: quòd inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ, vult dicere, quòd Joannis Baptistæ anima est major omnibus animabus natis ex muliere. Et Christus cavet se, extrahit Virginem gloriosam oculte, si benè advertis suum eloquium, quia dixit: non surrexit, quia nullus dicitur levare seu surgere, qui non cecidit. Tu. ℣. Omnis. *pag.* 65.

LECTIO 9.

Sed quia Christus non cecidit in aliquo peccato conceptionis, nec actualis, et similitèr beata Virgo, ideò non sunt in illâ regulâ, qui non ceciderunt modo jam dicto: ideò non dicuntur surgere, sicut omnes cæteri homines, qui ceciderunt, et cadunt ab Adam citra per peccatum originale. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad. Benedict. *ant.* Procùl * et de ultimis finibus hujus mulieris prætium.

Oremus. *Oratio.*

Protege, Domine, populum tuum gratiæ tuæ subsidiis, et beatâ MARIA semper Virgine intercedente, fac nos ad sempiterna gaudia pervenire. Per Dominum.

CANON.

Ex Clemente Papâ Nono. *Const.* 25. Sincera *an.* 1667.— *Bul. R. T.* 6. *p.* 6. *pag.* 208.

62. In almâ urbe et in universâ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditione, ab omnibus qui Horas canonicas recitare tenentur, officium et Missa Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis Immaculatæ in posterum de præcepto recitetur. Tu.

Ad. Magnificat. *ant.* Arcam * de de ligni setim compingite, et deaurabilis eam intùs et foris.

CANONES.

Infra Hebd. 7. *Infan. recitandi.*

FERIA II.

Ex Innocentio Papâ Undecimo. *Cons.* 36. In excelsa. *an.* 1693.— *B. R. Tom.* 9. *pag.* 304

63. Precibus Caroli Hispaniarum Regis... benignè inclinati, ut Officium et Missa Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis Immaculatæ cum octavâ et Lectionibus approbatis... ubique terrarum in posterum... de præceptorecitetur, apostolicâ auctoritate tenore præsentium mandamus et decernimus. Tu.

FERIA III.

Ex Clemente Papâ Decimo tertio. *Cons.* Quam prim. 17. *Jan.* 1761.

64. Ad preces Caroli Hispaniarum Regis concedimus, ut in die Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis in eisdem regnis ab universo clero, illud officium proprium et Missa cum octavâ recitentur, quod et quæ de præsenti à Fratribus ordinis Minorum Sancti Francisci recitantur. Tu.

FERIA IV.

Ex Clemente Papâ Decimo tertio. *Const.* Commissi nob. 11 *Mart.* 1767.

65. Supplicationibus Regis Hispaniarum inclinati, ut in posterum singulis sabbatis non impeditis, officium proprium Immaculatæ Conceptionis ab universo Clero sub ritu semiduplici recitari, et Missa ibidem propria respectivè celebrari possit, auctoritate apostolicâ concedimus. Tu.

FERIA V.

Ex. Decreto Sac. Rituum Congregationis.

6 *Setembr.* 1834. *Hispal.*

66. Extenditur ad Archidiœcesim Hispalensem indultum jam pridèm concessum ordinibus Sancti Francisci, addendi nimirùm in Præfatione Missæ propriæ Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis verbum Immaculatâ, ita ut legi queat: Et te in Conceptione Immaculatâ. Tu.

FERIA VI.

Ex Decreto Sacr. Rituum Congregationis

11 *Jun.* 1838. *Lugdunens.*

67. Conceditur Diœcesi Lugdunensi, et omnibus idem petentibus indultum dicendi in Præfatione Missæ Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis: Et te in Conceptione Immaculatâ. Tu.

SABBATO.

Ex Decreto Sac. Rituum Congregationis.

10 *Dec.* 1843. *Ord. Prædicat.*

68. Indultum dicendi: Et te in Conceptione Immaculatâ: in Præfatione Missæ Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis Archidiœcesi Hispalensi concessum, Gregorius Decimus Sextus ad universum ordinem Prædicatorum extendit. Tu.

DOM. VIII INFAN.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De libro Levitici.

LECTIO. 1. *c.* 1 *v* 1

Vocavit autem Moysen et locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonii, dicens: loquere filiis Israel, et dices ad eos: Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est de bobus, et ovibus offerens victimas, si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento: masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum. Tu. ℣. Opuella. *p.* 65.

LECTIO 2. *c* 25. 6.

Locutusque est Dominus ad Moysen in monte Sinai, dicens: clanges buccinâ mense septimo, decimâ die mensis, propitiationis tempore in universâ terrâ vestrâ. Sanctificabisque annum quinquagesimum et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque rediet ad familiam pristinam, quia jubilæus est, et quinquagesimus annus. Tu.

℣. Una es. *p.* 65.

LECTIO 3 *c.* 26 *v.* 1

Ego Dominus Deus vester... Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur... Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea, ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus. Tu. ℣. Revertere *p.* 65.

IN II. NOCT.

Ex Bibliâ Marianâ B. Alberti Magnai, Ep.

In Leviticum LECTIO 4

Regina mundi dicitur ostium præsentationis, ad quod omnis peccator præsentari debet. Homo qui obtulerit voluntariè hostiam Deo, ad placandum sibi Dominum, offerret primò ad ostium tabernaculi, idest, ad MARIAM. Undè Bernardus in sermone de Nativitate: Quidquid illud est, quod offerre paras, MARIÆ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo sufluxit. Tu.

℣. Diffusa est. *p.* 65.

LECTIO 5.

Idem ipsa est annus, et tempus propitiationis. Tempore propitiationis clanges buccinâ. Quia genus humanum bonitate et clementiâ à corruptione liberatur, quibus in Adam dictum est: pulvis es, et in pulverem reverteris. Et annum quinquagesimum, id est, MARIAM vocabis remissionem: Glossa: omnium peccatorum, omnium laborum, cunctis habitatoribus, non solùm cœli, sed et terræ. Revertetur enim homo, scilicet, peccator ad possessionem suam, id est, ad paradissum, et ad familiam pristinam, id est, Patriarcharum et Prophetarum. Tu. ℣. Sicut cedrus. *p.* 65.

LECTIO 6.

Idem ipsa est tabernaculum unionis inter nos et Deum. Ponam firmitèr tabernaculum meum in medio vestri. Tabernaculum, id est, MARIAM, quod est meum sanctitate, meum firmitate, meum amplitudine, meum largitate, et hoc in medio vertri, quia communis est. Et non abjiciet vos anima mea. Glossa: audeo et dico: quia anima Dei et Christus est: ac si diceret non abjiciet vos Filius meus. Ambulabo inter vos, homo factus. Tu. ℣. Specie tuâ. *p.* 65

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECT. 7. *c.* 25. *v.* 1.

In illo tempore: dixit JESUS Discipulis suis: simile est regnum cœlorum decem virginibus. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Serm. 2. *in assumpt. B. V.*

Non est de numero fatuarum prudens Virgo. Lampadem habet, sed in vase oleum portat. An forte excidit vobis evangelica illa parabola, quæ fatuas virgines prohibitas narrat ab introitu nuptiarum? Erat equidem domus earum munda, virgines enim erant. Erat ornata, quia simul omnes, id est, fatuæ cum prudentibus lampades ornaverunt: sed erat vacans, quia in vasis suis oleum non acceperunt. Tu. ℣. Dilexisti. *p.* 63.

LECTIO 8.

Hinc est, quòd nec ab eis suscipi in domo suas, nec admittere eas dignatur sponsus cœlestis ad nuptias. Non sic mulier illa fortis, quæ serpentis caput contrivit. Habes enim post multa in laudibus ejus, quia non extinguetur in nocte lucerna ipsius. In suggillationem hoc dicitur fatuarum, quæ, veniente mediâ nocte sponso, conqueruntur serò, et dicunt: quia lampades nostræ extinguuntur. Tu. ℣. Omnis glor. *p.* 65.

LECTIO 9.

Processit igitur gloriosa Virgo, cujus lampas ardentissima ipsis quoque angelis lucis miraculo fuit, ut dicerent: Quæ est ista, quæ progreditur, sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? Clarius enim cæteris rutilabat, quam replevit oleo gratiæ præ participibus suis Christus JESUS Filius ejus Dominus noster. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad Bened. *ant.* Hæc est Virgo prudentissima quæ sempèr oleum gratiæ in suo lampade habuit.

Oremus. *Oratio.*

Presta quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Matrem tuam quotidiè veneramus in terris, cœlestibus gaudiis, ipsâ intercedente, perfruamur in cœlis. Qui vivis et regn.

CANON.

Ex Decreto Sac. Rituum Congregationis. 17 *Jul.* 1847. *Ordin Prædic.*

69. Pius Nonus apostolicâ auctoritate suâ præcipit, ut duo decreta super elevatione ritûs Festi Conceptionis Deiparæ, et additione verbi Immaculata in Præfatione Missæ ejusdem Conceptionis à Gregorio Decimo sexto universo ordini Prædicatorum concessa, plenissimè observentur tùm ab omnibus et singulis alumnis dicti ordinis, tùm in omnibus pariter ordinis ipsius Ecclesiis. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Ecce ponam tabernaculum meum in medio vestri, dicit Dominus.

CANONES

Infra Hebd. 8. *Infantiæ recitandi.*

FERIA II.

Ex Pio Papâ Nono.

Encicl. Gaetæ 2. *Febr.* 1849.

Const. Ineffabil. *Die* 8. *Dec.* 1854.

70. Memores Institutionis Sixti quarti proprium de Immaculatâ Concephone officium «recentissimè compositum» auctoritate nostrâ munivimus, illiusque usum «loco ejus quod in communi Breviario continetur» universæ Ecclesiæ lætissimo prorsùs animo concessimus, «quin ejusmodi venia à nobis vel à nostrâ sacrorum Rituum congregatione implorari debeat.» Tu.

FERIA III.

3. Deipara immaculata in Patronam eligitur.

Ex Clemente Papâ Decimo Tertio. *Bull. VI. Idus Nov.* 1760.

Beatissimam Virginem Deiparam in sacrosancto ejusdem Immaculatæ Conceptionis mysterio, Hispaniarum Indiarumque ditionum à comitiis totius Nationis Hispaniæ Patronam et Advocatam specialem communi consensione nuncupatam et delectam, tenore præsentium confirmamus et approbamus. Tu.

FERIA IV.

Ex Clemente Papâ Duodecimo. *Const.* 251. Nuper sicut *an.* 1739. *B. R. Tom.* 14. *pag.* 369.

71. Beatissimam Virginem MARIAM Immaculatam in principalem Regni Siciliæ ultra Pharum Patronam, ut majora eidem sempèr à Christi fidelibus impendantur obsequia, et religiosa populorum pietas præsentissimo ejusdem fruatur patrocinio, quatenus opus sit auctoritate apostolicâ tenore præsentium denò confirmamus. Tu.

FERIA V.

Ex Sacrâ Congregatione de Propagandâ fide. 7. *Febr.* 1847.

72. Pius Papa Nonus benignè probavit in omnibus Electionem quam Concilium Sextum Baltimorense fecit Beatæ Virginis MARIÆ sine labe originali conceptæ in Patronam septentrionalis Americæ fœderatarum Provinciarum. Tu.

FERIA VI.

Ex Pio Papâ Nono. *Const. Ineffabilis.* 8. *Dec.* 1854.

73. Prædecessores nostri vehementèr gloriati sunt, apostolicâ suâ auctoritate..... cultum jam institutum omni ope promovere, amplificare..... facultate tributâ civilatibus, provinciis, regnisque, ut Deiparam sub titulo Immaculatæ Conceptionis Patronam sibi deligerent. Tu.

SABBATO.

Ex Pio Papâ Nono. *Ut suprà.*

74. «Cultum hunc Prædecesores nostri gloriati sunt amplificare,» sive comprobatis Sodalitatibus, Congregationibus, Religiosisque Familiis ad Immaculatæ Conceptionis honorem institutis, sive laudibus eorum pietati delatis, qui monasteria, xenodochia, altaria, templa sub Immaculati conceptûs titulo erexerint, aut sacramenti religione interpositâ Immaculatam Deiparæ Conceptionem strenuè propugnare sponponderint. Tu.

DOM. IX. INFANT.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De libro Numerorum.

LECTIO 1. *c.* 17. *v.* 1.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: loquere ad filios Israël et accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, à cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, et unicuique nomen superscribes virgæ suæ. Nomen autem Aaron erit in tribu Levi, et una virga cunctas seorsum familias continebit: ponesque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, ubi loquar ad te. Tu. ℣. O puella. *p.* 65.

LECTIO 2.

Quem ex his elegero, germinabit virga ejus, et cohibebo à me querimonias filiorum Israël, quibus contra vos murmurarunt. Locutusque est Moyses ad filios Israël: et dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus: fuerantque virgæ duodecim absque virgâ Aaron. Tu. ℣. Una. *p.* 65.

LECTIO 3.

Quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonii,

sequenti die reversus invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi: et turgentibus gemmis eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in amigdalas deformati sunt. Protulit ergò Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israël: viderunique, et receperunt singuli virgas suas. Tu. ℣. Revertere. *p.* 65.

IN II. NOCT.

Sermo S. Amadei Ep. Lausanensis.

De laudib. B. M. V. Hom. 1.

LECTIO 4.

Virgo beata virga dicitur, utpote gratiosa et recta, subtilis et porrecta. Gratiosa per verecundiam, et formositatem, recta per judicium et æquitatem, subtilis per contemplationis ingenium, porrecta per vitæ meritum. Efloruit autem de Spiritu Sancto, sicut virga Aaron floruit ex miraculo. Illa fructum protulit amigdalinum, ista et optimum protulit amigdalum, habentem nucleum et testam. Tu. ℟. Diffusa. *p.* 65.

LECTIO 5.

Nucleum habens, ut reficiat; testam, ut contegat. Nucleum in divinitate; testam in humanitate. Vis nosse nucleum? audi, quia in principio erat Verbum. Testam nosse desideras? Audi, quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Vides ergò, quia nucleum est in testâ, verbum est incarnatum. Tu. ℟. Sicut cedr. *p.* 65.

LECTIO 6.

Et quoniàm testa etiàm corticem habet, corticem intellige in carnis amaritudine, testam in resurrectione, nucleum in deitate. Cortice Christus nos sanat, testâ corroborat, nucleo pastum æternum administrat. Hoc nucleum, hoc verbum nos illuminet, et usque in cubiculum Genitricis nos introducat. Tu. ℣. Specie tuâ. *p.* 65.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 15. *v.* 8.

In illo tempore: dixit JESUS Scribis et Pharisæis parabolam hanc: Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat? Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis.

De consens. Virgin. art. 2. *c.* 1.

Apparuit desiderium Virginis magnum in magnâ promissione. Non enim mirum, si tam magna desideravit, nam desiderabilia audivit, desiderabilia intellexit, desiderabilia requisivit. Quæ enim multùm quærimus, multùm desideramus. Propterea Lucæ decimo quinto capite mulier illa lucernam accendit, domum everrit, et drachmam perditam quærit. Tu. ℟. Dilexisti. *p.* 65.

LECTIO 8.

Misticè quippe drachma sapientia Dei est, quam amiserat natura humana. Sed mulier, id est, MARIA, tunc lucernam accendit, quandò virginitatis exemplum labili mundo dedit, domum evertit, quandò per mentis industriam in omnibus requiem quæsivit. Et nusquàm nisi in drachmâ perditâ, id est, in Dei sapientiâ, illam invenit. Tu. ℟. Omnis gloria. *p.* 65.

LECTIO 9.

Unde Ecclesiasticus: in omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, scilicet, Deus angelo: et dixit mihi, scilicet, annuntiando voluntatem Dei de incarnatione Filii sui. Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, scilicet, cum consensu angelo nuntianti, quandò videlicet dixi: Fiat mihi secundum verbum tuum. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad Benet. *ant.* Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdiderat Eva.

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui nos in tantis periculis constitutos pro humanâ scis fragilitate non posse subsistere: præsta, quæsumus, ut sanctissimæ Genitricis tuæ auxilio firmati, ea quæ pro peccatis nostris patimur, ipsâ adjuvante, vincamus. Qui vivis et regnas.

III.

DEIPARÆ VIRGINITAS.

CANON.

Ex S. Zenone Ep. Veronensi. *an.* 260.—*Serm.* 2. *de Nativit.*

75. O magnum Sacramentum! MARIA Virgo incorrupta concepit, post conceptum Virgo peperit, post partum Virgo permansit. Tu.

Ad. Magnif. *ant.* Hæc est virga, in quâ nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

CANONES.

Infra Hebdomadam 9. Infantiæ.

FERIA II.

Ex S. Zenone Ep. Veronensi. *Lib.* 1. *Tract.* 1. *de Continentiâ.*

76. MARIA fuit Virgo post connubium, Virgo post conceptum, Virgo post Filium. Denique si esset aliquid Virginitate melius, Dei Filius hoc magis potuerat suæ Matri præstare, cui præsiderit, ut divinæ Virginitatis honore polleret. Tu.

FERIA III.

Ex S. Athanasio Ep. Alexandrino. *An.* 340. *In Descript. B. V. M.*

77. Ex Virgine nascitur, ut primum parentem Adam ex limo virginis adhuc terræ formatum reformaret. Tu.

FERIA IV.

Ex S. Epiphanio Episcopo. *Contr. hæres-hær* 30. *p.* 64. *an.* 370.

78. Ecce Virgo in utero habebit. Virgo autem non appellatur, quæ viro conjuncta est, et nuptiis copulata mulier: sed illa propriè Virgo dici poterit, quæ citra virum conceptionem Dei Verbi in veritate habuit. Tu.

FERIA V.

Ex S. Cyrillo Ep. Jerosolymitano. *An.* 386.—*Cathec.* 12. *n.* 28.

79. Ille qui virgæ propter summum Sacerdotium typicum (seu alterius figuram) fructum supra naturam ferre dedit; nonne Virgini propter verum summum Sacerdotium parere concesserit? Tu.

FERIA VI.

Ex S. Theodoto Ep. Anciræ. *An.* 430.—*Homil. lect.* in *Concil. Eph.*

80. Virgo, Virginitatis integritate retentâ, effecta est Mater. Nam incorruptionis largitor corruptionem non efficit: incorruptionis auctor nihil corrupit. Tu.

SABBATO.

Ex S. Theodoto Ep. Anciræ. *ut supra.*

81. Et generationem sibi Deus Verbum ascivit, et Matrem eligens Virginem processit per uterum virginitate decoratum. Tu.

DOM. X. INFANT.

Semiduplex.

Si hæc Domin. fuerit ultima tempor. Infantiæ omittitur et ejus loco ponitur Dom. XI. quæ sequitur. Canonessequuntur Domin. in hâc Rubricâ.

IN I. NOCT.

De libro Numerorum.

LECTIO 1. *c.* 24. *v.* 15.

Dixit Balaam filius Beor: dixit ho-

mo, cujus obturatus est oculus: dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, et visiones Omnipotentis videt, qui cadens aperios habet oculos. Videbo eum, sed non modò: intuebor illum, sed non propè. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel: et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Tu. ℣. O puella. *p.* 65.

LECTIO 2.

Et erit Idumæa possessio ejus: hæreditas Seir cedet inimicis suis: Israel verò fortiter aget. De Jacob erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis. Cumque vidisset Amalec assumens parabolam, ait: Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur. Tu. ℣. Una est. *p.* 65.

LECTIO 3.

Vidit quoque Cinæum, et assumptâ parabolâ, ait: Robustum quidem est habitaculum tuum: sed si in petrâ posueris nidum tuum, et fueris electus de stirpe Cin, quamdiù poteris permanere? Assur enim capiet te. Assumptâque parabolâ, iterùm locutus est: Heu, quis victurus est, quandò ista faciet Deus? Venient in triremibus de Italiâ, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, et ad extremum etiàm ipsi peribunt. Tu. ℣. Revertere. *p.* 65.

IN II. NOCT.

Ex verbis Sancti Bonaventuræ Episcopi in Speculo Beatæ Virginis. *Cap.* 3.

LECTIO 4.

Considera, carissime, quòd Maria est stella purissima, sine peccato purissimè vivendo. Undè de eâ dici potest illud sapientiæ: Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior. Quidam legunt hic prior, quidam purior, utrumque verò stellæ nostræ competit. MARIA enim est prior, id est, potior, sive dignior. MARIA etiàm purior est sole, et stellis et luce, quia ràm dignitate, quàm puritate solem, et stellas, et omnem lucem superat corporalem, immò etiàm spiritualem, idest, angelicam craturam. Tu. ℣. Diffusa.

LECTIO 5.

Secundò considera, carissime, quòd MARIA est stella radiosisima, radium æternum emittendo, et Dei Filium pariendo. Ipsa enim est stella, de quâ dicitur in Numeris: Orietur stella Jacob, et consurget virga de Israel. Virga ista est Dei Filius, qui stellæ nostræ MARIÆ est radius. Radius utique de quo canitur: Sicut sulus radiumr. De quo etiam Beatus Bernardus ait: Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam virginitatem. Tu. ℣. Sicut cedrus.

LECTIO 6.

O verè beatissima! ô verè radiosissima stella MARIA! cujus radius non solùm mundum, immò etiàm cœlum, et non solùm cœlum, immò etiàm infernum penetravit, sicut Beatus Bernardus scribens, ait: Ipsa est præclara et eximia stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat, cujus splendor etiàm in supernis præfulget, et inferos penetrat. Vides modò quomodò MARIA est stella purissima, purissimè vivendo: vides secundò, quomodò MARIA sit stella radiosissima Filium Dei pariendo. Tu ℣. Specie tuâ. *p.* 65.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 5. *v.* 1.

In illo tempore: erat dies festus Jud-

dæorum, et ascendit JESUS Jerosolymam: Erat autem Jerosolymis probatica piscina. Et reliqua. Homilia Ven. Petri Blessensis.

In adv. Dom. Serm. 1.—*In Bibliot. max. Patr. T.* 3.

Probatica piscina beatam Virginem significat. Ipsa enim non solùm ovina propter simplicitatlem, et innocentiam dici potuit, sed etiàm ovis. Agnum enim peperit, qui tollit peccata mundi. Prababile enim fuit, si agnum peperit, quod ovis fuit. Descendit in eam magni consilii Angelus, et mota est triplici motione, scilicet, in separatione carnis, in remotione fomitis, in virtute benedictionis. Tu. ℣. Dilexisti. *p.* 65.

LECTIO 8.

Cum obnubilaret eam virtus Altissimi, separavit ab eâ caruncullam, ex quâ formata est caro Salvatoris. Extinctus est etiàm in ea fomes ille naturalis, languor naturæ, ex quo surgunt in nobis illiciti motus, qui in nostrâ potestate non sunt. Benedictionem verò attulit illi Angelus dicens: Ave benedicta inter mulieres, id est, sola robusta inter molles. Mulier enim à mollitiæ sumitur, quasi mollier. Tu. ℣. Omni glor. *p.* 65.

LECTIO 9.

Hæc est illa mulier fortis, de quâ scriptum est: Mulierem fortem quis inveniet? In cujus fortitudine dictum est diabolo: Ipsa conteret caput tuum. Antiquus enim ille Ceresles duobus maxime cornibus impugnat nos, elatione animi et immunditiâ carnis. Hæc duo cornua contrivit in se illa mulier fortis, contraria contrariis curans, humilitate despiciens superbiam carnis, voto virginitatis carnis immunditiam. Tu. Te Matrem. *p.* 65.

Ad. Benedict. *ant.* Erat Jerosolymis ' probatica piscina, quæ Virginem Deiparam significabat.

Oremus. *Oratio.*

Concede nos, quæsumus, Omnipotens Deus, Beatæ MARIÆ semper Virginis precibus sublevari, per cujus ineffabilem partum procurasti salutis humanæ remedium. Per Dom.

CANON.

Ex S. Proclo Ep. Cycici.

An. 430.—*Homil. In Ecc. Constant. Com. Eph. p.* 1. *n.* 1. *Coucil. Tom. V. p.* 15.

83. Si ea, quæ «Verbum genuit,» virgo non permansit, neque is, qui natus est, alliud quàm purus homo extitit. Tu.

Ad. Magnif. *ant.* Orietur Stella ' ex Jacob, et consurget virga de Israel.

CANONES.

Infra Hebd. 10. Infantiæ.

Ex S. Cyrillo Ep. Alexandrino.

An. 440. *In Apolog. pro* 12. *capit. Tom. VI. Concil. p.* 23.

83. Solus habuit Matrem nuptiis non expertam; et servavit Virginem eam, quæ ipsum peperit secundum carnem. Tu.

FERIA III.

Ex S. Petro Chrysologo.

An. 446.—*Serm.* 143.

84. Verè benedicta Virgo, quæ et virginitatis possidet decus, et Matris dignitatem: verè benedicta, quæ et superni conceptûs meruit gratiam, et servavit integritatis coronam. Tu.

FERIA IV.

Ex S. Leone Papâ Primo.

Serm. de Natiy. Christi ad an. 450.

85. Divina potestate subnixum est, quod virgo conceperit, quod virgo pepererit, quod virgo permanserit. Tu.

FERIA V.

Ex S. Leone Papâ Primo.

Serm. de Nativ. Christi.

86. Virgo regia davidicæ stirpis eligitur, quæ sacro gravidanda fœtu, divinam humanamque prolem prius conciperet mente, quàm corpore. Tu.

FERIA VI.

Ex S. Leone Papâ Primo.

Ep. ad Flavian. —Concil. Tom. 8. p. 511.

87. Conceptus quippè est de Spiritu Sancto intrà uterum Matris Virginis, quæ illum salvâ virginitate edidit, quemadmodùm salvâ virginitate concepit. Tu.

SABBATO.

Ex S. Isidoro Arch. Hispalensi.

An. 330.—Allegor. ex nov. Testam.

88. MARIA autem Ecclesiam significat, quæ cum sit desponsata Christo, virgo nos de Spiritu Sancto concepit, virgo etiàm parit. Tu.

DOM. XI. ET ULTIMA INF.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De libro Deuteronomii.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 29.

Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israel: Nolite metuere, nec timealis eos: Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto cunctis videntibus. Et in solitudine (ipse vidisti) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni viâ per quàm ambulasti, donec venieris ad locum istum. Tu. ℣. O puella. *p.* 65.

LECTIO 2. *c.* 15. *v.* 11.

Dixit Dominus ad Moysen: non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ: idcircò ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, et pauperi, qui tecum versatur in terrâ. Cum tibi vendilus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, et sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum. Tu. ℣. Una. *p.* 65.

LECTIO 3. *c.* 33. *v.* 2.

Et ait, «Moyses,» Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. In dexterâ ejus ignea lex. Dilexit populos; omnes Sancti in manu illius sunt, et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrinâ illius... Et Benjamin ait: amantissimus Domini habitavit confidenter in eo: quasi in thalamo totâ die morabitur, et inter humeros illius requiescet. Tu. ℣. Revertere. *p.* 65.

IN II. NOCT.

Ex Bibliâ Marianâ Beati Alberti Magni, Episcopi. *In Deuteronom.*

LECTIO 4.

Beatissimâ Domina virgo MARIA dicitur infirmorum portatrix. Portavit enim Filium Dei pro nobis in utero sanctitatis, et nos portat in utero miserationis. Portavit te Dominus Deus tuus, et non solùm ipse, sed et Dei Genitrix Virgo pia, ut solet homo gestare parvulum filium suum, quem tenerrimè diligit, nec laborare permittit. In omni viâ per quàm ambulastis, nunquàm defuit, donec venieris ad locum istum. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Item ipsa es soror nostræ paupertatis. Undè tenetur nobis ex constitutione legis subvenire. Non avertas oculos miserationis tuæ ô MARIA, à paupere fratre tuo, scilicet, peccatore, qui licet peccator, et pauper sit, tamen frater tuus est per naturam. Non enim deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ, id est, in mundo. Non enim possunt esse divites, sicut tu, cui dictum est: ave gratiâ plena. Idcircò aperies festinanter, hilariter, abundanter manum subventionis, et defensionis fratri tuo egeno, et pauperi. Tu. ℣. Sicut *p.* 65.

LECTIO 6.

Item ipsa est thalamus deliciarum Dei. Amantissimus Domini Benjamin, id est, Christus Filius Dei, in thalamo, id est, in MARIA totâ die morabitur, nullo vitio alienatus aliquandò. Undè ibi à quærentibus invenietur, et intra humeros illius requiescet, id est, inter bona opera. Item ipsa est Mater inflammationis, Mater custoditionis, Mater instructionis. De his tribus. In dexterâ ejus, id est, MARIA, ignea lex, id est, charitas, quâ sanctos faciliùs in amore sui succendit. Secundò omnes sancti ad custodiam in manu illius. Item, et qui appropinquant pedibus ejus. Glossa: ut discant, et humiliter accipiant de doctrinâ illius. Tu. ℣. Specie *p.* 65.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 17. *v.* 1

In illo tempore: sublevatis JESUS oculis in cœlum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Et reliqua. Homilia S. Ambrosii Episcopi.

De Virginibus lib. 2.

Quantæ in unâ Virgine species virtutum emicant. Secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obsequium, virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum. O quantis ista virginibus occurret, quantas complexa ad Dominum trahet, dicens: hæc thorus filii mei, hæc thalamus nuptiales immaculato servavit pudore. Tu. ℣. Dilexisti *p.* 65

LECTIO 8.

Quemadmodùm eas ipse Dominus commendabit Patri, nimirùm illud et repetens suum: Pater sancte, istæ sunt, quas servavi tibi, in quibus filius hominis caput reclinans quievit: peto ut ubi ego sum, et ipsæ sint mecum. Sed non solùm sibi debent prodesse, quæ non solæ vixerunt sibi: hæc parentes redimat, hæc fratres. Pater juste, mundus me non cognovit: istæ autem me cognoverunt, et mundum cognoscere noluerunt. Tu. ℣. Omnis *p.* 65.

LECTIO 9.

Quæ pompa illa, quanta angelorum lætitia plaudentium, quòd habitaret Virgo in cœlo, quæ cœlestem vitam vixit in sæculo? Tunc etiàm MARIA thympanum sumens choros virginales excitabit cantantes Domino, quòd per mare sæculi sine sæcularibus fluctibus transierunt. Tunc unaquæque exultabit, dicens: Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam: Immolo Deo Sacrificium laudis, et reddo Altissimo voto mea. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad Benedict. *aut* Illustrame, Domina, facie tuâ: clarifica me, Virgo clarissima.

Oremus. *Oratio.*

Cordibus nostris, quæsumus Domine, gratiam tuam benignus infunde, et intercedente sanctissimâ Genetrice Dei MARIA corpora nostra castitate, et humilitate sanctifica. Per eundem Dom.

CANON.

Ex S. Hildephonso arch. Toletano. an. 667.—*Serm. 1. in natio. B. V. M.*

89. Virgo tàm Sancta, ut ad eam venire Spiritus Sanctus sit

dignatus; tàm speciosa, ut eam Deus elegerit; tàm casta, ut potuerit esse Virgo post partum. Tu. *Ad.* Magnific. *ant.* Recordare, * Domina, paupertatis nostræ, et præsta nobis auxilium brachii tui.

CANONES.

Infra Hebd. 11 Infant.

FERIA II.

Ex Concilio Toletano Undecimo. *an.* 675.—*In Profation.*—*Concil. T.* 15 *p.* 509.

90. Intacta «Deiparæ» Virginitas et virilem coitum nescivit, et fœcundata per Spiritum Sanctum carnis materiam ministravit. Tu.

FEAIA III.

Ex Statutis Synodalibus Eclesiæ Cænomanensis.

An. 1247.—*Mart. Tom.* 8 *col.* 1371

91. Docere debent Presbyteri veri Dei Filium..... de Virgine natum esse, virginitate integrâ manente in conceptu, partu et nativitate. Tu.

FERIA IV.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Claramontensis.

An. 1268. *p.* 1. *cap.* 3.—*Mart. Tom.* 7. *col.* 590.

92. Debent docere Presbyteri. Filium Dei esse natum de Virgine, Virginitate manente in conceptione, in partu et in nativitate. Tu.

FERIA V.

Ex S. Antonino Archiep. Florentino.

An. 1459.—*Par.* 3. *tit.* 25. *c.* 20 *G.* 10.

93. Beata MARIA Mater est omnium in Virginitate, quia prima sine præcepto, consilio, vel exemplo virginitatis munus obtulit, per quod omnes virgines per imitationem virginitatis genuit. Tu.

FERIA VI.

Ex Paulo Papâ Quarto.

Const. Cum quorumd. *an.* 1555. *Bull. R. Tom. IV. p.* 1 *p.* 322

94. Omnes et singulos, qui hactenùs asseruerunt, dogmatizarunt, vel crediderunt... Beatissimam Virginem MARIAM non esse veram Dei Matrem, nec perstitisse semper in virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu et post partum, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti apostolicâ auctoritate requirimus. Tu.

SABBATO.

Ex Paulo Papâ Quinto.

Const. Imm. bonitatis.—*an.* 1615. *Bull. R. T. V. p.* 1 *pag.* 183.

95. Una cum uberrimâ fœcunditate florem Virginitatis illibatum perpetuò conservavit «Deus in Virgine» cujus virtutem et pulchitudinem sol et luna mirantur; natura obstupescit, infernus quoquè contremiscit. Tu.

III.
PRÆGNATIO
B. MARIÆ V.

Ab ejus Infantiâ (seu à primâ Dominicâ Adventûs) usque ad ejus Partum.

RESPONSORIA.

Dicenda post Lectiones tempore Prægnat. tàm in officio Dominicæ, quàm in feriali.

In I. Noct. et in II. et V. Feriis.

℟. 1. Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum: * aperiatur terra, et germinet Salvatorem. ℣. Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus JESUS.—Aperiatur.

℟. 2. Spiritus Sanctus in te descendet, MARIA: * Ne timeas, habebis in utero Filium Dei. ℣. Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, dicit Dominus.—Ne.

℟. 3. Suscipe Verbum, Virgo MARIA, quod tibi à Domino per angelum transmissum est: * Concipies, et paries Deum pariter et hominem. ℣. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.—Concipies.—Gloria.—Concipies.

In II. Noct. et in III. et VI. Fer.

℟. 4. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: * Quod enim ex te nascetur sanctum vocabitur, Filius Dei. ℣. Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.—Quod.

℟. 5. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, * Et requiescet super eum Spiritus Domini. ℣. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel.—Et.

℟. 6. Beata es, Virgo MARIA, quæ Dominum portasti Creatorem mundi: * Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo. ℣. Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.—Genuisti.—Gloria.—Genuisti.

In III. Noct. et in fer. IV et Sabb.

℟. 7. Ecce Dominus veniet, et omnes sancti ejus cum eo. * Et erit in die illâ lux magna. ℣. Ecce apparebit Dominus super nubem candidam, et cum eo sanctorum milia. Et.

℟. 8. Et ingressus Angelus ad MARIAM, dixit: * Ave gratiâ plena Dominus tecum. ℣. Ne timeas, MARIA: invenisti enim gratiam coram Domino.—Ave.

℟. 9. Benedicta, et venerabilis es, Virgo MARIA. * Quæ de cœlo suscepisti prolem, et mundo genuisti Salvatorem ℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tuâ se clausit viscera factus homo.—Quæ.—Gloria.—Quæ

LECTIONES
DE
SCRIPTURA,

pro feriis Prægnat. seu adventûs et pro primo Noct. Festivitatum quæ toto hoc tempore proprias non habuerint.

PRO FERIIS II. PRÆGN.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 4. *v.* 20.

Fili mi, ausculta sermones meos, et ad eloquia mea inclina aurem tuam. Ne recedant ab oculis tuis, custodi ea in medio cordis tui: vita enim sunt invenientibus ea, et universæ carni sanitas. Tu. ℣. Rorate. *p.* 96.

LECTIO 2.

Omni custodiâ serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Remove à te cor pravum, et detrahentia labia sint procul à te. Oculi tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Dirige semitam pedibus tuis, et omnes viæ tuæ stabilientur. Tu. ℣. Spiritus. *p.* 96.

LECTIO 3.

Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram averte pedem tuum à malo: vias enim, quæ à dextris sunt, novit Dominus: perversæ verò sunt, quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet. Tu. ℣. Suscipe verb. *p.* 97.

PRO FERIIS III.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 5. *v.* 1.

Fili mi, attende ad sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut custodias cogita-

dignatus; tàm speciosa, ut eam Deus elegerit; tàm casta, ut potuerit esse Virgo post partum. Tu. *Ad.* Magnific. *ant.* Recordare, * Domina, paupertatis nostræ, et præsta nobis auxilium brachii tui.

CANONES.

Infra Hebd. 11 Infant.

FERIA II.

Ex Concilio Toletano Undecimo. *an.* 675.—*In Profation.*—*Concil. T.* 15 *p.* 509.

90. Intacta «Deiparæ» Virginitas et virilem coitum nescivit, et fœcundata per Spiritum Sanctum carnis materiam ministravit. Tu.

FEAIA III.

Ex Statutis Synodalibus Eclesiæ Cænomanensis.

An. 1247.—*Mart. Tom.* 8 *col.* 1371

91. Docere debent Presbyteri veri Dei Filium..... de Virgine natum esse, virginitate integrâ manente in conceptu, partu et nativitate. Tu.

FERIA IV.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Claramontensis.

An. 1268. *p.* 1. *cap.* 3.—*Mart. Tom.* 7. *col.* 590.

92. Debent docere Presbyteri. Filium Dei esse natum de Virgine, Virginitate manente in conceptione, in partu et in nativitate. Tu.

FERIA V.

Ex S. Antonino Archiep. Florentino.

An. 1459.—*Par.* 3. *tit.* 25. *c.* 20 *G.* 10.

93. Beata MARIA Mater est omnium in Virginitate, quia prima sine præcepto, consilio, vel exemplo virginitatis munus obtulit, per quod omnes virgines per imitationem virginitatis genuit. Tu.

FERIA VI.

Ex Paulo Papâ Quarto.

Const. Cum quorumd. *an.* 1555. *Bull. R. Tom. IV. p.* 1 *p.* 322

94. Omnes et singulos, qui hactenùs asseruerunt, dogmatizarunt, vel crediderunt... Beatissimam Virginem MARIAM non esse veram Dei Matrem, nec perstitisse semper in virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu et post partum, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti apostolicâ auctoritate requirimus. Tu.

SABBATO.

Ex Paulo Papâ Quinto.

Const. Imm. bonitatis.—*an.* 1615. *Bull. R. T. V. p.* 1 *pag.* 183.

95. Una cum uberrimâ fœcunditate florem Virginitatis illibatum perpetuò conservavit «Deus in Virgine» cujus virtutem et pulchitudinem sol et luna mirantur; natura obstupescit, infernus quoquè contremiscit. Tu.

III.
PRÆGNATIO
B. MARIÆ V.

Ab ejus Infantiâ (seu à primâ Dominicâ Adventûs) usque ad ejus Partum.

RESPONSORIA.

Dicenda post Lectiones tempore Prægnat. tàm in officio Dominicæ, quàm in feriali.

In I. Noct. et in II. et V. Feriis.

℟. 1. Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum: * aperiatur terra, et germinet Salvatorem. ℣. Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus JESUS.—Aperiatur.

℟. 2. Spiritus Sanctus in te descendet, MARIA: * Ne timeas, habebis in utero Filium Dei. ℣. Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, dicit Dominus.—Ne.

℟. 3. Suscipe Verbum, Virgo MARIA, quod tibi à Domino per angelum transmissum est: * Concipies, et paries Deum pariter et hominem. ℣. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.—Concipies.—Gloria.—Concipies.

In II. Noct. et in III. et VI. Fer.

℟. 4. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: * Quod enim ex te nascetur sanctum vocabitur, Filius Dei. ℣. Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.—Quod.

℟. 5. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, * Et requiescet super eum Spiritus Domini. ℣. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel.—Et.

℟. 6. Beata es, Virgo MARIA, quæ Dominum portasti Creatorem mundi: * Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo. ℣. Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.—Genuisti.—Gloria.—Genuisti.

In III. Noct. et in fer. IV et Sabb.

℟. 7. Ecce Dominus veniet, et omnes sancti ejus cum eo. * Et erit in die illâ lux magna. ℣. Ecce apparebit Dominus super nubem candidam, et cum eo sanctorum milia. Et.

℟. 8. Et ingressus Angelus ad MARIAM, dixit: * Ave gratiâ plena Dominus tecum. ℣. Ne timeas, MARIA: invenisti enim gratiam coram Domino.—Ave.

℟. 9. Benedicta, et venerabilis es, Virgo MARIA. * Quæ de cœlo suscepisti prolem, et mundo genuisti Salvatorem ℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tuâ se clausit viscera factus homo.—Quæ.—Gloria.—Quæ

LECTIONES
DE
SCRIPTURA,

pro feriis Prægnat. seu adventûs et pro primo Noct. Festivitatum quæ toto hoc tempore proprias non habuerint.

PRO FERIIS II. PRÆGN.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 4. *v.* 20.

Fili mi, ausculta sermones meos, et ad eloquia mea inclina aurem tuam. Ne recedant ab oculis tuis, custodi ea in medio cordis tui: vita enim sunt invenientibus ea, et universæ carni sanitas. Tu. ℣. Rorate. *p.* 96.

LECTIO 2.

Omni custodiâ serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Remove à te cor pravum, et detrahentia labia sint procul à te. Oculi tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Dirige semitam pedibus tuis, et omnes viæ tuæ stabilientur. Tu. ℣. Spiritus. *p.* 96.

LECTIO 3.

Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram averte pedem tuum à malo: vias enim, quæ à dextris sunt, novit Dominus: perversæ verò sunt, quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet. Tu. ℣. Suscipe verb. *p.* 97.

PRO FERIIS III.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 5. *v.* 1.

Fili mi, attende ad sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut custodias cogita-

tiones, et disciplinam labia tua conservent. Ne attendas fallaciæ mulieris, favus enim distillans labia meritricis, et nitidius oleo guttur ejus: novissima autem illius amara quasi absynthium, et acuta, quasi gladius biceps. Tu. ℟. Spir. Sanct.

LECTIO 2. *v.* 7.

Nunc ergo, fili mi, audime, et ne recedas à verbis oris mei. Bibe aquam de cisternâ tuâ, et fluenta putei tui: deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Tu. ℟. Egredietp. 97.

LECTIO 3. *v.* 18.

Sit vena tua benedicta, et lætare cum muliere adolescentiæ tuæ: cerva charissima, et gratissimus hinnulus. Ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter. Quare seduceris fili mi ab alienâ, et foveris in sinu alterius. Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat. Tu. ℟. Beatae Virgo. p. 97.

PRO FERIIS IV.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 6. *v.* 1.

Fili mi, si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera: quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum. Tu. ℟. Ecce Dom. p. 97.

LECTIO 2. *v.* 6.

Vade ad formicam, ô piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam: Quæ cum non habeat ducem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe, quod comedat. Usquequò piger dormies? Quandò consurges à somno tuo? Tu. ℟. Et ingress. p. 97.

LECTIO 3. *v.* 20.

Conserva, fili mi, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matristuæ. Liga ea in corde tuo jugiter, et circumda gutturi tuo. Cum ambulaveris, gradiantur tecum: cum dormieris, custodient te, et evigilans loquere cum eis. Quia mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ. Tu. ℟. Benedict. p. 97.

PRO FERIIS V.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 7. *v.* 1.

Fili mi, custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi. Fili, serva mandata mea et vives: et legem meam, quasi pupilam oculitui: liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui. Dic sapientiæ: soror mea es, et prudentiam voca amicam tuam, ut custodiant te à muliere extraneâ, et ab alienâ, quæ verba sua dulcia facit. Tu. ℟. Rorate cœli. p. 97.

LECTIO 2. *c.* 8. *v.* 1.

Nunquid non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam? In summis excelsisque verticibus supra viam, in mediis semitis stans, juxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur, dicens: ô viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum. Tu. ℟. Spiritus. p. 97.

LECTIO 3.

Intelligite parvuli astutiam, et insipientes animadvertite. Audite, quoniàm de rebus magnis locutura sum: et aperientur labia mea, ut recta prædicent. Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium. Tu. ℟. Suscipe Verb.p. 97.

PRO FERIIS VI.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 8.

Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum. Recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus scientiam. Accipite disciplinam meam, et non pecuniam: doctrinam magis, quàm aurum eligite. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis: et omne desiderabile ei non potest comparari. Tu. ℟. Spiritus Sanctus. p. 97.

LECTIO 2.

Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum: arroganliam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium, et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Tu. ℟. Egredietur. p. 97.

LECTIO 3.

Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt: per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo: et qui manè vigilant ad me, invenient me. Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ, et justitia. Tu. ℟. Beata. p. 97.

IN SABBATIS.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 8. *v.* 19.

Melior est enim fructus meus auro, et lapide pretioso, et genimina mea argento electo. In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio. Tu. ℟. Ecce Dominus. p. 97.

LECTIO 2.

Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequàm terra fieret. Nondùm erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdùm fontes aquarum eruperant: necdùm montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ. Quandò præparabat cœlos, aderam: quandò certâ lege et gyro vallabat abyssos. Tu. ℟. Elingr. p. 97.

LECTIO 3.

Quandò ætera firmabat sursùm, et librabat fontes aquarum: quandò circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quandò appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore: ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Tu. ℟. Benedicta. p. 97.

IN SABBATIS ADVENT.

AD VESPER.

Antiph. et Psalm. ut in Psalter.

CAPITULUM. *Isaiæ.* c. 7. *v.* 14.

Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Buthyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. ℟.

Hymnus 38. *Brev. Convenarum.*

Instantis adventum Dei
Poscamus ardenti prece
Festisque munus inclitum
Præcupemus canticis.

Æterna proles Feminæ
Non horret includi sinu:
Fit ipse servus, ut jugo
Nos servitutis eximat.

Mansuetus et clemens venit:
Occurre, festina, Sion:
Ultrò tibi quam porrigit,
Ne dura pacem respuas.

Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par tibi laus, Spiritus,
Quo dante Virgo concipit,
Manetque semper integra. Amen

℣. Prophetæ prædicaverunt.

℟. Nasci Salvatorem de Virgine MARIA.

Ad. Magnif. *ant.* Ecce Virgo concepit, et Virgo permanens pariet Filium, qui vocabitur Emmanuel. *Oratio de Laudibus.*

DOMIN. I. PRÆGN.

Semidupl. 1. *Classis.*

Hæc Dominica nunquàm omittitur, et si aliqua in eâ occurrat festivitas, transfertur.

Omnia dicuntur, ut in Psalterio, præter sequentia.

Invitator. Deum, quem concepit Virgo, * Venite adoremus. *Psalm. invit.* Venite exult. *p.* 1.

HYMNUS 39. *S. Ambr.*

Veni, Redemptor gentium,
Ostende partum Virginis:
Miretur omne sæculum,
Talis decet partus Deum.

Non ex virili semine
Sed mystico spiramine,
Verbum Dei factum caro
Fructusque ventris floruit.

Alvus tumescit Virginis,
Claustrum pudoris permanet,
Vexilla virtutum micant,
Versatur in templo Deus.

Procedens de thalamo suo,
Pudoris aula regia:
Geminæ gigas substantiæ
Alacris ut currat viam.

Sit laus Patri, laus filio, &c.

IN I. NOCT.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 7. *v.* 10.

Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit: audite ergò domus David: nunquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Tu. ℣. Rorate. *p.* 96.

LECTIO 2.

Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. Quia antequàm sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris à facie duorum regum scorum. Tu. ℣. Spiritus *p.* 96.

LECTIO 3.

Adducet Dominus super te, et super populum tuum, et super domum patris tui, dies qui non venerunt à diebus separationis Ephrain à Juda cum rege Assiriorum. Et erit in die illâ, sibilabit Dominus muscæ, quæ est in terrâ Assur. Et venient et requiescent omnes in torrentibus vallium, et in cavernis petrarum, et in universis foraminibus. Tu. ℣. Suscipe. *p.* 97.

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Maximi Episcopi.

Homilia 2. *in Natal. Domin.*

LECTIO 4.

Non mirum sanè, si extitit divina Nativitas, ubi non erat humana conceptio: aut si illam Matrem non violavit partus, quam coitus non fœdavit. Ille quondàm futurorum conscius Isaias populis et gentibus signum novæ salutis aperiens, ecce, inquit, virgo in utero concipiet, et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus. Tu. ℣. Spiritus S. *p.* 97.

LECTIO 5.

Atque ut adversamus novi ac veteris testamenti unum esse consensum, unumque consilium, ait etiàm beatissimus Lucas, Dominicæ generationis relator egregius, dicens: missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam viro, cui

nomen erat JOSEPH, et ait ad illam: ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus JESUM. JESUS autem, carissimi, latino sermone Salvator dicitur. Tu. ℣. Egrediet. *p.* 97.

LELTIO 6.

Ecce qualitèr se invicem concordantibus, et cum prædicantium diversa sint tempora, non tamen diversa narratio. Nam partum Virginis quem ille prædixerat, iste testatur. Quis igitur intactæ puerperæ alvum dubitet floruisse, quod uno pene ore, atque eodem spiritu proloquuntur Evangelista, Angelus, et Propheta. Tu. ℣. Beata. p. 97.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

SERM. 2. IN PENTEC.

Missus est coluber tortuosus à diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet in totius posteritatis originem. Missus est interim Gabriel Angelus à Deo, ut Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem et uterum ipsius eructaret, ut eâdem viâ intraret et antidotum, quâ venenum intraverat. Tu. ℣. Et ingressus. *p.* 97.

LECTIO 8.

Christus ergò medicinam primùm apposuit, ubi primus vulneri patebat locus, et substantialitèr utero Virginis illapsus, de Spiritu Santo conceptus est, ut conceptionem nostram mundaret, quam Spiritus malus si non fecerat, tamen infecerat: ut non esset etiàm in utero vita ejus ociosa, dum novem mensibus purgat vulnus antiquum, scrutans, ut dicitur, usque ad imum putredinem virulentam, ut sanitas sempiterna succederet. Et hinc jam operabatur salutem in medio terræ, in utero videlicet Virginis MARIÆ, qui mirabili propietate terræ medium appellatur. Tu. ℣. Et ingres. *p.* 97.

LECTIO 9.

AD MARIAM enim, sicut ad medium, sicut ad aream Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium omnium sæculorum respiciunt, et qui in cœlo habitant, et qui in inferno, et qui nos præcesserunt, et nos qui sumus, et qui sequentur, et nati natorum, et qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, ut resarciantur: et qui in inferno, ut eripiantur: qui præcesserunt, ut prophetæ fideles inveniantur: qui sequuntur, ut glorificentur. Eo beatam te dicunt omnes generationes, Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli. Tu. ℣. Benedicta. *p.* 97.

In advent. non dicitur Te Matr.

AD LAUDES.

Capitul. Ecce virgo concipiet, etc. *Ut in Vesp.* p. 99

HYMNUS 40. *Brev. Rom.*

Creator alme siderum,
Æterna lux credentium,
JESU, Redemptor omnium,
Intende voci supplicum.

Qui dæmonis ne fraudibus
Periret orbis, impetu
Amoris actus, languidi
Mundi medela factus es.

Commune qui mundi nefas
Ut expiares, ad crucem,
E Virginis sacrario
Intacta prodis victima.

Sit laus Patri, laus Filio &c.

℣. Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum.

℟. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

Ad Benedict. *ant.* Gaude MARIA Virgo, * quia in te, et per te, et de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat, recreavit, alleluia.

Oremus. *Oratio.*

Excita, quæsumus Domine, potentiam tuam et veni; ut te, quem in virginali utero conceptum credimus, in cordibus nostris suscipere valeamus. Qui vivis et regnas.

Suffragia Sanctor. non dicuntur hoc tempore.

Ad Horas, omnia ut in Psalterio.

IV.

VIRGO PRÆGNANS.

CANON.

Ex Felice Papâ primo.

Ep. 4. *ad Maxim. Ep. et cleric. Alexandriæ an.* 272. *Concilior. Tom.* 1. *pag.* 567.

96. De Incarnatione Verbi, et fid ecredimus in Dominum nostrum JESUM Christum, ex MARIA Virgine natum, quoniàm ipse est æternus Dei Filius..... incarnatus ex Virgine. Tu.

IN II. VESP.

Capitul. ut in primis. Ecce Virgo. Hymnus. 41. *J. M.* Caryophil.

Carnem dedisti Verbo,
Verbum tibi se totum,
Deo Deorum plena,
Dans plena, sumens plena.
Verbo creatus orbis,
Te recreatus orbis:
Per illud salus facta
Per te salus peracta.
Quod fit bonum, fit Verbo,
Per te fit omne bonum:
Et facta Verbo fiunt,
Perfecta per te fiunt.
Sed justus ille Judex,
Tu Mater advocata:
Tu spes, et ille terror,

Hoc distat, hoc est impar.

Doxologia de tempore.

℣. Prophetæ prædicaverunt.

℟. Nasci Salvatorem de Virgine MARIA.

Ad Magnif. *ant.* Ecce Dominus * veniet, et non tardabit; et erit in die illâ lux magna.

Oratio de Laudib.

CANONES.

Dicendi Infra Hebdom. 1. *Prægnat.*

FERIA II.

Ex S. Eutichiano Papâ.

Ep. 1. *ad Joan: et ad Eps. Bæticæ. an.* 275.—*Conc. Tom.* 1. *p.* 571.

97. Humani generis causâ Dei Filius natus ex Virgine est et Spiritu Sancto, ipso sibi in hâc operatione famulante, et suâ, Dei videlicet, inumbrante virtute, corporis sibi initia consevit, et exordia carnis instituit, ut homo factus ex Virgine, naturam in se carnis acciperet..... Tu.

FERIA III.

Ex Concilio Nicæno Primo.

an. 325. *c.* 19.—*Conc.* 7. *Tom.* 2. *p.* 118.

98. Dei Verbum, quod fuit ante sæcula, Filius ipsius ad quem dixit: Faciamus hominem, et quæ sequuntur, ipsum rursùm in diebus novissimis et Patris et suâ sententiâ homo fac u . est, incarnatum ex Virgine propter eum qui lapsus est, Adamum. Tu.

FERIA IV.

Ex Concilio Nicæno Primo.

an. 325. *c.* 23. *Conc. Tom.* 2. *p.* 423.

99. Quomodò dispensatio in carne Domini facta sit, nullus neque angelorum, nec ipse Gabriel, qui eidem mysterio ministravit neque omninò sancta, pura, et casta Virgo MARIA consequi poterit totam hu-

jus Dei Verbi incarnationis intelligentiam: ipse etenim solus unigenitus Dei JESUS exactè novit suam propter nos inhumationem. Tu.

FERIA V.

Ex Concilio Toletano Primo.

ann. 400. *Concil. Tom.* 3. *pr* 576.

100. Filium Dei « credimus, » Deum natum à Patre ante omne omninò principium, sanctificasse uterum MARIÆ Virginis, atque ex eâ verum hominem sine virili generatum semine suscepisse, duabus dumtaxàt naturis, id est, deitatis et carnis in unam convenientibus omninò personam, id est, Dominum nostrum JESUM Christum. Tu.

FERIA VI.

Ex S. Julio Papâ Primo.

Ex Ep. ad Docimum in Conc. Eph. lecta.—Concil. T. V. p. 499.

101. Ad fidei plenitudinem incarnatus quoquè Dei Filius ex MARIA Virgine prædicatur, atque inter homines moratus..... perfectus Deus in carne, et homo perfectus in Spiritu. Tu.

SABBATO.

Ex S. Leone Papâ Primo.

Ep. 97. *ad Leon. Aug.—Conc. t.* 6. *p.* 237.

102. De Domini Incarnatione confitemur et credimus, qui ad salutem humani generis reformandam, carnem nostræ fragilitatis, non de cœlo secum detulit, sed in utero Virginis Matris assumpsit. Tu.

DOMIN. II. PRÆGN.

Semid. 2. *Class.*

Omnia ut in Dom. 1. *ado. p.* 100. *præter sequentia. Hæc Dom. si incidat in festum Immacul. Conceptionis omittitur, et fit de eâ commemoratio tantùm recitando ejus Homil. pro nonâ lectione.*

IN I. NOCT.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 8. *v.* 1.

Et dixit Dominus ad me: sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis: velociter spolia detrahe, citò prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam Filium Barachiæ: et accessi ad Prophetisam, et concepit et peperit Filium. Tu. ℟. Rorate. p. 96.

LECTIO 2.

Et dixit Dominus ad me: voca nomen ejus: accelera spolia detrahere: Festina prædari. Quia antequàm sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum. Tu ℟. Spiritus Sanct. p. 96.

LECTIO 3.

Et adjecit Dominus loqui ad me adhuc dicens: pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloe, quæ caduntcum silentio, et assumpsit magis Rasin, et filium Romeliæ: propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, et multas, regem Assyriorum, et omnem gloriam ejus. Tu. ℟. Suscipe Verb. p. 97.

IN II. NOCT.

Ex commentario Sancti Basilii Episcopi super capulo octavum Isaiæ.

LECTIO 4.

Nemo autem negaturus est MARIAM esse Prophetissam, ad quam accessit Isaias per cognitionis accessum; si modò ejus verba spiritu prophetico putata revocet in memoriam. Quid enim ait: Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Tu. ℟. Spiritus. p. 97.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

LECTIO 5.

Et certè omnia illius verba si expendas, nequaquàm dubitabis, quin eam quoquè dicas Prophetissam, cum Domini Spiritus supervenerit in Ipsam, et virtus Altissimi ei obumbraverit. Quòd igitur scribere jussus est Prophetа in hoc tomo, simùl ut appropinquavit ad prophetissam, id jam factum vidit. Tu. ℣. Egredietur. p. 97.

LECTIO 6.

Hic autem, qui natus est ex Prophetissâ et virtutem Damasci, et spolia capit. Virtus Damasci ii sunt, qui ex gentibus credunt: spolia verò Samariæ, qui ex circumcisione fidem sunt amplexi. Cæterùm data, mandata gestaque fortia ejus, qui ex prophetissâ natus est, vice nominum ipsi imponuntur à Domino, perindè ut et nomen JESUS eidem Domino aptatum est ob salutem nobis à Deo impertitam. Tu. ℣. Beata es. p. 97

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. *v.* 28.

In illo tempore: Ingressus Angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Hom. 3. *super missus.*

Legimus in actibus Apostolorum, et Stephanum plenum gratiâ et apostolus fuisse repletos Spiritu Sancto, sed longè dissimiliter à MARIA. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, quemadmodum in MARIA. Nec illi conceperunt de Spiritu Sancto, quomodò MARIA. Ave, inquit, gratiâ plena, Dominus tecum. Quid mirum si gratiâ plena erat, cum quâ Dominus erat. Tu. ℣. Ecce Dominus. p. 97.

LECTIO 8.

Sed hoc potiùs mirandum, quomodò qui angelum miserat ad Virginem, ab angelo inventus est esse cum Virgine. Itane velocior angelo fuit Deus, ut festinantem nuntium celerior ipse præveniret ad terras? Nec mirum. Nam cum esset rex in accubitu suo, nardus Virginis dedit odorem suum, et ascendit in conspectu gloriæ ejus fumus aromatis, et invenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus qui circumstabant: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris? Tu. ℣. Et ingress. p. 97.

LECTIO 9.

Satisque rex egrediens de loco sancto suo exultavit, ut gigas ad currendum viam: et licet à summo cœlo egressio ejus, nimio tamen pervolans desiderio prævenit suum nuntium ad Virginem, quam amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat: Quem prospiciens à longè venientem gratulans et exultans ait Ecclesia: ecce venit iste saliens in montibus, transiliens colles. Tu. ℣. Benedicta. p. 97.

Ad B. ned et. *ant.* Ecce Dominus veniet et non tardabit, et erit in die illâ lux magna.

Oremus. *Oratio.*

Excita, quæsumus Domine, potentiam tuam, et veni; ut per Nativitatem tuam de Virgine Matre corda nostra cœlesti repleantur lætitiâ. Qui vivis et regnas.

CANON.

Ex S. Leone Papâ Primo

Const. 31. Sollicitudini meæ, *an.* 449.—*Bull. R. T.* 3. *p.* 39.

103. Veritas, sicut propheta ait, de terrâ orta est, et sic Verbum Virgo MARIA concepit, ut unienda sibi carnem de suâ substantiâ

ministraret. Tu.

Ad. Magnif. *ant.* Deus à Libano veniet, et splendor ejus sicut lumen erit.

CANONES.

Infra Hebdom. 2. *Prægn. dicendi.*

FERIA II.

Ex S. Pelagio Papâ.

Ep. 16. *ad Childeb. Regem.*—*Concil. T.* 12. *p.* 527.

104. Sancto Spiritu superveniente in beatâ Virgine MARIA atque obumbrante ei virtute Altissimi, eumdem Verbum ac Filium Dei in utero ejusdem Sanctæ Virginis MARIÆ, clementèr ingressum, et de carne ejus sibi unisse carnem animâ rationali et intellectuali animatam, credimus. Tu.

FERIA III.

Ex S. Gregorio Papâ Primo.

Ep. 67. *ad Quirie.*

105. Non priùs in utero Virginis caro concepta est, et postmodùm divinitas venit in uterum; sed mox ut Verbum venit in uterum, mox Verbum servatâ propriæ virtute naturæ factum est caro. Tu.

FERIA IV.

Ex S. Gregorio Papâ Primo.

Ep. 1. *ad Episc. Hiberniæ*—*Conc. T.* 14. *p.* 134.

106. Eadem Virgo et ancilla Domini dicitur et Mater: ancilla enim Domini, quia Verbum ante sæcula Unigenitus æqualis est Patri; Mater verò, quia in ejus visceribus ex Sancto Spiritu de ejusque carne factus est homo. Tu.

FERIA V.

Ex Concilio Toletano Quarto.

an. 633. *cap.* 1.—*Concil. T.* 14. *p.* 481.

107. Incarnatus est ex Spiritu Sancto et sanctâ et gloriosâ Dei Genitrice Virgine MARIA, et natus est ex ipsâ solus idem Dominus noster JESUS Christus. Tu.

FERIA VI.

Ex S. Joanne Papâ Quarto.

Ep. 2. *ad Constantin. Imp*—*Concil. T.* 14. *p.* 570.

108. Carnem Dominus veram suscepit ex intemeratâ et beatâ Virgine Dei Genitrice, consubstantialis nobis effectus. Tu.

SABBATO.

Ex Concilio Lateranensi.

an. 649. *Verb. S. Martin. P. Præs. Conc. ser.*: 1.—*Conc. T.* 15. *P.* 69.

109. Sine semine conceptus incorruptè de Virgine prôcesit ipse, qui propter nos incarnatus est Deus. Tu.

DOMIN. III. ADV.

Sem. 2. *Class.*

Omnia ut in Dom. 1. *præg. p.* 100 *præter sequentia.*

IN I. NOCT.

De Isaiæ Propheta.

LECTIO 1. *c.* 11. *v.* 1.

Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiæ et intellectûs; Spiritus consilii et fortitudinis: Spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum Spiritus timoris Domini. Tu. ℣. Rorate. *p.* 96.

LECTIO 2.

Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed judicabit in justitiâ pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ: et percutiet terram virgâ oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. Tu. ℣. Spiritus S. p 96.

LECTIO 3.

Habitabit lupus cum agno: et pardus cum hædo accubabit: vitulus et leo et ovis simùl morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur: simùl requiescent catuli eorum: et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis: et in cavernâ reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Tu. ℟. Suscipe. *p.* 97.

IN II. NOCT.

Ex commentario Sancti Hieronymi Presbiteri super caput undecimum Isaiæ.

LECTIO 4.

Egredietur virga de radice Jesse. Usque ad principium visionis, vel ponderis Babylonis, quod vidit Isaias Filius Amos, omnis prophetia de Christo est, quam per partes volumus explanare, ne simùl proposita, atque diserta, lectoris confundant memoriam. Virgam et florem de radice Jesse ipsum Dominum Judæi interpretantur: quod scilicet in virgâ regnantis potentia, in flore pulchritudo monstretur. Tu. Tu. ℟. Spiritus S. *p.* 97.

LECTIO 5.

Nos autem virgam de radice Jesse Sanctam MARIAM Virginem intelligamus, quæ nullum habuit sibi fructicem cohærentem, de quâ et supra legimus: ecce Virgo concipiet, et pariet Filium. Et florem Dominum Salvatorem, qui dicit in Cantico canticorum. Ego flos campi et lilium convallium. Tu. ℟. Egredietur. *p.* 97.

LECTIO 6.

Super hunc igitur florem, qui de trunco, et radice Jesse per MARIAM Virginem repentè consurget, requiescet Spiritus Domini: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter: nequaquàm per partes, ut in cæteris sanctis. Tu. Beata es *p.* 97.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. *v.* 34.

In illo tempore: dixit MARIA ad Angelum: Quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco? Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrosii Episcopi. *In Luc. libr.* 2.

Videtur hîc non credidisse MARIA, nisi diligentèr advertas: neque enim fas est, ut electa ad generandum unigenitum Dei Filium fuisse videatur incredula. Quo ergò modo fieri posset, ut Zacarias, qui non credìderat, silentio condemnetur: MARIA autem, si non credidisset Spiritûs Sancti infusione exaltaretur? Sed neque non credere MARIA, neque làm temerè debuit usurpare divina. Tu. ℟. Ecce Dominus. *p.* 97.

LECTIO 8.

Neque enim facile erat scire mysterium absconditum à sæculo in Deo, quod nec superiores potestates scire potuerunt. Et tamen non fidem renuit, non officium refutavit, sed accomodavit affectum, spopondit obsequium. Etenim cum dicit: quomodò fiet istud? non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius inquisivit. Tu. ℟. Et ingressus. *p.* 97.

LECTIO 9.

Quantò temperatior ista responsio, quàm verba sunt saderdotis? Hæc ait: quomodò fiet istud? Ille respondit: undè hoc sciam? Hæc jam de negotio tractat: ille adhuc de nuntio dubitat. Negat ille se credere, qui negat scire, et quasi fidei alium quærit auctorem: ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, quod quomodò fieri possit inquirit. Tu. ℟. Benedicta. *p.* 97.

Ad. Benedict. *ant.* Ne timeas MARIA: * Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbravit tibi.

Oremus. *Oratio.*

Excita quæsumus Domine, potentiam tuam, et veni, et nobis magnâ virtute succurre, ut qui Te de Virgine natarum speramus, fides nostra tuo adventu roboretur. Qui vivis et reg.

CANON.

Ex Concilio Toletano Undecimo. *An.* 675. *Conc. Tom.* 15. *p.* 509. *in Præfat.*

110. De tribus personis solam Filii personam pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato de Sanctâ et Immaculatâ Virgine credimus assumpsisse de quâ novo ordine, novâque nativitate est genitus. Tu.

Ad. Magnific. *ant. (nisi dicenda sit ant.* O) Beata es MARIA, * quia quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.

CANONES.

Infra hebd. 3. Præc. dicendi.

FERIA II.

Ex Concilio Toletano Undecimo. *An.* 675. *in Præfat.—Tom.* 15. *p.* 509.

111. Cum unum subs'antiæ credamus esse Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, non tamen dicimus, ut hujus Trinitatis unitatem MARIA Virgo genuerit, sed tantùm modò Filium, qui solus naturam nostram in unitate personæ suæ assumpsit Tu.

FERIA III.

Ex Concilio Toletano Undecimo. *ut. supr. p.* 510.

112. De Patre sine Matre ante sæcula «Christus» est genitus, et in fine sæculorum de Matre sine Patre est generatus: qui tamèn secundum quod Deus est, creavit MARIAM, secundum quod homo, creatus est à MARIA: ipse et Pater Matris et Filius. Tu.

FER. IV. QUAT. TEPOR.

Omnia ut in officio fer. cum. seq. Lection.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 1 *v.* 26

In illo tempore: missus est angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrosii Episcopi. *In Luc. libr.* 2.

Latent quidèm divina mysteria, nec facilè juxta propheticum dictum, quisquam hominum potest scire consilium Dei, sed tamen in cæteris factis, atque præceptis Domini Salvatoris possumus intelligere, et hoc propensionis fuisse consilii, quod ea potissimum electa est, ut Dominum pareret, quæ erat desponsata viro. Tu. ℟. Ecce 97.

LECTIO 2.

Cur autem antequàm desponsaretur, impleta est? Fortasse ne diceretur quod conciperet ex adulterio. Et benè utrumque posuit scriptura: ut et desponsata esset, et virgo: virgo, ut expers virili consortio videretur: desponsata, ne temeratæ virginitatis adureretur infamiâ cui gravis alvus corrupæ videretur insigne præferre. Tu. ℟. Et ingressus. p. 97.

LECTIO 3.

Maluit autem Dominus aliquos de suo ortu, quàm de Matris pudore dubitare: sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam, et lubricam

famam pudoris: nec putavit ortu suo fidem Matris injuriis adstruendam. Servatur itaque sanctæ MARIÆ, sicut pudore integra, ita inviolabilis opinione virginitas: oportet enim sanctos, et ab his testimonium habere qui foris sunt. Tu. ℣. Benedicta. *p.* 97.

Ad. Bened. *ant.* Ecce ancilla * Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.

Orat. Dom. præced.

CANON.

Ex Concilio Mediolanensi. *An.* 678. *Habetur inter præambulat. Conc. III. Constantin. Concil. T.* 16. *p.* 45.

113. Credimus... incarnatum Verbum Dei et hominem factum infra Virginis uterum uniens sibi nostræ naturæ veritatem ex Sanctâ et gloriosâ Dei Genitrice MARIA, perfectus homo in duabus naturis, divinitatis scilicet et humanitatis. Tu.

FERIA V.

CANON.

Ex Concilio Constantinopolitano Tertio. *An.* 680. *In Serm. acclamator. Tom.* 16. *p.* 317.

114. «Verbum» ut carnem assumens ex intemeratâ Virgine Deique Genitrice MARIA homo perfectus est, consubstantialis nobis, fac usque sub tempore. Tu.

FERIA VI. QUAT. TEMP.

Omnia ut in offic. Fer. cum. seq. Lection.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 1. 39

In illo tempore: exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

IN LUC. LIBR. 2

Morale est omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem adstruant. Et ideò Angelus cum abscondita nuntiaret ut fides adstrueretur exemplo senioris feminæ, sterilisque conceptum Virgini MARIÆ nuntiavit, ut possibile Deo omne quod ei placuerit, assereret. Ubi hoc audivit MARIA non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubia de exemplo; sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit. Tu. ℣. Spiritus *p.* 97.

LECTIO 2.

Discite et vos sanctæ mulieres sedulitatem quam prægnantibus debetis ex hibere cognatis. MARIAM quæ ante sola in intimis penetralibus versabatur, non à publico Virginitatis pudor, non ab studio asperitas moutium, non ab officio prolixitas veneris relaxavit: In montana Virgo cum festinatione, virgo officii memor, injuriæ immemor, affectu urgente, non sexu, relictâ perrexit domo. Tu. ℣. Egredietur. *p.* 97.

LECTIO 3.

Discite, virgines, non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico misceri sermones. MARIA in domo seria, festina in publico, mansit apud cognatam suam mensibus tribus. Etenim propter officium veneral, inhærebat officio. Mansit ergo mensibus tribus, non quòd domus eam delectaret aliena, sed quia frequentiùs videri in publico despiciebat. Tu. Beata es. *p.* 97.

Ad. Benedict. *ant.* Beata * quæ credidisti: perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino.

Preces, et orat. Dom. præced.

CANON.

Ex Concilio Constantinopolitano Tertio. *Ut supr. in edict. Imper. Constantin. p.* 554.

115. Confitemur unum Sanctæ Trinitatis Dominum nostrum JESUM Christum descendisse de cœlis... et in vulvâ illibatæ Virginis Deique Genitricis MARIÆ habitasse, et animâ et corpore per Spiritum Sanctum præpurgatæ, et ex Sanctâ immaculatâ carne ejus in propriâ subsistentiâ carnem sumpsisse nobis consubstantialem. Tu.

SABB. QUAT. TEMP.

Omnia ut in Off. Feriæ cum lection. sequent.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 18.

Cum esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Et reliqua.

Homilia Sancti Hieronymi Presbiteri.

Libr. 1. *Comm. in Mathæum. c.* 1.

Quarè non de simplici Virgine, sed de desponsatâ concipitur. Primum ut per generationem JOSEPH origo MARIÆ monstraretur: secundò ne lapidaretur à Judæis, ut adultera: tertiò, ut in Ægiptum fugiens haberet solatium. Martyr Ignatius etiàm quartam addidit causam, cur à desponsata conceptus sit: ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo, dum eum putat, non de Virgine, sed de uxore generatum, Tu. ℣. Ecce Dominus. p. 97.

LECTIO 2.

Antequàm convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Non ab alio inventa est, nisi à JOSEPH, qui penè licentiâ maritali futuræ uxoris omnia noverat. Quod dicitur: antequàm convenirent, non sequitur, ut posteà convenerint: sed scriptura quod factum non sit ostendit. Tu ℣. Et ingressus. p. 97.

LECTIO 3.

JOSEPH autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Si quis fornicariæ conjungitur, unum corpus efficitur: et in lege præceptum est non solùm reos, sed et conscios criminum obnoxios esse peccati: quomodò JOSEPH, cum crimen celaret uxoris, justus scribitur? Sed hoc testimonium MARIÆ est, quod JOSEPH sciens illius castitatem, et admirans quod evenerat, celat silentio, cujus mysterium nesciebat. Tu. ℣. Benedicta. *p.* 97.

Ad. Bened. *ant.* Ponam in Sion * salutem, et in Jerusalem gloriam meam, alleluia.

Prec. et orat. de Dom. præced.

CANON.

Ex Concilio Toletano Decimoquarto *An.* 684. *can.* 10.—*Conc. T.* 17. *p.* 63.

116. In unâ Christi Filii Dei personâ duarum naturarum individuas proprietates agnoscant.... unam Deitatis, alteram hominis: unam quâ ex Deo Patre est genitus: alteram, quâ ex MARIA Virgine generatus. Tu.

DOMIN IV. ADVEN.

Semid. 2. Class.

Omnia ut in Dom. prima adv. p. 100

AD MATUTIN.

Invitat. Propè est jam Dominus: * Venite adoremus.

IN I. NOCT.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 49. *v.* 1.

Audite insulæ, et et attendite po-

puli de longè. Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei: et posuit os meum, quasi gladium acutum: in umbrâ manûs suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam: in pharetrâ sûâ abscondit me. Et dixit mihi servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor. Tu. ℣. Rorate. *p.* 96.

LECTIO 2.

Et ego dixi: in vacuum laboravi, sine causâ, et vanè fortitudinem meam consumpsi: ego judicium meum cum Domino, et opus meum cum Deo meo. Et nunc dixit Dominus formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, et Israel non congregabitur: et glorificatus sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea. Tu. ℣. Spiritus. *p.* 96.

LECTIO 3.

Et dixit: parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus Redemptor Israel sanctus ejus, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem ad servum dominorum: reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, et sanctum Israel, qui elegit te. Tu. ℣. Suscipe verb. *p.* 97.

IN II. NOCT.

Ex enarratione Sancti Ambrosii Episcopi in Psalmum trigesimum quintum.

LECTIO 4.

Ex utero servum se dixit: audi, Ariane, ex quo utero? paululùm supra recurre: ex utero, inquit, Matris meæ vocavit Dominus nomen meum. Quod nomen ejus sit, audiamus, quo eum Pater vocavit: ecce virgo in utero accipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus. Quod enim aliud nisi Filius Dei nomen est Christi? Accipe aliud: dixerat quidem et Gabriel ad JOSEPH de MARIA: pariet Filium, et vocabis nomen ejus JESUM. Tu. ℣ Spiritus S. *p.* 97.

LECTIO 5.

Accipe Dei vocem: Et tu Bethleem Judæ non es minima in principibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. Adverte mysterium: ex utero Virginis idem et servus exivit et Dominus: servus ad operandum, Dominus ad imperandum, ut regnum Dei in hominum mentibus radicaret. Utriusque unus, non alter ex Patre, et alter ex Virgine; sed idem qui ante sæcula ex Patre, ipse postèà carnem suscepit ex Virgine. Tu. ℣. Egredietur. *p.* 97.

LECTIO 6.

In Psalm. 61. *enarratione.*

Non enim alter ex Patre, alter ex Matre; sed qui erat ex Patre, carnem assumpsit ex Virgine: affectum assumpsit ex Matre, ut infirmitates nostras ipse susciperet. Undè ait Propheta: et pro nobis dolet. Quomodò dolebat meo dolore, si meum non gerebat affectum? Tu. ℣. Beata es. *p.* 97.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. *v.* 42.

In illo tempore: exclamavit voce magna Elizabeth, et dixit: Benedicta tu inter mulieres. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homil. 3. *sup. Missus.*

Benedicta tu in mulieribus. Libet adjungere, quòd Elisabeth, cujus hæc verba sunt, prosecuta subjunxit. Et benedictus fructus ventris tui. Non quia tu benedicta, ideò benedictus fructus ventris tui, sed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideò tu benedicta. Verè etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sunt omnes gentes: de cujus plenitudine tu quoquè accepisti cum cæteris, etsi differentius à cæteris. Tu. ℣. Ecce Dom. *p.* 97.

LECTIO 8.

Ac propterea quidèm benedicta tu, sed in mulieribus, ille verò benedictus non in hominibus, non inter angelos, sed qui est, ut ait Apostolus, super omnia benedictus Deus in sæcula. Dicitur benedictus vir, benedicta panis, benedicta mulier, benedicta terra, vel si quid tale in creaturis benedicium esse memoratur, sed singularitèr benedictus fructus ventris tui, cum sit super omnia benedicictus Deus in sæcula. Tu. ℣. Et ingressus. *p.* 97.

LECTIO 9.

Benedictus ergò fructus ventris tui, cui benedixit Deus in æternum. Ex cujus benedictione benedicta etiàm tu in mulieribus, quia non potest mala arbor fructum facere bonum. Benedicta, inquam, tu in mulieribus, quæ illam generalem maledictionem evasisti, quâ dictum est: in tristitiâ paries filios, et nihilominùs illam quâ secutum est: Maledicta sterilis in Israel: ac singularem consecuta es benedictionem, ut nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias. Tu. ℣. Benedicta. *p.* 97.

Ad. Benedict. *ant.* Confortare, Virgo fœcunda, casta puerpera, mater intacta, quia non eris in Israel ultrà maledicta, neque inter steriles deputata.

Oremus. *Oratio.*

Excita, quæsumus Domine, potentiam tuam et per tuum adventum ostende nobis mirabilem Virginis Parium: ut qui ex nostrâ pravitate affligimus, ex tuâ visitatione consolemur. Qui vivis et regn.

CANON.

Ex Concilio Nicæno Secundo. *An.* 787. *Action.* 7.—*Concil. Tom.* 18. *p.* 580.

117. Duas naturas confitemur ejus qui incarnatus est propter nos ex intemeratâ Dei Genitrice semper Virgine MARIA, perfectum eum Deum, et perfectum hominem cognoscentes. Tu.

Ad. Magnif. *ant.* O.

Si Dom. IV. adv. incederit in vigilid SS. Partûs, Offic. fit de Dom. illis tantùm mutatis quæ fuerint propria Vigil. et posita sunt in proprio Festivitatum die 24 Decemb.

CANONES.

Infra Hebdom. IV. Prægn. dicendi.

FERIA II.

Ex Concilio Nicæno Secundo. *Ut supra p.* 583.

118. Duas naturas incarnati propter nos ex immaculatâ Virgine MARIA confitemur, perfectum Deum et perfectum hominem cognoscentes, quemadmodùm Synodus in Chalcedone habita declaravit. Tu.

FERIA III.

Ex Concilio Francofordiensi. *An.* 794. *Contr. adoptian. ap. Perrone.*

119. Hoc volumus à vobis audire, an Adam primus humani generis Pater, qui de terrâ Virgine creatus est, liber esset conditus, sive servus? Si servus, quomodò tunc imago Dei? Si liber, quare Christus quoquè non ingenuus de Virgine? Meliore quidem terrâ etiàm

aminatâ et immaculatâ, Spiritu Sancto operante, factus est homo. Tu.

FERIA IV.

Ex Concilio Wormatiensi.

Ann. 868. *ip Professione fidei—Conc. T.* 23. *p.* 91.

120. Novâ nativitate «Christus» est genitus quia incorrupta virginitas, et viridem coi um nescivit, et fœcunda per Spiritum Sanctum carnis materiam ministravit. Tu.

FERIA V.

Ex Concilio Lateranensi Quarto.

An. 1215. *cap.* 1.—*Concil. T.* 28. *p.* 153.

121. Unigenitus Dei Filius JESUS Christus à totâ Trinitate communi ẽr incarnatus ex MARIA semper Virgine Spiritûs Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, una in duabus naturis persona, viam vitæ manifestiùs demonstravit. Tu.

FERIA VI.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Conimbanensis.

An. 1247. *Apud Martenn. Tom.* 7. *c.* 1371.

122. Docere debent Presbyteri veri Dei Filium pro Redemtione humani generis carnem assumpsise in Beatâ Virgine de carne ejusdem Virginis, non humanâ sed Spiritûs Sancti operatione. Tu.

IV.

PUERPERIUM

B. MARIÆ V.

seu ab ejus sacratissimo Partu usque ad ejus Purificationem.

V.

VIRGO PUERPERA.

CANONES.

Dicendi in diebus infra octav. SS. Partûs qui proprios non habuerint.

Ex S. Eutichiano Papâ.

An. 275. *Ep.* 1. *ad Episcop. Boticæ.—Conc. Tom.* 1. *p.* 511.

123. Inenarrabilis à Deo originis, unus unigenitus Deus, in corporis humani formam Sanctæ Virginis utero insertus accrescit; qui omnia continet, intra quem et perquem cuncta sunt, humani partûs lege profertur. Tu.

FERIA III.

Ex S. Eutichiano Papâ.

Ut supra.

124. Natus igitur «est» unigenitus Deus ex Virgine homo, et secundum pleni udinem temporum in semetipso profuturus in Deum hominem. Tu.

FERIA IV.

Ex S. Cajo Papâ.

Ep. 1. *ad Felic. Ep. n.* 4. *ad an.* 283.—*Conc. T.* 1. *p.* 588.

125. Quicumque i à obcœcati, et à lumine veritatis alieni, ut Verbi Dei à tempore Incarnationis denegent veritatem, ostendant in quo sibi christianum nomen usurpent, et cum evangelio veritatis, quâ ratione concordent, si beatæ Virginis partu, aut caro sine deitate, aut Deitas est orta sine carne. Tu.

FERIA V.

Ex S. Cajo Papâ.

Ut supra.

126. Sine Verbi potentiâ, nec conciperet Virgo, nec pareret, et sine veritate carnis, obvoluta pannis infantia non jaceret. Tu.

FERIA VI.

Ex Concilio Nicæno Primo.

An. 325. *cap.* 19.—*Concil. Tom.* 2. *p.* 403.

127. Deus erat, et est, et factus est homo propter dispensationem, incarnatus et natus ex Virgine propter suam erga genus humanum charitatem. Tu.

SABBATO.

Ex Concilio Nicæno Primo.

Definition. Eprum. Vide Concil. Eph. p. 3.—*Conc. T.* 6. *p.* 174.

128. Confitemur Dominum nostrum JESUM Christum ex Patre quidem secundum Spiritum ante sæcula genitum, novissimis verò diebus ex Virgine secundum carnem natum. Tu.

DOM. INFRA OCT. SS. PART, CANON.

Ex S. Vitalio Episcopo.

Serm. de fide—Conc. Ephes. p. 1. *c.* 4. *Concil. T.* 3. *p.* 125.

129. Cum Verbum secundum æternam ex Deo Patre originem verus Dei Filius sit, secundum eam quæ est ex Virgine, factum est Filius hominis. Tu.

RESPONSORIA

dicenda post Lectiones tàm in Dominicis, quàm in Feriis tempore Puerperii B. M. V.

In I. Noct. et in Feriis II. et IV.

℟. 1. Jacob, genuit JOSEPH virum MARIÆ, de quâ natus est JESUS, ' Qui vocatur Christus. ℣. Deus in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.—Qui vocatur.

℟. 2. Puer crescebat et confortabatur: plenus sapientiâ, et gratia Dei erat in illo. ℣. Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.—Plenus.

℟. 3. Benedicta es tu, Filia, à Domino Deo excelso ' Præ omnibus mulieribus super terram. ℣. Quia per te fructum vitæ communicavimus.—Præ.—Gloria.—Præ.

In II. Noct. et in Fer. III. et VI.

℟. 4. Beata Dei Genitrix MARIA, cujus viscera intacta permanent post partum, ' Nobis genuit Salvatorem sæculorum. ℣. Beata quæ credidit, quoniàm perfecta sunt ei omnia quæ dicta sunt ei ab Angelo.—Nobis.

℟. 5. Beata viscera MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium: ' Et beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum. ℣. Extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit: Beatus venter qui te portavit.—Et beata.

℟. 6. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi: ' Qui pascitur inter lilia. ℣. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur. —Qui.—Gloria.—Qui.

In III. Noct. et in Fer. IV. et Sabbat.

℟. 7. Nesciens Mater Virgo virum, peperit sine dolore: ' Salvatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactabat ubere de cœlo pleno. ℣ Et benedicta in æternum nobis protulit Deum et hominem.—Salvator.

Sequens 8. ℟. *omittitur in off. Domin. et ejus loco dictur* ℟. 9. *ut infra.*

℟. 8. Creator generis humani animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est, ' Et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem. ℣. Felix es sacra Virgo MARIA, et omni laude dignissima, quia ex te ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster.—Et procedens.

℟. 9. Genuit Puerpera Regem gaudia matris habens, cum virginitatis honore: ' Nec primam similem visa est, nec habere sequentem. ℣. Quandò natus est ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt scripturæ.—Nec.—Gloria.—Nec.

aminatâ et immaculatâ, Spiritu Sancto operante, factus est homo. Tu.

FERIA IV.

Ex Concilio Wormatiensi.

Ann. 868. *ip Professione fidei—Conc. T.* 23. *p.* 91.

120. Novâ nativitate «Christus» est genitus quia incorrupta virginitas, et viridem coi um nescivit, et fœcunda per Spiritum Sanctum carnis materiam ministravit. Tu.

FERIA V.

Ex Concilio Lateranensi Quarto.

An. 1215. *cap.* 1.—*Concil. T.* 28. *p.* 153.

121. Unigenitus Dei Filius JESUS Christus à totâ Trinitate communi ẽr incarnatus ex MARIA semper Virgine Spiritûs Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, una in duabus naturis persona, viam vitæ manifestiùs demonstravit. Tu.

FERIA VI.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Conimbanensis.

An. 1247. *Apud Martenn. Tom.* 7. *c.* 1371.

122. Docere debent Presbyteri veri Dei Filium pro Redemtione humani generis carnem assumpsise in Beatâ Virgine de carne ejusdem Virginis, non humanâ sed Spiritûs Sancti operatione. Tu.

IV.

PUERPERIUM

B. MARIÆ V.

seu ab ejus sacratissimo Partu usque ad ejus Purificationem.

V.

VIRGO PUERPERA.

CANONES.

Dicendi in diebus infra octav. SS. Partûs qui proprios non habuerint.

Ex S. Eutichiano Papâ.

An. 275. *Ep.* 1. *ad Episcop. Boticæ.—Conc. Tom.* 1. *p.* 511.

123. Inenarrabilis à Deo originis, unus unigenitus Deus, in corporis humani formam Sanctæ Virginis utero insertus accrescit; qui omnia continet, intra quem et perquem cuncta sunt, humani partûs lege profertur. Tu.

FERIA III.

Ex S. Eutichiano Papâ.

Ut supra.

124. Natus igitur «est» unigenitus Deus ex Virgine homo, et secundum pleni udinem temporum in semetipso profuturus in Deum hominem. Tu.

FERIA IV.

Ex S. Cajo Papâ.

Ep. 1. *ad Felic. Ep. n.* 4. *ad an.* 283.—*Conc. T.* 1. *p.* 588.

125. Quicumque i à obcœcati, et à lumine veritatis alieni, ut Verbi Dei à tempore Incarnationis denegent veritatem, ostendant in quo sibi christianum nomen usurpent, et cum evangelio veritatis, quâ ratione concordent, si beatæ Virginis partu, aut caro sine deitate, aut Deitas est orta sine carne. Tu.

FERIA V.

Ex S. Cajo Papâ.

Ut supra.

126. Sine Verbi potentiâ, nec conciperet Virgo, nec pareret, et sine veritate carnis, obvoluta pannis infantia non jaceret. Tu.

FERIA VI.

Ex Concilio Nicæno Primo.

An. 325. *cap.* 19.—*Concil. Tom.* 2. *p.* 403.

127. Deus erat, et est, et factus est homo propter dispensationem, incarnatus et natus ex Virgine propter suam erga genus humanum charitatem. Tu.

SABBATO.

Ex Concilio Nicæno Primo.

Definition. Eprum. Vide Concil. Eph. p. 3.—*Conc. T.* 6. *p.* 174.

128. Confitemur Dominum nostrum JESUM Christum ex Patre quidem secundum Spiritum ante sæcula genitum, novissimis verò diebus ex Virgine secundum carnem natum. Tu.

DOM. INFRA OCT. SS. PART, CANON.

Ex S. Vitalio Episcopo.

Serm. de fide—Conc. Ephes. p. 1. *c.* 4. *Concil. T.* 3. *p.* 125.

129. Cum Verbum secundum æternam ex Deo Patre originem verus Dei Filius sit, secundum eam quæ est ex Virgine, factum est Filius hominis. Tu.

RESPONSORIA

dicenda post Lectiones tàm in Dominicis, quàm in Feriis tempore Puerperii B. M. V.

In I. Noct. et in Feriis II. et IV.

℟. 1. Jacob, genuit JOSEPH virum MARIÆ, de quâ natus est JESUS, ' Qui vocatur Christus. ℣. Deus in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.—Qui vocatur.

℟. 2. Puer crescebat et confortabatur: plenus sapientiâ, et gratia Dei erat in illo. ℣. Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.—Plenus.

℟. 3. Benedicta es tu, Filia, à Domino Deo excelso ' Præ omnibus mulieribus super terram. ℣. Quia per te fructum vitæ communicavimus.—Præ.—Gloria.—Præ.

In II. Noct. et in Fer. III. et VI.

℟. 4. Beata Dei Genitrix MARIA, cujus viscera intacta permanent post partum, ' Nobis genuit Salvatorem sæculorum. ℣. Beata quæ credidit, quoniàm perfecta sunt ei omnia quæ dicta sunt ei ab Angelo.—Nobis.

℟. 5. Beata viscera MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium: ' Et beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum. ℣. Extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit: Beatus venter qui te portavit.—Et beata.

℟. 6. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi: ' Qui pascitur inter lilia. ℣. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur. —Qui.—Gloria.—Qui.

In III. Noct. et in Fer. IV. et Sabbat.

℟. 7. Nesciens Mater Virgo virum, peperit sine dolore: ' Salvatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactabat ubere de cœlo pleno. ℣ Et benedicta in æternum nobis protulit Deum et hominem.—Salvator.

Sequens 8. ℟. *omittitur in off. Domin. et ejus loco dictur* ℟. 9. *ut infra.*

℟. 8. Creator generis humani animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est, ' Et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem. ℣. Felix es sacra Virgo MARIA, et omni laude dignissima, quia ex te ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster.—Et procedens.

℟. 9. Genuit Puerpera Regem gaudia matris habens, cum virginitatis honore: ' Nec primam similem visa est, nec habere sequentem. ℣. Quandò natus est ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt scripturæ.—Nec.—Gloria.—Nec.

LECTIONES
DE
SCRIPTURA.

Dicendæ in Feriis, et in primo Noct. Festivitatum, quæ toto Puerperio proprias non habuerint.

PRO FERIIS II.
De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 8. *v.* 32.

Nunc ergò, filii, audite me: beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, et state sapientes, et nolite abjicere eam. Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidiè, et observat ad postes ostii mei. Tu. ℣. Jacob. *p.* 113.

LECTIO 2.

Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem à Domino: qui autem in me peccaverit, lædet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Tu. ℣. Puer. *p.* 113.

LECTIO 3. *c.* 9. *v.* 1.

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis. Tu. ℣. Benedicta. *p.* 113.

PRO FERIIS III.
De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 9. *v.* 4.

Si quis est parvulus veniat ad me. Et insipientibus locuta est: venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiam, et vivite, et ambulate per vias prudentiæ. Tu. ℣. Beata. *p.* 113.

LECTIO 2.

Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit: et qui arguit impium, sibi maculam generat. Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, et diliget te. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. Doce justum, et festinabit accipere. Tu. ℣. Beata viscer. *p.* 113.

LECTIO 3.

Principium sapientiæ timor Domini et scientia sanctorum prudentia. Per me enim multiplicabuntur dies tui, et addentur tibi anni vitæ. Si sapiens fueris, tibimetipsi eris: si autem illusor, solus portabis malum. Tu. ℣. Ego dilecto. *p.* 113.

PRO FERIIS IV.
De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 10. *v.* 1.

Filius sapiens lætificat patrem: filius verò stultus mœstitia est matris suæ. Nil proderunt thesauri impietatis: justitia verò liberabit à morte. Non affliget Dominus fame animam justi, et insidias impiorum subvertet. Tu. ℣. Nesciens. *p.* 113.

LECTIO 2. *v.* 6.

Benedictio Domini super caput justi: os autem impiorum operit iniquitas. Memoria justi cum laudibus: et nomen impiorum putrescet. Sapiens corde præcepta suscipit: stultus cædituf labiis. Tu. ℣. Creator. *p.* 113.

LECTIO 3. *v.* 28.

Expectatio justorum, lætitia: spes autem impiorum peribit. Fortitudo simplicis via Domini, et pavor his, qui operantur malum. Justus in æternum non commovebitur: impii autem non habitabunt super terram. Os justi parturiet sapientiam: lingua pravorum peribit. Tu. ℣. Genuit. *p.* 113.

PRO FERIIS V.
De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. *c.* 12. *v.* 1.

Qui diligit disciplinam, diligit scientiam: qui autem odit increpationes insipiens est. Qui bonus est, hauriet gratiam à Domino: qui autem confidit in cogitationibus suis, impiè agit. Non roborabitur homo ex impietate: et radix justorum non commovebitur. Tu. ℣. Jacob. *p.* 113.

LECTIO 2. *c.* 22. *v.* 1

Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ: super argentum et aurum gratia bona. Dives et pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus. Callidus vidit malum et abscondit se: innocens pertransiit, et afflictus est damno. Tu. ℣. Puer. *p.* 113.

LECTIO 3. *c.* 23. *v* 24

Exultat gaudio pater justi: qui sapientem genuit, lætabitur in eo. Gaudeat pater tuus: et mater tua, et exultet, quæ genuit te. Præbe, fili mi, cor tuum mihi: et oculi tui vias meas custodiant. Tu. u. Benedicta. *p.* 113.

PRO FERIIS VI.
De libro Proverbiorum.

LECTIU 1. *c.* 31 *v* 10

Mulierem fortem quis inveniet? procùl, et de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in eâ cor viri sui, et spoliis non indigebit. Reddet ei bonum et non malum, omnibus diebus vitæ suæ. Quæsivit lanam, et linum, et operata est consilio manum suarum. Tu. ℣. Beata. *p.* 113.

LECTIO 2.

Facta est quasi navis institoris, de longè portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. Consideravit agrum, et emit eum: de fructo manuum suarum plantavit vineam: accinxit fortitudines lumbos suos, et roboravit brachium suum. Tu. ℣. Beata viscer. *p.* 113.

LECTIO 3.

Gustavit, et vidit, quia bona est negotiatio ejus: non extinguetur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigoribus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Tu. ℣. Ego. *p.* 113.

PRO SABBATIS.
De libro Proverbiorum.

LECTIO. 1. *c.* 31. *v* 22.

Stragulatam vestem fecit sibi: bysus et purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quandò sederit cum senatoribus terræ. Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo. Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo Tu. ℣. Nesciens. *p.* 113.

LECTIO 2.

Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in linguâ ejus. Consideravit semitas domûs suæ, et panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt: vir ejus, et laudavit eam. Tu. ℣. Creator. *p.* 113.

LECTIO 3.

Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum: et laudent eam in portis opera ejus. Tu. ℣. Genuit. *p.* 113.

CANONES.

In feriis et in diebus post. Octav. SS. Partûs et ante Domin. prim. Puerperii proprios non habentibus.

FERIA II.
Ex D. Paulo Ep. Emisseno.
Conc. Eph. part. 3. *cap.* 31. 130. Virgo Emmanuelem nobis peperit, secundum Divinam quidem naturam Patri consubstantia

lem, secundum humanam verò nobis consubstantialem. Tu.

FERIA III.

Ex S. Theodoto Episc. Anciræ. *Homil. in Concil. Ephes. lecta.—Conc. T. 6. p. 212.*

131. Ex Patre natus est «Christus,» secundum naturam, ex Virgine nascitur propter dispensationem: hinc ut Deus, isthinc nascitur ut homo. Tu.

FERIA IV.

Ex S. Leone Papâ Primo. *Ep. 45. ad Pulcher. Aug.—Conc. Tom. 7. p. 100*

132. Tàm impium est, consubstantialem et consempiternam Patri Filii Deitatem, etiam ex utero Virginis Matris partu editam negare corporeo, quàm unam in Dei Filio post Incarnationis sacramentum affirmare naturam. Tu.

FERIA V.

Ex S. Leone Papâ Primo. *Ep. 97. ad Leon. Aug.—Conc. Tom. 7. 252.*

133. Is qui ante sæcula omnia natus est ex Patre, etiàm ex muliere carnalitèr dicitur procreatus in tempore. Non quia divina ipsius natura de sacrâ Virgine sumpsit exordium... sed quia propter nos et propter nostram salutem naturam sibi copulavit humanam, et processit ex muliere, idcircò dicitur natus esse carnalitèr. Tu.

FERIA VI.

Ex S. Leone Papâ Primo. *Ut supra.*

134. Neque prius natus est homœo communis de Sanctâ Virgine, et tunc demùm habitabit in eo Verbum, sed in ipsâ vulvâ uteroque virginali secum carnem conjunxit, et sustinuit generationem carnalem, carnis suæ nativitatem suam faciens. Tu.

SABBATO.

Ex S. Leone Papâ Primo. *Epst. ad Pulcher Aug. Concil. T. 8. p. 32.*

35. Nihil prodest Dominum, nostrum Beatæ MARIÆ Virginis Filium, hominem dicere, si non illius generis atque seminis homo creditur, cujus in ipso Evangelii exordio prædicatur. Tu.

DOMINICA I. PUERPERII.

Semiduplex.

Est prima Dom. post. octav. SS. Partûs.

Omnia ut in Psalterio, præter sequentia.

AD MATUT.

Invitator. Filium Dei factum ex muliere, factum sub lege: * Venite adoremus.

Hymnus 42. Brev. Convenar:

Umbrâ sepultis lux oritur nova:
Mundo stupenti se simùl exhibens
Infans creator, Virgo Mater
Seque minor Deus ipse factus.
Numen supremum de Patre Numine,
E Matre prodit passibilis Deus:
De fonte lucis lux perennis
Carne suos radios obumbrat.
Compressa strictis brachia fasciis,
Librata mundi pondera sustinent:
Lactante nutritur parente,
Cœlicorum cibus ipse jugis.
Laus summa Patri, summaque Filio:
Sit Sancto, compar laus tibi, Spiritus:
O Numen Infans, spes quieta,
Vindice te, redeat salutis. Amen.

IN I. NOCT.

De libro Josue.

LECTIO 1. *c. 8 v. 18*

Dixit Dominus ad Josue: leva clypeum qui in manu tuâ est, contra urbem Hai, quoniàm tibi tradam eam. Cumque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ, quæ latebant, surrexerunt confestim: et pergentes ad civitatem, cæperunt, et succenderunt eam... Videnque Josue et omnis Israel, quod capta esset civitas, et fumus urbis ascenderet, reversus percussit viros Hai. Tu. ℣. Jacob. *p.* 113.

LECTIO 2. *v. 24.*

Igitur omnibus interfectis, qui Israelem ad deserta tendentem fuerint persecuti, et in eodem loco gladio corruentibus, reversi filii Israel percusserunt civitatem. Erant autem, qui in eodem die ceciderunt à viro usque ad mulierem duodecim millia hominum, omnes urbis Hai. Josue verò non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai. Tu. ℣. Puer. *p.* 113.

LECTIO 3. *c. 22 v. 26*

«Dixerunt Filii Ruben ad Gad» extruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas, sed in testimonium inter nos et vos, et sobolem nostram, vestramque progeniem, ut serviamus Domino, et juris nostri sit offerre et hollocausta, et victimas, et pacificas hostias: et nequaquàm dicant crâs filii vestri filiis nostris: non est vobis pars in Domino. Tu. ℣. Benedicta. *p.* 113

In II. NOCT.

Ex Bibliâ Marianâ B. Alberti Magni Ep.

In Josue. LECTIO 4.

Domina Angelorum, Mater Dei est clypeus defensionis quantùm ad nos, et clypeus interfectionis quantùm ad Dæmones. Dixit Dominus, id est Pater, ad Josue, Christum Filium suum. Leva super omnem creaturam puram in sanctitate, dignitate, pietate, utilitate, clypeum, id est MARIAM, peccatorum defensatricem, dæmonum impugnatricem, qui in manu tuâ est, contra Hai. Hai interpretatur chaos, vel habitaculum eorum, id est, dæmonum, qui in abysso regnant. Tu. ℣. Beata Dei. p. 113.

LECTIO 5.

Cumque elevasset clypeum, id est, MARIAM, in annuntiatione, ipsam in Matrem assumendo et in assumptione secum in throno collocando, non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, id est, MARIAM, nobis in consolationem, diabolo in occisionem, et peccatis in deletionem, donec interficerentur omnes habitatores Hai, de quibus nullum debemus relinquere, sed omnes interimere. Tu. ℣. Beata visc. p. 113.

LECTIO 6.

Idem ipsa est altare testimonii nostri. Dixerunt filii Ruben, et Gad: extruamus nobis altare, id est, MARIAM, infinitæ magnitudinis in misericordiâ, in bonitate, in humilitate, in largitate, in Filii Dei Conceptione, in testimoninm liberationis, libertatis, hæreditatis cœlestis, ut juris nostri sit offerre hollocausta, et victimas, et pacificas hostias, et ut non dicatur nobis: non est vobis pars in Domino. Et vocant altare testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus. Hoc altare extructum est in Conceptione, sanctificatum in utero ædificatum in Incarnatione, elevatum in Assumptione. Tu. ℣. Ego dilecto. *p.* 113.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c. 1. v. 28.*

Christi autem generatio sic erat: cum esset desponsata Mater ejus MARIA JOSEPH. Et reliqua.

Homilia S. Hilarii Episcopi.

In Matthæi c. 1. *p.* 3.

Plures irreligiosi, et à spirituali doctrinâ admodum alieni occasionem ex eo occupant turpitèr de MARIA opinandi, quod dictum sit: priusquàm convenissent, inventa est in utero habens, et illud, noli timere accipere MARIAM conjugem tuam; et illud: non cognovit eam, donèc peperit: non recordantes desponsatam fuisse, et dictum hoc JOSEPH volenti eam lege decerni. Tu. ℟. Nesciens. p. 113.

LECTIO 8.

Igitur ne qua de partu ejus ambiguitas existeret, ipse concepti ex Spiritu Sancto Christi testis assumitur: dehinc, quia desponsata esset, in conjugem recipitur. Cognoscitur itaque post partum, id est, transit in conjugis nomen. Cognoscitur enim, non admiscetur. Tu. ℟. Genuit. p. 113.

LECTIO 9.

Deniquè cum transire JOSEPH ad Egyptum monetur, ita dicitur; accipe puerum, et matrem ejus. Et quotiescumque de utroque fit sermo, Mater potiùs Christi, quia id erat, non uxor JOSEPH est nuncupata, quod non erat. Sed hæc quoque ab angelo servata est, ut cum desponsatam cum justo JOSEPH significabat, conjugem nuncuparet. Tu. ℟. Te Matrem. p. 5.

AD LAUDES.

Hymnus. 43 *Brev. Convenar.*

O Virgo, quæ paris Deum,
Fovesque lacte tem sinu:
Hunc flecte nobis, quâ vales,
Benigna Mater, gratiâ.

Tu nostra pax et gloria,
Spes vera tu mortalium;
Intende quas tibi preces
De cordis arâ fundimus.

Mundi salus, qui nasceris,
JESU puer nos respice:
Da moribus castis tuam
Referre nos Infantiam.

JESU tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Veritas de terrâ orta est.
℟. Et justitia de cœlo prospexit.

Ad Benedict. *ant.* Et non cognoscebat eam, * donec peperit Filium suum primogenitum, et vocavit nomen eum JESUM.

Oremus. *Oratio.*

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut te quem natum de MARIA Virgine profitemur, in corde nostro habitare mereamur. Qui vivis et regn.

Suffrag. non dicuntur temp. Puerp.

CANON.

Ex S. Leone Papâ Primo.

Ep. *ad Cler. et pleb. Constantin.*—Conc. Tom. 8. p. 59.

136. Nec dicimus quòd Beata Virgo MARIA hominem sine deitate conceperit, qui creatus à Spiritu Sancto, posteà sit susceptus à Verbo: sed dicimus Christum Dei Filium Deum verum natum de Deo Patre sine ullo initio temporis, eumdemque hominem verum, natum de Matre homine certâ plenitudine temporis. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.

CANONES.

Infra Hebdomad. prim. Puerperii.

FERIA II.

Ex S. Leone Papâ Primo.

Ep. ad Flavian. Conc. Chalced.—*Conc. T.* 8. *p.* 411.

137. Idem sempiterni Genitoris Unigenitus sempiternus natus est de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine. Tu.

FERIA III.

Ex S. Leone Papâ.

Serm. de Natio. Chr.

138. Novâ nativitate «Filius Dei» genitus est, conceptus à Virgine, sine paternæ carnis concupiscentiâ, sine maternæ integritatis injuriâ. Tu.

FERIA IV.

Ex Joanne Papâ Secundo.

Ep. 3. *ad Senatores. Concili T.* 9. *p.* 123.

139. Nascitur nobis propriè de Spiritu Sancto et MARIA semper Virgine Deus homo, JESUS Filius Dei. Tu.

FERIA V.

Ex S. Felice Papâ.

Ep. 3. *ad Zenon. Imperator.*—*Conc. T.* 10. *p.* 32.

140. Si non ex Virgine MARIA incarnatum Verbum homo factum est, quæ necessitas Virginis? Et quarè ad eam dixisset Gabriel: quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei? Tu.

FERIA VI.

Ex S. Gelasio Papâ Primo.

Ep. 2. *ad Laurent. Ep.*—*Concil. Tom.* 10. *p.* 94.

141. Ineffabiliter sibi Christus ex ipsâ «Beatâ MARIA» ædificavit Templum, et sibi univit, quod non coæternum de suâ substantiâ è cœlo detulit corpus, sed ex massâ nostræ substantiæ, hoc est, ex Virgine hoc accipiens, et sibi uniens. Tu.

SABBATO.

Ex S. Gelasio Papâ Primo.

Ep. 3. *ad Episcopos Dardaniæ.*—*Conc. T.* 10. *p.* 98.

142. Scripturæ venerabilis dicit auctoritas, et majorum testatur doctrina nostrorum, Redemptorem mundi Deum, totum simùl Deum, totumque hominem ex MARIA Virgine fuisse progenitum. Tu.

DOM. II. PUERP.

Semiduplex.

Invitat. et Hymn ad Mat, et ad Laud, ut in Dom. 1. *p.* 116.

IN I. NOCT.

De libro Judicum.

LECTIO 1. *c.* 5. *v.* 24.

Benedicta inter mulieres Jahel, uxor Haber Cinæi, et benedicatur in tabernaculo suo. Aquam petenti lac dedit, et in phialâ principum obtulit butyrum. Sinistram manum misit ad clavum, et dexteram ad fabrorum malleos, percusitque Sisaram, quærens in capite vulneri locum, et tempus valide perforans. Tu. ℟. Jacob. *p.* 113.

LECTIO 2.

Inter pedes ejus ruit: defecit, et mortuus est: volvebatur ante pedes ejus, et jacebat exanimis, et miserabilis. Per fenestram respiciens ululabat mater ejus, et de cœnaculo loquebatur: cùr moratur regredi currus ejus? Quarè tardaverunt pedes quadrigarum illius? Tu. ℟. Puer. *p.* 113.

LECTIO 3.

Una sapientior cæteris uxoribus ejus, hæc socrui verba respondit: forsitàn nunc dividit spolia, et pulcherrima feminarum eligitur ei: vestes diversorum colorum Sisaræ traduntur in prædam, et suppellex varia ad ornanda colla congeritur. Tu. ℟. Benedicta. *p.* 113.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo B. MARIÆ V. *Lect.* 16.

LECTIO 4.

MARIA per illam Jahelem signata esse potest, quæ clavo Sisaram interfecit. Propter quod in libro Judicum dicitur: Benedicta inter mulieres Jahel. Jahel interpretatur, ascendens, quod convenit MARIÆ, quæ non, sicut acediosi, descendit,

sed strenuè de virtute in virtutem de inferioribus sempèr ascendit. Tu. ℟. Beata Dei. *p.* 113

LECTIO 5.

Isla benedicta Jahel quid fecit? Certè clavo tabernaculi Sisaram interfecit. Sisara exclusio gaudii interpretatur, et benè diabolum signat, quia à gaudio cœlesti exclusus, etiam alios excludere festinat. Immo heu! nos omnes excluserat per matrem generis humani, cujus exclusionis maledictio exclusa est per Matrem. ℟. Beata viscera. *p.* 113.

LECTIO 6.

Sed quid per clavum signatur, quo caput Sisaræ perforatur? Quis est clavus iste, nisi rigor disciplinæ? Quis est enim rigor disciplinæ acediosis, nisi quasi quidam clavus in oculis? Rigor utique disciplinæ clavus est diabolum acerrimè pungens. Benedicta utique Jahel, caput Sisaræ clavo interveniente confixit, quandò benedicta MARIA virtutem Satanæ rigore disciplinæ in se extinxit. Tu. ℟. Ego dil. *p.* 113.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 2. *v.* 1.

In illo tempore: nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater JESU ibi. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis. *Serm.* 3. *in Dom.* 1. *post Oct. Epiph.*

Quotiènscumque mihi necesse est, fratres, post lacrymosas querimonias vestras exorare Matrem misericordiæ, ut suggerat suo benignissimo Filio, quod vinum non habeatis? Et ipsa, dico vobis, carissimi, si piè à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ, quoniàm misericors est et Mater misericordiæ. Nam si compassa est verecundiæ illorum, à quibus fuerit invitata, multò magis compatietur nobis, si fuerit invocata. Tu. ℟. Nesciens. *p.* 113.

LECTIO 8.

Placent enim illi nuptiæ nostræ, et pertinent ad eam multo amplius illis: nimirùm de cujus utero, tanquàm è thalamo suo cœlestis sponsus processit. Sed quem non moveat, quod in nuptiis illis respondit Dominus benignissimæ, ac sanctissimæ Matri suæ, dicens: quid mihi, et tibi, mulier? Quid tibi et illi, Domine? Nonne quod filio, et Matri? Tu. ℟. Genuit. *p.* 113.

LECTIO 9.

Nunc ergò, Domine, quid molestatus es illi, dicens: Quid mihi, et tibi? Multùm per omnem modum. Sed manifestè jam video, quòd non velut indignans, aut confundere volens Virginis verecundiam, dixeris: Quid mihi, et tibi? cum venientibus ad te (juxta Matris præceptum) ministris nihil enuclatus facias, quod ipsa suggessit. Tu. ℟. Te Matrem. *Ad* Benedict. *ant.* Invoca Dominum, ut det nobis vinum et escam delectabilem.

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui Filium tuum ad nos factum ex muliere, factum sub lege dignatus es mittere, concede propitius, ut, suffragantibus ejusdem Genitricis sanctissimæ precibus, valeamus ad te incolumes pervenire. Per eumd. Dom.

CANON.

Ex S. Dyonisio Alexandrino. *Ep. adv. Paul. Samosat.*

143. Una et sola Virgo filia vitæ genuit Verbum vivens, et per se subsistens, increatum et creatorem, qui venit in mundum et mundus eum non cognovit. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Benedicta inter mulieres MARIA: benedicta in omni tabernaculo Jacob.

CANONES.

Infra Hebdomad. 2. *Puerperii.*

FERIA II.

Ex Concilio Toletano Undecimo. *An.* 675. *in præfation. Conc. Tom.* 10. *p.* 509.

144. Partus Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo monstratur: quod si ratione colligitur, non potest esse mirabile, si exemplo, non erit singulare.

FERIA III.

Ex Concilio Mediolanensi. *An.* 678.—*Concil. Tom.* 16. *p.* 45.

145. Qui de Patre splenduit supra intellectum, de Matre ortus est supra rationem, et cum Deus verè esset, factus est verè homo. Tu.

FERIA IV.

Ex Concilio Mediolanensi. *Ut supra.*

146. In tempore natus est de Sanctâ Virgine MARIA idem ipse Dominus noster JESUS Christus, unus in Sanctâ Trinitate, conglorificatus Patri et Sancto Spiritui. Tu.

FERIA V.

Ex Concilio Constantinopolitano Tertio.

An. 680. *In edicto Imper. Constantini. T.* 16. *p.* 534.

147. Confitemur unum Sanctæ Trinitatis Dominum nostrum JESUM-Christum... natum ex eâdem Virgine MARIA super omnem intelligentiam, et super omnem mentis considerationem. Tu.

FERIA VI.

Ex Concilio Toletano Decimoquarto *An.* 684. *Cap.* 8. *Tom.* 17. *p.* 62.

147. Nec alter «Christus» ex Patre, alter ex Matre est genitus. Cum tamen alitèr de Patre, alitèr de Matre sit natus, ipse tamen in utroque naturarum genere non divisus, sed unus idemque Dei et hominis filius. Tu.

SABBATO.

Ex Concilio Toletano Decimo sexto *An.* 693. *Allocution. Flav. Ecige Reg. Tom.* 17. *p.* 143.

149. Licet inseparabilia sint opera Trinitatis, tamen fidelitèr profitemur, non tantùm fide cordis sed et oris professione, quòd non tota Trinitas susceperit carnem, sed solus Filius Dei, qui est ante sæcula ex Dei Patris substantiâ genitus, in fine sæculorum de Virgine MARIA, Evangelio teste, enixus. Tu.

DOM. III. PUERP.

Semiduplex.

Si in sequenti Dom. inciderit Septuagesima, hæc Dom. III. et sequens omittuntur, et in eorum loco ponitur Dominica V. Puerperii, quæ nunquàm omittitur. Si Sept. inciderit in Dom V. loco Dom. III. ponitur IV. et in Dom. IV. ponit. V. Invitat et hymnus ad Mat. et ad Laud ut in Dom. I. p. 116.

IN I. NOCT.

De libro Judicum.

LECTIO 1. *c.* 6. *v.* 34.

Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina, convocavit domum Abieser, ut sequeretur se. Misitque nuntios in universum Manassen, qui et ipse secutus est eum: et alios nuntios in Aser, et Zabulon, et Nephtali, qui occurreruut ei. Tu. ℟. Jacob. *p.* 113.

LECTIO 2.

Dixitque Gedeon ad Deum: si salvum facis per manum meam Israel, sicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in areâ: si ros in solo vellere fuerit, et in omni terrâ sic-

citas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel. Factumque est ità. Et de nocte consurgens, expresso vellere, conchàm rore implevit. Tu. ℟. Puer. *p.* 113.

LECTIO 3.

Dixitque rursùs ad Deum: ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semèl tentavero, signum quærens in vellere. Oro, ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens. Fecitque Deus nocte illâ, ut postulaverat, et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terrâ. Tu. Benedicta. *p.* 113.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Hom. 2. *super Missus.*

LECTIO 4.

Quid illud Gedeonis vellus significat, quod utique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis, in aream ponitur, et nunc quidem lana, nunc verò area rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne Virginis, et absque detrimento virginitatis? Cui utique, distillantibus cœlis, tota se infundit plenitudo divinitatis; adeò ut ex hâc plenitudine omnes acceperimus, qui verè sine illâ non aliud quàm terra arida sumus. Tu. ℟. Beata Dei. *p.* 113.

LECTIO 5.

Hùicquoquè Gedeonis factoprophetìcum dictum pulchrè satis convenire videtur, ubi legitur: descendet sicut pluvia in vellus. Num per hoc quod sequitur: et stillicidia stillantia super terram: idem datur intelligi, quod per inventam rore madidam aream? Tu. ℟. Beata viscer. *p.* 113.

LECTIO 6.

Pluvia quippè voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ, placidè priùs et absque strepitu operationis humanæ suo se quietissimo illapsu virgineum dimisit in uterum. Postmodùm verò ubique terrarum diffusa est per ora prædicantium; non jam sicut pluvia in vellus, sed sicut stillicidia stillantia super terram cum quodam utique strepitu verborum ac sonitu miraculorum. Tu. ℟. Ego dilecto. *p.* 113.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 3. *v.* 6.

In illo tempore: dixit JESUS Nicodemo: quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Et reliqua. Homilia S. Gregorii Nazianzeni Ep. ORAT. 49. *De fide, in fine.*

De spiritu Dei Virgo concepit, et quod concepit, hoc peperit, id est, Deum, carni et animæ suæ, id est, homini, ut jam dixi, personæ unitate sociatum, sicut ipse ait: Quod nascitur de Spiritu, Spiritus est: quia Spiritus est, ex Deo natus est. Sicut et Angelus ad MARIAM Virginem dixit: Spiritus Dei veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Tu. ℟. Nesciens *p.* 113.

LECTIO 8.

Propterea, et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei. Vides ergo ipsum Verbum, ipsum Dei Filium venisse in Virginem, et in Dei et hominis Filium processisse, nec tamen ipso indumento carnis Dei Filium esse mutatum, sed eumdem ipsum esse in homine, qui fuerat ante mundum apud Patrem Deus, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil. Tu. ℟. Genuit. *p.* 113.

LECTIO 9.

Cæterum amentia est credere, posse ab eo liberari, qui ut liberaretur, missus est, ut ad immortalitatem redigeret, qui transit ad mortem, qui ut nasceretur oppressus est. Sed absit, hæretice, ut sensûs tui iniquitas à catholicis admittatur. Nos enim credimus immutabilem et inconvertibilem, sicut Patrem, ità et Spiritum Sanctum, et Filium Dei. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad Benedict. *ant.* Quod natum est * ex te sanctum, Virgo MARIA, vocatur Filius Dei.

Oremus. *Oratio.*

Fac nos, quæsumus Domine, divinitatis tuæ esse consortes, qui, nascendo de immaculatâ Virgine MARIA, humanitatis nostræ fieri dignatus es particeps. Qui vivis et regn.

CANON.

Ex S. Basilio Episcopo.

Ep. ad Julian. Transgres. lect. in Conc. Nicæn. act. 4.—*Concil. Tom.* 19. *p.* 280.

150. Confiteor incarnatam Filii dispensationem, et Dei Genitricem Sanctissimam MARIAM, quæ illum secundum carnem peperit. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Et descendet * sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.

CANONES.

Infra Hebdomadam 3. *Puerperii.*

FERIA II.

Ex Concilio Francofordiensi.

An. 794. *Epist. Synod. ad Episcop. Hispan. Tom.* 20. *p.* 114.

151. Idem ipse Dei Filius primogenitus est Virginis, ut dicitis; etiàm et unigenitus, quia non habuit sequentes carnaliter fratres. Tu.

FERIA III.

Ex Concilio Francofordiensi.

Ut supra pag. 122.

152. Unitas personæ, quæ est in Dei Filio, et Filio Virginis, adoptionis tollit injuriam. Si ergo Deus est, qui de Virgine natus est, quomodò tunc potest adoptivus esse vel servus? Tu.

FERIA IV.

Ex Concilio Francofordiensi.

Ut supra p. 126.

153. Quid est aliud dicere eamdem Virginem adoptivum vel servum genuisse, nisi negare Deum illam genuisse? Si Deus generatus est, nequaquàm adoptivus sed Filius: quia alia persona est proprii Filii, alia adoptivi Filii vel servi. Tu.

FERIA V.

Ex Concilio Tullensi Secundo.

An. 860. *Ep. Synod. p.* 694.—*Concil. Tom.* 22.

154. Ipse, qui sempèr unum et ubiquè est cum Patre et Spiritu Sancto essentiâ majestatis propter nos homines et propter nostram salutem, opere conceptus ejusdem Spiritûs Sancti, natus ex MARIA Virgine, id est ex virgineâ maternæ carnis substantiâ in duabus et ex duabus naturis, atque substantiis divinitatis scilicet et humanitatis. Tu.

FERIA VI.

Ex Concilio Wormatiensi.

An. 868. *in profess. fidei. Concil. T.* 23. *p.* 91.

155. De tribus personis sola Filii persona hominem verum sine peccato pro liberatione humani generis ex MARIA Virgine novo ordine, novâque nativitate assumpsit. Tu.

SABBATO.

Ex S. Martino Papâ Primo.

Ep. 14. *ad Theodorum. Concil. T.* 15. *p.* 47.

156. «Gloriosa sempèr Virgo

MARIA» Deum et Dominum nostrum JESUM-Christum peperit, quam omnes sancti et catholici Patres Dei Genitricem appellant, utpotè quæ Deum genuit.... Tu.

DOM. IV. IN PUERP.

Semiduplex.

Vide Rubricam positam in Dom. præcedenti. Invitat. et Hymni ad Matut. et ad Laud. ut in Dom. 1. *p.* 116.

IN I. NOCT.

De libro Ruth.

LECTIO 1. *c.* 2. *v.* 1.

Erat autem viro Elimelech consanguineus homo potens, et magnarum operum, nomine Booz. Dixitque Ruth Moabitis ad socrum suam: si jubes, vadam in agro, et colligam spicas, quæ fugerint manus metentium, ubicumquè clementis in me patris familias reperero gratiam. Cui illa respondit: vade filia mea. Tu. ℟. Jacob. *p.* 113.

LECTIO 2.

Abiit itaquè, et colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem, ut ager ille haberet Dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech. Et ecce ipse veniebat de Bethleem, dixitque messoribus: Dominus vobiscum. Qui responderunt ei: Benedicat tibi Dominus. Tu. ℟. Puer. *p.* 113.

LECTIO 3.

Dixitque Booz juveni, qui messoribus præerat. Cujus est hæc puella? Cui respondit: hæc est Moabitis, quæ venit cum Noemi de regione Moabitide, et rogavit, ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia, et de manè usque nunc stat in agro, et ne ad momentum quidem reversa est. Tu. ℟. Benedicta. *p.* 113.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo B. MARIÆ. V. *Lect.* 3.

LECTIO 4.

Dico ergò, quod gratia MARIÆ colligit ad misericordiam, colligit ad Ecclesiam malos. Hoc benè signatum est in gratiâ, quam in colligendis spicis à messoribus derelictis Ruth invenerat, quandò dixit ad Booz: inveni gratiam in oculis Domini mei. Ruth interpretatur videns vel festinans, et signat beatam Virginem, quæ verè videns in contemplatione, et benè festinans fuit in actione. Videns etiàm nostram miseriam est, et festinans ad impendendam suam misericordiam. Tu. ℟. Beata. *p.* 113.

LECTIO 5.

Booz interpretatur virtus, et signat illum, de quo in Psalmo dicitur: magnus Dominus, et magna virtus ejus. Ruth ergò in oculis Booz, MARIA in oculis Domini hanc gratiam invenit, ut ipsa spicas, id est, animas, à messoribus derelictas colligere ad veniam possit. Tu. ℟. Beata. *p.* 113.

LECTIO 6.

Qui sunt messores, nisi doctores et rectores? ò verè magna MARIÆ gratia, quâ multi ex eis ad misericordiam colliguntur, qui à doctoribus et rectoribus tanquàm incorrigibiles relinquuntur. Et ideò benè beatus Bernardus ait: MARIA, tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu amplecteris, foves, nec deseris, quousquè horrendo judici miserum reconcilias. Tu. ℟. Ego dilecto. *p.* 113.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 2. *v.* 1.

Cum ergò natus esset JESUS in Bethleem Juda. Et reliqua.

Homilia S. Gandentii Ep. Briensis. *Tract.* 1. *et* 2. *de Lect. Evangelii. Lectio* 2.

LECTIO 4.

Nascitur Christus non sibi, sed nobis: nascitur enim, qui semper erat, nascitur qui in principio erat, et Filius Dei, et Deus. Ille ideò propè finem sæculi ex Virgine natus est, ut Verbum caro factum habitaret in nobis, permanens tamen Deus esse, quod semper. Nascitur autem Filius Dei in homine, ut vel ità conditorem suum intueri cuperet mundus, et nascitur de Spiritu Sancto ex Virgine, ut hominem, quem de limo terræ plasmaverat, Sancto Spiritu ex massâ eâdem reformaret. Tu. Nescieus. *p.* 113.

LECTIO 8.

Si credimus conceptum Virginis, credere debemus et partum: utrumque impossibile videtur homini, sed est omnipotentiæ divinæ parvum. Quod sine corruptelâ Matris conceptus creditur, cur non etiàm sine corruptelâ editus præsumatur? Incorrupta Virgo peperit, quod intacta Virgo concepit: Integritatem nascendo violare non potuit, qui venerat redintegrare naturam. Eâdem ergo divinitatis virtute per inviolabilem feminam, mundi hujus intravit hospitium, claustrum virginei pudoris etiàm nascendo conservans, qui post resurrectionem januis obseratis domum potuit corporeus introire. Tu. ℟. Genuit. *p.* 113.

Quandò in Dom. III Puerp. fit de Dom. IV, tunc loco sequentis Lectionis, legitur Evangel. cum Hom. Dom. III. pro commemoratione ejusdem.

LECTIO 9.

Illud etiàm quæstioni solvendæ quam maximè congruit, quod Apostolus Christum memorat, editum de muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Utique ut sic illa (cum virgo sit) mulier appelleatur, veritate sexûs, non detrimento integritatis, quomodò Deus Dei filius ob dispensationem salutis nostræ sub lege factus esse prædicetur, cum dator ipse sit legis. Hoc totum pro beatitudine MARIÆ dixerim, cum illam Christus mulierem nuncapaverit, quæ divino partu sic cæpit esse Mater, ut Virgo sacratior permaneret. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad Benedict. *ant.* Impleti sunt dies MARIÆ, ut pareret, et peperit Virgo Christum Dominum.

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui vitiatæ stirpis originem per virginalem uterum reparare dignatus es, concede propitius, ut quos proprii reatûs moles gravat intercesio beatæ Dei Genitricis attollat. Per eumd. Domin.

CANON.

Ex Alejandro Papâ Tertio. *Epist.* 32. *ad Sold. Iconii.*—*C.* 27. *p.* 287.

137. Magna igitur et omni laude dignissima fuit Mater et Virgo MARIA Beatissima, quæ tantum Dei et hominis mundo edidit Mediatorem, et nostrum parere meruit Salvatorem: quæ inter omnes quas mundus habuit mulieres, nec primam, nec similem meruit, nec sequentem habere. Tu.

ad. Magnif. *ant.* Inveni gratiam ante oculos tuos, et consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ.

CANONES

Infra hebdom. ℣ *Puerperii.*

FERIA II.

Ex Alexandro Papâ Tertio. *Ut supra. p.* 282.

158. Natus est Filius Dei de Virgine incorruptâ, sicut plasmatus est primus Adan de terrâ Virgine et inviolatâ, Spiritu Sancto in eâ operante, nostræque salutis negotium ineffabiliter procurante. Tu.

FERIA III

Ex Concilio Constantinopolitano. *an.* 1279.—*Labb. Collect. Concil. Tom.* 7. *col.* 755.

159. Naturalis existens et Filius Dei, naturalis et verus semper Virginis MARIÆ ipse idem Filius existit, qui carnem accepit ex ipsâ. Tu.

FERIA IV.

Ex Sancto Proclo Episcopo. *Oratio de Nativ. Chr.*

160. Naturæ portas reseravit Emmanuel, ut homo: sed virginitatis claustra non violavit, neque prærupit ut Deus; ità enim ex utero egressus, sicut per aurem ingressus, ità natus, sicut conceptus: qui impatibiliter fuerat illapsus, impatibiliter est elapsus. Tu.

FERIA V.

Ex S. Ambrosio Episcopo. *In Psalm.* 61. *enarrat. n.* 5.

161 Non enim alter ex Matre: sed qui erat ex Patre, carnem sumpsit ex Virgine; affectum assumpsit ex Matre: ut infirmitates nostras ipse susciperet. Tu.

FERIA VI.

Ex S. Ambrosio Episcopo. *Exposit. Ev. Lucæ lib.* 2. *n.* 13.

162. Ex utero lunditur, sed coruscat è cælo: terreno in diversorio jacet, sed cœlesti lumine viget. Nupta peperit, sed virgo concepit, nupta concepit, sed virgo generavit. Tu.

SABBATO.

Ex S. Ambrosio Episcopo. *In Psalm.* 1. *Enarrat. n.* 34.

163. Puer nobis natus est, quia carnem suscepit ex Virgine, quia homo natus est ex MARIA. Caro nascitur nobis, Verbum datur. Quod nostrum est, inter nos natum est: quod supra nos est, nobis donatum est. Tu.

DOM. V. PUER.

Semiduplex.

Vide Rubr. positam in Dom III p. 121 *Invitat. et Hymni ad Mat. et Laud. ut in Dom. I. p.* 116.

IN I. NOCT.

De libro primo Regum.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 1.

Fuit vir unus de Ramathaim sophim, de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana, filius Jeroham filii Eliu, filii Thohu, filii Suph Ephratæus: et habuit duas uxores, nomen uni Anna, et nomen secundæ Phenennæ Fuerunique Phenennæ filii: Annæ autem non erant liberi. Tu. ℣. Jacob. *p.* 113.

LECTIO 2.

Et ascendebat vir ille de civitate suâ, statutis diebus, ut adoraret, et sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filii, Heli, Ophni et Phinees, sacerdotes Domini. Venit ergò dies, et immolavit Elcana, dedilque Phenennæ uxori suæ, et cunctis filiis ejus, et filiabus partes. Tu. ℣. Puer. *p.* 113.

LECTIO 3.

Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluserat vulvam ejus. Affligebat quoquè eam æmula ejus, et vehementer angebat, in tantùm, ut exprobaret, quòd Dominus conclusisset vulvam ejus: sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent

ad templum Domini: et sic provocabat eam. Tu. ℣. Benedicta. *p.* 113:

IN II. NOCT.

De expositione S. Gregorii Papæ in libros Regum. 1. *Reg.*

LECTIO 4.

Fuit vir unus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim. Potest hujus montis nomine Beatissima semper Virgo MARIA Dei Genitrix designari. Mons quippè fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. An non mons MARIA, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium deitatis erexit? Tu. ℣. Beata Dei. *p.* 113.

LECTIO 5.

Sed rectè mons Ephraim, id est, frugiter dicitur, de quâ optimus fructus, id est, novus homo generatur. Quam certè in fœcunditatis suæ gloria pulchram, ornatamque Propheta respiciens ait: egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. De hujus namque montis fructu David Deo exultans ait: confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum. Tu. ℣. Beata viscera. *p.* 113.

LECTIO 6.

Terra quippè fructum suum dedit, quia quem Virgo peperit, non concepit maritali opere, sed Sancti Spiritûs obumbratione. Hinc eidem regi et prophetæ à Domino dicitur: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Hinc Isaias ait: erit fructus terræ sublimis. Nam quem Virgo genuit, non solùm homo sanctus fuit, sed etiàm potens Deus. Tu. ℣. Ego dilecto. *p.* 113.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. *v.* 16.

Jacob genuit JOSEPH virum MARIÆ, de quâ natus est JESUS. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valentini.

Concio 2, *in Nativ. B. V. M.*

Hæc, inquam, mihi hæsitanti, cur de actibus Virginis, sicut de actibus Pauli, liber non est compositus, nihil aliud occurrit, quàm ità placuisse Spiritui Sancto, ejusque Providentiæ. Evangelistas sàtis fuisse propterea quia Virginis gloria, sicut in Psalmis legitur, omnis intùs erat, et magis cogitari, quàm describi. Sufficit ad ejus plenam Historiam, quod scriptum est in Thematæ: quia de illâ natus est JESUS. Quid ampliùs quæris? quid ultrà requiris in Virgine? Sufficit tibi, quod Mater Dei est. Tu. ℣. Nesciens. *p.* 113.

LECTIO 8.

Quidquid de Virgine scire, aut intelligere cupio, totum in hoc includitur breviloquio. De quâ natus est JESUS. Hæc longa, et plenissima ejus historia est. Anselmus. De Virgine MARIA solùm dicere, quòd Mater Dei est, superat totum quod sub Deo dici potest. Undè Beatus Thomas quamdam ei dignitatis infinitatem attribuit, et meritò: si enim quo altior est filius, dignior Mater est, quis dubitat, quin infiniti Filii infinita quodammodò sit Matris auctoritas, dignitasque? Tu. ℣. Genuit. *p.* 113.

Quandò in Dominicâ III. vel. IV. fit de Dominicâ V. loco sequentis Lectionis fit commem. Domin. occurrentis.

LECTIO 9.

Audi piissima: audi clementissima,

de quâ natus est JESUS. Hoc enim nomen super omne nomen puræ creaturæ, in quo nemo tecum participat, ô Virgo. Cui enim aliquandò, non dicam hominum sed Angelorum dixit: Mater mea es tu: Filius tuus ego sum? Ad Angelos quidem dicit: qui facit Angelos tuos Spiritus, et Ministros suos ignem urentem. Ad Virginem autem: unica est amica mea. Electa una es, quia nec similem tibi visa est, nec habere sequentem. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad. Bened. *ant.* JOSEPH ' erat vir MARIÆ, de quâ natus est JESUS, qui vocatur Christus.

Oremus. Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui ponderè propriæ actionis præmimur, Sanctissimæ Genitricis tuæ intercessio gloriosa nos protegat. Qui vivis et regnas.

CANON.

Ex S. Ambrosio Episcopo.

In Psalm. 118. *Exp. Serm.* 5. *n.* 23.

164. Ita creatum «Christum» dico quemadmodum factum legi, hoc est, factum ex muliere, factum sub lege, hoc est secundum susceptionem carnis creatum, secundum quod est natus ex Virgine. Tu.

Ad. Magnificat. *ant.* Mons Dei, ' mons pinguis, mons, in quo beneplacitum fuit Deo habitare in ipso, alleluia, alleluia.

CANONES

Infra Hebdomadam 3. *Puerperii.*

FERIA II.

Ex S. Hilario Episcopo.

De Synod. seu de fide Oriental. n. 29.

165. Qui in novissimis diebus descendit desursùm et natus est ex Virgine secundum Scripturas,... mediator Dei et hominum. Tu.

FERIA III.

Ex S. Hilario Episcopo.

De Trinit. libr. X. n. 22.

166. Quomodò JESUS Christus Dei Filius natus ex MARIA est, nisi quod Verbum caro factum est; scilicet quod Filius Dei cum in formâ Dei esset, formam servi accepit? Tu.

FERIA IV

Ex S. Petro Damiano.

Hom. in lib. Generation.—Flor. Patr. p. 441.

167. Immensum concepit, æternum genuit, genitum ante sæcula parturivit: qui sibi et munus fœcunditatis attulit conceptus, et virginitatis decus non abstulit natus: qui antequàm nasceretur, talem creavit eam, ut dignè nasci posset ex eâ. Tu.

FERIA V.

Ex D. Eleuterio Ep. Tornacensi. *In orat. ad Deum pro fide et Eccl. Torn.*

168. Permanens «Virgo» in castitate Dei filium terris edidit et post admirabilem partum in virginitate consistens, Christum JESUM divino lacte nutrivit. Tu.

FERIA VI.

Ex Joanne Papâ Secundo. *Ep.* 3. *ad Senator. Tom.* 9. *Concilior. p.* 122.

169. Ipse «Deus» ultimis temporibus incarnatus ex sacrâ et gloriosâ Virgine Matre nasci dignatus est. Tu.

SABBATO.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino. *Conc.* 2. *in Natal. Dom. n.* 6.

170. Animadvertite Virginem Puerperam, evacuatam neque vitiatam, gaudium matris habentem cum virginitatis honore: videte partum admirandum, partum stupendum, partum sacrum, partum Deo dignissimum, et obstupescite. Tu.

V.

VITA CONTEMPLATIVA

B. MARIÆ V.

Seu ab ejus Purificatione usque ad Tempus Passionis.

RESPONSORIA

dicenda post Lectiones tàm in Dominicis quàm in Feriis, Tempore vitæ contemplativæ B. M. V. exceptò in quadragesimâ.

In I. Noct. et in II. et V. Feriis.

℣. 1. Memorare dierum humilitatis tuæ, et ostende te nobis in tempore tribulationis. ' Quia in domo regis es præ cunctis hominibus. ℣. Invoca Dominum, et loquere regi pro nobis, et libera nos de morte.—Quia.

℣. 2. Continet in gremio cœlum terramque regentem Virgo Dei Genitrix: ' Proceres comitantur heriles. ℣. Per quos orbis ovans Christo sub principe pollet.—Proceres.

℣. 3. Virgo, quæ magnum potes exorare Tonantem, et potes irati sistere tela Dei. ' Mater et ipsa Dei, Mater et ipsa hominis. ℣. Loquere pro nobis bona, et averte iram Dei à nobis.—Mater.—Glor. —Mater.

In II. Noct. et in Fer. III. et VI.

℣. 4. Tu medicina mei gemitûs, tu lux oculorum, ' Anchora tuta spei, rectissima regula morum. ℣. Tu mea dux, mea lux, mea spes, mea res, mea vita.—Anchora.

℣. 5. Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in linguâ ejus: ' Non extinguetur in nocte lucerna ejus. ℣. Medià nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ.—Non ext.

℣. 6. Lætamini, et exultate in eâ omnes qui diligitis eam: ' Gaudete cum eâ gaudio, universi. ℣. Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium. —Gaudete.—Gloria.—Gaudete.

In III. Noct. et in Fer. IV. et Sabb.

℣. 7. Quædam mulier excepit, Dominum in domum suam: ' MARIA autem sedens secus pedes ejus audiebat verbum illius. ℣. Conservabat omnia verba ejus conferens in corde suo.—MARIA.

℣. 8. Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima: ' Porrò unum est necessarium. ℣. MARIA optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.—Porrò.

℣. 9. Intra cubiculum, et clauso ostio Virgo MARIA ' Orat pro nobis Patrem in abscondito. ℣. Si inveni, Domine, gratiam in oculis tuis, da mihi populum meum, pro quo obsecro.—Orat.—Gloria.—Orat.

LECTIONES

DE SCRIPTURA

dicendæ in Feriis, et in primo Noct. Festivitatum, quæ toto hoc tempore Vitæ contempl. proprias non habuerint. Dicuntur etiam in diebus infra octav. Purificationis.

IN FERIIS II.

De libro Sapientiæ.

LECTIO. *c.* 4. *v.* 1.

O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius: quoniàm et apud Deum nota est, et apud homines. Cum præsens est, imitantur illam: et desiderant eam, cum se eduxerit, et in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. Tu. ℣. Memorare *p.* 129.

LECTIO. *c.* 6. *v.* 1.

Melior est sapientia, quàm vires, et vir prudens quàm fortis... Concupiscite ergò sermones meos: di-

de quâ natus est JESUS. Hoc enim nomen super omne nomen puræ creaturæ, in quo nemo tecum participat, ô Virgo. Cui enim aliquandò, non dicam hominum sed Angelorum dixit: Mater mea es tu: Filius tuus ego sum? Ad Angelos quidem dicit: qui facit Angelos tuos Spiritus, et Ministros suos ignem urentem. Ad Virginem autem: unica est amica mea. Electa una es, quia nec similem tibi visa est, nec habere sequentem. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad. Bened. *ant.* JOSEPH ' erat vir MARIÆ, de quâ natus est JESUS, qui vocatur Christus.

Oremus. Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui ponderè propriæ actionis præmimur, Sanctissimæ Genitricis tuæ intercessio gloriosa nos protegat. Qui vivis et regnas.

CANON.

Ex S. Ambrosio Episcopo.

In Psalm. 118. *Exp. Serm.* 5. *n.* 23.

164. Ita creatum «Christum» dico quemadmodum factum legi, hoc est, factum ex muliere, factum sub lege, hoc est secundum susceptionem carnis creatum, secundum quod est natus ex Virgine. Tu.

Ad. Magnificat. *ant.* Mons Dei, ' mons pinguis, mons, in quo beneplacitum fuit Deo habitare in ipso, alleluia, alleluia.

CANONES

Infra Hebdomadam 3. *Puerperii.*

FERIA II.

Ex S. Hilario Episcopo.

De Synod. seu de fide Oriental. n. 29.

165. Qui in novissimis diebus descendit desursùm et natus est ex Virgine secundum Scripturas,... mediator Dei et hominum. Tu.

FERIA III.

Ex S. Hilario Episcopo.

De Trinit. libr. X. n. 22.

166. Quomodò JESUS Christus Dei Filius natus ex MARIA est, nisi quod Verbum caro factum est; scilicet quod Filius Dei cum in formâ Dei esset, formam servi accepit? Tu.

FERIA IV

Ex S. Petro Damiano.

Hom. in lib. Generation.—Flor. Patr. p. 441.

167. Immensum concepit, æternum genuit, genitum ante sæcula parturivit: qui sibi et munus fœcunditatis attulit conceptus, et virginitatis decus non abstulit natus: qui antequàm nasceretur, talem creavit eam, ut dignè nasci posset ex eâ. Tu.

FERIA V.

Ex D. Eleuterio Ep. Tornacensi. *In orat. ad Deum pro fide et Eccl. Torn.*

168. Permanens «Virgo» in castitate Dei filium terris edidit et post admirabilem partum in virginitate consistens, Christum JESUM divino lacte nutrivit. Tu.

FERIA VI.

Ex Joanne Papâ Secundo. *Ep.* 3. *ad Senator. Tom.* 9. *Concilior. p.* 122.

169. Ipse «Deus» ultimis temporibus incarnatus ex sacrâ et gloriosâ Virgine Matre nasci dignatus est. Tu.

SABBATO.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino. *Conc.* 2. *in Natal. Dom. n.* 6.

170. Animadvertite Virginem Puerperam, evacuatam neque vitiatam, gaudium matris habentem cum virginitatis honore: videte partum admirandum, partum stupendum, partum sacrum, partum Deo dignissimum, et obstupescite. Tu.

V.

VITA CONTEMPLATIVA

B. MARIÆ V.

Seu ab ejus Purificatione usque ad Tempus Passionis.

RESPONSORIA

dicenda post Lectiones tàm in Dominicis quàm in Feriis, Tempore vitæ contemplativæ B. M. V. exceptò in quadragesimâ.

In I. Noct. et in II. et V. Feriis.

℣. 1. Memorare dierum humilitatis tuæ, et ostende te nobis in tempore tribulationis. ' Quia in domo regis es præ cunctis hominibus. ℣. Invoca Dominum, et loquere regi pro nobis, et libera nos de morte.—Quia.

℣. 2. Continet in gremio cœlum terramque regentem Virgo Dei Genitrix: ' Proceres comitantur heriles. ℣. Per quos orbis ovans Christo sub principe pollet.—Proceres.

℣. 3. Virgo, quæ magnum potes exorare Tonantem, et potes irati sistere tela Dei. ' Mater et ipsa Dei, Mater et ipsa hominis. ℣. Loquere pro nobis bona, et averte iram Dei à nobis.—Mater.—Glor. —Mater.

In II. Noct. et in Fer. III. et VI.

℣. 4. Tu medicina mei gemitûs, tu lux oculorum, ' Anchora tuta spei, rectissima regula morum. ℣. Tu mea dux, mea lux, mea spes, mea res, mea vita.—Anchora.

℣. 5. Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in linguâ ejus: ' Non extinguetur in nocte lucerna ejus. ℣. Medià nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ.—Non ext.

℣. 6. Lætamini, et exultate in eâ omnes qui diligitis eam: ' Gaudete cum eâ gaudio, universi. ℣. Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium. —Gaudete.—Gloria.—Gaudete.

In III. Noct. et in Fer. IV. et Sabb.

℣. 7. Quædam mulier excepit, Dominum in domum suam: ' MARIA autem sedens secus pedes ejus audiebat verbum illius. ℣. Conservabat omnia verba ejus conferens in corde suo.—MARIA.

℣. 8. Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima: ' Porrò unum est necessarium. ℣. MARIA optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.—Porrò.

℣. 9. Intra cubiculum, et clauso ostio Virgo MARIA ' Orat pro nobis Patrem in abscondito. ℣. Si inveni, Domine, gratiam in oculis tuis, da mihi populum meum, pro quo obsecro.—Orat.—Gloria.—Orat.

LECTIONES

DE SCRIPTURA

dicendæ in Feriis, et in primo Noct. Festivitatum, quæ toto hoc tempore Vitæ contempl. proprias non habuerint. Dicuntur etiam in diebus infra octav. Purificationis.

IN FERIIS II.

De libro Sapientiæ.

LECTIO. *c.* 4. *v.* 1.

O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius: quoniàm et apud Deum nota est, et apud homines. Cum præsens est, imitantur illam: et desiderant eam, cum se eduxerit, et in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. Tu. ℣. Memorare *p.* 129.

LECTIO. *c.* 6. *v.* 1.

Melior est sapientia, quàm vires, et vir prudens quàm fortis... Concupiscite ergò sermones meos: di-

ligite illos, et habebitis disciplinam. Clara est, et quæ nunquàm marcescit sapientia, et facilè videtur ab his, qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet. Tu. ℣. Continet. *p.* 129.

LECTIO 3.

Cogitare ergò de illâ sensus est consummatus: et qui vigilaverit propter illam, citò securus erit. Quoniàm dignos se ipsa circuit quærens, et in viis ostendit se illis hilariter, et in omni providentiâ occurrit illis, initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia. Tu. ℣. Virgo. *p.* 129.

PRO FERIIS III.
De libro Sapientiæ.

LECTIO 1. *c.* 6. *v.* 19

Cura ergò disciplinæ dilectio est: et dilectio custodia legum illius est: custoditio autem legum consummatio incorruptionis est: incorruptio autem facit esse proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Tu. ℣. Tu medic. *p.* 129.

LECTIO 2.

Si ergò delectamini sedibus, et sceptris, ò reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis. Diligite lumen sapientiæ, omnes, qui præestis populis. Quid est autem sapientia, et quemadmodum facta sit, referam: et non abscondam à vobis sacramenta Dei, sed ab initio nativitatis investigabo, et ponam in lucem scientiam illius, et non præteribo veritatem. Tu. ℣. Os suum. *p.* 129.

LECTIO 3.

Neque cum invidiâ tabescente iter habebo: quoniàm talis homo non erit particeps sapientiæ. Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum: et rex sapiens stabilimentum populi est. Ergò accipite disciplinam per sermones meos, et proderit vobis. Tu. ℣. Lætamini. *p.* 129.

PRO FERIIS IV.
De libro Sapientiæ.

LECTIO 1. *c.* 7. *v.* 7.

Optavi et datus est mihi sensus: et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ: et præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniàm omne aurum in comparatione illius arena est exigua, et tanquàm lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Tu. ℣. Quædam. *p.* 129.

LECTIO 2.

Super salutem, et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam: quoniàm inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illâ, et innumerabilis honestas per manus illius, et lætatus sum in omnibus. Tu. ℣. Martha. *p.* 129.

LECTIO 3.

Quoniàm antecedebat me ista sapientia, et ignorabam, quoniàm horum omnium mater est. Quam sine fictione didici, et sine invidiâ communico, et honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui usi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. Tu. ℣. Intra cubic. *p.* 129.

IN FERIIS V.
De libro Sapientiæ.

LECTIO 1. *c.* 7. *v.* 15.

Mihi autem Deus dedit dicere ex sententiâ, et præsumere digna horum, quæ mihi danlur: quoniàm

ipse sapientiæ dux est, et sapientium emendator. In manu enim illius, et nos et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientia, et disciplina. Ipse enim dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram... et quæcumque sunt absconsa et improvisa, didici: Tu. ℣. Memorare. *p.* 129.

LECTIO 2. *v.* 21.

Omnium enim artifex docuit me sapientia. Est enim in illâ spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem: omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus: intelligibilis, mundus subtilis. Tu. ℣. Continet. *p.* 129.

LECTIO 3.

Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubiquè propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: et ideò nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine maculâ Dei majestatis, et imago bonitatis illius. Tu. ℣. Virgo. *p.* 129.

IN FERIIS VI.
De libro Sapientiæ.

LECTIO 1. *c.* 7. *v.* 27.

Et cum sit una omnia potest: et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei, et prophetas constituit. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientiâ inhabitat. Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior. Illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia. Tu. ℣. Tu med. *p.* 129.

LECTIO 2. *c.* 8. *v.* 1.

Attingit ergò à fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Hanc amavi, et exquisivi à juventute meâ, et quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius. Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei: sed et omnium Dominus dilexit illam. Doctrix enim est disciplinæ Dei, et electrix operum illius. Tu. ℣. Os suum. *p.* 129.

LECTIO 3.

Et si divitiæ appetuntur in vitâ quid sapientiâ locupletius, quæ operatur omnia? Si autem sensus operatur: quis horum, quæ sunt, magis quàm illâ est artifex? Et si justitiam quis diligit: labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vitâ hominibus. Tu. ℣. Lætamini. *p.* 129.

IN SABBATIS.
De libro Sapientiæ.

LECTIO 1. *c.* 8. *v.* 9.

Proposui ergò hanc adducere mihi ad convivendum: sciens quoniàm mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et lætii mei. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis: et acutus inveniar in judicio, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me. Tu. ℣. Quædam.

LECTIO 2. *v.* 13.

Præterea habebo per hanc immortalitatem, et memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam. Intrans in domum meam conquiescam cum illâ: non enim habet amaritudinem conversatio

illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium. Tu. ℣. Martha. *p.* 129.

LECTIO 3.

Hæc cogitans apud me, et commemorans in corde meo: quoniàm immortalitas est in cognatione sapientiæ, et in amicitiâ illius delectatio bona, et in operibus manuum illius honestas sine defectione, et in certamine loquelæ illius sapientia, et præclaritas in communicatione sermonum ipsius: circuibam quærens, ut mihi illam assumerem. Tu. ℣ Intravisse. *p.* 129.

DOM. I. VIT. CONT.

Semiduplex.

Hæc Dom. omittitur omninò, si acciderit post Septuages. vel in ipsam Septuages.

Si acciderit verò ante Dom. Sept. ejus loco ponitur sequens Dom. ut legatur liber secundus Regum, et de ipsâ fit tantùm commemoratio.

Cùm autem hæc Dom. incidat semper infra oct. Purific. Offic. fit ut in ipso die, Idem observetur, quando ejus loco ponitur Dom. II.

AD MATUTIN.

Incitator. Christum MARIÆ Filium hodiè in templo præsentatum: Venite, adoremus.

HYMNUS *M. Brev. Antiq. Herd.*

Quod chorus vatum venerandus olim,
Spiritu Sancto decinit repletus,
In Dei factum Genitrice constat
Esse MARIA.

Hæc Deum cœli, Dominumque terræ
Virgo concepit, peperitque Virgo
Atque post partum meruit manere
Inviolata.

Quem senex justus Simeon in ulnas
In domo sumpsit Domini: gavisus
Hoc quod oblatum proprio videret
Lumine Christum.

Tu libeas, votis, petimus, precantum,
Regis æterni Genitrix, faveto,
Clara quæ cælsi renitens olympi
Regna petisti.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritu Sancto
Regnat in ævum. Amen.

IN I. NOCT.

De libro primo Regum.

LECTIO 1. *c.* 25. *v.* 2.

Erat vir quispiam in solitudine Maon, et possessio ejus in Carmelo, et homo ille magnus nimis. Nomen autem viri illius erat Nabal, et nomen uxoris ejus Abigail... Cum ergò audisset David in deserto, quod tonderet Nabal gregem suum, misit decem juvenes, et dixit eis: ascendite ad Carmelum, et venietis ad Nabal, et salutabitis eum ex nomine meo pacificè. Et dicetis... inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis, in die enim bonâ venimus... Cumque venissent pueri David, locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine David... Respondens autem Nabal pueris David ait, Quis est David, et quis est filius Isai? Tu. *Respons. ut in die Purificat.*

LECTIO 9. *v.* 14.

Abigail autem uxori Nabal nuntiavit unus de pueris suis, dicens: Ecce David misit nuntios de deserto, ut benediceret Dominonostro: et aversatus est eos... Quam ob rem considera, et recognia, quid facias: quoniàm completa est malitia adversum virum tuum, et adversum domum tuam, et ipse est filius Belial, ità ut nemo possit ei

loqui. Festinavit igitur Abigail.. dixitque pueris suis: præcedite me: ecce ego post tergum sequar vos: viro autem suo Nabal non indicavit. Tu. ℣.

LECTIO 3. *v.* 23.

Cum autem vidisset Abigail David festinavit, et descendit de asino, et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram, et cecidit ad pedes ejus, et dixit: In me sit, Domine mi, hæc iniquitas: loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis, et audi verba famulæ tuæ... Et ait David ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodiè te in occursum meum, et benedictum eloquium tuum, et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodiè ne irem ad sanguinem, et ulciscerer me manu meâ. Tu. ℣.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo B. MARIÆ V. *Lect.* 14.

LECTIO 4.

Dico, carissimi, quod MARIA benedicta est, quia per eam Deus hominî placabilis est, sicut signatum est in Abigail, de quâ legitur, quod cum David offensus occidere vellet Nabal stultum, Abigail occurrens offenso placavit eum. Qui placatus dixit: benedictum eloquium tuum, et benedicta tua prohibuisti me, ne irem hodiè ad sanguinem, et ulciscerer me manu meâ. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Nabal stultus signat peccatorem. Omnis enim peccator stultus est. Abigail MARIAM signat, interpretatur enim, patris exultatio. O quanta Patris cœlestis in MARIA, et MARIÆ in Patre cœlesti fuit exultatio, cum ipsa dicat: Exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo. Sicut autem Abigail Dominam nostram, sic David Dominum nostrum signat. Tu. ℣.

LECTIO 6.

David autem offensus est stulto Nabal, quandò Dominus offensus est homini impio. David Nabal stulto per Abigail placatur, quandò Dominus impio per MARIAM reconciliatur. Abigail placavit David verbis et muneribus. MARIA placat Dominum precibus et meritis. Abigail ullorem temporalem, MARIA verò æternalem convertit. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secund. Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2.

In illo tempore: Dixit Simeon ad MARIAM Matrem JESU: ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventuræ Ep. *Specul. B. V. M. Lectione* 4.

Hic gladius acutissimam Filii sui passionem, sive mortem signat: gladius corporalis animam nec occidere potest, nec vulnerare: sic acutissima Christi passio, licet animam MARIÆ per compassionem pertransivit, ipsam tamen nec per odium occidit, nec per impatientiam vulneravit. Tu. ℣.

LECTIO 8.

MARIA enim interfectores Filii sui nunquàm odivit, nunquàm contra eos impatiens fuit. Nam si alii Martyres patientissimi fuerunt in martyrio suo corporali, quantò magis Mater nostra MARIA in Martyrio suo spirituali, de cujus nobili martyrio Hieronymus ait: quia spiritualiter et atrocius passa est gladio passionis Christi, plusquàm Martyr fuit. Tu. ℣.

LECTIO 9.

O mira MARIÆ patientia, et mansuetudo, quæ non solùm patientissima fuit, dum coram ipsâ Filius ejus crucifigeretur, sed etiàm dum ante crucifixionem propter ipsam Filius ejus vilipenderetur, sicut in Evangelio Marci dicitur: nonne hic est fabri filius et MARIÆ? ubi post pauca sequitur: et scandalizabantur in eo. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad Laud. et Horas ant. Capit. &c. ut in die Purif.

Ad Bened. *ant.* Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur, et tuam animam doloris gladius pertransibit.

Oremus. *Oratio.*

Adjuvet nos, quæsumus, Domine, gloriosæ tuæ Genitricis semperque Virginis MARIÆ intercessio veneranda: ut, quos perpetuis cumulavit beneficiis, à cunctis periculis absolutos, suâ faciat pietate concordes: Qui vivis et regnas.

CANONES.

VITÆ CONTEMPLATIVÆ.

In Dominicis et Feriis Februarii recitandi, si hæ Dominicæ et Feriæ venerint ante Septuagesimam. Si verò venerint post Septuagesimam transferuntur ad ultimas Dominicas et Hebdomadas post Pentecostem.

VI.

MARIA DEIPARA.

CANON.

Ex S. Epiphanio Episcopo.

An. 370.—*Contr. hæres. hær.* 30. *p.* 70.

171. Magna revera est MARIA Sancta Virgo coram Domino et hominibus. Quomodò enim non dixerimus hanc magnam, quæ incomprehensibilem concepit, quem cœli et terra capere non possunt? Tu.

Ad Magnific. *ant.* Benedictum eloquium tuum, et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodiè ne ulciscerer manu meâ.

CANONES.

Infra Hebd. prim. Febr.

FERIA II.

Ex D. Accasio Ep. Militensi.

Ad an. 431.—*Hom. hab. in Conc. Eph. p.* 3. *c.* 7.

172. Deipara est Sancta Virgo, Deus enim ex eâ natus est, non quòd initium, ut esset, ex eâ sumpserit, sed quòd, ut homo fieret, principia indè hauserit. Tu.

FERIA III.

Ex Concilio Alexandrino.

An. 431. *Epist. Synodica ad Nestor.*—*Concil. T. V. p.* 403. *n.* 11.

173. Quia sacra Virgo Deum carni secundum hypostasim unitum corporaliter genuit, ob id illam quoque Deiparam esse dicimus. Tu.

FERIA IV.

Ex S. Leone Papâ Primo.

An. 450. *Ep.* 93. *ad Turib. Asturicens. n.* 3.—*Conc. T. VII. p.* 222.

174. In magnæ tenduntimpietatis abruptum, qui Christum Dominum, vel ex Matre volunt habere principium, vel Patris Dei Unigenitum diffitentur: cum et de Matre is natus sit, qui erat Deus Verbum, et de Patre nemo sit genitus præter Verbum. Tu.

FERIA V.

Ex Concilio Chalcedonensi.

An. 451.—*Tom. 8. Concil. p.* 629.

175. Sancta MARIA Theotocos scribatur: in Symbolo sic addatur. Tu.

FERIA VI.

Ex Concilio Chalcedonensi.

Ut supra. pag. 631.

176. Sancta MARIA Theotocos est: Qui non sic sapit, hæreticus est. Tu.

SABBATO.

Ex Joanne Papâ Secundo.

Epist. 3. *ad Senatores*—*Concil. Tom.* 11. *p.* 122.

177. Gloriosam Sanctam semper Virginem MARIAM propriè et veraciter Dei Genitricem, Matremque Dei Verbi ex eâ incarnati, ab hominibus catholicis confiteri rectè esse docemus propriè et veraciter. Tu.

DOM. II. VITÆ CONT.

Semiduplex.

Si hæc Dom. incidat in Sept. vel post Septuag. omittitur. Quandò ponitur in loco primæ dicitur Hymn. Quod chorus. *ad Mat. et reliqua ut in die Purific. cum commemoratione Domin. ejusdem.*

IN I. NOCT.

De libro secundo Regum.

LECTIO 1. *c.* 6. *v.* 12.

Abiit ergò David, et adduxit arcam Dei de domo Obededon in civitatem David cum gaudio: et erant cum David septem chori et victima vituli. Cumque transcendissent qui portabant arcam Domini sex passus, immolabant bovem et arietem. Et David saltabat totis viribus ante Dominum. Porrò David erat accinctus Ephod lineo. Tu. ℣. Memorare. *p.* 129.

LECTIO 2.

Et David, et omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini in jubilo, et in clangore buccinæ... Et introduxerunt arcam Domini, et imposuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David: et obtulit David holocausta et pacifica coram Domino. Tu. ℣. Continet. *p.* 129.

LECTIO 3.

Cumque complesset offerens holocausta, et pacifica benedixit populo in nomine Domini exercituum. Et partitus est universæ multitudini Israel, tàm viro, quàm mulieri, singulis collyridam panis unam, et assaturam bubulæ carnis unam, et similam frixam oleo, et abiit omnis populus, unusquisque in domum suam. Tu. ℣. Virgo. *p.* 129.

IN II. NOCT.

Sermo S. Ambrosii Ep.

Serm. 80. LECTIO 4.

Siquidem David rex pariter et Propheta, dum multa cecinerit ante arcam testamenti, etiàm saltasse dicatur. Elatus enim gaudio, in saltationem prorumpit. Prævidebat enim in Spiritu MARIAM de germine suo Christi thalamo sociandam. Undè ait: et ipse tanquàm sponsus procedens de thalamo suo. Tu. ℣. Tu medicina. *p.* 129.

LECTIO 5.

Ideò ipse præ cæteris Prophetiarum auctoribus plùs cantavit, quia lætior cunctis per hæc gaudia suos posteros conjugabat, et ad propria vota dulciùs invitans, docuit nos quid ex ipsis nuptiis facere deberemus, cum illo ante nuptias tantâ exultatione saltaverit ante arcam. Arcam autem quid nisi sanctam MARIAM dixerimus. Tu. ℣. Os sanum. *p.* 129.

LECTIO 6.

Si quidem arca intrinsecùs portabat testamenti tabulas, MARIA autem ipsius testamenti gestabat hæredem. Illa intra se legem, hæc Evangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat, hæc Verbum: verum tamèn arca intùs forisque auri nitore radiabat, sed et Sancta MARIA intùs forisque virginitatis splen-

BIBLIOTECA CENTRAL UANL

dore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro, ista cœlesti. Tu. ℟. Lætamini. *p.* 129.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. *v.* 33.

In illo tempore: Erat JOSEPH et MARIA mater JESU, mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi. *Lib.* 2. *in cap.* 2. *Lucæ propè finem.*

Vides uberem in omnes gratiam Domini generatione diffusam, et prophetiam incredulis negatam esse, non justis. Ecce et Simeon prophetat in ruinam et in resurrectionem multorum venisse Dominum JESUM-Christum, ut justorum iniquorumquè merita dicernat, aut præmia. Tu. ℟. Quædam. *p.* 129.

LECTIO 8.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Nec litera, nec historia docet ex vitâ MARIAM corporalis necis passione migrasse. Non enim anima, sed corpus materiali gladio transverberatur. Et ideò prudentiam MARIÆ haud ignaram mysterii cœlestis ostendit. Tu. ℟. Intra cubicul. *p.* 129.

LECTIO 9.

Prophetavit itaquè Simeon, prophetaverat Virgo, prophetaverat copulata conjugio: prophetare debuit etiàm vidua, ne qua aut professio deesset, aut ætas. Et ideò Anna, et stipendiis viduitatis, et moribus talis inducitur, ut digna planè fuisse credatur, quæ Redemptorem omnium venisse nuntiaret. Tu. ℟. Te Matrem. *p.* 5.

Ad Benedict. *ant.* Conservabat MARIA omnia, quæ dicebantur de puero, conferens in corde suo.

Oremus. *Oratio.*

Famulos tuos, quæsumus, Domine, beatæ MARIÆ, semper virginis intercessio gloriosa lætificet, ut spiritualibus semper muniamur auxiliis, et gaudiis perfrui mereamur æternis. Per Dominum.

CANON.

Ex Joanne Papâ Secundo. *Epist. ut supra.*

178. Quia proprie et veraciter Dei Filius ex eâ incarnatus est, ideò proprie et veraciter Matrem Dei ex eâ incarnati et nati esse confitemur. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Deducebant David et omnis Israel arcam testamenti in jubilo, alleluia.

CANONES

Post Domin. 2. *Februarii.*

FERIA II.

Ex Concilio Constantinopolitano. *An.* 536.—*Concil. Tom.* 9. *p.* 361.

179. Sancta MARIA Theotocos, quod est Dei Genitrix, est: Sancta MARIA Dei Genitrix est, Sancta Synodus hoc dixit. Tu.

FERIA III.

Ex Pelagio Papâ Primo. *An.* 550. *Epist. ad Childebert. Reg.* —*Conc. T.* 12. *p.* 527.

180. Beatam Virginem MARIAM Dei Genitricem verissimè confitemur: peperit incarnatum Dei Verbum. Tu.

FERIA IV.

Ex Sancto Gregorio Papâ Primo. *Ep.* 67. *ad Quiricum. an.* 605.

181. Ecce eadem Virgo et ancilla Domini dicitur et Mater. Nec alterius ancilla, et alterius Mater: quia dum Unigenitus Dei existens ante sæcula ex ejus utero natus est homo, investigabili miraculo

facta est ancilla hominis per divinitatem et Mater Verbi per Incarnationem. Tu.

FERIA V.

Ex Concilio Mediolanensi. *An.* 679.—*Inter præambul. Conc. III. Constantinop. T.* 16. *p.* 46.

182. Proprié et verè Dei Genitricem Sanctam et gloriosam et semper Virginem MARIAM confitemur: non quia Deus Verbum initium ex ipsâ accepit; sed quòd in ultimis diebus unigenitus Deus Verbum, qui ante sæcula erat, incarnatus ex ipsâ immutabiliter homo factus est. Tu.

FERIA VI.

Ex Concilio Constantinopolitano Tertio.

An 680.—*Can.* 1.—*Concil. T.* 16 *p.* 680.

183. Quæ in Ephesiorum civitate à ducentis divinis Patribus sub Theodoro Arcadii filio imperatore nostro expositæ sunt, doctrinas, tanquàm infractum pietatis robur obsignamus, unum Christum Filium Dei incarnatum prædicantes; et quæ ipsum sine semine peperit, impollutam semper Virginem proprié et verè Deiparam decernentes. Tu.

SABBATO.

Ex Concilio Romano. *An.* 680. *Sub Agathon.* Ep. *Synodica ejusd.*—*Conc. T.* 16. *p.* 180.

184. Confitemur unum ejusdem Sanctæcoessentialis Trinitatis Deum Verbum.... incarnatum de Spiritu Sancto et Sanctâ Immaculatâ, semperque Virgine gloriosâ MARIA Dominâ nostrâ verè et proprié Dei Genitrice. Tu.

DOM. III. VITÆ CONT.

Semiduplex.

Hæc Dom. commutitur in Septuag.

Omnia dicuntur ut in Psalter. per annum.

IN I. NOCT.

De libro tertio Regum.

LECTIO 1. *c.* 6. *v.* 1.

Factum est quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terrâ Ægipti, in anno quarto, mense Zio (ipse est mensis secundus), regni Salomonis, super Israel ædificari cœpit domus Domino. Domus autem, quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine et viginti cubitos in latitudine, et triginta cubitos in altitudine. Tu. ℟. Memorare. p. 129.

LECTIO 2. *c.* 6.

Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, ut non hærerent muris templi. Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est: et malleus, et securis et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur. Tu. ℟. Continet. p. 129.

LECTIO 3.

Ostium lateris medii in parte erat domus dextræ: et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, et à medio in tertium. Et ædificavit domum, et consummavit eam: texit quoquè domum laqueribus cedrinis. Et ædificavit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis: et operuit domum lignis cedrinis. Tu. ℟. Virgo p. 112.

IN II. NOCT.

Sermo S. Ephrem Diaconi. *Serm. adversus Hæreticos.*

LECTIO 4.

Non ex super inducto semine Virgo peperit: absit; sed suam ipsius substantiam sine motu carnali comodavit, et non lapidibus, ascia vel

securi dolatis sapientia sibi domum ædificavit. Non est auditum fieri sonus in ædificio: neque enim vir in MARIA ministravit, sed sola Virgo. Tu. ℟. Tu medicina. *p.* 129.

LECTIO 5.

Politi per se, ac jam dolati lapides erant, non ab hominibus præparati: ità etiam in MARIA assumptio non virili operâ facta est: sed ex naturâ nostrâ delecta per castissimam Virginem. Sicut è terrâ sumpti sunt lapides, ità et assumptio aucta est per naturam, et divinitus mansit immaculata propter incontaminatam naturam. Tu. ℟. Os suum. *p.* 129.

LECTIO 6.

Absque ferro ædificatum est templum, et sine corruptione atque dolore natus est Christus. Sola terra ministravit, sicut et sola Virgo concepit. Non est scissa petra, neque sensit lapidum abcissionem terræ: et Virgo neque mota est, neque ex voluptate concepit. Non aliundè terra lapides acceptos præbuit, verùm ipsa eos sine labore, atque experientiâ suppeditavit. Similitèr quoque in Virgine non superinductus quispiam assumptioni fuit, sed ab ipsâ assumptus est. Tu. ℟. Lætamini. *p.* 129.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10, *v.* 42.

In illo tempore: dixit JESUS Marthæ: Maria optimam partem elegit. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Serm. 4. *in assumpt. B. V.*

Optimam partem elegit sibi MARIA, optimam planè: quia bona fœcunditas conjugalis, melior autem castitas virginalis: prorsùs autem optima est fœcunditas virginea, seu fœcunda virginitas. MARIÆ privilegium est, non dabitur alteri, quia non auferetur ab eâ. Singulare etiàm est: sed continuò etiàm indicibile invenitur, ut nemo assequi potest, sic nec eloqui quidem. Tu. ℟. Quædam. *p.* 129.

LECTIO 8.

Quid si illud adjicias, cujus mater? Quæ jam poterit lingua, etiàm si angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem matrem, matrem autem non cujuscumque sed Dei? Duplex novitas, duplex prærogativa, duplex miraculum, sed dignè prorsus, amplisimèque conveniens. Neque enim Filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter. Tu. ℟. Infra cubic. *p.* 129.

LECTIO 9.

Verumtamèn non hoc tantùm sidiligentèr attendas, sed cæteras quoque virtutes singulares prorsùs invenies in MARIA, quæ videbantur esse communes. Quæ enim vel angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritûs Sancti sacrarium fieri, et habitaculum Filii Dei? Si rerum pretia de raritate pensamus, quæ prima in terris angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est. Tu. Te matrem. *p.* 5.

Ad Benedict. *ant.* MARIA * optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.

Oremus. *Oratio.*

Protege, Domine, famulos tuos propitiatione perpetuâ, ut qui ex toto corde Virgini Matri tuæ fideliter servire cupimus, et tibi placere valeamus. Qui vivis et regnas.

CANON.

Ex Concilio Nicæno Secundo.

An. 787. *act.* 7.—*Concil. T.* 18. *p.* 383.

185. Confitemur Dominam nostram Sanctam MARIAM propriè et verè Deiparam, ut quæ peperit unum Sanctæ Trinitatis Christum Dominum, quemadmodùm prior Ephesina Synodus constituit Tu.

Ad Magnific. *ant.* Malleus, * et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur.

CANONES.

Infra Dom. 3. Februar.

FERIA II.

Ex Epistolâ Synodicâ Theodori Patriarchæ Jerosolymitani.

Probata in Conc. Nicæno II. act. 3. *Concil. T.* 19. *p.* 194.

186. Dei Genitricem propriè ac per veritatem Sanctissimam MARIAM nominari «Ephesina Synodus» legitimè statuit. Tu.

FERIA III.

Ex Concilio Nicæno Secundo.

Act. 7.—*T.* 19. *Concilior. p.* 579.

187. Confitemur Dominam nostram Sanctam MARIAM propriè ac veraciter Dei Genitricem, quoniàm peperit carne, unum ex Sanctâ Trinitate, Christum videlicèt Deum nostrum. Tu.

FERIA IV.

Ex Concilio Francofordiensi.

An. 794.—*Epist. ad præsul. Hispaniæ—Conc. T.* 20. *p.* 115.

188. Neque alium JESUM Christum, alium Verbum dicimus, ut nova hæresis calumniatur, sed eumdem et ante sæcula, et ante mundum, et post MARIAM, imò ex MARIA magnum Deum appellamus, Salvatorem nostrum JESUM Christum, qui dedit semetipsum pro nobis. Tu.

FERIA V.

Ex Concilio Constantinopolitano Quarto.

An. 870.—*Ad finem Conc. T.* 23. *p.* 394.

189. Sanctissimam et nuptiarum ignaram MARIAM, quæ illum pepeperit, propriè ac veraciter Dei Genitricem fatemur, quemadmodum universalis tertia Synodus, quæ apud Ephesum congregata est, prædicavit. Tu.

FERIA VI.

Ex Divo Thoma Aquinatis.

An. 1274.—*Prim. p.* q. 25. *a.* 6. *ad* 4.

190. Beata Virgo MARIA, ex hoc, quod est Mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex infinito bono quod est Deus, et ex hâc parte non potest aliquid fieri melius, sicut non potest aliquid esse melius Deo. Tu.

SABBATO.

Ex Concilio Florentino.

An. 1438.—*Sess.* 8.—*Concil. T.* 32. *p.* 141.

191. Dicere Filium Patri consubstantialem descendisse de cœlis, et incarnatum esse de Spiritu Sancto et MARIA Virgine, nihil aliud significat, quam Deum natum esse de Virgine. Est igitur explanatio vox Deipara, sed tamen non est addita..... Tu.

Sabbato ante Domin. in Septuagesimâ post Vesper. ad Benedicamus Dom. *additur duplex* Alleluia, *hoc modo.* ℣. Benedicamus Domino, alleluia, alleluia. ℟. Deo gratias, alleluia, alleluia.

Et deinceps non dicitur amplius alleluia *usque ad Sabbat. Sanctum. Sed post* Deus in adjutor. *ubi dicebatur* alleluia *dicitur:* Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

Sequentes tres Dominicæ, nempè Septuag. Sexag. et Quinquages. non omittuntur, nisi occurrente festo Duplici primæ classis, et tunc fit de eis commemoratio tantùm. In

ipsis Domin. nulla fit commemoratio.

Si hæ Dominicæ incidant in Puerper. vel. post Iect. dicuntur de temp. Puerper. Si verò incidant in Vitâ contempl. tunc dicuntur de hoc tempore, cætera ut in Psalter. per annum.

DOM. IN SEPTUAGESIMA.

Semid. 2. Classis.

AD MATUT.

Invitatór. Præoccupemus faciem MARIÆ in jubilatione: et in canticis collaudemus eam.

In primo versu Psalmi Invitatorii Venite exult. *omittitur:* Præoccupemus faciem etc. *et ejus loco repetatur Invitatorium.*

IN I. NOCT.

De libro tertio Regum.

LECTIO 1. *c.* 10. *v.* 18.

Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem: et vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus: et summus throni rotunda erat in parte posteriori: et duæ manus hinc, atque inde tenentes sedile, et duo leones stabant juxta manus singulas. T. *℟. In Puerper.* Jacob. *p.* 113. *℣. Invit. cont.* Memorare. *p.* 129.

LECTIO 2.

Et duodecim leunculi stabant super sex gradus hinc atque inde: non est factum tale opus in universis regnis. Sed et omnia vasa, quibus potabat rex Salomon, erant aurea, et universa suppellex domus saltus Libani de auro purissimo: non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis. Tu. *℟. In Puerper.* Puer. *p.* 113*℣. In vita contem.* Continet. *p.* 129.

LECTIO 3. *v.* 23.

Magnificatus est ergò rex Salomon super omnes reges terræ divitiis et sapientiâ, et universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus, et singuli deferebant ei munera, vasa argentea et aurea, vestes et arma bellica, aromata quoque, et equos, et mulos per annos singulos. Tu. *℟. In Puerper.* Benedicta. *p.* 113 *℣. in vit. cont.* Virgo, quæ. *p.* 129.

IN II. NOCT.

Sermo S. Petri Damiani, Ep.
De Valentiâ B. M. V.

LECTIO 4.

Salomon noster Christus fecit thronum, utrumn videlicet intemeratæ Virginis, in quo sedit illa majestas, quæ totum concutit orbem. De ebore, inquit. Ebur enim et mirabili candore reluceat, et multâ præeminet fortitudine, frigidioriseque naturæ sortitur auspicium. Et quid candidius illâ virginitate quæ singularis aspectûs sui gratiâ supercœlestem curiam allicit ad videndum? Quid fortius illâ fortitudine, per quam Domini fortitudo vasa disrupit fortioris? Quid frigidius illâ subsistantiâ quam obumbravit virtus Altissimi, et ab astu peccati defendit supervenientis Spiritûs plenitudo? Tu. *℟. In Puerper.* Beata Dei. p. 113 *℣. In vita cont.* Tu medicina. *p.* 119.

LECTIO 5.

Sequitur grandem. Quid grandius Virgine MARIA, quæ magnitudinem divinitatis in sui ventris concludit arcanum? Attende Seraphim, et in illius superioris naturæ supervola dignitatem: et videbis quidquid majus est, minus Virgine, solumque Opificem opus istud supergredi. Et vestivit eum auro fulvo nimis. Aurum omnibus metallis preliosius intellige divinitatem Dei. Hâc vestita est, immò supervestita Mater Altissimi, totamque Virginem tota illa indivisibilis natura graliori gratiâ superfudit. Tu. *℟. In puerp.* Beata vise. *p.* 113. *℣. In vit. cont.* Os suum. *p.* 119.

LECTIO 6.

Quid est autem quod dicit fulvo nimis? Hic taceat, et contremiscat omnis creatura, et vix audeat aspicere tantæ dignitatis, et dignationis immensitatem. Dominus tecum: ait Archangelus. Habitat in Angelis Deus, sed non cum Angelis, quia cum illis ejusdem non est essentiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illâ, cum quâ unius naturæ habet identitatem. Hoc est ergò aurum fulvum nimis, quo thronus est vestitus, quia talem modo Deus Virginem indutt, et in Virgine indutus est, ut meliori non posset. Tu. *℟. In Puerp.* Ego dilect. *p.* 113. *℣. In vit. cont.* Lætamini. *p.* 129.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. *v.* 19.

In illo tempore: JOSEPH vir MARIÆ, cum esset justus, et nollet eam traducere. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.
Homil. 2. super Missus.

Benè cum esset justus, noluit eam traducere; quia sicut nequaquam justus esset, si cognitam eam consensisset, sic nihilominùs justus non esset, si probitam innoxiam condemnasset. Cum ergò justus esset, et nollet eam traducere, voluit dimittere eam. Tu. *℟. In Puerp.* Nescivi. *p.* 113. *℣. In vit. cont.* Quædam. *p.* 129.

LECTIO 8.

Quarè voluit dimittere eam? accipe et in hoc non meam sed Patrum sententiam. Propter hoc JOSEPH voluit dimittere eam, propter quod et Petrus Dominum suum à se repellebat, dicens: Exi à me, Domine, quia homo peccator sum. Ita ergò et JOSEPH indignum et peccatorem se reputans, dicebat intra se: à tali et à tantâ non debere sibi ultrà familiare præstari contubernium, cujus supra se mirabilem expavescebat dignitatem. Tu. *℟. In Puerp.* Creator. *p.* 113. *℣. Incit. cont.* Martha. *p.* 129.

LECTIO 9.

Sed quarè occultè et non palam? Ne videlicet divortii causa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir justus responderet populo duræ cervicis, populo non credenti, et contradicenti? Si diceret, quod sentiebat, quod de illius puritate non probaverat, nonne mox incredulî et crudeles Judæi subsanarent illum, lapidarent illam? Quandò namque veritati credèrent tacenti in utero, quam postèa contempserunt clamantem in templo? Tu. *℟. In Puerp.* Genuit. *℣. In vit. cont.* Intra. *p.* 129.

In Dominicis à Septuag. usque ad Pasch. non dicitur Canticum. Te Matrem.

Ad Bened. *ant.* Cum esset justus JOSEPH, volebat occultè dimittere eam.

Oremus. *Oratio.*

Salva nos, Christe Salvator, et per intercessionem Sanctissimæ Genitricis tuæ; fac nos ad superna gaudia pervenire. Qui vivis et regnas.

VII.

ANATHEMATA

CONTRA HÆRETICOS.

CANON.

Ex S. Julio Papâ Primo.

An. 336.—*Epist. ad Prosdocium. n.* 3.

192. Si quis autem Filium ex MARIA natum dicat hominem à Deo assumptum, unitasque personas duas; à divinâ spe alienum se sciat. Est enim Deus Verbum per quem omnia, sicut Joannes et Paulus docuerunt, non dicentes Verbum assumpsisse JESUM ex MARIA genitum, sed ipsum venisse in mundum natum ex muliere. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Fecit rex Salomon thronum de ebore magnum, et vestivit eum auro fulvo nimis.

CANONES.

Infra Hebdomad. Septuagesimæ.

FERIA II.

Ex S. Julio Papâ Primo.

Ibid. ut supr. n. 4.

193. Anathema sit quibus Filium ex MARIA natum non confitetur incarnatum Deum Verbum, consubstantialem Patri, et à principio existentem, immutabilem in Incarnatione, et in passionibus impatibilem. Tu.

FERIA III.

Ex S. Julio Papâ Primo.

Ut supra.

194. Similiter anathema sit, et qui carnem Salvatoris non ex MARIA, sed è cœlo dicit: aut eum qui increatus est naturâ, rem creatam, et ex non extantibus asserit. Tu.

FERIA IV.

Ex S. Athanasio Ep. Alexandrino. *An.* 340.—*Concil. T.* 6. *In apologeti. pro* 12 *capit.*—3. *p. Conc. Eph.*

195. Si quis ex divinis scripturis docet, alium dicens Filium Dei, alium ex MARIA secundum gratiam Filium adoptatu.., sicut nos, ut sint duo Filii, unus secundum naturam Filius Dei, qui ex Deo: et unus secundum gratiam, homo ex MARIA..... hunc anathematizat Sancta et catholica Ecclesia. Tu.

FERIA V.

Ex S. Athanasio Ep. Alexandrino.

Ut supra.

196. Si quis Domini carnem supernè esse dicit, et non ex Virgine MARIA..... hunc anathematizat Sancta et catholica Ecclesia. Tu.

FERIA VI.

Ex Concilio Ariminensi.

An. 359. *sub Liber.*—*Concil. T.* 3. *pag.* 193.

197. Si quis Deum Patrem ipsum de MARIA natum, eumdemque Patrem et Filium dixerit; anathema sit. Tu.

SABBATO.

Ex Concilio Ariminensi.

Ut supra.

198. Si quis Filium Dei de MARIA initium sumpsisse dixerit, vel fuisse tempus, quandò non erat Filius, anathema sit. Tu.

DOM. IN SEXAGESIMA.

Semid. 2. *Classis.*

Invitator. ut in Dom. præc. p. 140.

IN I. NOCT.

De libro quarto Regum.

LECTIO 1. *c.* 4. *v.* 1.

Mulier quædam de uxoribus Prophetarum clamabat ad Elisæum, dicens: servus tuus vir meus mortuus est, et tu nosti, quia servus tuus fuit timens Dominum: ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. Cui dixit Elisæus: quid vis, ut faciam tibi? Die mihi, quid habes in domo tuâ? At illa respondit: non habeo ancilla tua quidquam in domo meâ, nisi parum olei quo ungar. Tu. ℟. *Ut in Dom. præcedent. p.* 140.

LECTIO 2.

Cui ait: vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vasa vacua, non pauca. Et ingredere, et claude ostium tuum, cum intrensecùs fueris tu, et filii tui: et mitte indè in omnia vasa hæc, et cum plena fuerint, tolles. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Ivit itaquè mulier, et clausit ostium super se, et super filios suos: illi afferebant vasa, et illa infundebat. Cumque plena fuisent vasa, dixit ad filium suum: affer mihi adhùc vas. Et ille respondit: non habeo. Stetitque oleum. Venit autem illa, et indicavit homini Dei. Tu. ℟.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo B. MARIÆ V. *Lect.* 7.

LECTIO 4.

Consideremus carissimi, quòd MARIA plena est unctione misericordiæ, plena oleo pietatis. Undè ipsa signata esse potest per mulierem illam, cui, clauso ostio domûs suæ, omnia vasa intùs congregata facta sunt miraculosè oleo plena, secundum quod Elisæus ei prædixerat, dicens: cum plena fuerint, tolles. Mulier ista est MARIA, quæ etiàm à Filio suo mulier appellata est in Joanne, ubi dicitur: mulier, ecce Filius tuus. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Hujus mulieris vasa sunt affectus et effectus, desideria et beneficia, quæ omnia plena oleo misoricordiæ plena sunt in MARIA. Dicamus ergò, carissimi: dicamus MARIÆ: Date nobis de oleo vestro. Petamus oleum misericordiæ ejus in mundo, ne frustrà petamus in judicio. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Quòd autem domus, in quo vasa replebantur, clausa fuit, hoc optimæ MARIÆ convenit, de cujus clausurâ Ezechiel ait: porta hæc clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniàm Dominus Israel egressus est per eam. Sed certè quia ad multiplicationem olei, vasa etiàm vicinorum non pauca collecta fuerant: ideò quoquè per vasa illa omnes signari possunt, qui plenitudinis misericordiæ suæ participes sunt. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 1. *c.* 22. *v.* 35.

In illo tempore: Interrogavit JESUM unus ex Pharisæis legis Doctor, tentans eum: Magister quod est mandatum magnum in lege? Et reliqua.

Homilia S. Amadei Ep. Laus.

De Laudib. B. V. Hom 4.

Diligebat Virgo Deum ac Filium suum ex toto corde, ex totâ mente, et ex omnibus viribus suis. Ex toto corde, quia toto affectu; ex tota mente, quia toto intellectu; ex omnibus viribus, quia omni cordis intensione, et mandatorum omnium excentione. Videbat oculis et manibus tractabat Verbum vitæ. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Felix, cui præstitum est fovere eum, qui fovet, ac nutrit omnia, portare portantem universa, lactare Filium, qui lac ipsis uberibus infundit, pascere cuncta pascentem, et escam avibus administrantem. Pendebat in collo ejus Patris sapientia, et in humeris ejus virtus movens cuncta residebat. Tu. ℟.

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

LECTIO 9.

Stabat in sinu materno parvulus JESUS, et in gremio quiescebat Virginis sanctarum requies animarum. Aliquando subnixo capite, lævâ dextràque tenentem, vultu placidissimo Genitricem aspiciebat, quem desiderant angeli videre, et blando murmure vocabat Genitricem, quam omnis spiritus appellat in necessitatibus, at illa repleta Spiritu Sancto sanctum pectus pueri suo pectori copulabat, et faciem illius faciei suæ applicabat. Tu. ℣.

Ad Benedict. *ant.* Dilexit Deum * Virgo totâ mente, totâ corde, totis viribus.

Oremus. *Oratio.*

Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, beatæ Virginis MARIÆ virtutes recolere, ut quam dignâ mente non possimus celebrare, humilibus saltèm frequentemur obsequiis. Per Dom.

CANON.

Ex Concilio Romano.

Sub Damas. an. 373.—*Concil. T.* 3. *pag.* 301.

199. Si quis Sanctam MARIAM Deiparam non credit, extra divinitatem est. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Oleum effusum * nomen tuum: adolescentulæ dilexerunt te nimis.

CANONES

Inf. a Hebdom. Sexagesimæ.

FERIA II.

Ex Concilio Romano.

Ut supra.

200. Si quis Christum per Virginem, tanquàm per canalem de currisse ac defluxisse, ac non in eâ divino modo, quia absque viri opera; humano, quia procreationis lege formatum esse dixerit, in simili impietate versatur. Tu.

FERIA III.

Ex Concilio Romano.

Ibid. Ep. Damas. Paulino Ep. Antioch. p. 306.

201. Anathematizamus Photinum, qui Ebionis hæresim instaurans, Dominum JESUM Christum tantùm ex MARIA Virgine confitetur. Tu.

FERIA IV.

Ex Concilio Romano.

Ut supra.

202. Anathematizamus eos, qui duos filios asserunt, unum ante sæcula, et alterum post assumptionem carnis ex Virgine. Tu.

FERIA V.

Ex S. Gregorio Nacianceno.

An. 390. *Ep.* 1. *ad Cledon. lecta in Conc. Ephesino. Concil. T.* 3. *pag.* 303.

203. Si quis MARIAM Deiparam esse inficiatur, à Deo alienus est. Tu.

FERIA VI.

Ex S. Gregorio Nacianceno.

Ut supra.

204. Si quis per Virginem perindè ac per fistulam measse, nec in eâ divino humanoque modo simul formatum esse dixerit, anathema sit. Tu.

SABBATO.

Ex S. Gregorio Nacianceno.

Ut supra.

205. Si quis duos introducit Filios, unum quidem ex Deo et Patre, alterum verò ex MARIA, non autem unum atque eumdem, is ab eâ adoptione excidat, quæ rectam fidem servantibus promissa est. Tu.

DOMIN IN QUINQUAGESIMA.

Semid. 2. *Classis.*

Invitator. ut in Dom. Sept. p. 140.

IN I. NOCT.

De libro primo Paralipomenon.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 16.

Attulerunt arcam Dei, et constituerunt eam in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David, et obtulerunt holocausta, et pacifica coram Deo. Cumque complesset David offerens holocausta, et pacifica, benedixit populo in nomine Dominini. Tu. Memorare. *p.* 129.

LECTIO 2. 2. *c.* 7.

In illo die fecit David principem ad confitendum Domino Asaph et fratres ejus. Confitemini Domino, et invocate nomen ejus. Cantate ei, et psallite ei: et narrate omnia mirabilia ejus. Tu. ℣. Continet. *p.* 129.

LECTIO 3. *v.* 31.

Lætentur cœli, et exultet terra: et dicant in Nationibus: Dominus regnavit. Tonet mare, et plenitudo ejus, exultent agri et omnia, quæ in eis sunt. Tunc laudabunt ligna saltûs coram Domino, quia venit judicare terram. Confitemini Domino, quoniàm bonus, quoniàm in æternum misericordia ejus. Tu. ℣. Virgo, quæ. *p.* 129.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo B. V. *Lectio* 7.

LECTIO 4.

Tanta fuit inundatio gratiæ, tanta profunditas et magnitudo fuit, ut ipsa mare plenum dici possit juxta illud: Tonet mare et plenitudo ejus. Sicut in mari aquarum, sic in MARIA sunt congregationes gratiarum. Quàm plenum sit hoc mare, quàm plena gratiâ sit MARIA, beatus Hieronymus aperit, dicens: benè plena, quia cæteris per partes præstatur, MARIÆ verò simùl se tota infundit plenitudo gratiæ. Tu. ℣. Tu med. *p.* 129.

LECTIO 5.

Hoc plenum mare audiamus contra vitia tonare. Tonet ergò mare, et plenitudo ejus, tonet plenum mare, tonet plena MARIA. Tonet contra luxuriam, castitatem proponendo, et dicat; quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco? Tonet etiàm contra superbiam, humilitatem sentiendo, et dicat: ecce ancilla Domini. Tonet contra ingratitudinem gratias agendo, et dicat: Magnificat anima mea Dominum. Tu. ℣. Os suum. *p.* 129.

LECTIO 6.

De plenitudine hujus maris similiter in Psalmo dicitur: moveatur mare et plenitudo ejus. Moveatur mare, moveatur MARIA: moveatur cerlè suspiriis et castigationibus: moveatur lacrymis et orationibus: moveatur eleemosinis et aliis venerationibus; moveatur, inquam, plenè, et nobis effundat de suâ plenitudine. Tu. Lætamini. *p.* 129.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 12. 46.

In illo tempore: adhuc JESU loquente: ecce Mater ejus, et fratres stabant foris quærentes loqui ei. Et reliquà.

Homilia V. Bedæ Presbyteri.

Homil. Fer. IV. post Dom. I. Quadrages.

Dixit Jesu quidam: ecce Mater tua et fratres stant foris vocentes loqui tibi. Non simpliciter iste Domino hoc nuntiasse putandus est, sed sub dolo volens experiri, utrum operi divino affectum carnalium præferret propinquorum. Undè prudentissimè se Matrem nosse dissimulat, ut ostendat se potiùs cognoscere et amare eos, qui per cog-

nationem spiritûs propinqui sunt, quàm qui per cognationem carnis. Tu. ℣. Quædam. *p.* 129.

LECTIO 8.

Quæ est Mater mea, et qui sunt fratres mei? Non autem Dominus maternæ pietatis requirit officium, qui per legem præcepit, dicens: Honora patrem tuum et matrem; sed Dei Patris ministeria præposuit affectibus. Hinc alibi dicit: qui amat patrem et matrem super me, non est me dignus. Tu. ℣. Martha. *p.* 129.

LECTIO 9.

Matrem et fratres dicit Apostolos impletores paternæ voluntatis, qui à Deo Patre illum missum credebant, paratissimoque animo intendebant. Nec negavit Matrem de quâ carnem assumpserat, sicut insaniunt Marcionistæ et Manichæi, qui eum dicunt non habuisse verum corpus, sed phantasticum. Sed spiritualem propinquitatem carnis prætulit consanguinitati, ut et nos doceret in causâ Dei nullum de affectione carnis recognoscere. Tu. ℣. Intra cubicul. *p.* 129.

Ad Benedict. *ant.* Memento nostri, Domina, et invoca pro nobis Dominum.

Oremus. *Oratio.*

Protege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis, et beatæ MARIÆ patrocinio confidentes à cunctis hostibus redde securos. Per Domin.

CANON.

Ex Concilio Alexandrino.

An. 430. *Epist. Cyr. et Syn. Alexandr. ad Nestor. Tom.* 3. *Concil. pag.* 404.

206. Si quis non confitetur Emmanuelem verum Deum esse, et ob id Sanctam Virginem Deiparam, anathema sit. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Sicut in mari aquarum, sic in MARIA sunt congregationes gratiarum.

CANONES

Infra Hebdomadam, Quinquages.

FERIA II.

Ex Concilio Ephesino.

An. 431. *part.* 2. *Conc. Tom. V. p.* 453. *Verba Helanici Rhod. Metropol.*

207. Anathema sit illi, qui Sanctam Virginem MARIAM Deiparam esse non credit. Tu.

FERIA III.

Ex Concilio Ephesino.

Ibid. 485.—*Verb. Prothimii Comanæ Ep.*

208. Illos, qui Sanctam Virginem Deiparam non appellant, anathematizo. Tu.

FER. IV. CINERUM.

Hæc feria est privilegiata, et semper fit de eâ, translato ad primam diem non impeditam quolibet Duplici, quod in eâ incidat. Idem venit dicendum de Dominicis in Quadragessimâ.

AD MATUTIN.

Invitator. Hymn. et reliqua omnia ut in feriali offic. p. 30.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 3.

In illo tempore: dixit JESUS Judæis: Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Et reliqua.

Homilia B. Alberti Magni Ep.

In Bibliâ Mariand.

Beatissima Virgo MARIA est Judicissa vivorum et mortuorum. Potestatem dedit ei, scilicet, Pater Filio secundum humanitatem, judicium facere, quia Filius hominis est. Sed si potestatem habet Filius facere judicium, ipsa etiàm ex concessione potestatem habet facere judicium misericordiæ, quia Mater Dei est. Undè ipsa de confidentiâ Filii potest dicere illud: an non mihi licet facere quod volo? Tu. ℣. Quædam. p. 129.

LECTIO 2.

Ideò etiàm significatur per Debboram prophetantem uxorem Lapidoth, quæ judicabat populum in tempore, et sedebat sub palmâ, ad quam ascendebant filii Israel in omne judicium. Undè consequentèr illud verbum Filii sui potest dicere: in judicium ego in hunc mundum veni, scilicet, ut sim judicissa misericordiæ. Sed judicis est scire omnia, undè dicitur judicantem cuncta rimari oportet. Tu. ℣. Martha. *p.* 129.

LECTIO 3.

Ipsa est etiàm attractrix peccatorum. JESUS dixit turbis: Nemo venit ad me, nisi Pater meus, qui misit me traxerit eum. Sed nunquid non veniunt ad te, quos Mater tua traxerit ad te? Utique omnis quem trahit Mater ad eum, impossibile est, ut intereat, ut dicit Anselmus. Tu. ℣. Intra. *p.* 129.

Ad Benedict. *ant.* Solve vincla reis, et mala nostra cuncta pelle, ut te esse Matrem nostram demonstres.

Preces.

Oremus. *Oratio.*

Famulorum tuorum, quæsumus Domine, preces propitius exaudi, ut qui animas nostras per solemne jejunium incoamus affligere, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione ab omnibus iniquitatibus absolvamur. Qui tecum.

CANON.

Ex S. Vitalio Episcopo.

Libr. de fide.—Concil. T. 5. *p.* 125. *libr. S. Cyr. de Regnis.*

209. Si quis negaverit Domini carnem ex sacrâ Virgine sumptam esse, aut hominibus consubstantialem esse, anathema sit. Tu.

FERIA V.

CANON.

Ex S. Vitalio Episcopo.

Ut supra.

210. Si quis dixerit Dominum ac Salvatorem nostrum, qui ex Spiritu Sancto et MARIA Virgine secundum carnem natus est, animâ, aut mente, aut ratione, aut sensu destitutum esse, anathema sit.

FER. VI. POST CINERES.

De ferid.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 19.

In illo tempore: Stabat juxta crucem JESU Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophe et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia D. Thomæ Arch. Valent.

De S. Joann. Apost. conc. 1.

Pendebat «Christus» in cruce moriturus, et undè venerat rediturus. Disposuit testamentum electis suis, Patri Spiritum, Ecclesiæ corpus, peccatoribus sanguinem, latroni regnum, militibus vestes, Petro ecclesiam, Apostolis Paraclitum, electis carismata liberalitèr distribuit. Aderat ibi dilectus, quid sibi legaretur, expectans. Quid tibi, ò Dilecte, legabo? Quid in ultimis dabo tibi? Ecce Mater tua. Hæc omnium quæ possideo carissima et pretiosissima gemma: hanc tibi trado, hanc dono. Tu. ℣. Tu med. *p.* 129.

LECTIO 2.

Et ad Matrem conversus: Mulier, ait, ecce filius tuus. Et ex illâ horâ accepit eam Discipulus in sua, exultans et gaudens, quia talem sibi hæreditatem ejus Dominus re-

BIBLIOTECA CENTRAL UANL

liquisset. Verè lunes ceciderunt ei in præclaris, et hæc ejus hæreditas præclara est sibi. O magnum dilectionis indicium! Suo loco apud Matrem substituit eum, et pro se in filium Virgini reliquit eum. Huic gratiæ quid ampliùs addi potest? Tu ℣. Os suum. *p.* 129.

LECTIO 3.

Mater ergò illius est, non lege, non naturâ, sed gratiâ: imò et meritò: Ex illâ horâ accepit eam Discipulus in sua. Impressit in hoc verbo Dominus statim Cordi Virgineo amorem quemdam maternum in Joannem fortiorem et ardentiorem, quàm soleat matribus natura tribuere. Visceribus etiàm Apostoli reverentiam filialem in Virginem inseruit, qualem nullus filius naturâ habet in matrem. Tu. ℣. Lætamini. *p.* 129.

CANON.

Ex S. Leone Papâ Primo.

An. 450. *Ep.* 66. *ad Eudox. August.—Concil. T.* 6. *p.* 144.

211. Fides catholica sicut damnat Nestorium, qui uno Domino nostro JESU-Christo duas ausus est prædicare personas, ità damnat etiàm Euthychem cum Dioscoro, quòd ab unigenito Deo Verbo negat in utero Virginis Matris veritatem carnis humanæ susceptam. Tu.

SABB. POST CINERES.

De eo.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 24.

In illo tempore: Exurgens JOSEPH à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam. Et reliqua.

Homilia S. Athanasii Arch. Alexandrini.

In Descriptione B. V. M.

Neque revera MARIAM JOSEPH cognovit, donec pareret Filium suum primogenitum. Quandiù Beata Virgo uterum gerebat, JOSEPH eam non novit; nesciebat quid in eâ nasceretur, ignorabat quid rerum pararetur: simùl atque peperit, cognovit eam. Tu. ℣. Quædam. *p.* 129.

LECTIO 2.

Tunc novit JOSEPH Beatam Virginem, quæque ejus virtus et potestas, et quid Deus ei facere dignatus esset. Tunc cognovit eam ubera præbere, nec venarum meatus imminutæ virginitatis damno fuisse apertos. Tu. ℣. Martha. *p.* 129.

LECTIO 3.

Tunc cognovit eam peperisse, et partûs secreta non novisse: tunc cognovit polissimam hanc petram spirituali petræ mamillam præbere: tunc cognovit JOSEPH de ipsâ scripsisse Isaiam: Ecce Virgo concipiet. Tu. ℣. Intra cubicul. *p.* 129.

CANON.

Ex S. Leone Papâ Primo.

Epist. 83. *ad Palæstin. Episcop. ibid. p.* 172.

212. Anathematicetur Nestorius, qui Beatam Virginem MARIAM hominis tantumodò credidit Genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis. Tu.

RESPONSORIA

dicenda in Dominicis et in feriis à Dom 1. *in Quadrages. usque ad Dom. Passionis.*

In I. Noct. et in feriis II. et V.

1. ℟. In omnibus exhibeamus nos sicut MARIÆ filios: ' In modestiâ, et charitate, in multâ patientiâ, in jejuniis multis. ℣. Flectemus iram vindicem, et per Virginem imploremus clementiam.—In modestiâ.

2. ℟. Accedamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ' Ut misericordiam consequamur in auxilio opportuno. ℣. Quæramus gratiam, et per MARIAM quæramus.—Ut misericordiam.

3. ℟. Commendemus nosmetipsos in multâ patientiâ, ' Ut non vituperetur per nos Genitricis Dei nomen sanctissimum. ℣. Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.—Ut. Gloria.—Ut.

In II. Noct. et in Fer. III. et VI.

4. ℟. Quæramus gratiam, et per MARIAM quæramus, ' Quia qui quærit invenit, et pulsanti aperietur. ℣. Hæc est voluntas ejus, qui voluit omnia nos habere per MARIAM. Quia.

5. ℟. O felix MARIA! tu mater rei, tu mater judicis: ' Cum sis Mater utriusque, discordias inter tuos filios nequis sustinere. ℣. Si merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedant, ut exaudiatur.—Cum.

6. ℟. Beatis illius pedibus provalvamur: ' Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis. ℣. Hujus Matris bonitas erga homines tanta est, ut nullis verbis explicari possit.—Teneamus. —Gloria.—Teneamus.

In III. Noct. et in Fer. IV. et Sabb.

7. ℟. Consolamini, pusillanimes, respirate miserabiles: ' Virgo MARIA est humani generis advocata. ℣. Quid ad MARIAM accedere trepidat humana fragilitas?—Virgo.

8. ℟. Tanta est MARIÆ benignitas, quòd nulli formidandum est ad eam accedere: ' Tanta ejus misericordia, ut nemo ab eâ repellatur. ℣. Grande privilegium MARIÆ, quod apud Deum sit potentissima.—Tanta.

9. ℟. Data est tibi omnis potestas in cœlo et in terrâ: ' Et nihil tibi impossibile, cui possibile est etiàm desparatos in spem salutis relevare. ℣. Moveat te natura, potentia moveat, quia quantò potentior, tantò misericordior esse debebis.—Et nihil.—Gloria.—Et nihil.

DOM. I. IN QUADRAGESIMA.

Semid. 1. Classis.

Omnia ut in Psalter. per annum.

AD MATUTIN.

Incitatorium. Non sit vobis vanum surgere ante lucem: ' Qui manè vigilant ad me, invenient me.

HYMNUS 43. *Ex Mureto.*

Eheu quam scelerum non tolerabilis
Nos urget miseros sarcina, quæ Dei
Nostris principio mentibus inditam
Obscuravit imaginem.
Si nos pro meritis accipiat Deus,
Causæ nil fuerit, quo minus agmine
In tristes tenebris perpetuis domos
Uno precipites agat.
Sed sempèr facilis flecti in eos fuit,
Quos culpæ ex animo pœnituit suæ,
Queis orat miserans Virgo pissima,
Quæ quidquid petit, obtinet.
Hæc cum perfugium sit data sontibus,
Ipsa ultro miseris subvenit omnibus:
Nunquàm hoc qui statuit præsidium sibi
Spe lusus doluit suâ.
Simplex ætherei Numinis unitas,
Quæ distincta eadem est, veraque Trinitas,
Æternis vigeat sempèr honoribus
Et terrâ simùl et polo. Amen.

IN I. NOCT.

De libro secundo Paralipomenon.

LECTIO 1. *c.* 6. *v.* 14.

Ait Salomon: Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cœlo, et in terrâ: qui custodis pactum et misericordiam cum servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde

BIBLIOTECA CENTRAL UANL

suo: qui præstitisti servo tuo David patri meo, quæcumque locutus fueris ei, et quæ ore promisseras, opere complesti, sicut et præsens tempus probat. Tu. ℣. In omnibus. *p.* 148.

LECTIO 2.

Nunc ergò Domine Deus Israel, imple servo tuo Patri meo David, quæcumque locutus es, dicens: non deficiet ex te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel: ita tamen si custodierint filii tui vias suas, et ambulaverint in lege meâ, sicut et tu ambulasti coram me. Et nunc Domine Deus Israel, firmetur sermo tuus, quem locutus es servo tuo David. Tu. ℣. Accedamus. *p.* 149.

LECTIO. 3.

Ergò ne credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si cœlum, et cœli cœlorum non te capiunt, quantò magis domus ista, quam ædificavi? Sed ad hoc tantum facta est, ut respicias orationem servi tui, et obsecrationem ejus, Domine Deus meus, et audias preces, quas fundit famulus tuus ad te. Tu. ℣. Commendemus. *p.* 149.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep.

In Specul. B. V. Lect. 5. LECT. 4.

Consideremus, carissimi, gratiæ MARIÆ immensitatem: propter hanc dicta est gratiâ plena. Immensa certè fuit gratia, quâ ipsa fuit plena. Immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit istud, quo est plenum. MARIA autem vas immensisimum fuit, ex quo illum, qui cœlo major est, continere potuit. Quis est cœlo major? certè ille, de quo Salomon ait: si cœlum, et cœli cœlorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi? Non utique domus per Salomon ædificata, sed domus per illam significata capere potuit. Tu. ℣. Quæramus. *p.* 149.

LECTIO 5.

Tu ergò immensissima MARIA, capacior es cœlo, quia quem cœli capere non non possunt, tuo gremio contulisti. Tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Si ergò MARIA tam capacissima fuit ventre, quantò magis mente? Et si capacitas tam immensa fuit gratiâ plena, oportuit utique, quod gratia illa quæ tantam implevisse potuit capacitatem esset immensa. Tu. ℣. O felix. *p.* 149.

LECTIO 6.

Quis immensitatem MARIÆ potest mensurare? Ecce quod dicitur in Ecclesiastico: altitudinem cæli, latitudinem terræ et profundum abyssi quis dimensus est? Cœlum est MARIA: terra est MARIA: abyssus est MARIA. Quis hujus cœli altitudinem, quis hujus terræ latitudinem, quis hujus abyssi profunditatem, quis, inquam, MARIÆ immensitatem dimensus est; nisi ille solus, qui ipsam non solùm in gratiâ, et in gloriâ, sed etiàm in misericordiâ tam altissimam, tam latissimam, tam profundam operatus est? Tu. ℣. Beatis *p.* 149.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 6. *v.* 13.

In illo tempore: cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis quos et apostolos nominavit. Et reliqua.

Homilia S. Hildephonsi Arch. Toletani. *Serm.* 3. *de Assumptione.*

Deindè JESUS ipso divinitatis suæ lumine præeunte, ex diversis hujus vitæ conversationibus, et officiis, ut Evangelia loquuntur, et discipulos vocavit et ex illis duodecim elegit, quos apostolos nominavit, per quos humano generis salutis iter ostendit. Quorum semper conventui, nobili contubernio semper adhærebat sanctissima Virgo, cum illis semper habitabat, seseque dominicis conspectibus frequentèr præsentari gaudebat. Tu ℣. Consolamini. *p.* 149.

LECTIO 8.

Eam verò optimam partem quam soror Martæ MARIA in specie et figurâ gerebat, Dei Genitrix jure vera firmissimè retinebat, et cum apostolis de humanis Christi actibus, ut veriùs ac specialiùs cognoscebat, veriùs ac specialiùs conferebat, ut ab eâ discerent, qualitèr arcanum tanti mysterii et ipsi crederent, et luciditùs aliis enarrarent, et cum oportunum fuerit, sine omni ambiguitate scriptis mundo transmiterent. Tu. ℣. Tanta est. *p.* 149.

LECTIO 9.

Ipsa verò ut sanctus Evangelista Joannes refert, Domini miraculis nonnunquàm interfuit: in iis, et in cæteris divinitatis operibus, et virtutibus, ultrà quàm dici potest, gloriabatur. Et si Maria quædam peccatrix, cui donando peccata erat propitius, intentè verba Dei audiebat ex ore ejus: quantò magis hæc, quæ erat mente et corpore sancta, audiebat ardentiùs, cujus ipse et Dominus erat Filius? Tu. ℣. Data. *p.* 149.

AD LAUDES.

HYMNUS 46. *Saila.*

Audi, Benigna Numinis Mater, preces quas supplices
Tuæ ad thronum clementiæ
Culpis onusti fundimus.
Flectare noxas flentium
Nostris abundè lacrymis
In hoc sacro jejunio
Lapsis quadragenario.
Rectrix perita cordium,
Per pœnitentiam reduc
Nos divios ad gratiam
Quam per te anheli quærimus.

Doxolog. de tempore.

Ad ℣Bened. *ant.* Inter apostolos versabatur Virgo, tanquàm Mater et magistra.

Oremus. *Oratio.*

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, salutem mentis et corporis, ut qui Genitricem Filii tui quotidiè veneramur, tuæ semper virtutis mereamur protectione defendi. Per eumdem.

CANON.

Ex Concilio Constantinopolitano. *An.* 450. *sub Leon.* 1.—*Conc. T.* 6. *pag.* 313.

213. Nestorio etiàm, qui vesanum, ut legitur, dudùm dogma dispersit, dicendo Dominum JESUM-Christum ex MARIA Virgine hominem tantùm, non etiàm Deum natum: sed et sectatoribus ejus in hujusmodi perversitate durantibus anathema dicimus. Tu.

Ad Magnificat. *ant.* Altior cœlo, terrâ latior, abysso profundior est hæc Domina nostra.

CANONES

Post Dom. 1. *Quadrag.*

FERIA II.

Ex S. Leone Papâ Primo. *Ep. ad Pulch aug.*—*Conc. T.* 8. *pag.* 34.

214. Quantùm Nestorius à veritate excidit, dum Christum de Matre Virgine solum hominem asse-

rit natum; tantùm etiàm Euthyches à catholico tramite deviat, qui de eâdem Virgine non nostram credit editam esse substantiam, volens utique eam solius deitatis intelligi... Tu.

FERIA III.

Ex Concilio Ephesino.

Part. 3. *anath.* 1.—*Concil. T.* 6. *pag.* 3.

215. Si quis non confitetur Emmanuelem verè Deum esse, et ob id Sanctam Virginem Deiparam, genuit enim illa incarnatum Dei Patris Verbum secundum carnem, anathema sit. Tu.

FER. IV. QUAT. TEMPOR.

Omnia ut in feriali officio.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 1. *c.* 12. *v.* 46.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas: ecce Mater ejus, et fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Et reliqua.

Homilia V. Dionysii Cartusiani.

In cap. 12. *super Matth.*

Adhùc eo loquente ad turbas, videlicet, præinducto sermone nondùm finito, ecce Mater ejus virginea, gloriosa, et superdignissima, altissimorum angelorum puritatem trascendens, et fratres, id est, cognati, et consobrini Christi, non filii JOSEPH de aliâ conjuge, est autem consuêtudo scripturæ, idiomatisque hebræi, ut consanguinei, et consobrini fratres vocentur. Undè Abraham dixit ad Lot: fratres sumus. Tu. ℟. Consolamini. *p.* 149.

LECTIO 2.

Stabant foris, non valentes intrare præ turbâ, cujus tantus fuit concursus, quòd non poterant manducare, ut Marcus habet: Quærentes loqui ei. Secundum Chrysostomum: Diabolus videns, quòd JESUS ostendebat se Filium Dei, introduxit parentes ejus carnales, ut per illorum præsentiam divinitatem Christi obscuraret. Tu. ℟. Tanta est. *p.* 149.

LECTIO 3.

Sed non videtur benè sonare, ut Virgo sanctissima dicatur intrasse, aut aliquid peragisse sugestione diaboli. Dicit autem ei quidam secundum Hieronymum. Iste fuit insidiator, et dixit Christo de præsentiâ Matris suæ, ac fratrum volens experiri, an propter eos omitteret opus Dei, seu prædicationem: quod si faceret, argueret eum de carnali affectu. Tu. ℟. Data. *p.* 149.

Ad Benedict. *ant.* Ecce Mater tua * stat foris, quærens loqui tibi pro nobis. *Preces.*

CANON.

Ex Vigilio Papâ.

An. 550. *Resp. Vigil. ad Capitul.* 1. *Theodor. Concil. T.* 9. *p.* 337.

216. Quicumque non eundem Verbum ac Filium Dei per secundam nativitatem ex Sanctâ MARIA incarnatum et natum credit, anathema sit. Tu.

FERIA V.

CANON.

Ex Vigilio Papâ.

Resp. ad capitul. 3. *Theodor.*—*Ibid. pag.* 362.

217. Quicumque non eundem Deum Verbum, qui ante sæcula ex Patre natus est, in ultimis temporibus ex Beatâ Virgine MARIA incarnatum et natum esse fatetur, ut unus idemque sit Christus in utrâque naturâ, anathema sit. Tu.

FERIA VI. QUAT. TEMP.

Omnia ut in feriali Officio.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 19. *v.* 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et soror matris ejus, Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Serm. de Passion. Dom. c. 10.

Verè juxta crucem stabat, quia crucem Filii præ cæteris Mater cum dolore gerebat. Stabant et aliæ, sed proxima hæc. Cum ergò vidisset JESUS Matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulièr, ecce Filius tuus. Ac si diceret: Tu me Filio corporalitèr privaris, undè tibi amicum præ cunctis dilectum in filium do, cujus præsentiâ interim dum absum, consoleris. Tu. ℟. Quæramus. *p.* 149.

LECTIO 2.

Ad discipulum autem: ecce Mater tua. Quasi diceret: tu verè me Patre spoliaris, undè hanc Matrem mihi carissimam in matrem do. Quàm magnificus factus es in nuptiis tuis Rex, et Sponse, bone JESU! Quàm largè omnia, quæ habuisti, tradidisti. Tu. ℟. O felix. *p.* 149.

LECTIO 3.

Ecce ipsis crucifixoribus tuis orationis affectum, latroni paradisum, Matri Filium. Filio Matrem, mortuis vitam, manibus Patris animam tuam, toti mundo signa potentiæ tuæ contulisti. Pro redimendo servo non ex parte, sed totum sanguinem ex multis et largis foraminibus effudisti, proditori tuo reatûs sui panam, terræ corpus non corrumpendum, sed ad tempus tradidisti. Tu. ℟. Beatis. *p.* 149.

Ad Bened. *ant* Dixit JESUS * Matri: Mulièr ecce filius tuus: deindè Discipulo: ecce Mater tua. *Preces.*

CANON.

Ex Vigilio Papâ.

Resp. ad capit. 44.—*Ibid. p.* 384.

218. Quicumque non Deum Verbum, qui ante omnia sæcula ex Patre inffabilitèr natus est, eundem ex Sanctâ Virgine MARIA per secundam Nativitatem suam incarnatum et natum, unum in utràque naturâ inconfusâ inseparabilique substantiâ cognoscit, anathema sit. Tu.

SABBAT. QUAT. TEMP.

Omnia ut in feriali officio.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 7. *v.* 37.

In illo tempore: In novissimo die festivitatis clamabat JESUS dicens: si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventuræ Ep.

Specul. B. V. c. 3.

MARIA dicitur mare propter affluentiam et copiam gratiarum: undè scriptum est in Ecclesiaste: omnia flumina intrant in mare. Flumina, seu charismata Spiritûs Sancti: undè Joannes dicit: qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Tu. ℟. Consolamini. *p.* 149.

LECTIO 2.

Omnia ergò flumina intrant in mare, dum omnia charismata sanctorum intrant in MARIAM. Flumen enim gratiæ angelorum intrat in MARIAM, et flumen gratiæ Patriarcharum, et Prophetarum intrat in MARIAM, et flumen gratiæ Apostolorum intrat in MARIAM, et flumen gratiæ Martyrum intrat in MARIAM, et flumen gratiæ Confessorum intrat in MARIAM, et

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

flumen gratiæ Virginum intrat in MARIAM. Tu. ℣. Tanta est. *p.* 149.

LECTIO 3.

Omnia flumina intrant in mare, id est, omnes gratiæ intrant in MARIAM. Undè ipsa optimè dicere potest illud Ecclesiastici: In me omnis gratia viæ, et veritatis. Quid mirum, si omnis gratia in MARIAM confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit; ait enim beatus Augustinus: Gratia es plena, MARIA, quam invenisti, et hanc per totum mundum effundere meruisti. Tu. ℣. Data est. *p.* 149.

Ad. Bened. *ant.* Qui sitit * veniat ad MARIAM, et bibat. *Preces.*

CANON.

Ex Vigilio Papâ.

Constitut. Vigil.—ibid. p. 599.

219. Si quis, servatâ inconvertibilitate naturæ divinæ, non confitetur Verbum carnem factum, et ex ipsâ conceptione de utero Virginis humanæ naturæ sibi secundum subsistentiam unisse principia, sed tanquàm cum existente jam homine fuerit Deus Verbum, ut per hoc non sancta Virgo verè Dei Genitrix esse credatur, sed verbo tenus appelletur, anathema sit. Tu.

DOM. II. QUADRAG.

Semid. 2. Class.

Invitator. et Hym. ut in Dom. 1. Quadr. p. 149.

IN I. NOCT.

De libro secundo Paralipomenon.

LECTIO 1. *c.* 7. *v.* 11.

Complevit Salomon domum Domini, et domum regis, et omnia quæ disposuerat in corde suo, ut faceret in domo Domini, et in domo suâ, et prosperatus est. Apparuit autem ei Dominus nocte, et ait: audivi orationem tuam, et elegi locum istum mihi in domum sacrificii. Tu. ℣. In omnibus. *p.* 148.

LECTIO 2. *v.* 15.

Oculi quoquè mei erunt aperti, et aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit. Elegi enim et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus. Tu. ℣. Accedamus. *p.* 149.

LECTIO 3.

Tu quoquè, si ambulaveris coram me, sicut ambulavit David pater tuus et feceris juxta omnia, quæ præcepi tibi, et justitias meas, judiciaque servaveris; suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum David Patri tuo dicens: non auferetur de stirpe tuâ vir, qui sit Princeps in Israël. Tu. ℣. Commendemus. *p.* 149.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni, Ep. *De Laudib. B. V. M. libr.* 10. *c.* 21.

LECTIO 4.

Elegi prædestinando, sanctificavi ab originali purgando, fomitem extinguendo, vel usquequaquè reprimendo, locum istum, id est, MARIAM, ut sit nomen meum ibi. Item de hoc loco in Jeremiâ: Solium gloriæ altitudinis à principio, locus sanctificationis nostræ, expectatio Israël. Tu. ℣. Quæramus. *p.* 149.

LECTIO 4.

Beata Virgo enim est locus sanctificationis nostræ, quia ipsa est Templum Dei, in quo divina mysteria celebrantur, per quæ sanctificantur, qui de peccatoribus fiunt justi. In ipsâ celebratum fuit illud sacramentum, ex quo nostra sanctificatio processit, de quo sacramento dicitur: manifestè magnum est pietatis sacramentum. Tu. ℣. O felix. *p.* 149.

LECTIO 5.

Et appellatur hic sacramentum pietatis Incarnatio Salvatoris, quod scilicet sacramentum pietatis celebratum est in templo uteri virginalis: ideò rectè uterus MARIÆ locus dicitur sanctificationis totius humani generis, et ipsa est expectatio Israël, id est, gloria beatorum. Tu. ℣. Beatis. *p.* 149.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 23. *v* 13.

In illo tempore: dixit JESUS Scribis et Pharisæis: væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventuræ Ep.

Specul. B. V. Lectio 2.

O quàm longè ab isto væ fuit innocentissimum cor MARIÆ, teste Bernardo, qui ait: proprium delictum MARIA non habuit, et ab innocentissimo corde ejus etiàm pœnitentia longè fuit. Undè ergò cor MARIÆ pœnitere debuit, cum nunquàm dignum aliquid pœnitentiâ admisit? Tu. ℣. Consolamini. *p.* 149.

LECTIO 8.

Itaque mundissimum Cor ejus non fuit sentina diaboli, non fuit sepulchrum vitii, immò fuit hortus et paradisus Spiritûs Sancti, juxta illud canticorum: Hortus conclusus soror mea Sponsa. Hortus, ut ait Hieronymus, hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera, et odoramenta virtutum. Quia ergò MARIA tam longè fuit ab isto væ, ideò meritò dictum est ei ave. Tu. ℣. Tanta. *p.* 149.

LECTIO 9.

Item væ peccatoribus pro culpâ oris, sicut dicitur in Isaiâ: væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum. O quàm longè ab isto væ fuit os MARIÆ! Undè beatus Ambrosius dicit: nihil torvum in oculis MARIÆ, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum. Tu. ℣. Data. *p.* 149.

Ad Benedict. *ant.* In ore * et corde Virginis non fuit fel et venenum diaboli, sed mel et lac Spiritûs Sancti.

Oremus. *Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui pro nobis de castissimâ Virgine nasci dignatus es: fac nos tibi casto corpore, et humili mente placere. Qui vivis et regn.

CANON.

Ex Concilio Constantinopolitano Secundo.

An. 553. *Collat.* 8. *Can.* 2.—*T.* 12. *pag.* 232.

220. Si quis non confitetur Dei Verbi duas esse nativitates, unam quidem ante sæcula ex Patre sine tempore incorporaliter, alteram verò in ultimis diebus ejusdem ipsius qui de cœlis descendit, et incarnatus de Sanctâ gloriosâ, Dei Genitrice et sempèr Virgine MARIA, natus est ex ipsâ, talis anathema sit. Tu.

Ad Magnific. *ant.* Solium gloriæ, * locus sanctificationis nostræ, expectatio Israël.

CANONES

Infra Hebdom. 2. Quadrag.

FERIA II.

Ex Concilio Constantinopolitano Secundo.

Ibidem can. 6.—*pag.* 233.

221. Si quis abusivè et non verè Dei Genitricem dicit sanctam gloriosam sempèr Virginem MARIAM, vel secundum relationem, quasi homine puro nato, sed non Deo Verbo incarnato, et nato ex ipsâ, referendâ autem hominis nativitate ad Deum Verbum, eo quod cum homine erat nascente... Talis anathema sit. Tu.

FERIA III.

Ex Concilio Constantinopolitano Secundo.

BIBLIOTECA CENTRAL JUAN J. ARTOLA
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In eod. canone.

272. «Si quis Sanctam gloriosam semperque Virginem MARIAM hominis Genitricem vocat, aut Christotocon, id est, Christi Genitricem, tanquàm si Christus Deus non esset... talis anathema sit. Tu.

FER. IV. POST DOM. II. QUADR.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 6. *v.* 1.

In illo tempore: Abiit JESUS trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis: et sequebatur eum multitudo magna. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valent. *In Dom. 4. Quadr. Conc.*

Cum sublevasset oculos JESUS, et vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: unde ememus panes, ut manducent hi? Ut isti fideles pascantur? Tu. ℟. Consolamini. *p.* 149.

LECTIO 2.

Unde Domine, nisi ex isto cellario gratiarum refertissimo omnium datum spiritualium opulentissimo, Virgine Matre quæ MARIA? Ibi sunt victualia omni genti, omni nationi. Tu. ℟. Tanta. *p.* 149.

LECTIO 3.

Indè Angelus gloriam; justus indè gratiam; peccator veniam; tristis lætitiam sumit. Facta est enim sicut navis institoris de longè portans panem suum. Emamus ergò hic panes gratiæ. Prelium sit salutatio Angelica. Tu. ℟. Data. *p.* 149.

CANON.

Ex Concilio Constantinopolitano Secundo.

In eodem Canon.

223 «Si quis Sanctam gloriosam semperque Virginem MARIAM non propriè et verè Dei Genitricem ipsam confitetur; eo quod ipse, qui ante sæcula ex Patre natus est Deus Verbum, in ultimis diebus ex ipsâ incarnatus et natus est... talis anathema sit. Tu.

FERIA V.

CANON.

Ex Concilio Constantinopolitano Secundo.

Can. 14.—*pag.* 237.

224. Si quis defendit Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam hæreticum scripsisse, quæ abnegat quidem Deum Verbum de Sanctâ Dei Genitrice semperque Virgine MARIA incarnatum, hominem ex ipsâ natum esse, quem templum vocat, ut alius sit Deus Verbum, et alius homo... talis anathema sit. Tu.

FER. VI. POST DOM. II. QUADR.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 19. *v.* 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophe et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbiteri. *Ep. ad Paul. et Eustoch. c.* 3.

Beatam Virginem etsi omnes venerati sunt discipuli, eique famulabantur affectu dilectionis, Joannes tamen amplius ac specialius usque in finem vitæ, qui sibi commissam accepit in suam, quasi matrem filius, cui benignus Magister de cruce: Mulier, inquit, ecce filius tuus. Tu. ℟. Quæramus. *p.* 149.

LECTIO 2.

Ad Discipulum autem: ecce Mater tua: ut Virgo cohæreret et deserviret curæ adoptionis. Non enim pudicissima Virginitas alicui Discipulorum rectiùs quàm virgini commendatur, ut esset ad invicem

grata societas, et floridus aspectus: necnon et venustas conversandi vernans, alternatim pudicitiarum splendore decoratur. Tu. ℟. O felix. *p.* 149.

LECTIO 7.

Una siquidem virtus virginitatis in ambobus, sed altera proportio in MARIA: altera quidem, quia fœcundior, sed ipsa. Ipsa verò sed altera: quia etsi ipsa eademque incorruptio, tamen fœcunditas integritatis longè gloriosior, quàm virginitas. Idcircò et fœcunditas in illâ tota deifica est, et virginitas. Tu. ℟. Beatis. *p.* 149.

CANON.

Ex Justiniano Imperatore.

Tract. ad Menam ade. Origin. à Vigilio approbat. Concilior. T. 12. *pag.* 345. *anath.* 2.

225. Si quis dicit, aut sentit Domini animam prius exitisse, atque unitam fuisse Deo Verbo ante Incarnationem et generationem ex Virgine, anathema sit. Tu.

SABB. POST DOM. II. QUADR.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 1. *c.* 11. *v.* 29.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Tollite jugum meum super vos, et discite à me, quia mitis sum et humilis corde. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbiteri. *Ep. ad Paul. et Eust. c.* 17. *Inter opera.*

Non ergò Beata Dei Genitrix à Filio suo Domino nostro didicit cœlos fabricare, non Angelos creare, non miracula deitatis insignia operari; sed tantùm humiliari, cæteraque virtutum documenta intra humilitatis custodiam aggregare. Tu. ℟. Consolamini. *p.* 149.

LECTIO 2.

Habetis igitur in eâ magisteria probitatis expressa quid primum eligere, quid respuere, quid sequi debeatis. Prima ejus virtus est fundamentum omnium virtutum et custos, ipsa humilitas, de quâ gloriatur: Quia respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Tu. ℟. Tanta. *p.* 149.

LECTIO 3.

In eâ solùm humilitatem respexisse Dominum profitetur. Collocavit enim in tuto stationis portu sublimia meritorum suorum exercitia, et ideò divinitùs illustratur. Undè Dominus ait: Ad quem respiciam nisi ad humilem et quietum, ac trementem sermones meos? Fecit enim quod promiserat, et respexit humilitatem ancillæ suæ; undè et beata jam ab omni sæculo prædicatur. Tu. ℟. Data. *p.* 149.

CANON.

Ex Justiniano Imperatore.

Ibidem anath. 3.

226. Si quis dicit, aut sentit primùm conformatum esse corpus Domini nostri JESU-Christi in utero Beatæ Virginis, ac postèà unitum ei esse Deum Verbum et animam, utpote quæ ante fuisset, anathema sit. Tu.

DOM. III. IN QUADR.

Semid. 2. Classis.

Incitator. et hymnus ut in Dom. 1. pag. 149.

IN 1. NOCT.

De libro Esdræ.

LECTIO 1. *Libr. 2. c. 4. v. 15.* Factum est, cum audissent inimici nostri nuntiatum esse nobis, dissipavit Deus consilium eorum. Et reversi sumus omnes ad muros

unusquisque ad opus suum. Et factum est à die illâ media pars juvenum eorum faciebat opus, et media parata erat ad bellum, et lanceæ, et scuta, et arcus, et loricæ, et principes post eos in omni domo Juda. Tu. ℣. In omnib. *p.* 149.

LECTIO 2.

Ædificantium in muro, et portantium onera, et imponentium ; unâ manu suâ faciebat opus, et alterâ tenebat gladium. Ædificantium enim unusquisque gladio erat accinctus renes. Et ædificabant, et clangebant buccinâ juxta me. Tu. ℣. Accedamus. *p.* 149.

LECTIO 3.

Et dixi ad optimates, et magistratus, et ad reliquam partem vulgi: opus grande est, et latum, et nos separati sumus in muro procùl alter ab altero: in loco quocumque audieritis clangorem tubæ, illùc concurrite ad nos: Deus noster pugnabit pro nobis. Et nos ipsi faciamus opus, et media pars nostrum teneat lanceas ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra. Tu. ℣. Commendemus. *p.* 149.

In II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo B. V. *Lect.* 7.

LECTIO 4.

Attendite, carissimi, quòd aurora nostra MARIA nobis est, quoad nos ipsos illuminatrix ad benè operandum. Operarii ab ascensu auroræ incipiunt operari, undè in Nehemiâ dicitur: nos ipsi faciemus opus, et media pars nostrum teneat lanceas ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra. Duo nobis necessaria sunt, videlicet, ut bonis operibus insistamus, et ideò benè ajunt ædificantes: nos ipsi faciemus opus. Quod opus? nisi de quo Apostolus ait: dum tempus habemus, operemur bonum, maximè autem ad domesticos fidei. Benè autem dicunt; nos ipsi faciemus, nos ipsi, non nostri vicarii. Tu. ℣. Quæramus. *p.* 149.

LECTIO 5.

Sed certè MARIA non nutricem aliam, non vicariam, sed sempèr semetipsam exhibuit Dei ministram. Sicut beatus Augustinus testatatur, dicens: MARIA absque dubio operis ministratrix extitit, quæ hunc utero gessit, partuque profusum aluit, et fovit, in præsepio reclinavit, et à facie Herodis abscondit fugiens in Ægiptum, et omnem infantiam ejus pio matris affectu est prosecuta, ita ut usque ad mortem crucis, ab ejus indubitantèr non recesserit consectatu, non solùm gressibus pedum, tanquàm pro amore Filii, verùm imitatione morum tanquàm pro reverentiâ Domini. Tu. ℣. O felix. *p.* 149.

LECTIO 6.

Necessarium etiàm nobis est, ut non solùm bonis operibus insistamus, sed etiàm ut vitiis resistamus. Undè benè additur de lanceis tenendis. Tenere enim debemus lanceam zeli contra impetum vitii, contra impugnationem diaboli, carnis et mundi. O qualis bellatrix fuit MARIA cum sanctâ zeli sui lanceâ! Undè Bernardus: Tu bellatrix egregia, primò eum, qui primus Evam supplantavit, expugnare virilitèr aggressa es. Ut ergò bonis operibus fidelitèr insistamus, et malis virilitèr resistamus, necessarium nobis est, ut MARIÆ exemplum inspiciamus, MARIÆ suffragia imploremus. Tunc quasi ab ascensu auroræ operamur, quandò irradiante exemplo et vita MARIÆ, quandò irradiante patrocinio et misericordiâ MARIÆ ad benè operandum incitamur. Tu. ℣. Beatis. *p.* 149.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 13 *v.* 54.

In illo tempore: veniens JESUS in patriam suam, docebat Judæos in synagogis eorum. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi Ep.

SERM. 48.

Tu, Judæe, Christum fabri filium notas, cui pro tantis beneficiis repensare vicem deberes, in Filium: hinc est, quod non accipis futura, quia de præsentibus existis ingratus. Nonne Mater ejus dicitur MARIA? Iterùm, Judæe, Matris nomen clamas, ocultas Patris: Patris dicis, nomen non dicis: fabrum dicis, opus non dicis. Judæe, decipiunt te ista, non decipiunt creditturos. Tu. ℣. Consolamini. *p.* 149.

LECTIO 8.

Et fratres ejus, et sorores nonne omnes apud nos sunt? Callidè fratres ingeris, ostentas sorores, ut numeroso partu sanctæ Matris virginitas lateat, obscuretur integritas, et sentiatur de Filio totum quod humanum est, non divinum. Judæe, quid dicis fratres et sorores Christi? Cæophæ sororis MARIÆ filii sunt, non MARIÆ: et fratrum et sororum filios fratres nuncupat, et divina lex, et humana cognatio. Ergò Christi fratres fecit, non Matris virginitas, quæ permansit virgo post partum, sed materteræ ejus fecit propinquitatis assertio. Tu. ℣. Tanta. *p.* 149.

LECTIO 9.

Beata MARIA si alios filios habuisset à Christo, mater in ipso crucis tempore, in articulo ipsò mortis, non discipulo commendaretur, non traderetur extraneo. Invidia de cœlo adjecit angelum, de paradiso exclusit hominem: ipsa primùm contaminavit terram germano sanguine: ipsa germanos compullit venundare germanum: ipsa Moysen fugavit, Aaron in fratres excitavit injuriam, Mariam maculavit livore germanam, ac ne multis quod pavet mens, quod visus tremit, quod auditus non capit, ipsum Christum attendit, et pervenit ad sanguinem. Tu. ℣. Data. *p.* 149.

Ad Benedict. *ant.* Nonne * hic est filius fabri? nonne Mater ejus dicitur MARIA?

Oremus. *Oratio.*

Beatæ et gloriosæ sempèr Virginis Dei genitricis MARIÆ, nos, Domine, quæsumus, merita prosequantur, et tuam nobis indulgentiam sempèr implorent. Per eumd.

CANON.

Ex Justiniano Imperatore. *In Confes. rectæ fidei—ibid. p.* 372. *pag.* 372. *anath.* 5.

227. Si quis per relationem aut abusivè, Dei Genitricem dicit Sanctam gloriosam sempèr Virginem MARIAM, aut hominis Genitricem, aut Christotocon, tanquàm Christo Deo non existente, sed non propriè et verè Dei Genitricem ipsam confitetur, eo quod ipse qui ante sæcula ex Patre natus est Deus Verbum, in ultimis diebus ex ipsâ incarnatus et natus est, talis anathema sit. Tu.

Ad Magnific. *ant.* Salve radix, * salve porta, ex quâ mundo lux est orta.

CANONES

Infra Hebdom. 3. *Quadragesimæ.*

FERIA II.

Ex Concilio Bracarensi Primo. *An.* 563. *Can.* 3.—*Concil. T.* 12. *pag.* 569.

228. Si quis Filium Dei Domi-

num nostrum, antequàm ex Virgine nasceretur, non fuisse, sicut Paulus Samosatenus, et Photinus, et Priscillianus dixerunt, anathema sit. Tu.

FERIA III.

Ex Concilio Lateranensi.

An. 649. *Can.* 2.—*Concil. T.* 15. *pag.* 260.

229. Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur propriè et secundum veritatem ipsum unum sanctæ et consubstantialis et venerandæ Trinitatis Deum Verbum è Cœlo descendisse, et incarnatum ex Spiritu Sancto et MARIA semper Virgine, et hominem factum..... condemnatus sit. Tu.

FER. IV. POST DOM. III QUADR.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 1. c. 12.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, ecce Mater ejus et fratres stabant foris quærentes loqui ei. Et reliqua.

Homilia S. Ferrandi Diaconi Cartaginensis.

Ep. ad Anatol.—Bibl. PP. T. 3 *p.* 351.

Omnis ergò faciens voluntatem Dei pater Christi, mater ejus est. Sed MARIA ideò propriè Mater ejus, quia nascendo de eâ secundum carnem factus est filius ejus. Multæ mulieres Deum timentes parturiunt Deum Christum mente non carne: sola autem MARIA Deum Christum parturit etiam carne, et ideò sola proprie Mater est Dei, quia nulla alia sic Mater est Dei. Tu. ℣. Consolam. *p.* 149.

LECTIO 2.

Dicat ergò mihi aliquis, utrum proprius Filius Dei Patris ipse est proprius Filius Virginis Matris, cum fortè non habuit MARIA proprium filium, quem Deus habet Filium proprium? Sed et MARIA habet proprium Filium, quia genuit, non adoptavit: et illum habuit proprium Filium, quem habet Deus proprium Filium, quia duos filios nunquàm fides catholica prædicat. Tu. ℣. Tanta. *p.* 149.

LECTIO 3.

Restat ergò, ut si Deus Dei proprius Filius, ipse est etiam Matris Virginis proprius Filius, propriè eum gemerit. Alioquin si illa propriè non genuerit, nec ille proprius est Filius. Proprius est autem, ergò illa propriè genuit, verumtamen secundum humanitatem, secundum quam potuit Deus nasci. Tu. ℣. Data. *p.* 149.

CANON.

Ex Concilio Lateranensi.

Ibid. can. 3. *p.* 260.

230. Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur propriè et secundum veritatem Dei Genitricem Sanctam semperque Virginem et immaculatam MARIAM, utpote ipsum Deum Verbum specialitèr et verè, qui à Deo Patre ante omnia sæcula natus est, in ultimis sæculorum absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et incorruptibilitèr eum gemisse, indissolubili permanente et post partum ejusdem Virginitate, condemnatus sit. Tu.

FERIA V.

CANON.

Ex Concilio Lateranensi.

Ibid. can. 4. *p.* 261.

231. Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur propriè et secundum veritatem ipsius et unius Domini nostri et Dei JESU-Christi duas Nativitates, tàm ante sæcula ex Deo et Patre incorporalitèr, et sempiternalitèr, quàmque de Sanctâ Virgine semper Dei Genitrice MARIA corporalitèr in ultimis sæculorum..... condemnatus sit. Tu.

FER. VI. POST DOM. III. QUADR.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 3. *c.* 19. *v.* 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus Maria Cleophe et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia Sancti Cyrilli Arch. Jerosolymitani.

Cateches. 7. *n.* 8.

Ipse Unigenitus Filius Dei, qui tempore cruci secundum carnem adfixus erat, MARIAM videns suipsius ratione carnis Matrem, et Joannem Discipulorum carissimum, ad ipsum quidem ait: Ecce Mater tua: ad MARIAM vero: Ecce Filius tuus: quam deberet illa in posterum Joanni exhibere charitatem docens. Tu. ℣. Quæramus. *p.* 149.

LECTIO 2.

Quibus verbis obliquè expedivit illud quod à Lucâ dictum est: Et erat Pater ejus et Mater admirantes: quam vocem arripiunt hæretici ipsum ex viro et muliere natum prædicantes. Tu. ℣. O felix. *p.* 149.

LECTIO 3.

Quemadmodum enim MARIA Joannis Mater dicitur propter charitatem, non verò quod genuisset, ita JOSEPH Pater Christi dictus est non ratione generationis (non enim cognovit eam juxta Evangelium, donec peperit Filium suum primogenitum), sed ratione curæ in alendo educandoque collata. Tu. Beatis. *p.* 149.

CANON.

Ex S. Martino Papâ Primo.

Ep. 14. *ad Theodor. T.* 15. *p.* 42. *an.* 655.

232. Quisquis beatam super omnem creaturam et naturam humanam absque eo qui genitus est ex eâ, venerabilem sempèrque Virginem Matrem videlicèt Domini nostri non honorat, atque adorat, anathema sit, et in præsenti sæculo et futuro. Tu.

SABB. POST DOM. III. QUADR.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 7. *v.* 11.

In illo tempore: Ibat JESUS in civitatem, quæ vocatur Naim. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Archiep. Valentini.

In Dom. 15. *post Pent. Concio.*

Solent diligentèr portæ castelli custodiri et armari, maximè quandò vallantur ab inimicis. Porta Virgo: porta mundi et porta cœli. Porta mundi Deo: porta cœli mundo. Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam. Hæc armis insignita inviolabilibus. Salomon. Sicut turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis. Tu ℣. Consolam. *p.* 149.

LECTIO 2.

Mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium. Clypeus est omnibus invocantibus. Armatura omnis fortium. Omnis modus virtutis. Arma nostræ militiæ spiritualia sunt. Psalmus. Præcinxisti me virtute ad bellum. In alio Sancto alius et alius modus armaturæ juxta donum Dei et statum ilius; in Virgine omnis armatura, omne genus virtutum. Tu. ℣. Tanta. *p.* 149.

LECTIO 3.

Cum ad hanc portam per Incarnationem appropinquaret Verbum Patris; ecce defunctus efferebatur. Ecce defunctus genus humanum. Et ibant cum eo Discipuli ejus, et turba copiosa. Tum propter miracula, tum propter sanctitatem, tum

BIBLIOTECA CENTRAL U. A. N. L.

propter verborum suavitatem. Tu. ℟. Data. *p.* 149.

CANON.

Ex Concilio Toletano Decimo Quarto.

An. 684. *can.* 10.—*Concil. T.* 17. *pag.* 63.

233. Si quis JESU-Christo Dei Filio ex utero MARLÆ Virginis nato, aliquid aut divinitatis imminuit, aut de susceptâ humanitate subduxit, exceptâ solâ lege peccati, et non eum verum Deum, hominemque perfectum in unâ personâ subsistentem sincerrimè credit, anathema sit. Tu.

DOM. IV. IN QUADR.

Semid. 2. *Classis.*

Invitat. et hymn. ut in Dom. 1. *p.* 149.

IN I. NOCT.

De libro Tobiæ.

LECTIO 1. *c.* 4. *v.* 1.

Cum Tobias pularet orationem suam exaudiri, ut mori potuisset, vocavit ad se Tobiam filium suum, dixitque ei: audi, fili mi, verba oris mei, et in corde tuo quasi fundamentum construe. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Tu. ℟. In omnibus. *p.* 149.

LECTIO 2. *v.* 7.

Ex substantiâ tuâ fac eleemosinam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodò potueris, ità esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiàm exiguum libenter impertiri stude. Tu. ℟. Accedamus. *p.* 149.

LECTIO 3. *v.* 14.

Superbiam nunquàm in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsâ enim initium sumpsit omnis perditio. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omninò non maneat. Tu. ℟. Commendemus. *p.* 149.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni in Bibliâ Marianâ. *In libro Tobiæ.*

LECTIO 4.

Commendatur in beatissimâ Virgine MARIA post Deum largitas summa. Quomodò potueris, ità esto misericors, omnibus misericordiam te implorantibus præstando: si multum tibi fuerit, quia gratiâ es plena, Domina cœli et terræ abundanter tribue, sicut decet dare Reginam omnium creaturarum: si exiguum, libenter impertiri stude. Voluntas à Deo pensatur, non quantitas. Tu. ℟. Quæramus. *p.* 149.

LECTIO 5.

Item commendatur in ipsâ post Deum humilitas summa. Superbiam in tuo sensu, id est, in mente, aut in tuo verbo, necdum facto, dominari non permittas. Si tamen sit, tamen non regnet. Ipsa enim nunquàm motum superbiæ habuit, sed post Deum excellentissimè humilis fuit. Tu. ℟. O Felix. *p.* 149.

LECTIO 6.

Item in ipsâ commendatur post Deum facilitas præcipuè in servitiorum sibi impensorum festinantissimâ, et superabundantissimâ retributione. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ò MARIA, sive justus, sive peccator ad laudem et honorem tuum, ac Filii tui, statim ei mercedem restitue regalitèr, quia Regina es: abundanter, quia dilissima es: et merces mercenarii tui apud te non remaneat. Tu. ℟. Beatis. *p.* 149.

IN III. NOCT.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 13. *v.* 45.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Et reliqua.

Homilia S. Tomæ Arch. Valentini. *Concion. in præsent. B. V. M.*

Prætiosa nostra margarita nec levitèr, nec novitèr, nec fortuitò inventa fuit, sed à sæculo electa, ab Altissimo præcognita, et sibi præparata, ab Angelis servata, à Patribus præfigurata, à Prophetis promissa: Dices: si præcognita, quomodò inventa? si nunquàm perdita, quomodò inventa? Ideo fortè quis dicet: non sic intelligendum. Inventa, quasi inventa sit: sed inventa idem sit ac præmeditata, excogitata, adinventa. Tu. Consolamini. *p.* 149.

LECTIO 8.

Nam inter Dei admirabiles inventiones, de quibus Isaias: notas facite in populis, narrate adinventiones ejus: una mirabilis Virgo. Nam dic: quid admirabilius, quid magis novum, quàm margarita ex cœno, quàm mulier amicta sole, quàm femina in utero habens Deum? Creavit Dominus novum super terram. Omnia novitate plena. Gignit sine viro, parit sine dolore, Mater et Virgo: Mater æterni, Mater sui Patris, sui factoris. Homo natus est in eâ, et ipse fundavit eam Altissimus. Magna igitur inventio Virgo. Tu. ℟. Tanta est. *p.* 149.

LECTIO 9.

Sed si inventa in ordinario sensu exponas, non repugnat. Perdita enim fuit illa innocentia, illa puritas ab Adan, candor ille margaritæ perditus est per pecatum. Aliàs omnes similitèr sine peccato essent, ut Virgo, et sine fomite Nunc autem candor perditus, novitèr inventus est in Virgine à mundo. Sed non erat à mundo, erat à Deo. Ideo nunc mundus inventam Dei margaritam restituit Deo. Tu. ℟. Data est. *p.* 149.

Ad Benedict. *ant.* Inventam hanc pretiosam margaritam tibi, Domine, offerimus: hoc accipe donum tibi gratissimum.

Oremus. *Oratio.*

Largire, quæsumus, Domine, puritatem mentis et corporis, ut qui sanctissimæ Genitrici tuæ devotè famulamur, majestati tuæ in omnibus placere possimus. Qui vivis.

VIII.

MARLÆ ERGA PECCATORES CLEMENTIA.

CANON.

Ex S. Gregorio Papâ Primo. *Libr.* 1. *Ep.* 47.

234. MARIA quantò altior et sanctior tantò clementior et dulcior circà conversos peccatores. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Quomodò potueris, Virgo potentissima, fac nobiscum misericordiam.

CANONES

Infra Hebdom. 4. *Quadrag.*

FERIA II.

Ex S. Gregorio Papâ Primo. *Lib.* 4. *Ep.* 47.

235. Pone finem in voluntate peccandi, et invenies MARIAM, indubitanter promitto, promptiorem carnali matre in tui dilectione. Tu.

FERIA III.

Ex D. Georgio Nicomediensi. *Orat. de exit. B. V.*

236. Habes vires insuperabiles, ne clementiam tuam superet multitudo peccatorum. Nihil tuæ resistet potentiæ; tuam enim gloriam Creator existimat esse propriam. Tu.

FER. IV. POST DOM. IV. QUAD.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 8. *v.* 46

In illo tempore: Dicebat JESUS turbis Judæorum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Et reliqua. Homilia S. Thomæ Archiep. Valent.

Conc. in Concept. B. V.

Plenitudo gratiæ nihil spiritualis infirmitatis, nihil imperfectionis in eâ reliquit: adeoque in omnibus bonis eam solidavit, ut vel minimus unquàm defectus in eam incidere omninò non posset, nec aliquid quod qualicumque excusationi subjaceret. Tu. ℟. Consolam. *p.* 149.

LECTIO 2.

In cæteris Sanctis magnificum habetur, quod à vitiis non possint expugnari: in Virgine mirificum videtur, quod à vitiis non potuerit vel in modico impugnari. Cæteris Sanctis in commune præcipitur, ut in mortali eorum corpore peccatum non regnet: soli Virgini singulariter datur, ut quemadmodum Filii sui, ita nec ejus mortale corpus peccatum momorderit etiàm levissimum. Tu. ℟. Tanta. *p.* 149.

LECTIO 3.

Adeoque de exterminio peccati in beatâ Virgine MARIA factum creditur id, quod in omnibus Sanctis speratur. Futurum, inquàm, sed non in corpore eorum adhuc mortali, sed in corpore eorum jam facto immortali, quod sanè in Beatâ Virgine supra modum extitit mirabile, et præ cæteris Sanctis omnibus fuit singulare. Tu. ℟. Data. *p.* 149.

CANON.

Ex S. Anselmo Ep. Cantuariensi.

In Deprec. ad Virgin.

237. O beata fiducia, ò totum refugium, Mater Dei est mater mea! Quâ certitudine igitur debemus sperare, quoniàm salus de boni Fratris, et piæ Matris pendet arbitrio? Tu.

FERIA V.

CANON.

Ex S. Bernardo Abbate.

In Salve Regina.

238. Divinæ pietatis abyssum cui vult, quandò vult, et quomodò vult »Diva Virgo« creditur aperire; ut nemo tam enormis peccator pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinii suffragia præstat. Tu.

FER. VI. POST DOM. IV. QUAD.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 19. 25

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Siricii Papæ.

Ep. 7. Ad Anys. et Eps. Illyir.

Ubi est illud quod scriptum est, dicente Domino ad Matrem de Joanne Evangelista: Mulier, ecce filius tuus: et rursùs ad Joannem de MARIA: Ecce Mater tua? Quid sibi vult, quod cum in cruce Dominus positus peccatum mundi tolleret, pronuntiavit etiàm de integritate maternâ? Aut quid aliud dicitur, nisi ut claudat ora suæ perfidiæ, et obmutescat, ne Matrem Domini alio quo audeat temerare convicio? Tu. ℟. Quæramus. *p.* 149.

LECTIO 2.

Testis est ergò idem arbiter, idem

materni pudoris assertor, quod desponsata fuerit viro tantumodò JOSEPH, nulla tamen conjugalis coitûs consuetudine tori jura cognoverit. Neque enim susceperam ex JOSEPH filios à viri consortio separare voluisset. Sed si hoc parum est, addit testimonium Evangelista dicens: quod suscepit eam Discipulus in sua. Nunquid ergò divortium fecit? Nunquid à viro abdu-xit, atque abstulit? Tu. ℟. O felix. *p.* 149.

LECTIO 3.

Ergò qui hoc legit in Evangelio, quomodò quasi naufragus titubat et fluctuat? Hoc ergò testimonium Filii est de Matris integritate, hæc MARIÆ locuples integri pudoris integritas, hîc totius finis consummationis. Deniquè hoc dixit, et emisit Spiritum consummans omne mysterium fine pietatis. Tu. ℟. Beatis. *p.* 149.

CANON.

Ex S. Bernardo Abbate.

Sem. de Aquæd.

239. Quæramus gratiam, et per MARIAM quæramus, quia qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur. Tu.

SABB. POST DOM. IV. QUADR.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 1. *c.* 19. 3

In illo tempore: accesserunt ad JESUM Pharisæi tentantes eum et dicentes: si licet homini dimittere uxorem suam, quâcumque ex causâ. Et reliqua.

Homilia S. Isidori Archiep. Hispalensis.

De Eccl. Offic. t. 2. *c.* 18.

Quæ sit sacræ Virginitatis integritas, vel à quo tàm Sancti propositi studium sit exortum, breviter intimabo. Quantùm enim ad vetus Testamentum attinet, Elias, Jeremias et Daniel castitatis et continentiæ bono primis studuisse noscuntur. Tu. ℟. Consolamini. *p.* 149

LECTIO 2.

Quantùm verò ad novum, virorum Virginum caput est Christus: feminarum Virginum caput est MARIA. Ipsa earum Auctrix, ipsa Matter nostri capitis, qui est Virginis Filius, et Virginum sponsus. Tu. ℟. Tanta. *p.* 149.

LECTIO 3.

Indè agmina virorum et puellarum Sanctarum, indè sectatores et sectatrices perpetuæ continentiæ pullularunt... cœlestem atque angelicam vitam in terrenâ mortalitate meditantes, atque in carne corruptibili incorruptionem perpetuam retinentes, quibus cedit omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis. Tu. ℟. Data. *p.* 149.

CANON.

Ex S. Bonaventura Episcopo.

In Spec. B. V. c. 3.

240. O MARIA! peccatorem toti mundo despectum materno affectu complecteris, nec deseris quousquè miserum Judici reconcilies. Tu.

VI.

TEMPORE PASSIONIS:

SEU

VITA DOLOROSA

B. MARIÆ V.

quæ totum Passionis Christi tempus complectitur.

SABBATO PASSIONIS.

AD VESPER.

Psalmi et ant. ut in Vesp. Sabbati.

CAPITULUM. *Bar.* 4. 20

Exui me stolâ pacis, indui autem me sacco obsecrationis, et clamabo ad Altissimum in diebus meis.

BIBLIOTECA CENTRAL UANL

236. Habes vires insuperabiles, ne clementiam tuam superet multitudo peccatorum. Nihil tuæ resistet potentiæ; tuam enim gloriam Creator existimat esse propriam. Tu.

FER. IV. POST DOM. IV. QUAD.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 8. *v.* 46

In illo tempore: Dicebat JESUS turbis Judæorum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Et reliqua. Homilia S. Thomæ Archiep. Valent.

Conc. in Concept. B. V.

Plenitudo gratiæ nihil spiritualis infirmitatis, nihil imperfectionis in eâ reliquit: adeoque in omnibus bonis eam solidavit, ut vel minimus unquàm defectus in eam incidere omninò non posset, nec aliquid quod qualicumque excusationi subjaceret. Tu. ℟. Consolam. *p.* 149.

LECTIO 2.

In cæteris Sanctis magnificum habetur, quod à vitiis non possint expugnari: in Virgine mirificum videtur, quod à vitiis non potuerit vel in modico impugnari. Cæteris Sanctis in commune præcipitur, ut in mortali eorum corpore peccatum non regnet: soli Virgini singulariter datur, ut quemadmodum Filii sui, ita nec ejus mortale corpus peccatum momorderit etiàm levissimum. Tu. ℟. Tanta. *p.* 149.

LECTIO 3.

Adeoque de exterminio peccati in beatâ Virgine MARIA factum creditur id, quod in omnibus Sanctis speratur. Futurum, inquàm, sed non in corpore eorum adhuc mortali, sed in corpore eorum jam facto immortali, quod sanè in Beatâ Virgine supra modum extitit mirabile, et præ cæteris Sanctis omnibus fuit singulare. Tu. ℟. Data. *p.* 149.

CANON.

Ex S. Anselmo Ep. Cantuariensi.

In Deprec. ad Virgin.

237. O beata fiducia, ò totum refugium, Mater Dei est mater mea! Quâ certitudine igitur debemus sperare, quoniàm salus de boni Fratris, et piæ Matris pendet arbitrio? Tu.

FERIA V.

CANON.

Ex S. Bernardo Abbate.

In Salve Regina.

238. Divinæ pietatis abyssum cui vult, quandò vult, et quomodò vult »Diva Virgo« creditur aperire; ut nemo tam enormis peccator pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinii suffragia præstat. Tu.

FER. VI. POST DOM. IV. QUAD.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 19. 25

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Siricii Papæ.

Ep. 7. Ad Anys. et Eps. Illyir.

Ubi est illud quod scriptum est, dicente Domino ad Matrem de Joanne Evangelista: Mulier, ecce filius tuus: et rursùs ad Joannem de MARIA: Ecce Mater tua? Quid sibi vult, quod cum in cruce Dominus positus peccatum mundi tolleret, pronuntiavit etiàm de integritate maternâ? Aut quid aliud dicitur, nisi ut claudat ora suæ perfidiæ, et obmutescat, ne Matrem Domini alio quo audeat temerare convicio? Tu. ℟. Quæramus. *p.* 149.

LECTIO 2.

Testis est ergò idem arbiter, idem

materni pudoris assertor, quod desponsata fuerit viro tantumodò JOSEPH, nulla tamen conjugalis coitûs consuetudine tori jura cognoverit. Neque enim susceperam ex JOSEPH filios à viri consortio separare voluisset. Sed si hoc parum est, addit testimonium Evangelista dicens: quod suscepit eam Discipulus in sua. Nunquid ergò divortium fecit? Nunquid à viro abdu-xit, atque abstulit? Tu. ℟. O felix. *p.* 149.

LECTIO 3.

Ergò qui hoc legit in Evangelio, quomodò quasi naufragus titubat et fluctuat? Hoc ergò testimonium Filii est de Matris integritate, hæc MARIÆ locuples integri pudoris integritas, hîc totius finis consummationis. Deniquè hoc dixit, et emisit Spiritum consummans omne mysterium fine pietatis. Tu. ℟. Beatis. *p.* 149.

CANON.

Ex S. Bernardo Abbate.

Sem. de Aquæd.

239. Quæramus gratiam, et per MARIAM quæramus, quia qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur. Tu.

SABB. POST DOM. IV. QUADR.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 1. *c.* 19. 3

In illo tempore: accesserunt ad JESUM Pharisæi tentantes eum et dicentes: si licet homini dimittere uxorem suam, quâcumque ex causâ. Et reliqua.

Homilia S. Isidori Archiep. Hispalensis.

De Eccl. Offic. t. 2. *c.* 18.

Quæ sit sacræ Virginitatis integritas, vel à quo tàm Sancti propositi studium sit exortum, breviter intimabo. Quantùm enim ad vetus Testamentum attinet, Elias, Jeremias et Daniel castitatis et continentiæ bono primis studuisse noscuntur. Tu. ℟. Consolamini. *p.* 149

LECTIO 2.

Quantùm verò ad novum, virorum Virginum caput est Christus: feminarum Virginum caput est MARIA. Ipsa earum Auctrix, ipsa Matter nostri capitis, qui est Virginis Filius, et Virginum sponsus. Tu. ℟. Tanta. *p.* 149.

LECTIO 3.

Indè agmina virorum et puellarum Sanctarum, indè sectatores et sectatrices perpetuæ continentiæ pullularunt... cœlestem atque angelicam vitam in terrenâ mortalitate meditantes, atque in carne corruptibili incorruptionem perpetuam retinentes, quibus cedit omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis. Tu. ℟. Data. *p.* 149.

CANON.

Ex S. Bonaventura Episcopo.

In Spec. B. V. c. 3.

240. O MARIA! peccatorem toti mundo despectum materno affectu complecteris, nec deseris quousquè miserum Judici reconcilies. Tu.

VI.

TEMPORE PASSIONIS:

SEU

VITA DOLOROSA

B. MARIÆ V.

quæ totum Passionis Christi tempus complectitur.

SABBATO PASSIONIS.

AD VESPER.

Psalmi et ant. ut in Vesp. Sabbati.

CAPITULUM. *Bar.* 4. 20

Exui me stolâ pacis, indui autem me sacco obsecrationis, et clamabo ad Altissimum in diebus meis.

BIBLIOTECA CENTRAL UANL

HYMNUS 47. *S. Bonav.*

Imperatrix clementiæ,
Rorem infunde gratiæ
In meum cor tam aridum,
Ut fiat tibi placidum.

Largire quod concipiam
Tecum cordis angustiam,
Flens mortem quam rex patitur,
Per quem mundus construitur.

Tuus tractatur Filius,
Longè quàm latro viliùs:
Irrisus fert ludibria,
Gente vallatur impiâ.

Sit honor, laus, devotio,
JESU MARIÆ Filio
Tenso crucis palibulo
Pro redimendo populo. Amen.

Hæc Doxol. dicitur toto temp. Pass.

℣. Expandit Virgo MARIA manus suas.

℟. Non est, qui consoletur eam. *Ad Magnif. ant.* Nemo gaudeat * super me viduam et desolatam, adduxit enim mihi Deus luctum magnum.

Oratio de Laudibus.

Ab hoc Sabb. usque ad Sabbat. post Dominicam Pentec. non fiunt Suffragia Sanctor.

Tempore passion. ad complet. et ad omnes horas in ℟. brevibus, et in fine Psalmi Invitat. et in ℟℟. post Lectiones non dicitur Gloria Patri *usque ad Pasch. nisi in festis. Ejus verò loco repetitur ℟. usque ad ℣. in ℟℟. In Psalmo invitatorio autem repetitur Invitator.*

DOM. IN PASSIONE.

Duplex 1. classis.

AD MATUT.

Invit. O vos omnes, qui transitis per vitam: * Attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus.

HYMNUS 48. *S. Bonavent.*

O gloriosa Domina,
Quæ tua cruciamina,
Cum Barrabas dimittitur
Et pœnas Christus patitur.

Pastorem heu percutiunt,
Oves dispersæ fugiunt:
Tu sola cum discipulo
Manente sub patibulo.

Nec mirum si sis anxia
Visâ crudeli furiâ:
Te sciens puram Virginem
Genuisti Deum et hominem.

Sit honor, laus, devotio &c.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Noctem * quâ Christus capitur, absque sommo ducit Virgo MARIA.

2. Noli me * relinquere, Fili mi: quis mihi tribuat, ut tecum moriar?

3. Sequar te * quocumquè ieris, non te derelinquam, Fili mi.

℣. Plorans ploravit in nocte.

℟. Et lacrymæ ejus in maxillis ejus.

De lamentatione Jeremiæ Prophetæ.

LECTIO 1. *c. 1. v. 1.*

Quomodò sedet sola civitas, plena populo: facta est quasi vidua Domina gentium: princeps provinciarum facta est sub tributo. Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus: omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. Tu.

℟. Prolem in cruce pendentem aspiciebat Virgo, * Et nimis lacrymabatur. ℣. Stabat juxta crucem JESU, Mater ejus.—Et.

LECTIO 2.

Migravit Judas propter afflictionem et multitudinem servitutis: habitavit inter gentes, nec invenit requiem. Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. Viæ Sion lugent, eo quod non sit qui veniat ad solemnitatem: omnes portæ ejus destructæ: sacerdotes ejus gementes: virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine. Tu.

℟. Is idem, qui Christi corpus in cruce transfodit gladius. * Cor adstantis Virginis, animumque confixit. ℣. Tuam ipsius animam pertransivit gladius.—Cor adstantis Virg.

LECTIO 3.

Facti sunt hostes ejus in capite: inimici ejus, locupletati sunt, quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus: parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis. Et egressus est à filiâ Sion omnis decor ejus: facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua: et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. Tu.

℟. Tantus fuit dolor Virginis, ut * si in omnes creaturas, quæ pati possunt divideretur, omnes subitò interirent. ℣. Vitam ei ademisset, nisi fuisset roborata divinitus.—Si in omn.—Tantus. *usque ad.* ℣.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Mater Dei * videns quem aluit, nulla mater sic unquàm doluit.

2. Natus meus * suspenditur cruce, et ego amore et dolore langueo.

3. Attendite omnes * et videte, si est dolor sicut dolor meus:

℣. Magna est velut mare contritio tua.

℟. Nimis amara facta es.

Ex verbis S. Buenaventuræ Ep. *In stimul amoris. p. 3. c. 3.*

LECTIO 4.

O Domina! cur ivisti immolari pro nobis! Numquid non sufficiebat Filii pasio nobis, nisi crucifigeretur et Mater. O cor amoris! Cur conversum es in globum doloris? Aspicio, Domina, cor tuum, et id non cor, sed myrrham, et absynthium, et fel video. Quæro Matrem Dei, et ecce invenio sputa, flagella, et vulnera, quia tota conversa es in ipsâ. O amaritudine plena, quid fecisti? Cur vas sanctitatis fecisti vas pœnalitatis. Tu.

℟. Tremor apprehendit eam: * Angustiæ et dolores tenuerunt eam quasi parturientem. ℣. Dolorem, quem olim pariendo non habuit, millies geminatum Filio moriente sustinuit.—Angustiæ.

LECTIO 5.

O mira res! tota es in vulneribus Christi: totus Christus crucifixus est in intimis visceribus cordis tui. Quomodò est hoc, quod continens sit in contento? O homo vulnera cor tuum, si vis hanc intelligere quæstionem. Aperi cor tuum clavis et lanceâ, et veritas subintravit. Non enim inhabitat sol justitiæ in cor clausum. Tu.

℟. Quoniàm addidit Dominus dolorem dolori meo: * Laboravi in gemitu meo, et requiem non inveni. ℣. Multiplicata sunt super me mala, quorum non est munerus. —Laboravi.

LECTIO 6.

Sed ò vulnerata Domina! vulnera corda nostra, et in cordibus nostris tuam et Filii tui renova passionem. Cor tuum vulneratum conjuge cordi nostro, ut tecum tuis vulneribus pariter vulneremur. Cur hoc tuum cor saltem, Domina, non habeo? O Domina, si non vis mihi dare Filium tuum crucifixum, nec cor tuum vulneratum, saltem quæso, mihi tribue Filii tui vulnera, contumeliasque, et illusiones ac opprobria, et illa quæ in te sentis. Tu.

℟. Mi Fili dulcissime, mi Fili, et mi Deus: * Deficio te suspiciens in ligno suspensum, conclavatum, plagisque plenum, mi Fili. ℣. Ne avertas aurem tuam à singultu meo

BIBLIOTECA CENTRAL UANL

et clamoribus.—Deficio.—Mi Fili.

IN III. NOCT.

Ant. 1, Fit vox * Matris nimis flebilis, quandò sua proles cara capitur.

2. Recedite à me, * et nolite me consolari in dolore meo.

3. Cui comparabo te, * Filia Jerusalem? magna est velùt mare contritio tua.

℣. Audite universi populi. ℟. Et videte dolorem meum.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 19. *v.* 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et soror Matris ejus, Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Ep.

Epist. 63. *Eccl. Vercell.*

MARIA Mater Domini ante crucem Filii stabat: nullus me hoc docuit, nisi sanctus Joannes Evangelista, qui etiàm docuit, quod alii non docuerunt, quemadmodùm in cruce positus Matrem appellaverit, pluris putans, quod victus suppliciorum pietatis officia Matri exhibebat, quàm quod regnum cœleste donabat: Nam si religiosum est, quod latroni donatur venia, multò uberioris pietatis est, quod à Filio Mater tanto affectu honoratur. Ecce, inquit, filius tuus; ecce mater tua. Tu.

℟. Recedite à me, amarè flebo: * Nolite incumbere, ut consolemini me. ℣. Nunquàm mater pertulit tam anxios dolores, ut MARIA considerans Filii labores.—Nolite.

LECTIO 8.

Testabatur de cruce Christus, et inter Matrem atque Discipulum dividebat pietatis officia. Condebat Dominus non solùm publicum, sed etiàm domesticum testamentum: et hoc ejus testamentum signabat Joannes dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum, non pecuniæ sed vitæ eternæ, quod non atramento scriptum est, sed spiritu Dei vivi, qui ait: lingua mea calamus scribæ velocitèr scribentis. Tu.

℟. Vide, Domine, et considera, velocitèr exaudi me, * quoniàm tribulatio mea maxima est, et non est qui adjuvet.

℣. Fili mi, ne derelinquas me desolatam, et mœrore confectam.—Quoniàm.

LECTIO 9.

Sed nec MARIA minor quàm Matrem Christi docebat. Fugientibus apostolis, ante crucem stabat, et pius spectabat oculis Filii vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. Aut fortassè, quia cognoverat per Filii mortem mundi redemptionem aula regalis, etiam suâ morte putabat se aliquid publico additùram muneri. Sed JESUS non egebat adjutore ad redemptionem omnium, qui omnes sine adjutorio servavit. Suscepit affectum parentis, sed non quæsivit alterius auxilium. Tu.

℟. Cui comparabo te, vel cui assimulabo te, * Virgo filia Sion; Magna est velut mare contritio tua, quis medebitur tui. ℣. Quiescat vox tua à planctu, et oculi tui à lacrymis.—Magna.—Cui comp.

AD LAUDES.

Et per Horas Antiphonæ.

1. Stabat Mater * Virgo foris plorans, dum furibundi Christum vilitèr tractabant.

2. Angustiæ multæ * ipsi erant, quia Filius alapis afflictus erat.

3. Dum Christus * ad Calvariam ducebatur, sequebatur pia Mater

pias effundens lacrymas.

4. Cum Virgo * venisset ad locum supplicii, multiplicabantur ei angustiæ et dolores.

5. Cruce Christi * erectâ, pia Mater dolore defecit.

CAPITULUM. *Bar.* 4. 29.

Exui me stolâ pacis, et indui me sacco obsecrationis; et clamabo ad Altissimum in diebus meis.

HYMNUS 49. *S. Bonav.*

Castæ Parentis viscera
Pœnâ torquentur asperâ:
Dum illum, quem conceperat,
Verbo perversi verberant.

Illum tractant crudelitèr,
Cœdunt, cruentant acritèr,
Hoc audientis anxiæ
Matris crescunt angustiæ.

Sed cum ad mortem ducitur,
Hunc Mater tristis sequitur:
Pectus perfundens flelibus,
Afficiens livoribus.

In cruce dum extenditur,
Videns Mater quòd moritur:
Nullus dolor amarior,
Nam nulla proles carior.

Sit honor, laus, devotio, &c.

℣. Oculus meus afflictus est.

℟. Eo quod non esset requies.

Ad Benedict. *ant.* Ecce positus * est hic in ruinam et in resurrectionem multorum, et in signum cui contradicetur, et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

Oremus. *Oratio.*

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui devotè Filii tui passionem, et ejus Genitricis Sanctissimæ compassionem recolimus, crucis mortificationem jugitèr in nostro corpore pro tui nominis honore portemur. Per eumdem.

AD PRIMAM.

Ant. Stabat. *Capitul.* Exui me. *de Laudibus.*

℣. Quæ in Passione Filii dolo-
ris gladio transfixa fuisti. *Non dicitur* Gloria Patri *hoc tempore.*

IX.

DEIPARÆ

ANGUSTIÆ IN PASS. FILII.

CANON.

Ex S. Anselmo Ep. Cantuariensi. *Libr. de Excell. B. V.*

241. Oportuit, ut illa, in quâ Christus omnem gratiam collocavit, non careret honore martyrii, et ad hoc cruci illam adstare oportuit; quale autem illud Martyrium fuerit exprimi non potest, adeò tamen durius fuit, ac si ipsa occideretur, quia plùs Filium diligebat, quàm se ipsam. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Thren.* 1. *v.* 2.

Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus.

℟. *br.* Audite universi populi: * Videte dolorem meum.—Audite ℣. Quoniàm tribulor, conturbatus est venter meus.—Videte.—Audite.

℣. Expandit Virgo MARIA manus suas.

℟. Non est qui consoletur eam.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Thren.* 1. *v.* 5.

Facti sunt hostes ejus in capite: inimici ejus locupletati sunt, quia Dominus locutus est super eam.

℟. *br.* Expandit Virgo MARIA * manus suas.—Expandit.—℣. Non est qui consoletur eam.—Manus.—Expandit.

℣. Deducant oculi mei lacrymas.

℟. Super contritione Virginis MARIÆ.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Thren.* 2. 17.

Fecit Dominus quæ cogitavit: complevit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis.

BIBLIOTECA CENTRAL UANL

℟. *br.* Deducant * oculi mei lacrymas.—Deduc.

℣. Super contritionem Virginis MARIÆ.—Oculi.—Deducant.

℣. JESU Fili mi, Fili mi JESU.

℟. Quis mihi tribuat, ut moriar pro te.

AD VESPERAS.

Ant. 1. Inundaverunt * aquæ tribulationis super caput meum.

2. Vide, Domine, * et considera, quoniàm tribulor: velociter exaudi me.

3. Contritum est * cor meum in medio mei: contremuerunt omnia ossa mea.

4. Cum turbata * fuerit anima mea, Domine, miserere mei.

5. Fili mi, * ne derelinquas me desolatam, et mœrore confectam.

CAPITULUM. *Bar.* 4. 20.

Exui me stolâ pacis, et indui me sacco obsecrationis, et clamabo ad Altissimum in diebus meis.

HYMNUS 50.

Illæsa te puerpera
Non facerat matrem dolor:
Nascente quem nesciveras,
Orbata sentis Filio.

Dum te salutat ultimùm,
Natoque tradit altero,
Natumque tradit alterum
In morte Christum parturis.

Non ejulantem cernimus,
Non ungue vellentem comas:
Silensque plus novit pati
Virtus dolore fortior.

Sit honor, laus, devotio, &c.

℣. Facies mea intumuit à fletu.

℟. Et palpebræ meæ caligaverunt.

Ad Magnific. *ant.* Eja Mater * fons amoris, fac nos sentire vim doloris, ut tecum lugeamus, et dominicæ passionis fructum sentiamus. *Oratio de Laudibus.*

Sic quotidiè dicuntur vesperæ per totum tempus passionis in feriali officio, cum Psalmis de feriâ, et precibus.

Laudes et Horæ dicuntur etiam quotidiè ut in Dom. Passionis, cum Psalm. de feriâ et precib.

FER. II. PASSION.

Invitator, et hym. ad matut. ut heri: antiphonæ, vers. et Responsor, ut in prim. Nocturn. p. 166.

De Lamentatione Jeremiæ Prophetæ.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 7.

Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ et prævaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxiliator: viderunt eam hostes et deriserunt omnia sabbata ejus. Tu. ℟. Prolem. *p.* 166.

LECTIO 2.

Peccatum peccavit Jerusalem, propterèà instabilis facta est: omnes qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus, ipsa autem gemens conversa est retrorsùm. Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui: deposita est vehementèr, non habens consolatorem: vide, Domine, afflictionem meam, quoniàm erectus est inimicus. Tu. ℟. Isidem. *p.* 167.

LECTIO 3.

Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus: quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam. Omnis populus ejus gemens: et quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Vide, Domine, et considera, quoniàm facta sum vilis. Tu. ℟. Tantus fuit. *p.* 167.

Ad Bened. *et ad* Magnif. *ant.*

In proximo est * tribulatio mea, Domine, et non est qui adjuvet. *Orat. de Dom. præced. per tot. Hebdom.*

CANON.

Ex S. Hieronymo Presbytero. *Serm. de Assumpt. B. V. inter ejus opera.*

242. Plùs omnibus dilexit, propterèà et plùs doluit, in tantùm, ut animam ejus totam pertransiret, et possideret vis doloris, ad testimonium eximiæ dilectionis. Tu.

FER. III. PASS.

Invitat. et hymnus, ut in Dom. Pass. p. 166.

Antiph. ℣. *et* ℟. *ut in secund. Noct. p.* 167.

De Lamentatione Jeremiæ Prophetæ.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 12.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus: quoniàm vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui. De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me: expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsùm: posuit me desolatam, totâ die mœrore confectam. Tu. ℟. Tremor. *p.* 167.

LECTIO 2.

Vigilavit jugum iniquitatum mearum: in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo: infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manu de quâ non potero surgere. Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocavit adversum me tempus, ut conteret electos meos: torcular calcavit Dominus virgini filiæ Judæ. Tu. ℟. Quoniàm. p. 167.

LECTIO 3.

Idcircò ego plorans, et oculus meus deducens aquas: quia longè factus est à me consolatòr, convertens animam meam: facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus. Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eum: mandavit Dominus adversum Jacob in circuitu ejus hostes ejus: facta est Jerusalem, quasi polluta menstruis inter eos. Tu. ℟. Mi fili. *p.* 167.

Ad Benedict. *et ad* Magnif. *ant.* Tu autem, Domine, * ne elongeris auxilium tuum à me, ad defensionem meam aspice.

CANON.

Ex S. Amadeo Ep. Lausanensi. *Hom.* 5. *de Laudib. B. V.*

243. MARIA torquebatur magis, quàm si torqueretur in se; quia super se incomparabilitèr diligebat id undè dolebat. Tu.

FERIA IV. PASSION.

Si fiat de fest. nov. lection. dicuntur Lection. sequent. de Script. in 1. *Noct. Si verò fiat de fer. legitur Evang. cum Hom. quod inferiùs ponitur.*

De Lamentatione Jeremiæ Prophetæ.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 18.

Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi. Audite, obsecro, universi populi, et videte dolorem meum. Virgines meæ, et juvenes meæ abierunt in captivitatem. Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me: Sacerdotes mei, et senes mei in urbe consumpti sunt: quia quæsierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam. Tu. ℟.

LECTIO 2.

Vide, Domine, quoniàm tribulor, conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsâ, quia amaritudine plena sum. Foris interficit gladius, et domi mors similis est: audierunt quia in-

BIBLIOTECA CENTRAL UANL

gemisco ego, et non est, qui consoletur me. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniàm tu fecisti: adduxisti diem consolationis, et fient similes mei. Ingrediatur omne malum eorum coram te: et vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas: multi enim gemitus mei, et cor meum mœrens. Tu. ℣.

Sequens Homil. legitur in feriali offic.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 11.

In illo tempore: dixit JESUS turbis Judæorum: Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valentini.

In Concep. B. V. Conc.

Solet Rex filio bellicoso regnum patri recuperaturo, ac gloriosissimam de fatali hoste victoriam reportaturo, copiosissimum auri et argenti pondus, tanquàm exercitus robur, illi liberalissimè impertiri ante prælium. Tu. ℣. Recedite. *p.* 168.

LECTIO 2.

Strenuus belli Dux Christus venit fortis armatus diripere arma fortis et alligare ipsum, scilicet, draconem, et recuperare regnum et gentem quam per invidiam diabolus surripuerat, ac injustè sibi usurpaverat: præliando fortiter in calvariæ monte equo crucis forti, ex quo ligno diabolicâ fraude deceptus, prostratus fuerat Adam. ℣. Vide. *p.* 168.

LECTIO 3.

De fatali ergò infernali illo hoste triumphaturo Filio suo dedit Pater cœlestis ante congressum nummum abundantissimum, scilicet, Matris gratiam præservantem in merito futuræ passionis. Tu. ℣. Cui comparabo. *d.* 168.

Ad Bened. et ad Magnif. ant. Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia tribulatio mea proxima est.

CANON.

Ex S. Laurentio Justiniano.

De agon. Christi. c. 11.

244. Passionis Christi speculum effectum erat cor Virginis: in illo agnoscebantur sputa, convicia, verbera, vulnera. Tu.

FERIA V. PASSION.

Hymn. et invitator de Dom. præc. p. 166.

Antiph. Y. et ℟℟. ut in 1. *Noctur. p.* 166.

LECTIO 1. *c.* 2. *v* 1.

Quomodò obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: projecit de cœlo in terram inclytam Israel, et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui. Præcitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Jacob, destruxit in furore suo munitiones virginis Judæ et dejecit in terram: polluit regnum et principes ejus. Tu. ℣. Prolem. *p.* 166.

LECTIO 2.

Confregit in irâ furoris sui omne cornu Israel: convertit retrorsùm dexteram à facie inimici: et succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro. Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam, quasi hostis: et occidit omne quod erat pulchrum visu in tabernaculo Filiæ Sion, effudit quasi ignem indignationem suam. Tu. ℣. Is idem. *p.* 167.

LECTIO 3.

Factus est Dominus velut inimicus, præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus: dissipavit munitiones ejus, et replevit in filiâ Juda humiliatum, et humiliatam. Et dissipavit quasi hortum tentorium

suum, demolitus est tabernaculum suum: oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum: et in opprobium, et in indignationem furoris sui regem et sacerdotem. Tu. ℣. Tantus. *p.* 167.

Ad Benedic. ant. Posuit me totâ die desolatam, et mœrore confectam.

CANON.

Ex S. Bernardo Abbate.

Apud S. Ligor. Ser. de Dolorib. v.

245. In aliis martyribus magnitudo amoris dolorem lenivit Passionis; sed Beata Virgo quantò plùs amavit tantò plùs doluit, tantoque ipsius Martyrium gravius fuit. Tu.

FERIA VI. PASSION.

IN COMPASSIONE B. M. V.

Duplex 2. *Classis.*

Hoc festum transfertur in diem sequentem, quandò in eo inciderit Festum alterius ritûs.

Omnia omninò dicuntur ut in communi festivitat. Tempore Passionis, præter sequent.

IN I. VESP.

HYMNUS 51.

Castæ Parentis lacrymæ
Laxis inundant fontibus,
Dum cernit affixum cruci
Sublime corpus Filii.

Quem fœta cœli munere
Alvo puella gesserat,
Quem nixa sole purior
Casto liquore paverat.

Hunc sæva tortorum manus
Per omne tormenti genus
Divâ probatum compulit
In fronde vitam ponere.

Immane frendens verbere
Fragor fregit cor Virginis:
Prolem quot ictus vulnerant,
Pectus Parentis dividunt.

Impleta sunt quæ dixerat
Senex futuri præscius,
Dum sic MARIÆ viscera
Culter doloris transfodit.

O vos, quibus stat intimo
Sensus superstes pectori,
Ad hunc dolorem sistite;
Hoc omnis alter est minor.

Æternus hoc donet Pater,
Redemit ut quos Filius,
Planctus MARIÆ Virginis
Ad summa ducat gaudia. Amen.

Ad Magn. ant. Multi sunt gemitus mei, et cor meum mœrens.

AD MATUTIN.

HYMNUS 52. Sallæ.

Virgo, salve, transadacta
Cor doloris cuspide,
Innocentis Mater agni
Sponte cœsi liberâ
Sontium nostrum reatum
In piantem victimam.

Qui, Deus, quo plùs beavit
Omnibus te fœminis,
Te suam dignans Parentem;
Hòc tuum crudelius
Carne sub sumptâ cruentus
Lancinavit Spiritum.

Cujus aspectus dolendus,
Saxa qui perruperat,
Stupili crucis refixi
Haud profecto saxeum
Pectus, heu! tuum feroci
Quâ plagâ concideret!

Oribus mutè disertis
Illiusce funera
Caulibus questis tametsi,
Quèis hiarunt, fissibus;
Quæ manent infracta, nostris
Væ nefastis cordibus!

Eja Mater ergò clemens,
Nostra frange pectora
Malleo contritionis,
Ut, repulso crimine,
Quo rigent, Nati atque Matris
Sentiamus vulnera.

Ut tui tecum dolentes
Passionem Filii,
Rebus et solamen arctis
Transeuntis temporis,

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

Jugis et vitæ manentis
Consequamur gaudia.
Filio qui non pepercit
Sit Patri; qui passus est
Pro salute nostrâ Matris
Saucians cor, Filio;
Utriusque laus amori
Sempiterna in sæcula. Amen.

AD LAUDES.

HYMNUS 33.

Condolentes mœroribus
MARIÆ Matris Virginis:
Jungamus laudes fletibus
Ad laudem sui Nominis.
Pensemus Matris servuli
Spinas cordis acerrimas,
Dum vidit corpus Filii
Pœnas pati teterrimas.
Pensemus, quid perpenderet
Adstans cruci Puerpera,
Dum testamentum conderet
Christus in vitæ vesperâ.
Matrem piam Discipulo,
Patri commendat Spiritum:
Aceti sumpto poculo
Carnis exsolvit debitum.
Cuncti MARIÆ servuli
Hujus osores sæculi
JESUM occissum colite,
Et cum MARIA plangite.
Æternus hoc donet Pater,
Redemit ut quos Filius,
Planctus MARIÆ Virginis
Ad summa ducat gaudia. Amen.

Ad Bened. *ant.* Ego plorans, et oculus meus deducens lacrymas, quia longè factus est à me consolator.

Oremus. *Oratio.*

Interveniat pro nobis, quæsumus Domine JESU—Christe, nunc et in horâ mortis nostræ apud tuam clementiam Beata Virgo MARIA Mater tua, cujus sacratissimam animam in horâ tuæ passionis doloris gladius pertransivit. Qui vivis et regnas.

CANON.

Ex Concilio Coloniensi.

An. 1423. *Labbæ.—T.* 12. *Concil. p.* 366. *Ap. Bened. XIV. De festis. libr.* 2. *c.* 5. *n.* 9.

246. Festum Commemorationis angustiæ et doloris Beatæ MARIÆ Virginis deinceps singulis annis Feriâ VI. post Dominicam *Jubilate*, nisi aliquod Festum eodem die intervenerit, et ex tunc primâ Feriâ VI, proximâ subsequenti in primis Vesperis, Matutinis, aliisque Horis, necnon in secundis Vesperis in choro tantùm in omnibus Ecclesiis Provinciæ nostræ subjectis secundum notas, et historias, et homiliam de eodem festo compositas, solemniter celebretur. Tu.

SABBATO PASS.

Si fiat de Sabb. legitur Evang. cum Hom. quod inferiùs ponitur; si verò de festo sequent. Lection. de Script. in 1. *Noct.*

De Lamentatione Jeremiæ Proph.

LECTIO 1. *c.* 2. *v.* 14.

Prophetæ tui viderunt tibi falsa, et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas et ejectiones. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Jerusalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ? Tu. ℟.

LECTIO 2.

Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt: Devoravimus: en ista dies, quam expectabamus: invenimus, vidimus. Fecit Dominus quæ cogitavit: complevit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis: destruxit, et non pepercit, et lætificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion: deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupila oculi tui. Surge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro animâ parvolorum tuorum, qui defecerunt in fame, in capite omnium compitorum. Tu. ℟.

Sequens Hom. dicitur, si fiat de Sabbato.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

c. 22. LECTIO 4.

In illo tempore: Pharisæi consilium inierunt, ut caperent JESUM in sermone. Et reliqua.

Homilia D. Tomæ Archiep. Valentini.

In Dom. 22. *post. Pent.*

In redemptionem generis humani non erat in mundo moneta sufficiens. Misit Deus de cœlo aurum Divinitatis suæ, Verbum suum. Et missum est in fornacem ventris virginalis, et exivit monela speciosa infiniti pretii. Tu. ℟. Recedite. *p.* 168.

LECTIO 5.

Opus erat, ut cuderetur in camino crucis. O quàm benè sigillata! A plantâ pedis usque ad verticem tota rubricata. Dicite: O Virgo, cujus est imago hæc? Non agnoscitis? Non est, inquiunt, species ei neque decor. Non agnoscimus. Tu. ℟. Vide, Dom. *p.* 168.

LECTIO 6.

Legite, legite, superscriptum, et agnoscetis. O virgo! Supercriptio: JESUS Nazarænus Rex Judeorum. Agnoscimus imaginem: Cæsaris est, Dei Patris est quod latet: sed quod apparet, os de ossibus meis, et caro de carne mea. Imaginem hanc, ò homo, et similitudinem refers. Tu. ℟. Cui compar. *p.* 168.

Ad Benedict. *ant.* Recordare, Domine, paupertatis meæ, absinthi, et fellis.

CANON.

Ex S. Bonaventurâ Episcopo.

De planctu Virg. in Stim. amor.

247. Singula «Christi» vulnera per ejus corpus dispersa, in uno «Virginis» corde sunt unita. Tu.

AD VESPERAS.

Antiph. de 2. *Vesp. Dom. Pas. p.* 170. *Capit. Hym. et ℣. ut in Sab. præc. p.* 163.

Ad Magnf. *ant.* Divisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione beatæ Virginis MARIÆ.

Orat de Laudibus.

DOMIN. IN PALMIS.

Semid. 1. *Classis.*

Omnia ut in Dom. Passionis. p. 166.

IN I. NOCT.

De lamentatione Jeremiæ Prophetæ.

LECTIO 1. *c.* 2. *v.* 20.

Vide, Domine, et considera quem vindemiaris ita: ergò ne comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ? Si occiditur in sanctuario Domini Sacerdos et Propheta? Jacuerunt in terrâ foris puer et senex, virgines meæ, et juvenes mei ceciderunt in gladio. Tu. ℟. Prolem. *p.* 166.

LECTIO 2.

Interfecisti in die furoris tui: percussisti, nec misertus es. Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrent me de circuitu, et non fuit

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
BIBLIOTECA CENTRAL JUAN

in die furoris Domini, qui effugeret et relinqueretur: quos educavi et enutrivi, inimicus meus consumpsit eos, ℣. Isidem. p. 167.

LECTIO 3. c. 3. v. 1.

Ego vir videns paupertatem meam in virgâ indignationis ejus. Me minavit, et eduxit in tenebras, et non in lucem. Tantùm in me vertit et convertit manum suam totâ die. Veteslam tecit pellem meam, et carnem meam, contrivit ossa mea, ædificavit in gyro meo, et circumdedit me felle et labore. Tu. ℣. Tantus fuit. p. 167.

IN II. NOCT.

Sermo S. Amadei Ep. Lausanensis. *De Laudibus, B. V. M. Hom.* 5.

LECTIO 4.

Hoc mentis martyrio, quod carnis tormenta excedit, hoc patiendi genere gloriosa triumphans, quantò cunctis vicinior, tantò cunctis gloriosor venerandæ cruci, Dominicæ Passioni inhæsit, hausit calicem, bibit passionem, et torrente doloris potata, nulli unquàm simílem dolorem pertulit. Currit post JESUM, non solùm in odore unguentorum, sed in multitudine dolorum. Cernebat verum Salomonem in diademate, quo coronavit eum noverca synagoga, et ipsa coronata coronâ tribulationis post eum incedebat. ℣. Tremor. p. 167.

LECTIO 5.

Stabat autem juxta crucem, ut illud dulcissimum caput Nati unctum oleo lætitiæ præ participibus suis, arundine percussum, spinis coronatum tristi spectaculo videret: aspiciebat speciosum formâ præ filiis hominum, non habere speciem, neque decorem, excelsum super omnes gentes despectum, et novissimum reputatum, sanctum sanctorum sceleratis, et iniquis affixum, oculos sublimis hominis humiliatos, et cervicem sustinentis omnia humeris inclinatum pendere, serenissimam faciem Dei emarcuisse et decorem vultûs ejus abscondítum. ℣. Quoniàm. p. 167.

LECTIO 6.

Igitur tam pro Nati morte, quàm pro Judæorum perditione, ineffabili dolore gloriosum pectus urebatur, et altissimo pietatis jaculo confossum, extremas spirabat inter angustias, hausit poculum amarius ipsâ morte, et quod humanum genus ferre non posset, adjuta divino munere, femina valuit sustinere. Vicit sexum, vicit hominem, et passa est ultra humanitatem. Torquebatur nanque magis, quam si torqueretur ex se, quoniàm supra se incomparabiliter diligebat id undè dolebat. Tu. ℣. Mi Fili. p. 167.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO. 1. c. 16. v 21.

In illo tempore: dixit JESUS Discipulis suis: Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus. Et reliqua.

Homilia venerabilis Ruperti Abbat. *Comm. in Joann. c. 19. libr. 13.*

Si apostolos suos in illâ horâ suæ passionis Dominus mulieri parturienti rectè comparavit quantò magis mulierem hanc, stantem juxta crucem suam mulieri parturienti talem Matrem talis Filius rectè similem dixit? Quid autem dico similem cum verè sit mulier, et verè Mater, et veros habeat in illâ horâ partûs sui dolores? Non enim habuit Mulier hanc pœnam, ut in dolore pareret, sicut cæteræ matres, quum infans sibi natus est: sed nunc dolet, cruciatur, et tristitiam habet, quia venit hora ejus,

illa videlicet hora, propter quam de Spiritu Sancto concepit, propter quam gravida facta est, propter quam completi sunt dies, ut pareret propter quam omninò de utero ejus Deus homo factus homo est. Tu. ℣. Recedite. p. 168.

LECTIO 8.

Cum autem hæc hora præterierit, cum totus iste gladius parturientem ejus animam pertransierit, jam non erit memor præssuræ propter gaudium, quia natus erit homo in mundum, quia declaratus erit novus homo, qui totum renovet genus humanum, totiusque mundi sempiternum obtineat imperium: natus, inquam, id est, immortalis atque impassibilis factus, et angustias vitæ hujus in æternæ patriæ amplitudine supergressus, moriuo rum primogenitus. Proindè quia verè ibi dolores, ut parturientis, in passione Unigeniti omnium nostrum salutem beata Virgo peperit, planè omnium nostrum mater est. Tu. ℣. Vide Domine. p. 168.

LECTIO 9.

Igitur quod de hoc discipulo dictum est ab eo, justissimè curam suæ Matris habebat: mulier ecce filius tuus. Itemque ad eumdem discipulum: ecce mater tua, rectè et de alio quolibet discipulorum, si præsens adesset, dici potuisset; nisi quia licet omnium, ut dictum est mater sit, pulchriùs tamen huic, ut Virgo virgini commendari debuit. Tu. ℣. Cui compar. p. 168.

Ad Benedict. *ant.* Cum mulier peperit puerum, jam non meminit præssuræ propter gaudium.

Oremus. *Oratio.*

Adjuvet nos, quæsumus, ipse omnipotens Deus per gloriosam intercessionem suæ Matris, ut eum eo semper vivamus, qui pro nobis dignatus est mortem suscipere. Qui cum Deo Patre vivit, et regnat in unitate.

X.

VIRGO MUNDI

CORREDEMPTRIX.

CANON.

Ex S. Athanasio Ep. Alexandrino. *In mirac. de Beritho-Concil. T.* 18. *pag.* 235.

248. Propter nos et propter nostram salutem, cum esses sine carne, incarnatus ex Virgine MARIA, crucifixus es in illâ carne, cum esses ipse impassibilis Deitate. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Facta est, quasi vidua Domina gentium, Princeps provinciarum facta est sub tributo.

Ab hâc die usque ad Dom. prim. post Pascham inclusivè, omne festum quod occurrat, trasfertur ad primam diem non impeditam.

FER. II. MAJ. HEBD.

Invitator., Hym. antiph. ℣. et ℟. ut in fer. II. Pass. p. 171.

De Lamentatione Jeremiæ Proph.

LECTIO 1. c. 3. v. 6.

In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos. Circumædificavit adversum me, ut non egrediar: aggravavit compedem meum. Sed et cum clamavero, et rogavero, exclusit orationem meam. Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit. Ursus insidians factus est mihi, leo in absconditis. Semitas meas subvertit, et confregit me, posuit me desolatam. Tu. ℣. Prolem. p. 166.

LECTIO 2.

Tetendit arcum suum, et posuit me, quasi signum ad sagittam. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum totâ die. Replevit me amaritudinibus;

inebriabit me absinthio. Et fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere. Et repulsa est à pace anima mea, oblitus sum bonorum. Et dixi: periit finis meus, et spes mea à Domino. Tu. ℣. Is idem. *p.* 167.

LECTIO 3.

Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absinthii et fellis. Memoriâ memor ero, et tabescet in me anima mea, hæc recolens in corde meo, ideò sperabo. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes ejus. Novi diluculo, multa est fides tua. Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum. Tu. ℣. Tantus fuit. *p.* 167.

Ad Benedict. *ant.* Sicut non fuit * amor, sicut amor Virginis, ità non fuit dolor sicut dolor ejus.

CANON.

Ex S. Proclo Ep. Cyzici.

Tom. V. Concil. pag. 19,—*Con. Ephes.*

249. Venit ille, qui semper adest, proprioque sanguine nostri causâ in Redemptionis pretium profundens, et carnem quam è Virgine susceperat in commutationem morti dedens mundum à maledicto mortis redemit, morteque mortem destruxit. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Quantò Virgo * dilexit teneriùs, tantò vulnerata fuit profundiùs.

FER. III. MAJ. HEBD.

Invitat. Hym. et alia ut in Fer. III. Pass.

De Lamentatione Jeremiæ Prophet.

LECTIO 1. *c.* 3. *v.* 25.

Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentiâ suâ. Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. Quia non repellet in sempiternum Dominus. Tu. ℣. Tremor. *p.* 167.

LECTIO 2. *v.* 32.

Quis est iste, qui dixit, ut fieret, Domino non jubente? Ex ore Altissimi non egrediuntur nec mala, nec bona. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. Nos iniquè egimus, et ad iracundiam provocabimus: idcircò tu inexorabilis es. Tu. ℣. Quoniàm. *p.* 167.

LECTIO 3. *v.* 48.

Divisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei. Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies. Donec respiceret, et videret Dominus de cœlis. Oculus meus depræ̃datus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ. Tu. ℣. Mi fili. *p.* 167.

Ad Benedict. *ant.* MARIA * torquebatur magis, quàm si torqueretur in se: quia super se diligebat id, undè dolebat.

CANON.

Ex S. Bonaventurâ Episcopo.

Apud S. Ligor. cap. 1. §. 2.

250. Nullo modo dubitandum est, quia MARIÆ animus voluit etiam tradere Filium suum pro salute generis humani, ut Mater per omnia conformis fieret Patri, et Filio. Tu.

Ad Magnif. *ant.* O quàm tristis * et afflicta fuit illa benedicta Mater Unigeniti.

FERIA IV. MAJ. HEBD.

Invit. et alia ut in fer. IV. Pass.

De Lamentatione Jeremiæ Prophet.

LECTIO 1. *c.* 3. *v.* 52.

Venatione ceperunt me, quasi avem inimici mei gratis. Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me. Inundaverunt aquæ super caput meum: dixi: perii. Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo. Vocem meam audisti: ne avertas aurem tuam à singultu meo et clamoribus. Tu. ℣. Recedite. *p.* 168.

LECTIO 2.

Appropinquasti mihi in die, quando invocavi te: dixisti: ne timeas. Judicasti, Domine, causam animæ meæ. Redemptor vitæ meæ. Vidisti, Domine iniquitatem illorum adversum me: judica judicium meum. Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me. Tu. ℣. Vide Domine. *p.* 168.

LECTIO 3.

Audisti opprobium eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adversum me: labia insurgentium mihi, et meditationes eorum adversum me totâ die. Sessionem eorum, et resurrectionem eorum vide: ego sum psalmus eorum. Reddes eis vicem, Domine, juxta opera manuum suarum. Dabis eis scutum cordis laborem tuum. Persequeris in furore, et conteris eos sub cœlis, Domine. Tu ℣. Cui comparab. *p.* 168.

Ad Bened. *ant.* Moriebatur vivens, * vivebat moriens, nec mori poterat, quia vivens mortua erat.

CANON.

Ex S. Bonaventurâ Episcopo.

ibid. §. 3.

251. Nulla post Virginem creatura ità per amorem nostrum exardescet, quæ Filium suum unicum, quem multo plùs se amavit, nobis dedit, et pro nobis obtulit. Tu.

Triduo sequenti non legitur Canon.

Vesperæ dicuntur hodiè omninò, ut in Dominicâ Pass. cum psalmis, ut in feriali officio.

Ad Magnif. *ant.* Ne derelinquas me, * Domine Deus meus: ne discesseris à me, Fili mi.

Oratio ut in Dom. Palmar.

Tribus sequentibus diebus, dicto secretò, Ave MARIA, *omnibus aliis prætermissis, absolutè incipitur officium ad Matut. et Vesperas ab antiph. psalmi primi, et antiphonæ duplicantur sicut in festo Duplici. In fine Psalmi non dicitur* Gloria Patri, *per omnes horas, nec in ullo Responsorio.*

FERIA V.

MAJORIS HEBDOMADÆ.

Officium fit Duplex.

AD MATUT.

Dicto, Ave, *dicitur statim ant.*

IN I. NOCT.

Ant. Imminente passione Christi, lacrymæ erant in oculis Matris, et sudor in corpore præ timore.

PSALM. 1. *Psalm.* 19.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: * protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de Sancto: * et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui: * et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum: * et omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutari tuo: * et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Ant. Imminente passione. *ut supra.*

Ant. Sine somno noctes ducebat, et soporatis cæteris, vigil permanebat.

PSALM. II. *Ps.* 21.

Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? * longè à salute meâ verba delictorum meorum.

Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies: * et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in Sancto habitas, * laus Israel.

In te speraverunt patres nostri: * in te speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: * in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ant. Sine somno noctes.

Ant. Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxilis ejus.

PSALM. III. *Psalm.* 21.

«Domine» ne discesseris à me, quoniàm tribulatio proxima est: * quoniàm non est, qui adjuvet.

Factum est cor meum, tanquàm cera liquescens, * in medio ventris mei.

Aruit tanquàm testa virtus mea: * et lingua mea adhæsit faucibus meis.

Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me: * ad defensionem meam conspice.

Erue à framea, Deus, animam meam: * et de manu canis unicam meam.

Ant. Plorans ploravit.

℣. Vide, Domine, afflictionem meam.

℟. Quoniàm erectus est inimicus.

Hoc triduo post ℣. Noct. dicitur Pater. *totum secretò.*

Absolutio autem non dicitur, nec datur Benedictio.

De Lamentatione Jeremiæ Prophetæ.

LECTIO 1. *c.* 4. *v.* 1.

Aleph. Quomodò obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.

Beth. Filii Sion inclyti, et amicti auro primo: quomodò reputata sunt in vasa testea, opus manuum figuli.

Ghimel. Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto.

Hoc triduo in fine Lection. loco Tu aut. Dom. *dicitur*: Attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus.

℟. Nemo gaudeat super me viduam et desolatum: * Quoniàm adduxit mihi Deus luctum magnum: Filius enim meus factus est perditus.

℣. Animæquior esto, Virgo sacrata; exhortatur enim te, qui te nominavit.—Quoniàm.

LECTIO 2.

Daleth. Adhæsit lingua lactantis ad palatum ejus in siti: parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis.

He. Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.

Vau. Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento, et non ceperunt in eâ manus.

Attendite, et videte.

℟. Exui me stolâ pacis, et indui me sacco obsecrationis, et * Clamabo ad Altissimum in dolore meo.

℣. Vide, Domine, et considera quem vindemiaris ita: ne avertas aurem tuam à singulto meo et clamoribus. —Clamabo.

LECTIO 3.

Zain. Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores.

Heth. Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, et facta est, quasi lignum.

Theth. Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame: quoniàm isti exhabuerunt consumpti à sterilitate terræ. Attendite.

℟. Quomodò sedet sola pia Mater, facta quasi vidua! * Princeps lætitiæ nostræ omni solatio est destituta. ℣. Facti sunt hostes ejus in capite: inimici ejus prosperati sunt, crucifigentes Christum.—Princeps. —Quomodò.

IN II. NOCT.

Ant. Bajulans sibi crucem Unigenitus Virginis, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum.

PSALM. IV. *Psalm.* 34.

Exurge et intende judicio meo: * Deus meus, et Dominus meus in causam meam.

Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus: * et non supergaudeant mihi.

Non dicant in cordibus suis: euge, euge, animæ nostræ: * nec dicant: devoravimus eum.

Restitue animam meam à malignitate eorum: * à leonibus unicam meam.

Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi iniquè: * qui oderunt me gratis, et annuunt oculis.

Ant. Bajulans sibi.

Ant. Ex vestigiis Filii cognoscebat Mater incessum ejus: apparebat enim terra infusa sangine.

PSALM. V. *Psalm.* 37.

Domine, ne in furore tuo arguas me: * neque in irâ tuâ corripias me.

Quoniàm sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: * et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne meâ à facie iræ tuæ: * non est pax ossibus meis.

Domine, ante te omne desiderium meum; et gemitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: * et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Ant. Ex vestigiis Filii.

Ant. Mœstissima Mater mœstissimum Filium vidit cruci affigi, et in altum elevare.

PSALM. VI. *Psalm.* 38.

Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam: * auribus percipe lacrymas meas.

Obmutui et non aperui os meum, quoniàm tu fecisti: * silui à bonis, et dolor meus renovatus est.

Concaluit cor meum intra me: * et in meditatione meâ exardescet ignis.

A fortitudine manûs tuæ ego defeci in increpationibus: * propter iniquitatem corripuisti hominem.

Et tabescere fecisti sicut aranèam animam meam: * verumtamen vanè conturbatur omnis homo.

Ant. Mœstissima Mater.

℣. Erit vita tua, Virgo sacrata.

℟. Quasi pendens ante oculos tuos.

De Lamentatione beatissimæ Virginis MARIÆ. *S. Ephr. Diac. de Lam. B. V. M.*

LECTIO 4.

Stans juxta crucem piissima Virgo, Salvatoremque in ligno suspensum suspiciens, plagas reputans, intuens et clavos, quærulas, colaphos, et flagellationem cum gravibus suspiriis, cum fletu ingenti, cum lamentis dolorosissimis exclamavit, dicens: mi Fili dulcissime, dilectissime Fili, quomodò crucem sustines? mi Fili, et mi Deus, quomodò sputa, clavos et lanceam? quomodò pateris alapas, risus, injurias, spineam coronam, purpuream vestem,

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

spongiam, arundinem, fel, et acetum? Attendite.

℟. Fili mi, mi Fili: ' Quis dabit mihi, ut ego moriar pro te, Fili mi? ℣. Moritur Filius meus: cur secum non moritur hæc mœstissima Mater ejus?—Quis.

LECTIO 5.

Quomodò pendes in cruce denudatus, mi Fili, qui cœlum nubibus contegis? Quomodò sitim fers, qui es Opifex, quique mare et aquas creasti? Quomodò moreris insons in medio scelleratorum? Quidnam commisisti? Quâ in re, Fili mi, Hebræos offendisti? Et cur te isti simùl iniqui, simùl ingrati, cruci suffigunt? Deficio te suspiciens in ligno suspensum, conclavatum, plagisque plenum, mi Fili. Attendite.

℟. Quò vadam, carissime? quò me vertam, dulcissime? ' Quis mihi de cætero auxilium, et consilium præstabit? ℣. Nunc orbor patre, viduor sponso, desolor filio, omnia perdo.—Quis.

LECTIO 6.

Ubi nunc pulchritudo tua, Fili mi? Ubi tuus modo decor? Quomodò in cruce exlinctus es, Fili mi, et Deus meus? Sol lumen suum obscuravit, et alius factus est: splendida luna in tenebras evanuit, petræ sunt perfractæ, et monumenta aperta, templique velum in duo est discissum. Creaturæ conditorem suum, et opificem cognoverunt, et hi perversi et miseri Hebræi aures obstruxerunt, oculos clauserunt, ne solem magnum occidentem suspectarent. Fili mi. Attendite.

℟. O Fili carissime, miserere Matris tuæ, et suscipe preces ejus. ' Nihil mihi dulcius est, quàm, te amplexato, in cruce tecum mori. ℣. Suscipe me in cruce, quia nihil mihi amarius quàm vivere post tuam mortem.—Nihil.—O Fili.

IN III. NOCT.

Ant. Et tulit Mater Virgo crucem suam, et secuta est Christum.

PSALM. VII. *ps.* 55.

Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo: ' totâ die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei, totâ die. ' quoniàm multi bellantes adversum me.

Ab altitudine diei timebo: ' ego verò in te sperabo.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi: ' posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

In quâcumque die invocavero te: ' ecce cognovi, quoniàm Deus meus es.

Ant. Et tulit Mater.

Ant. Quot læsiones erant in corpore Christi, tot vulnera in corde Matris.

PSALM. VIII. *ps.* 58.

Eripe me de inimicis meis, Deus meus: ' et ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem: ' et de viris sanguinum salva me.

Quia ecce ceperunt animam meam: ' irruerunt in me fortes.

Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine: ' sine iniquitate cucurri et direxi.

Exurge in occursum meum, et vide: ' et tu, Domine Deus virtutum, Deus Israel.

Ant. Quot læsiones.

Ant. Crux et clavi Filii fuerunt et Matris: Christo crucifixo, crucifixa fuit et Mater.

PSALM. IX. *ps.* 60.

Exaudi, Deus, deprecationem meam: ' intende orationi meæ.

A finibus terræ ad te clamavi:

' dum anxiaretur cor meum, in petrâ exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea: ' turris fortitudinis à facie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: ' protegar in velamento alarum tuarum.

Quoniàm tu, Deus meus, exaudisti orationem meam: ' dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Ant. Crux et clavi.

℣. Vidimus eum, et non erat aspectus.

℟. Putavimus eum, quasi leprosum.

Hoc triduo Lectiones tertii Noct. leguntur absque titulo.

LECTIO 7.

Ex S. Bernard. Abb. In Lamentatione B. V. M.

Tunc jam anxius Dominus in cruce, annuens oculis et vultu de Joanne ait: Mulier, ecce filius tuus. Ac si diceret: O Mater dulcissima! mollis ad flendum, mollis ad dolendum, tu scis, quia ad hoc veni, et ad hoc de te carnem assumpsi, ut per crucis patibulum salvarem genus humanum. Quomodò ergò implebuntur scripturæ? Sic enim oportet me pati pro salute generis humani. Attendite.

℟. Noli flere, Mulier, noli flere, Mater speciosissima: ' Christus Filius tuus non te deserit, non te derelinquit. ℣. O Mater mea, noli flere, quia tecum sum, et tecum ero omni tempore sæculi.—Christus.

LECTIO 8.

Inde Dominus intuens Joannem ait: Ecce Mater tua. Ei servies, curam illius habebis: eam tibi commendo, suscipe Matrem tuam, immò magis suscipe Matrem meam Dum hæc pauca diceret, duo illi dilecti lacrymas fundere non cessabant. Tacebant ambo illi Martyres, et præ nimio dolore loqui non poterant. Sed quo magis amabat, sævior flebat dolor in Matre. Vulnera Christi morientis erant vulnera Matris dolentis. Attendite.

℟. Isti duo Virgines audiebant Christum voce raucâ, et semivivâ loquentem: ' Ipsum videbant paulatim morientem. ℣. Audiebant et tacebant, quia præ angustiâ loqui non poterant.—Ipsum.

LECTIO 9.

Dolores sævi tortores fuerunt in animâ Matris. Mater erat percussa cuspide teli, quo membra Christi servi foderunt iniqui. Ipsa enim erat, quam dolor tenebat. In mente ejus creverant immensi dolores, nec poterant extra refundi. Intùs atrociùs sævientes dolores Nati, Matris animam gladiabant. Incarne Christus solvebat debitum mortis, quod gravius erat, quàm mori, in animâ Matris. Attendite.

℟. Quæ lingua poterit loqui, aut quæ mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur viscera MARIÆ. ' Cum etiàm dolebant, quæ insensibilia erant. ℣. Nunc solvis, Virgo, cum usurâ, quod in partu non habuisti à naturâ.—Cum.—Quæ lingua.

AD LAUDES.

Ant. Cur ivisti, Domina, ad calvariæ locum? Non te retinuit pudor, horror facinoris?

PSALM. X. *ps.* 58.

Fortitudinem meam, Domine, ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es: ' Deus meus, misericordia ejus præveniet me.

Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos: ' nequandò obliviscantur populi mei.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam: ' et exultabo manè miseri-

cordiam tuam.

Quia factus es susceptor meus: * et refugium meum in die tribulationis meæ.

Adjutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: * Deus meus misericordia mea.

Ant. Cur ivisti, Domina?

Ant. O Virgo dulcissima! non considerabat cor tuum horrorem, sed dolorem.

PSALM. XI. *Ps.* 63.

Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor: * à timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me à conventu malignantium: * à multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt, ut gladium, linguas suas: * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subitò sagittabunt eum, et non timebunt: * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Accedet homo ad cor altum: * et exaltabitur Deus.

Ant. O Virgo dulcissima!

Ant. Stupebant omnes, qui noverant Christi Matrem, quòd etiàm in tantæ angustiæ præsurâ silentium servaret.

PSALM. XII. *ps.* 70.

Deus, ne elongeris à me: * Deus meus, in auxilium meum respice.

Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ: * operiantur confusione et pudore, qui quærunt mala mihi.

Ego autem sempèr sperabo: * et adjiciam super omnem laudem tuam.

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, et malas: * et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterùm reduxisti me.

Multiplicasti magnificentiam tuam: * et conversus consolatus es me.

Ant. Stupebant omnes.

Ant. Idcircò resipuit bonus latro, quia beata Virgo inter cruces Filii et latronis posita, Filium pro latrone deprecabatur.

Canticum. Cantemus Dominæ glor. *ut in Feriâ V. p.* 38.

Ant. Amor unice, trahe me ad teipsum, ut ego moriar tecum in tuo patibulo.

Psalm. Laudate Dominam. *ut in fer. V. p.* 39.

Capitul. et Hymn. non dicuntur hoc triduo.

Ad Benedict. *ant.* Dolore maximo dolebat beata Virgo, quia se deseri videbat à Filio, quem genuerat, nec supererat alius, quia ei erat unicus.

Post antiph. ad Benèd. *et ad* Magnific. *his diebus dicitur sequens* ℣. *et* ℟.

℣. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus.

℟. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.

Deindè dicitur oratio sine Oremus.

Respice, quæsumus, Domine super hanc familiam tuam, propter illum doloris gladium, qui pertransivit animam beatæ Virginis MARIÆ quandò Filium suum cernebat nudum, in cruce levatum, clavis perforatum, ac per omnia plagis laceratum, et præsta, ut cor nostrum nunc compassionis, et cumpunctionis gladius perfodiat, divinique amoris lancea vulneret, ità ut omnis peccati sanguis effluat à pectore nostro, à noxiis vitiis emundemur, et virtutum indumentis decoremur. Per eundem Dom. nostrum.

AD HORAS,

Dicto Ave MARIA. *absolutè incipitur à primo Psalmo, ut in feriali Officio absque ullâ antiphond. In fine ultimi Psalmi dicitur* ℣. O vos. *et* ℟. Miserem. *cum oratione. ut in Laudibus. Quod etiàm observatur duobus sequentibus feriis.*

AD VESPER.

Ant. Veni in altitudinem tribulationis meæ.

PSALM. XIII. *ps.* 68.

Salvum me fac Deus: * quoniàm intraverunt aquæ usque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi, et non est substantia: * veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.

Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: * defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei: * qui oderunt me gratis.

Confortati sunt, qui persecuti sunt me, inimici mei injustè: * quæ non rapui, tunc exolvebam.

Ant. Veni in altitudinem.

Ant. Opprobia exprobantium Filio meo, ceciderunt omnia super me.

PSALM. XIV. *Ps.* 68.

Domine, Domine virtutum: * non confundantur super me, qui quærunt te, Deus Israel.

Quoniàm propter te sustinui opprobium: * operuit confusio faciem meam.

Quoniam zelus domûs tuæ comedit me: * et opprobia exprobantium tibi cediderunt super me.

Et operui in jejunio animam meam: * et factum est in opprobium mihi.

Et posuit vestimentum meum cilicium: * et factus sum illis in parabolam.

Ant. Opprobia expub.

Ant. Non me demergat tempestas, Domine.

PSALM. XV. *Ps.* 68.

Adversum me loquebantur, qui sedebant in portâ, * et in me psallebant, qui bibebant vinum.

Ego verò orationem meam ad te, Domine: * tempus beneplaciti tui, Deus.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me: * in veritate salutis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar: * libera me ab iis, qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: * neque urgeat super me puteus os suum.

Ant. Non me.

Ant. Quoniàm tribulor, velocitèr exaudi me, Deus meus.

PSALM. XVI. *Ps.* 68.

Exaudi me, Domine, quoniàm benigna est misericordia tua: * secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Et ne avertas faciem tuam à puero tuo: * quoniàm tribulor, velocitèr exaudi me.

Intende animæ meæ, et libera eam: * propter inimicos meos eripe me.

Tu scis improperium meum, et confusionem meam, * et reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me: * improperium expectavit cor meum, et miseriam.

Et sustinui qui simùl contristaretur, et non fuit, * et qui consolaretur, et non inveni.

Ant. Quoniàm tribulor.

Ant. Animam meam, Domine, ne obliviscaris in finem.

PSALM. XVII. *Ps.* 73.

Usquequò, Deus, improperabit inimicus: * irritat adversarius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam, et

dexteram tuam, * de medio sinu tuo in finem ?

Deus autem rex noster ante sæcula: * operatus est salutem in medio terræ.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi: * et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Memor esto improperiorum tuorum, * eorum quæ ab insipiente sunt totâ die.

Ant. Animam meam.

Ad Magnif. *ant.* Dixit Christus Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus: deindè dixit Discipulo: ecce Mater tua. *Reliqua, ut in Laudibus.*

Ad completor. solùm dicuntur psalmi ut in feriali officio, canticum Nunc dimitt. *sine antiph.* Sub tuum, *et ℣. ℟. et orat. de Laudibus.*

FERIA VI. IN PARASCEVE.

Officium fit Duplex.

AD MATUTIN.

IN I. NOCT.

Ant. O grave Martyrium! O frequens suspirium! O languens pectus virgineum!

PSALM. XVIII. *Ps.* 76.

Voce meâ ad Dominum clamavi: * voce meâ ad Deum, et intendit mihi.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum: * et non sum deceptus.

Renuit consolari anima mea: * memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum, et defecit spiritus meus.

Anticipaverunt vigilias oculi mei: * turbatus sum, et non sum locutus.

Cogitavi dies antiquos: * et annos æternos in mente habui.

Ant. O grave Martyrium!

Ant. Anima ejus tota liquefacta est, ut dilectus Christus de cruce locutus est.

PSALM XIX. *Ps.* 87.

Domine, Deus salutis meæ: * in die clamavi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: * et vita meo inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris quorum non est memor amplius: * et ipsi de manu tuâ repulsi sunt.

Ant. Anima ejus.

Ant. O Domina! cur ivisti immolari pro nobis? Non sufficiebat Christi passio, nisi crucifigeretur et Mater?

PSALM. XX. *ps.* 87.

Clamavi ad te, Domine, totâ die: expandi ad te manus meas.

Nunquid mortuis facies mirabilia? aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, * et veritatem tuam in perditione?

Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: * et justitia tua in terrâ oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi, * et mane oratio mea prævenit te.

Ant. O Domina!

℣. Vide, Domine, afflictionem meam.

℟. Quoniam erectus est inimicus.

De Lamentatione Jeremiæ Prophetæ.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 11.

Caph. Complevit Dominus furorem suum, et effudit iram indignationis suæ, et succendit ignem in Sion, et devoravit fundamenta ejus.

Lamed. Non crediderunt reges terræ, et universi habitatores orbis: quoniàm ingrederetur hostis, et inimicus per portas Jerusalem.

Mem. Propter peccata prophetarum ejus, et iniquitates sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum. Attendite.

℟. Oculi ejus languerunt præ inopiâ, et lacrymæ ejus in maxillis ejus: * Nec est qui consoletur eam.

℣. Omnes amici ejus derelinquerunt eam, et facti sunt quasi inimici. Nec.

LECTIO 2. *v.* 17.

Ain. Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem, quæ salvare non poterat.

Sade. Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum appropinquavit finis noster: completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.

Caph. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli, super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. Attendite.

℟. Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea: * Effusum est in terrâ jecur meum, et amaritudine plena sum.

℣. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.—Effusum.

LECTIO 3.

Res. Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus: in umbrâ tuâ vivemus in gentibus.

Sin. Gaude et lætare filia Edom, quæ habitas in terrâ Hus: ad te quoque pervenit calix, inebriaberis, atque nudaberis.

Thau. Completa est iniquitas tua, filia Sion, non addet ultrà, ut transmigret te: visitabit iniquitatem tuam: filia Edom discooperuit peccata tua. Attendite.

℟. Tu autem, Domine, susceptor meus es in die tribulationis: * In te speravi, emitte manum tuam de alto, et suscipe me, quia non est, qui adjuvet.

℣. Quoniàm Filius meus factus est perditus, et inimici ejus locupletati sunt.—In te.—Tu autem.

IN II. NOCT.

Ant. O Domina mea! quomodò tot doloribus sauciata spiritum non exhalasti?

PSALM. XXI. *Ps.* 87.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam: * avertis faciem tuam à me?

Pauper sum ego et in laboribus à juventute meâ: exaltatus autem, humiliatus sum, et conturbatus.

In me transierunt iræ tuæ, * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me, sicut aqua totâ die: * circumdederunt me simùl.

Elongasti à me amicum et proximum, * et notos meos à miseriâ.

Ant. O Domina mea!

Ant. Lancea, quæ Christi latus aperuit, animam Virginis pertransivit.

PSALM. XXII. *Ps.* 101.

Domine, exaudi orationem meam: * et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me: * in quâcumque die tribulor, inclina ad ad me aurem tuam.

In quâcumque die invocavero te, * velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: * et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum, ut fœnum, et aruit cor meum: * quia oblitus sum comedere panem meum.

Ant. Lancea, quæ.

Ant. Adduxit mihi Deus luctum

magnum, et quiescere non valeo.

PSALM. XXIII. *Ps.* 101.

«Domine», à voce gemitûs mei, * adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pelicano solitudinis: * factus sum, sicut nicticorax in domicilio.

Vigilavi, et factus sum, * sicut passer solitarius in tecto.

Totâ die exprobabant mihi inimici mei, * et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem, tanquàm panem, manducabam, * et potum meum cum fletu miscebam.

Ant. Adduxit mihi.

℣. Erit vita tua, Virgo sacrata.

℟. Quasi pendens ante oculos tuos.

De lamentatione beatissimæ Virginis MARIÆ. *Ex S. Ephrem. Diac.*

LECTIO 4.

O Simeon admirande, en nunc gladius, quo mihi prædixisti, cor meum trajiciendum. Ecce gladius, ecce vulnus, Fili mi, et Deus mi. Tua mors cor meum subiit, viscera mea sunt disrupta, meum lumen obtenebratum est, et pectus meum gravis pertransivit gladius. Horrendam cerno passionem tuam, mi Fili, et Deus mi. Video immeritam cædem tuam, nec ferre opem possum. Ubi tua nunc forma, mi Fili! miserere dejectæ et orbatæ, mi Fili: miserere, ô suavissime, abjectæ MARIÆ: miserere, clementissime, et me solare. Attendite.

℟. Opperuit me dolor, et facies mea intumuit à fletu, * et palpebræ meæ caligaverunt. ℣. Anima mea turbata est valdè sed tu, Domine, usquequò.—Et.

LECTIO 5.

Prospice, Fili, meas lacrymas, attende meos gemitus, et aperi os tuum. Da mihi solatium: non habeo prorsùs, mi Fili, quo caput reclinem: non alium cognatum, patrem, aut matrem, vel fratrem, vel sororem, qui mihi animum reddat. Tu, mi pater, tu mater, tu frater, tu filius, tu mihi vita et spiritus, spes mea, et protectio. Tu mea consolatio et creatio, tu Deus meus, tu creator meus, tu opifex meus. Lugete mecum omnes discipulæ Domini, dolorem meum, et vulnus profundum cordis mei contuentes. Attendite.

℟. In toto corde meo gemitus Matris meæ non obliviscar, * Ut perficiatur in me propitiatio, et benedictio. ℣. Fulcite me floribus, stipate malis, quia amore langueo. —Ut perf.

LECTIO 6.

Decumbe crux sacratissima, lignum benedictum, ut plagas Filii mei, et Dei mei exosculer ad consolandum proprium Filium meum, ut amplectar Filii mei corpus, ut os suavissimum deosculer, faciem, manus, et cædem iniquam. Decumbe, crux mea, decumbe: magna, ô crux, gloria tua: magna tua gratia: magna tua potentia. O lignum benedictum, quoniàm innocens Dominus, et creator tuus, tanquàm latro, et nocens super te expansus est. Fili mi carissime, veneror tuas afflictiones, colo et adoro tuam misericordiam, et magnanimitatem. Decus tuum, Fili mi, decus omnium factum est: mors tua facta est mundi totius vita. Attendite et videte.

℟. Doleo super te, Fili mi JESU, decorus nimis, et amabilis super amorem mulierum: * Sicut enim mater unicum diligit filium, ita ego te diligebam. ℣. JESU Fili mi: Fili mi JESU, quis mihi tribuat, ut moriar pro te.—Sicut enim.—Doleo.

IN III. NOCT.

Ant. Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et linguæ eorum gladius acutus.

PSALM. XXIV. *ps.* 108.

Deus, laudem meam ne tacueris: * quia os peccatoris, et os dolosi super me apertum est.

Locuti sunt adversum me linguâ dolosâ: * et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis.

Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi: * ego autem orabam.

Et posuerunt adversum me mala pro bonis: * et odium pro dilectione meâ.

Constitue super eum peccatorem, * et diabolus stet à dextris ejus.

Ant. Filii hominum.

Ant. Super multitudinem vulnerum meorum addiderunt, et anima mea conturbata est.

PSALM. XXV. *Ps.* 139.

Eripe me, Domine, ab homine malo: * à viro iniquo eripe me.

Quia cogitaverunt iniquitates in corde: * totâ die constituebant prælia.

Acuerunt linguas suas, sicut serpentis: * venenum aspidum sub labiis eorum.

Custodi me, Domine, de manu peccatoris: * et ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: * absconderunt superbi laqueum mihi.

Ant. Super multitudinem.

Ant. Juxta crucem in planctu desidero tecum stare, et me tibi sociare.

PSALM. XXVI. *Ps.* 141.

Voce meâ ad Dominum clamavi: * voce meâ ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam: * et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum, * et tu cognovisti semitas meas.

In viâ hâc quâ ambulabam, * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam; * et non erat, qui cognosceret me.

Ant. Juxta crucem.

℣. Anxialus est super me spiritus meus.

℟. In me turbatum est cor meum.

LECTIO 7.

Ex S. Bernardo in Lamentat. B. V. M.

Juxta crucem Christi stabat emortua Mater, quæ ipsum ex Spiritu Sancto concepit. Vox illi non erat, quia dolore attrita jacens pallebat. Quasi mortua vivens, vivebat moriens, moriebatur vivens, nec mori poterat, quæ vivens mortua erat. In illius animâ dolor sævè sæviebat. Optabat mori magis, quàm vivere post mortem Christi, quæ malè vivens mortua erat. Ibi stabat dolens sævo dolore confecta. Attendite.

℟. Expectans Virgo corpus Christi deponi, plorabat dicens: * Heu me, heu me! reddite vel saltèm nunc mœstissimæ Matri extinctum Filium, ℣. Deponite illum, quæso, deponite mihi, ut mecum habeam corpus exanime.—Heu me.

LECTIO 8.

Stabat juxta crucem MARIA intuens vultu benigno Christum pendentem in patibulo, pedumque summitatibus innitens, manus levabat in altum, amplectens rubricatam crucem, ac in oscula ejus ruens eâ parte, quâ unda pretiosissimi sanguinis defluebat. Sursum manus nisu, quo poterat, extendebat, unicum suum amplecti desiderans, nec valebat. Volebat amplecti Christum in alto pendentem, sed manus frustrà protensæ, in se complosæ complexæ redibant. Attendite.

℟. Levabatur Mater à terrâ sursùm, ut Filium contingeret. * Ip-

BIBLIOTECA CENTRAL UANL

sumque tangere nequiens recolli-debatur in terram. ℣. Heu me! heu me! reddite nunc mihi Filium, ut sit mihi in solatium, vel defunctus.—Ipsumque.

LECTIO 9.

Dicat qui potest, cogitet quantùm potest, medidetur, si potest quæ doloris immensitas tunc maternam animam cruciabat. Non credo plenè enarrari, vel meditari posse dolorem Virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantum unquàm dolore potuit de tali Filio talis Mater. Verumtamen rectum erat amoris et mœroris continens modum. Non desperabat, sed piè, et justè dolebat, sperans tamen firmitèr, fortitèrque tenens ipsum secundum promissum suum tertiâ die resurgere. Attendite.

℟. Passio Domini * Ipsam ejus Matrem carnali orbitate gravitèr percussam vehementissimè contristavit. ℣. Ferrum lanceæ militaris, latus quidem Salvatoris, animam verò pertransivit Virginis Matris. —Ipsam.—Passio.

AD LAUDES.

Ant. Perforatum est cor Virginis, cum vidit cor Filii sui carissimi perforatum.

PSALM. XXVII. *Ps.* 141.

Voce meâ ad Dominum clamavi: * voce meâ ad Dominum deprecatus sum.

Clamavi ad te, Domine, dixi: * tu es spes mea, portio mea in terrâ viventium.

Intende ad deprecationem meam: * quia humiliatus sum nimis.

Libera me à persequentibus me: * quia confortati sunt super me.

Educ de custodiâ animam meam ad confitendum nomini tuo: * me expectant justi, donec retribuas mihi.

Ant. Perforatum est.

Ant. Unus militum lanceâ latus Christi aperuit, et continuò exivit sanguis et aqua.

PSALM. XXVIII. *Ps.* 142.

Domine, exaudi orationem meam: * auribus percipe obsecrationem meam in veritate tuâ:

Quia persecutus est inimicus animam meam: * humiliavit in terrâ vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi: * et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: * in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: * anima mea sicut terra sine aquâ tibi.

Ant. Unus militum.

Ant. Lancea, quæ latus Christi aperuit, animam Virginis per transivit, ac divisit.

PSALM. XXIX. *Ps.* 142.

Velociter exaudi me, Domine: * defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam à me: * et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè misericordiam tuam: * quia in te speravi.

Eripe me de inimicis meis: * Domine, ad te confugi.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tuâ.

Ant. Lancea, quæ.

Ant. Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Canticum. Domina, audivi, *ut in p.* 44.

Ant. Filii MARIÆ, ingredimini cum vestrâ Matre intra penetralia cordis JESU.

Psalm. Laudâ, anima mea, *ut in p.* 44.

Ad Bened. *ant.* Venerunt milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo: ad JESUM autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura.

℣. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus.

℟. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.

Deinde Oratio sine Oremus.

Respice, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam propter gravamen illud, et tormentum dolorosissimæ Virginis MARIÆ, quandò juxta crucem Filium tuum præ doloribus voce magnâ clamantem, eam matrem dilectam Joanni commendantem, in manusque tuas Spiritum tradentem, attendebat, et succurre nobis in fine vitæ nostræ, ut ejus interventu à terroribus mortis eruamur. Per eundem Dominum nostrum.

Ad Horas omnia ut heri cum Oratione de Laud.

Ad Vesper. psalm. et ant. ut heri p. 185.

Ad Magnificat. *ant.* Divisit Christus cum Matre suâ vulneris lateris pœnam, ut ipse injuriam acciperet, MARIA dolorem. *Oratio de Laud.*

SABBATO SANCTO.

Officium fit duplex.

AD MATUT.

IN I. NOCT.

Ant. Multiplicati sunt qui tribulant me: multi insurgunt adversum me.

PSALM. XXX. *Ps.* 1.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me: * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es: * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce meâ ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum, * et exurrexi, quia Dominus susc̃epit me.

Ant. Multiplicati sunt.

Ant. Valdè turbata est anima mea, Domine.

PSALM. XXXI. *Ps.* 6.

Domine, ne in furore tuo arguas me: * neque in irâ tuâ corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniàm infirmus sum: * sana me, Domine, quoniàm conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valdè: sed tu, Domine, usquequo?

Quoniàm non est in morte, qui memor sit tui: * in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: * lacrymis meis stratum meum rigabo

Ant. Valdè turbata.

Ant. Vocate me amaram, quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens.

PSALM. XXXII. *Ps.* 9.

Miserere mei, Domine; * vide humilitatem meam de inimicis meis.

Qui exaltas me de portis mortis, * ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Exultabo in salutari tuo: * infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt.

In laqueo isto, quem absconderunt, * comprehensus est pes eorum.

Cognoscetur Dominus judicia faciens: * in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

Ant. Vocate me.

℣. Vide, Domine afflictionem meam.

℟. Quoniàm erectus est inimicus. De Lamentatione Jeremiæ Prophet.

LECTIO 1. *c.* 5.

Recordare, Domine, quid acciderit nobis: intuere et respice opprobium nostrum. Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos. Pupuli facti sumus absque patre: matres nostræ quasi viduæ. Aquam nostram pecuniâ bibimus: ligna nostra pretio comparavimus. Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies. Attendite.

℟. Non derelinques animam meam in inferno: * Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. ℣. Domine, eduxisti ab inferno animam meam.—Nec.

LECTIO 2. *c.* 13.

Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster. Cecidit corona capitis nostri: væ nobis quia peccavimus. Propterea mœstum factum est cor nostrum, ideò contenebrati sunt oculi nostri. Propter montem Sion, quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo. Attendite.

℟. Consolare, Virgo MARIA, quoniàm Filius tuus videbit semen longævum, et voluntas Dei in manu ejus dirigetur, * Quia posuit pro peccato animam suam. ℣. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, et saturabitur.—Quia.

LECTIO 3.

Tu autem, Domine, in æternum permanebis, solium tuum in generationem, et generationem: Quare in perpetuum obliviscéris nostri, derelinques nos in longitudinem dierum? Converte nos, Domine, ad te, et convertemur: innova dies nostros sicut à principio. Sed projiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementèr.—Attendite et videte.

℟. Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus, * Sic erit Filius hominis in corde terræ. ℣. Destruite templum hoc, et in tribus diebus reædificabo illud.—Sic. Sicut.

IN II. NOCT.

Ant. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi: ubi est Deus tuus.

PSALM. XXXIII. *Ps.* 13.

Conserva mè Domine, quoniàm speravi in te: * dixi Domino; Deus meus es tu, quoniàm bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terrâ ejus, * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei: * tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Quoniàm non derelinques animam meam in inferno: * nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo; * delectationes in dexterâ tuâ usque in finem.

Ant. Fuerunt mihi.

Ant. Probasti cor meum, et visitasti nocte; desolatione desolata sum nimis.

PSALM. XXXIV. *Ps.* 17.

Laudans invocabo Dominum, * et ab inimicis meis salvus ero.

Circumdederunt me dolores mortis: * et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

Dolores inferni circumdederunt me: * præcucupaverunt me laquei mortis.

In tribulatione meâ invocavi Dominum: * et ad Deum meum clamavi.

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: * et clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus.

Ant. Probasti cor.

Ant. Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super illum.

PSALM. XXXV. *Ps.* 16.

Exaudi, Domine, justitiam meam: * intende deprecationem meam.

Probasti cor meum, et visitasti nocte: * igne me examinasti, et non inventa est in me iniquitas.

Ego clamavi, quoniàm exaudisti me, Deus; * inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Sub umbrâ alarum tuarum protege me, * à facie impiorum, qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt: * adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam.

Ant. Lapsa est.

℣. Defecerunt præ lacrymis oculi mei.

℟. Conturbata sunt omnia viscera mea.

De Lamentatione beatissimæ Virginis MARIÆ. *S. Bernard. in Lament. B. V. M.*

LECTIO 4.

Stabat ad caput extincti Filii mœstissima Mater, et ejus regalem faciem mortis offuscatum pallóribus, magnâ rigabat affluentiâ lacrymarum, et amarissimè suspirans, ac flens, dicebat: O Fili mi dulcissime! Quid fecisti? Quarè crudelissimi Judæi te crucifixerunt? Quæ causa mortis tuæ? Commisisti ne scelus, ut tali morte damnareris? Non fili, non fili: sed sic tuos redimere dignatus es, ut posteris exempla relinqueres. Attendite.

℟. Joseph ab Arimathæa * petiit corpus JESU, quod de cruce depositum suo complexu Mater excepit. ℣. Dolens Sunamitis sinu et genibus suis sustinuit mortuum Filium.—Petiit.

LECTIO 5.

In gremio meo nunc te mortuum teneo. Quid ergò tua Mater, Fili mi dilectissime, faciam? Væ mihi, Fili mi, dulcedo mea, consolatio mea, vita mea Ubi est illud gaudium indicibile, quod in tuâ nativitate habui? Væ mihi, Fili mi, in quantum dolorem et tristitiam versum est illud tam magnificum gaudium! Dic, Fili dilectissime, dic amor unice, vitæ meæ unicum solatium, quare sic me dolore perimi permittis? Cur tam longè factus à me? Attendite.

℟. Succurre mihi, Fili mi, et Spiritum Sanctum mihi interim infunde, * Quia ferè præ dolore deficio. ℣. Deus meus, consolare animam meam: miserere mei, et respice in me.—Quia.

LECTIO 6.

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei. Illum adhuc pantulùm mihi relinquite, ut faciem ipsius, sublato velamine, valeam contemplari, et præ amore ipsius aliquantulùm videndo consolari. Nolite, quæso, eum tam citò tradere sepulturæ, sed ipsum tradite mihi miseræ Matri suæ, ut illum mecum habeam saltem vel defunctum: aut si illum in sepulchro reconditis, ibidem me miseram matrem sepelite, quia malè post ipsum superero. Ut quid post ipsum vivam? Attendite.

℟. Quis tibi sensus, ò Mater dolorum, * Dum Joseph sindone Filium tuum involvit, et posuit eum in monumento? ℣. Factum est cor meum tanquàm cera liquescens in medio ventris mei.—Dum.—Quis.

IN III. NOCT.

Ant. Recedite à me, amarè flebo, nolite incumbere, ut consolemini me.

BIBLIOTECA CENTRAL UANL

PSALM. XXXVI. *Ps.* 24.

Firmamentum est Dominus timentibus eum: * et testamentum ipsius ut manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dominum: * quoniàm ipse evellet de laqueo pedes meos.

Respice in me, et miserere mei, * quia unicus et pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: * de necessitatibus meis erue me.

Custodi animam meam et erue me: * non erubescam, quoniàm speravi in te.

Ant. Recedite à me.

Ant. Conturbatus est oculus meus, anima mea, et venter meus.

PSALM. XXXVII. *Ps.* 41.

Dicam Deo: susceptor meus es: * quarè oblitus es mei, et quarè contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobaverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies: * ubi est Deus tuus?

Quare tristis es, anima mea, * et quarè conturbas me?

Spera in Deo, quoniàm adhuc confitebor illi: * salutare vultûs mei, et Deus meus.

Ant. Conturbatus est.

Ant. Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ.

PSALM. XXXVIII. *Ps.* 56.

Miserere mei, Deus, miserere mei: * quoniàm in te confidit anima mea.

Et in umbrâ alarum tuarum sperabo, * donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum, * Deum qui benefecit mihi.

Misit de cœlo, et liberavit me: * dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam, * et eripuit animam meam de medio catulorum leonum.

Ant. Timor et tremor.

℣. Non est qui consoletur eam.

℟. Ex omnibus caris ejus.

S. Bernard. abb. in Lament. B. V. M.

LECTIO 7.

Dum Joseph et Nicodemus Dominum ponerent in sepulchro, volebat simùl cum ipso mœstissima Mater sepeliri. Illi ponebant Dominum in sepulchro, et illa piùs, quo poterat, illum ad se trahere conabatur. Illa volebat cum sibi cum totis viribus retinere, et ipsi volebant eum tradere sepulturæ. Sicque pia lis erat, et contentio miseranda inter ipsos. Attendite.

℟. Sepulto Christo, quasi duo corda in uno sepulchro fuerunt posita: * Et cor Filii et cor Matris. ℣. Ubi fuerit thesaurus tuus, ibi et cor tuum erit.—Et cor.

LECTIO 8.

Sepulto itaque Domino, Mater ejus sepulchrum complectitur, et voce quâ poterat, suum benedicebat Filium jam sepultum. Ibique sedens innixo capite, manus extendebat, desuper, illud osculans, amarissimisque singultibus suum Filium deplorabat. Accessit autem novus Filius ejus Joannes: ipsam lugentem ac gementem levavit, et sicut potuit, à mulieribus honestis ac sanctis adjuta, cunctis simùl plorantibus, ingreditur Jerusalem. Attendite.

℟. O quàm libenter mœstissima Virgo tunc posita fuisset viva cum Filio mortuo. * Si hæc fuisset voluntas Dei! ℣. Animam cum corpore Christi contumulari Virgo vehementèr exoptavit.—Si.

LECTIO 9.

Interim Virgo MARIA in domo Joannis manebat: ibi die noctuque plorans gemebat, nec erat, qui consolari eam posset, ex omnibus caris ejus, nec suæ sorores, nec etiàm ipse Joannes. Ibi amaro corde opprobiosam passionem dilecti Filii sui revolvebat, modò sputa, modò ludibria, modò colaphos, alapas, et flagella, modò crucis angariam, modò dira clavorum vulnera, modò lanceam, modò coronam spineam, modò aceti et fellis pocula, mortem, verbera et improperia. Attendite.

℟. Fili mi JESU, quem terra, pontus, æthera capere non possunt, * Modò arcto clausus es sepulchro. ℣. Jacet Filius meus extinctus, et sub lapidibus clausa est vita mea. —Modò.—Fili mi.

AD LAUDES.

Ant. Sepulto JESU, in domum Joannis mœstissima Virgo perducitur.

PSALM. XXXIX *Ps.* 41.

Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum, * ita desiderat anima mea, ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: * quandò veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidiè: * ubi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam: * quoniàm transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.

In voce exultationis, et confessionis: * sonus epulantis.

Ant. Sepulto JESU.

Ant. Flebat planctus, quacumque transibat, omnesque plorabant, qui obviabant ei.

PSALM. XL. *Ps.* 56.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: * cantabo et psalmum dicam.

Exurge, gloria mea: exurge, psalterium et citara: * exurgam diluculò.

Confitebor tibi in populis, Domine, * et psalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniàm magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, * et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua.

Ant. Flebat planctus.

Ant. In suâ domo Joannes desolatam Matrem retinuit, et consolabatur eam.

PSALM XLI. *Ps.* 39.

Expectans expectavi Dominum: * et intendit mihi.

Et exaudivit preces meas, * et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fœcis.

Et statuit super petram pedes meos: * et direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum novum: * carmen Deo Jacob.

Videbunt multi et timebunt, * et sperabunt in Domino.

Ant. In suâ domo.

Ant. Super propriam Matrem in omni charitate Joannes Virginem dilexit.

Cantic. Audite cœli, *ut in p.* 49.

Ant. O Christi dilecte, quem constituit Dominus privatum camerarium aulæ suæ speciosissimæ.

Psalm. Super flumin. *ut in p.* 50.

Ad Benedict. ant. Posuerunt JESUM in monumento exciso, in quo nondùm quisquam positus fuerat.

℣. O vos omnes, qui trans.

℟. Attendite et videte.

Deindè oratio sine Oremus.

Respice, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam propter dolorem indicibilem, quo affligebatur dolorosissima Filii tui Genitrix, quandò videbat eum à se sublatum, et sepultum, et præsta, ut sic no-

stra, plangamus facinora, ut dum nostrum corpus morte deformatur, tunc nostra rutilet anima candore innocentiæ. Per eumdem Dom. *Secr.*

Horæ dicuntur ut in Feriâ V. cum orationе de Laudibus.

Vesperæ dicunt. ut infra in Dom. Resurrect. p. 199.

VII.

TEMPORE PASCHALI,

SEU

VITA GAUDIOSA

B. MARIÆ V.

Quæ à Sabbato Sancto usque ad Dominicam primam post Pentecost. recolitur.

RESPONSORIA

dicenda post Lectiones in Dominicis, et in officio feriali tempore paschali.

In 1. *Noct. Dom. et in Feria II. et V.*

℟. 1. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni: ' Columba mea, ostende mihi faciem tuam, alleluia, alleluia. ℣. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, et facies tua decora.—Columba.

℟. 2. Revertere, dilecte mi, similis esto capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bethel: ' Ostende mihi faciem tuam, alleluia, alleluia. ℣. Nunciate dilecto meo, quia amore langueo.—Ostende.

℟. 3. Surgam, et circuibo civitatem per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea: ' Tenui eum, nec dimittam, alleluia, alleluia. ℣. Dilectus meus mihi, et ego illi.—Tenui.—Gloria.—Tenui.

In II. Noct. Dom. et in Fer. III. et VI.

℟. 4. Veni de Libano, Sponsa mea, veni de Libano, veni. ' Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui, alleluia, alleluia. ℣. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.—Vulnerasti.

℟. 5. Descendi in hortum meum, ' Ut viderem poma convallium, et inspicerem, si floruisset vinea, et germinassent mala punica, alleluia, alleluia. ℣. Manè surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea, si flores fructum parturiunt, si floruerunt mala punica.—Ut vider.

℟. 6. Pulchra es, amica mea, suavis et decora, sicut Jerusalem, ' Terribilis, ut castrorum acies ordinata, alleluia, alleluia. ℣. Pulchra, ut luna, electa, ut sol.—Terribilis.—Gloria.—Terribil.

In III. Noct. et in Fer. IV. et Sabbat.

℟. 7. Flores apparuerunt in terrâ nostrâ, tempus putationis advenit: ' Vox turturis audita est in terrâ nostrâ, alleluia, alleluia. ℣. Surge, propera, columba mea, formosa mea, et veni.—Vox.

℟. 8. Indica mihi, quem diligit anima mea, ' Ubi pascas, ubi cubes in meridie, alleluia, alleluia. ℣. Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.—Ubi.—Gloria. —Ubi

LECTIONES
DE
SCRIPTURA

pro Feriis et pro 1. *Noct. Festis tum, quæ toto tempore paschali propriis non habuerunt.*

PRO FERIIS II.

De Cantico canticorum.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 1.

Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te. Tu. ℟. Surge. *p.* 196.

LECTIO 2.

Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol: filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post gregem sodalium tuorum. Tu ℟. Surgam. *p.* 196.

LECTIO 3.

Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimulavi te amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia. Tu. *Cant.* Te Matrem. *p.* 5.

IN FERIIS III.

De Cantico canticorum.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 16.

Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Tu. ℟. Veni de Libano. *p.* 196.

LECTIO 2.

Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus. Tigna domorum nostrorum cedrina, laquearia nostra cypressina. Ego flos campi, et lilium convalium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum sic dilectus meus inter filios. Tu. ℟. Pulchra. *p.* 196.

LECTIO 3. *c.* 2. *v.* 3.

Sub umbrâ illius, quem desideraveram, sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Tu. *Cant.* Te Matrem. *p.* 5.

PRO FERIIS IV.

De Cantico canticorum.

LECTIO 1. *c.* 2. *v.* 7.

Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostram respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Tu. ℟. Flores. *p.* 196.

LECTIO 2. *c.* 4. *v.* 11.

Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub linguâ tuâ, et odor vestimentorum tuorum, sicut thuris. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo. Nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrhâ, et aloe, cum omnibus primis unguentis. Tu. ℟. Indica mihi. *p.* 196.

LECTIO 3.

Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Surge, aquilo, et veni au-

stra, plangamus facinora, ut dum nostrum corpus morte deformatur, tunc nostra rutilet anima candore innocentiæ. Per eumdem Dom. *Secr.*

Horæ dicuntur ut in Feriâ V. cum orationе de Laudibus.

Vesperæ dicunt. ut infra in Dom. Resurrect. p. 199.

VII.

TEMPORE PASCHALI,

SEU

VITA GAUDIOSA

B. MARIÆ V.

Quæ à Sabbato Sancto usque ad Dominicam primam post Pentecost. recolitur.

RESPONSORIA

dicenda post Lectiones in Dominicis, et in officio feriali tempore paschali.

In 1. *Noct. Dom. et in Feria II. et V.*

℟. 1. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni: ' Columba mea, ostende mihi faciem tuam, alleluia, alleluia. ℣. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, et facies tua decora.—Columba.

℟. 2. Revertere, dilecte mi, similis esto capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bethel: ' Ostende mihi faciem tuam, alleluia, alleluia. ℣. Nunciate dilecto meo, quia amore langueo.—Ostende.

℟. 3. Surgam, et circuibo civitatem per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea: ' Tenui eum, nec dimittam, alleluia, alleluia. ℣. Dilectus meus mihi, et ego illi.—Tenui.—Gloria.—Tenui.

In II. Noct. Dom. et in Fer. III. et VI.

℟. 4. Veni de Libano, Sponsa mea, veni de Libano, veni. ' Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui, alleluia, alleluia. ℣. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.—Vulnerasti.

℟. 5. Descendi in hortum meum, ' Ut viderem poma convallium, et inspicerem, si floruisset vinea, et germinassent mala punica, alleluia, alleluia. ℣. Manè surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea, si flores fructum parturiunt, si floruerunt mala punica.—Ut vider.

℟. 6. Pulchra es, amica mea, suavis et decora, sicut Jerusalem, ' Terribilis, ut castrorum acies ordinata, alleluia, alleluia. ℣. Pulchra, ut luna, electa, ut sol.—Terribilis.—Gloria.—Terribil.

In III. Noct. et in Fer. IV. et Sabbat.

℟. 7. Flores apparuerunt in terrâ nostrâ, tempus putationis advenit: ' Vox turturis audita est in terrâ nostrâ, alleluia, alleluia. ℣. Surge, propera, columba mea, formosa mea, et veni.—Vox.

℟. 8. Indica mihi, quem diligit anima mea, ' Ubi pascas, ubi cubes in meridie, alleluia, alleluia. ℣. Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.—Ubi.—Gloria. —Ubi

LECTIONES
DE
SCRIPTURA

pro Feriis et pro 1. *Noct. Festis tum, quæ toto tempore paschali propriis non habuerunt.*

PRO FERIIS II.

De Cantico canticorum.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 1.

Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te. Tu. ℟. Surge. *p.* 196.

LECTIO 2.

Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol: filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post gregem sodalium tuorum. Tu ℟. Surgam. *p.* 196.

LECTIO 3.

Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimulavi te amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia. Tu. *Cant.* Te Matrem. *p.* 5.

IN FERIIS III.

De Cantico canticorum.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 16.

Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Tu. ℟. Veni de Libano. *p.* 196.

LECTIO 2.

Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus. Tigna domorum nostrorum cedrina, laquearia nostra cypressina. Ego flos campi, et lilium convalium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum sic dilectus meus inter filios. Tu. ℟. Pulchra. *p.* 196.

LECTIO 3. *c.* 2. *v.* 3.

Sub umbrâ illius, quem desideraveram, sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Tu. *Cant.* Te Matrem. *p.* 5.

PRO FERIIS IV.

De Cantico canticorum.

LECTIO 1. *c.* 2. *v.* 7.

Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostram respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Tu. ℟. Flores. *p.* 196.

LECTIO 2. *c.* 4. *v.* 11.

Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub linguâ tuâ, et odor vestimentorum tuorum, sicut thuris. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo. Nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrhâ, et aloe, cum omnibus primis unguentis. Tu. ℟. Indica mihi. *p.* 196.

LECTIO 3.

Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Surge, aquilo, et veni au-

ster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius. Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea, Sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo: comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi. Tu. *Cant.* Te Matrem. *p.* 5.

PRO FERIIS V.

De Cantico canticorum.

LECTIO 1. *c.* 5. *v.* 2.

Ego dormio, et cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum, plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. Expoliavi me tunicâ meâ, quomodò induar illa? Lavi pedes meos, quomodò inquinabo illos. Tu. ℟. Surge. *p.* 196.

LECTIO 2.

Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus. Surrexi, ut aperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat, anima mea liquefacta est, ut locutus est: quæsivi illum et non inveni, vocavi et non respondit mihi. Tu. ℟. Surgam. *p.* 196.

LECTIO 3.

Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem: percusserunt me, et vulneraverunt me: tulerunt palium meum mihi custodes murorum. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum ut nuntietis ei, quia amore langueo. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto quia sic adjurasti nos? Tu.

Cantic. Te Matrem. *p.* 5.

PRO FERIIS VI.

De Cantico canticorum.

LECTIO 1. *c.* 5. *v.* 10.

Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Caput ejus aurum optimum: comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus. Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lactæ sunt lotæ, et residentes juxta fluenta plenissima. Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis. Labia ejus lilia distillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis. Tu. ℟. Veni de Libano. *p.* 196.

LECTIO 2.

Venter ejus eburneus, distinctus saphyris: crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species ejus ut Libani, electus ut Cedri. Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis: talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem. Quo abiit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus, et quæremus eum tecum? Tu. ℟. Pulchra. *p.* 196.

LECTIO 3. *c.* 6. *v.* 1.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad aureolam aromatum ut pascatur in hortis, et lilia colligat. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Pulcra es, amica mea, suavis, et decora, sicut Jerusalem: terribilis, ut castrorum acies ordinata. Tu.

Cant. Te Matrem. *p.* 5.

PRO SABBATIS.

De Cantico canticorum.

LECTIO 1. *c.* 7. *v.* 10.

Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Veni, dilecte mi, egrèdiamur in agrum, commoremur in villis. Manè surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea, si flores fructum parturiunt, si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi ubera mea. Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia poma: nova et vetera, dilecte mi servavi tibi. Tu. ℟. Flores. *p.* 141.

LECTIO 2. *c.* 8. *v.* 8.

Soror nostra parva, et ubera non habet: Quid faciemus sorori nostræ in die, quandò alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium, compingamus illud tabulis cedrinis. Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens. Tu ℟. Judica mihi. *p.* 119.

LECTIO 3.

Vinea fuit pacifico in eâ, quæ habet populos, tradidit eam custodibus, vir offert pro fructu ejus mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his, qui custodiunt fructus ejus. Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam. Fuge dilecte mi, et assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum. Tu.

Cant. Te Matrem. *p.* 5.

Totâ sequenti Hebd. nullus dicitur Hymn. ad ullam Horam, nec Capit. sed dicto ave M. *et* ℣. Deus in adj. *dicitur antiph. deindè P almi, et in eorum fine,* ℣. Hæc dies *cum Orat.*

Ad Matut. dicuntur tres Psalm. qui quotidiè assignantur, et deindè Evang. cum Homil. ut de more.

Ad Laud. Vesper. et Complet. post ℣. Hæc dies *dicitur ant. ad canticum, quæ repetitur in fine, et post eam oratio.*

In fine Complet. hujus Sabb. incipitur dicere ant. Reg. cœli lætare. *quæ continuatur usque ad Complet. Sabb. post Pentecost. exclusivè.*

Quælibet Festivitas etiàm primæ Classis si occurrat sequenti Hebdomadâ transfertur in diem non impeditam post Domin. in albis.

Temp. pasch. in fine cujuslibet ant. ℣. *et* ℟. *additur* alleluia *quæ duplicatur in antiph. pro canticis* Benedict. Magnif. *et* Nunc dimitt. *Reliqua prout inferiùs notantur in proprio loco.*

IN DOMINICA

RESURRECTIONIS.

Duplex 1. *Classis.*

IN I. VESPERIS.

Dicto. Ave MARIA *cum* ℣. Deus in adj. &c. *dicitur sequens.*

Ant. Alleluia, alleluia, alleluia. *Deindè dicitur.*

Psalm. Laudate Dominum nostram omnes gen. *p.* 45.

Cum Gloria Patri. *Et repetitur ant.* Alleluia, alleluia, alleluia.

Statim sine Capitul. et sine Hymn. antiph. ad Magnif. Vesperè autem Sabbati quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria videre sepulchrum, alleluia, alleluia.

Oremus. *Oratio.*

Spiritum nobis, Domine, exultationis infunde, ut quos cum beatâ Virgine MARIA de Resurrectione Christi lætari concedis, cœlestium gaudiorum jam nunc in terris nos facias esse participes. Per eumdem Dominum nostr... in unitate ejusdem Spir.

℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor meus.

℣. Benedicamus Domino, Alleluia, alleluia. ℟. Deo gratias, alleluia, alleluia

Et sic dicitur usque ad sequens Sabb inclusivè.

Complet. incipitur ut de more, et absque ullâ ant. dicuntur Psalmi de Dom. per totam Hebdom. Paschæ. Hymn. Capitul. et ℟. br. non dicuntur. Ad Nunc dim. *ant.* Vespere. *ut in Vesperis cum oratione præcipuâ Completorii. In fine orationis dicitur ant.* Reg. cœli lætare. *stando toto Temp. pasch.*

AD MATUTIN.

Ave. ℣. Dom. labia. ℟. Et os meum. &c. Alleluia.

Invitatorium. Alleluia, Jubilemus Dominæ Reginæ nostræ, * In resurrectione Christi Filii sui, alleluia, alleluia. *Ps.* Venite exult. &c.

IN NOCTURNO.

Ant. 1. Ecce Rex tuus, * Filius tuus resurrexit, sicut dixit, alleluia. *Psalmi ut in* 1. *Noct. Domin. p.* 2.

2. Adjuvabit eam * Deus, alleluia, manè diluculò, alleluia.

3. Secundum multitudinem * dolorum meorum consolationes tuæ, Fili mi, lætificaverunt animam meam, alleluia.

℣. Surrexit Christus de sepulchro, alleluia.

℟. Qui pro nobis pependit in ligno, alleluia.

Absol. Exaudi. *Bened.* Evangelica.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 20. *v.* 1.

In illo tempore: una Sabbati Maria Magdalene venit manè, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum. Et reliqua.

Homilia S. Amadei Ep. Lausan.

De laudibus beat. V. Hom. 6.

Mœror abiit, gaudii tempus advenit, verum gaudium, quod de Resurrectione Christi provenit. Surrexit enim, et erexit animum Matris suæ. Jacebat illa velut in quodam arctissimo mœroris tumulo, donec Dominus jacuit in sepulchro. Illo namque resurgente, revixit spiritus ejus, et quasi de gravi somno evigilans solem justitiæ, et radios resurgentis in luce matutinâ respexit. Tu.

℟. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, alleluia: * Absorta est mors in victoriâ, alleluia, alleluia. ℣. Surrexit Filius, et apparuit Matri, alleluia.—Absorta.

LECTIO 2.

Intuita est ortum surgentis auroræ, et præcedentem in Filio futuram carnis resurrectionem. Pascebatur oculis in carne fulgidâ resurgentis, et mente cernebat gloriam divinitatis, ut intùs et foris egrediens, et ingrediens frueretur pascuis veræ sempiternæque felicitatis. Tu.

℟. Jam hyems transiit, imber abiit, et recessit; * Surge, propera, columba mea, formosa mea, et veni, allel. allel.

℣. Si inveneritis quem diligit anima mea, nuntiate ei, quia amore langueo.—Surge.

LECTIO 3.

Facta igitur extra se, suique oblita præ gaudio, adhæsit corde lætissimo Patri spirituum, et conglutinata Deo, in illum tota efferebatur, in cujus amoris immensitate tota refundebatur. Habes ergò, ô Beata! gaudium tuum, impletum est desiderium tuum, et Christus corona capitis tui attulit tibi cœli principatum per gratiam, regnum mundi per misericordiam, inferni subjugationem per vindictam. Tu.

℟. Exurge, Domina, et sta in excelso: * Circunspice ad orientem, et vide Filium tuum magnâ gloriâ resurgentem, allel. allel. ℣. Indue te decore, et honore ejus, quæ à Deo tibi est sempiternæ gloriæ.—Circunspice.—Gloria.—Exurge.

Cantic. Te Matrem. *p.* 5.

AD LAUDES.

Ant. 1. Consurge; * et induere fortitudine tuâ, Virgò MARIA, quia surrexit Filius tuus, alleluia.

2. Angelus Domini * descendit de cœlo, et sedet super lapidem revolutum sepulchri, allel.

3. Aspectus ejus * sicut fulgur, vestimenta autem ejus sicut nix, alleluia.

4. Pax tibi, * Mater mea; ego sum, noli timere, allel. allel.

5. Non vocaberis * ultrà derelicta nec ampliùs desolata, allel.

℣. Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in eâ.

Ad Benedict. *ant.* Statim ac revixit * Christus Matrem suam convenit, ut quæ propriùs cæteris socia fuerat passionis, prima omnium socia esset et consolationis, alleluia, allel. allel.

Oratio.

Oremus.

Deus qui hodiernâ die per Resurrectionem Fili tui afflictum animum ejus Genitricis Sanctissimæ erexisti: concede propitius, ut corda nostra ita repleantur cœlesti lætitiâ, ut jam in hoc sæculo futuræ capiamus gaudia vitæ. Per eumdem

VI.

VIRGO IN RESURR. FILII.

CANON.

Ex Concilio Nicæno.

An. 325.—*Epist. Alexand. Ep. Alexandriæ. Concilior. Tom.* 2. *pag.* 118.

252. Credimus ex mortuis Resurrectionem, cujus primitiæ fuit Dominus noster JESUS-Christus, qui corpus non specie adumbratum, sed verum ex Deiparâ MARIA sumpsit. Tu:

Ad Horas post ℣. Deus. in adj. *dicuntur Psalmi consueti (absque Symbolo* Quicumq. *in Prima), et in eorum fine dicitur* Hæc dies. *et oratio ut in Laudibus per totam Hebdomadam.*

AD VESPER.

Ant. 1. Quid quæritis viventem cum mortuis? Resurrexit, sicut dixit, alleluia. *Psalmi de Domin.*

2. Ingressæ mulieres * sepulchrum, non invenerunt ibi corpus Domini, alleluia.

3. Congratulamini mihi * omnes qui timetis Deum, quia surrexit Filius meus, et apparuit mihi, alleluia.

4. Inveni, * quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, alleluia.

5. Læva ejus * sub capite meo, alleluia, et dextera illius amplexabitur me, allel. allel.

℣. Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, et lætemur in eâ.

Ad Magnific. *ant.* Et inspicientes viderunt revolutum lapidem: erat quippè magnus valdè, allel. allel.

AD COMPLETOR.

℣. Converte. Et av. &c. Allel. *dicuntur psalmi de Dom. quibus finitis, dicitur* Alleluia, allel. allel.

Deinde Cantic. Nunc dimitt. *Postea* Hæc dies. *cum orat. consuetâ usque ad Sabbat.*

FERIA II.

Duplex 1. *Classis. Omnia ut heri, præter sequentia. In Noct. Psalmi tres primæ Feriæ II. ad Matut. p.* 19.

℣. Jam hyems transiit, allel.

℟. Imber abiit, et recessit, allel. allel.

Absolut. Exaudi.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 20 *v.* 1.

In illo tempore: Una Sabbati Maria Magdalene venit manè, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum. Et reliqua.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
BIBLIOTECA CENTRAL MAGNA

Homilia S. Anselmi Episcopi.

De excellentiâ B. V. c. 6.

Si aliquis quæràt, cur Evangelistæ non referant ipsum piissimum Dominum à morte resurgentem, huic suæ dulcissimæ Matri, ut ejus dolores mitigaret, primò ac præcipuè apparuisse; dicimus, quod à quodam sapiente, de hoc ipso sciscitantes, audivimus. Ait ergo: tanta esse scitur auctoritas narrationis evangelicæ, ut nihil inane, nihil superfluum reperiatur. Tu. ℟. Ecce vicit. *p.* 200.

LECTIO 2.

Itaque si Matri Domini, si Dominæ mundi ipse Filius ejus ab inferno resurgens scriberetur, sicut alii cuilibet apparuisse, eamque de suâ Resurrectione docuisse, quis non tale scriptum superfluum diceret? Reginam videlicet cœli et terræ omniscque creaturæ coæquaret illi, vel illi, quibus apparuit, viro, aut mulieri. Spiritus ejus in illâ planè et perfectè quiescebat, qui sibi et esse Filius, et facta ejus omnia luce clariùs revelabat. Tu. ℟. Jam hyems transiit. ℣. 200.

LECTIO 3.

His ita paucis alicujus forsàn inquisitioni prout accepimus responsis: adhuc aliquid gaudii hujus beatissimæ Virginis Matris spectando præ oculis constituamus, non eâ spe, ut motum illius in nos in mortalitate viventes perfectè intellectum fore optemus, sed ut indè aliquantulùm degustando, quâ possumus illud devotione veneremur. Sic enim inspectum, et degustatum magnum in ejus amorem anhelantibus solet generare profectum. Tu. ℟. Exurge. *p.* 200. Te Matrem. *p.* 5.

Ad Benedict. *ant.* Sufficit mihi, si JESUS Filius meus vivit: et revixit Spiritus ejus, allel. allel.

CANON.

Ex S. Bernardino Senensi.

Tom. 3. *p.* 307.—*Serm.* 46. 2. *part.*

253. Virgo gloriosa stans in contemplatione portabat in suâ mente illud secretum Resurrectionis, et Maria Magdalena cum aliis dominabus ignorantes Resurrectionem Christi emerunt aromata et iverunt ad sepulchrum. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Benedictus Dominus Deus Israel, quia ecce video Filium meum suscitatum à mortuis, allel. allel.

Psalmi ad Laudes, Vesper, et Complet, ut heri per totam hebdomad.

FERIA III.

Duplex 1. *Classis.*

Psalmi ad Matut. tres primi feriæ III. ad Matutinum p. 25. *Reliqua ut heri.*

℣. Flores apparuerunt in terrâ nostrâ, allel.

℟. Tempus putationis advenit, alleluia.

Absolutio. Ipsius. *Bened.* Evangelica.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 20. *v.* 1.

In illo tempore: Una Sabbati Maria Magdalene venit manè, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum. Et reliqua.

Homilia S. Petri Paschasii Ep. et Mart.

De Domin. Resurrect titul. 10. *n.* 253.

Tertia Christi Domini apparitio, quæ secundum veritatem omnium antecedentium prima fuit, facta fuit MARIÆ: sic enim à Sanctis et creditur, et scribitur; quod MARIÆ suæ Matri primùm quàm cuique alii Filius apparuit. Sed

Evangelistæ hanc non scripserunt apparitionem, quia noluerunt, quod Mater de Filii sui Resurrectione testimonium daret. Tu. ℟. Ecce vicit. *p.* 200.

LECTIO 2.

Sed quis dubitare potest, quod primùm quàm cæteris Matri apparuerit Christus? Decens enim non esset Filium ita bonum et attentum offendere velle Matrem, alii cuique priùs quàm Matri apparendo: præcipuè cum ille esset justus et ipsa justitia: sciendoque quod Mater sua plùs de ejus morte et ignominiis doluerat, quàm cæteri alii. Tu ℟. Jam hyems. *p.* 200.

LECTIO 3.

Certum est secundum jus et bonam rationem, quòd priùs Matri quàm aliis apparuerit, ut illam exhilararet, et dolorem et luctum de ejus morte et amissione consolatione leniret. Sic enim hoc Sanctus affirmat Ambrosius in tertio de Virginibus libro. Tu. ℟. Exurge. *p.* 200.

Cant. Te Matrem. *p.* 5

Ad Benedict. *ant.* Benedic anima mea Domino, et omnia quæ intrà me sunt nomini sancto ejus, alleluia, allel.

CANON.

Ex S. Bernardino Senensi.

Ut supra.

254. Beata Mater Dei remansit domi contemplando Christum, et ejus Resurrectionem, et certè apparuit illi ejus Unigenitus Filius, licet Evangelista nihil dicat de hoc. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Manus Domini confortavit te, ideò eris benedicta in æternum, alleluia, alleluia.

FERIA IV.

Semiduplex.

Psalmi in Noct. tres primi Feriæ IV ad Matut. p. 31. *Reliqua ut in die Paschæ.*

℣. Tenui eum, alleluia. ℟. Nec dimittam, allel.

Absolut. A vinculis. *Benedict.* Evangelicæ.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 20. *v.* 1.

In illo tempore: Una Sabbati Maria Magdalene venit manè, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum. Et reliqua.

Homilia Ven. Ruperti Abbatis.

De divin. officus libr. 7. *c.* 25.

Quid evangelicæ fidei convenientius christiana sodalitas comminisci potuit? Quid pulchrius? Quid venerabilius, quàm gratulari Matri Virgini super Resurrectione Unigeniti, jàm non morituri, in cujus passione gladius animam ejus per transivit. ℟. Ecce vicit. *p.* 200.

LECTIO 2.

Perpendere gestit christiana devotio, quantus torrens gaudii repentè inundans, locumque vulneris replens, animam ejus ferro doloris confossam inebriavit, cum redivivus Filius ante omnes fortassè mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam suam annuntiavit, et dulcia carnis suæ vulnera, quam illa veram de carne suâ carnem conceptam peperit, deosculanda præbuit. Tu. ℟. Exurge. *p.* 200.

LECTIO 3.

Quid ergò? repugnare videbitur Evangelio referenti, quod surgens JESUS primò Mariæ Magdalene apparuit? Absit, sed omnibus beatam Virginem Matrem excipimus testibus præordinatis, quos solos nominare ad Evangelistas pertinuit, vel quos Christi Resurrectionem annuntiare decuit. Nunquid illam nuntiare decebat, ut verba ejus

tanquàm deliramenta viderentur ante apostolos? Si enim extranearum verba feminarum visa sunt eis tanquàm deliramenta, quomodò non magis Matrem amore Filii delirare crederent? Tu. Te Matrem Dei.

His diebus nulla fit Comm.

Ad Bened. *ant.* Ùti adventùs, * ita et resurrectionis gaudium, primæ omnium Matri annuntiatrus apparuit, alleluia, alleluia.

CANON.

Ex S. Bernardino Senensi.

Ut supra.

255. Virgini apparuit «Christus» mirabili splendore coruscans, et mirabiliori quàm aparuerit in monte Thabor Petro et Discipulis ejus in Transfiguratione. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Vidi prima * Virgo eximiam præstantis Filii pulchritudinem omni specie majorem, alleluia, alleluia.

FERIA V.

Semiduplex.

In Noct. Psalmi tres primi de 1 *Noct. Feriæ V. p.* 36.

℣. Dextera Domini fecit virtutem, alleluia.

℟. Dextera Domini exaltavit me, alleluia.

Absol. Exaudi. *Benedict.* Evangelica.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 20. *v* 1.

In illo tempore: Una Sabbati Maria Magdalene venit manè, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum. Et reliqua.

Homilia D. Georgii Nicomediensis Arch.

In Sanct. Marum. or. 9.

Divinorum Magistræ ac unguentiferæ beatæ Virgini MARIÆ primæ Filius resurrectionis claritatem ostendit, utque licebat doceri Matrem ac honorari, apparitionis suæ primâ præsentiâ honorat. Quanquàm enim scriptum est apparuisse Magdalenæ, ita tamen intelligas, ut quod ad Apostolos, aut mulieres alias unguenta offerentes, speciat. Tu. ℟. Ecce vicit. *p.* 200.

LECTIO 2.

Sanè etiàm Virgo parens ante etiàm spiritualem angelorum initiationem Natiex se mysteria pervidet. Supra omnes enim desiderio deflagrans, desertansque, ac perseverans, sola prima quoquè condigna recipii munera. Par quippe erat, ut omnium prima mundi totius acciperet gaudium, quæ ejus nobis tantæ lætitiæ plenitudinis causa extitisset: cui sola arcana credita essent, quæ innumerabiles passionis perpessa esset gladios. Tu. ℟. Exurge. *p.* 200.

LECTIO 3.

Par erat, ut quæ sola tristium Filio socia fuisset, sola quoquè prior omnibus voluptatem illam percipere. Enim verò quisnam animus tantam illam, quam suscepit, Domine, tuam gloriam conjicere valeat? Quænam verò intellectualis natura immensam illam pulchritudinem, quam velut Matri tunc revelasti, intellectu perspicial? O quantâ ei lætitiâ apparuisti! Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad Benedict. *ant.* Non obliviscar tui, * Jesusalem, sed proponam te in principio lætitiæ meæ, alleluia, alleluia.

CANON.

Ex D. Thomâ Archiep. Valentino.

Dom. Resurrect. Conc. 3. *n.* 1.

256. Non dubium est, Christum in specie gloriosâ apparuisse Matri, sicut ostensus est in monte Thabor, et forsitàn ei divinitatem etiàm ostendisse. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Eduxit me * De-

minus de lacu miseriæ, et de abyssu tribulationis, allel. allel.

FERIA VI.

Semiduplex.

Psalm. in Noct. tres primi Fer. VI. ad Mat. p. 42.

℣. Expectans expectavi Dominum, alleluia.

℟. Et intendit mihi, alleluia.

Absol. Ipsius. *Bened.* Evangelica.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 20. *v.* 1.

In illo tempore: una sabbati Maria Magdalene venit manè cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis.

De Resurr. Christi art. 1. *c.* 1.

Quia de sacræ Matris consolatione post Resurrectionem nihil evangelica testatur Historia, non propterèa credendum est, quòd benignissimus JESUS fons consolationis et gratiæ, qui cæteros tam sluduit consolari, oblitus sit Matris, quam solam noverat mortis suæ amaritudinem plenissimè degustasse. Placuit tamen providentiæ Dei de hoc per evangelicos apices nihil reserari, et maximè propter tria: Primò propter firmitatem; secundò propter infidelitatem; tertiò propter sublimitatem. Tu. ℟. Ecce vic. *p.* 200.

LECTIO 2.

Primò propter firmitatem: tantâ enim firmitate certissima constabat Virgini Matri de Resurrectione Filii sui, ut nec per minimum dubitationis motum circa hoc fuerit propulsala: quod quidem facilè fuit, credere ex hoc quod per singularissimam gratiam electa fuerit, ut Mater Christi Dei esset, et Regina angelorum, et Domina universi. Propterèa ipso silentio scripturarum melius ostenditur, hoc debere teneri, ut omninò indubitabile, quàm fieret quàcumque Scripturâ. Tu. ℟. Exurge. *p.* 200.

LECTIO 3.

Secundò autem factum est propter infidelitatem. Quia enim Spiritui Sancto cura erat per Scripturas evangelicas illas apparitiones describere, quæ carnalibus hominibus possent de Resurrectione Christi fidedignum testimonium perhibere, et maternus affectus in eorum oculis minueret veritatem; ideò nulla scripta est apparitio de Matris testimonio. Tertiò quoquè factum est propter sublimitatem. Post Resurrectionem enim Christi nihil de Matre, et etiàm ante panca per Evangelium reserantur, quia apparitiones Christi exhibita Matri, et familiaria inter ejus colloquia, atque amoris sublimia signa in tantùm debuerunt esse super intellectualissima, sublimissima, atque ineffabilissima,, quòd nec potuerint ab inferioribus dici, vel sciri, nisi cum tantâ diminutione suâ, quòd eas dicere esset nobis excessum illarum quodam modo denigrare. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad Bened. *ant.* Exurrexi, * Mater mea, alleluia, et adhuc sum tecum, aleluia.

CANON.

Ex D. Thomâ Archiep. Valentino.

Dom. Resur. Conc. 1. *n.* 6.

257. Post mortem Pastoris grex apostolorum dispersus iterùm congregatur ad Virginem: et non sine magno pudore redeunt ad Matrem, qui Filium derelinquerant. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Tenuisti me * dexterâ tuâ, et in gloriâ tuâ suscepisti me, alleluia allel.

SABBATO IN ALBIS.

Semiduplex.

Psalmi in Noct. tres primi Sabbat. ad Mat. p. 47.

℣. Statuit super petram pedes meos, alleluia. ℟. Et direxit gressus meos, allel.

Absolutio. A vinculis.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 20. *v.* 1.

In illo tempore: Una Sabbati Maria Magdalene, venit manè cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valentini. *Conc.* 2. *in Domin. Resurrec.*

Postquàm igitur Dominus surrexit, statim ut dignum erat, Matrem suam Virginem visitavit. Certum quod Deus fecerit cum Virgine, id quod fecerunt Prophetæ cum matribus mortuorum, quarum resuscitando proles, statim illis offerebant. Sic Elias, Elisæus, sic Christus fecit cum Viduâ Naim. Tu. ℟. Ecce vicit. *p.* 200.

LECTIO 2.

Erat enim illa, etsi præteritæ passionis angustiâ mœsta, tamen futuræ resurrectionis certa fiduciâ. Totaque pervigil nocte illâ in oratione matutinam lucem expectabat, clamans cum Prophetâ: Exurge, gloria mea, exurge psalterium et cithara. Tu. ℟. Exurge. *p.* 200.

LECTIO 3.

Exurge, fili mi, Deus meus, et amor meus. Totaque fervens Spiritu, et perfusa gaudio, appropinquante aurorâ, Filii sui et Dei sui expectabat adventum. Quis dicere poterit motus ejus cœlestes et flagrantissima desideria? Quis mentis illius altitudinem et profunditatem valeat cogitare? Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad Bened. *ant.* Videte manus meas, et pedes meos, quia ego ipse sum, alleluia, alleluia.

CANON.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino.

Resurr. Dom. Conc. 1.

238. Non fuit Virgo sacrata sicut cæteræ mulieres vel apostoli: habuit enim illa fidem et cognitionem, et cerlitudinem, et notitiam Sacramentorum Resurrectionis. Tu.

AD VESPER.

Officium fit Duplex.

Ant. Alleluia, alleluia, alleluia. *Psalmi de Vesp. Sabbati p.* 50.

CAPITULUM. *Rom.* 6. 9.

Christus resurgens à mortuis jam non moritur: mors illi ultrà non dominabitur.

HYMNUS 54. *Brev. Rom.*

Rex sempiterne cœlitum,
Rerum creator omnium,
Æqualis ante sæcula
Semper Parenti Filius.

Qui natus olim è Virgine,
Nunc è sepulchro nasceris,
Tecumque nos à mortuis
Jubes sepultos surgere.

Ut sit perenne mentibus
Paschale, JESU, gaudium,
A morte dirâ criminum
Vitæ renatos libera.

JESU tibi sit gloria,
Surgendo qui de mortuis
Apparuisti Virgini
Matri tuæ, per sæcula. Amen.

Hæc Dox. dicitur toto temp. pasch.

℣. Egressus es in salutem populi tui, alleluia.

℟. In salutem cum Christo tuo, alleluia.

Ad Magnif. *ant.* Stetit JESUS in medio Discipulorum suorum, et dixit eis: pax vobis: ego sum, alleluia, alleluia.

Oratio de Laudibus.

℣. Benedicamus Domino, allel. alleluia.

℟. Deo gratias, alleluia, allel.

Deinceps dicitur sine allel.

Completor. dicitur hodiè ut in Psalter. in Sabbato. p. 32

DOMIN. IN ALBIS.

Duplex.

Omnia non propria, ut in Psalter. pro temp. pasch.

AD MATUTIN.

Invitator. Congratulamini Virgini Matri, allel.: In Resurrectione JESU-Christi Filii sui, allel. allel.

HYMNUS 55.

Christum sepulchro jam dies
Clausum tenebat tertia,
Cum morte surgens induit
Victor decorem gloriæ.

Stipante turbâ protinùs
Matrem revisit anxiam,
Tersisque vultu lacrymis
Æterna confert gaudia.

O blanda prolis oscula!
O Matris amplexus sacros!
Quàm prima latè tædia
Compensat omnia gaudium!

Omnis salutat Virginem
Cohors redempta tartaro:
Unaque Matri ac Vindici
Grates rependit debitas.

JESU, tibi sit gloria,
Surgendo qui de mortuis
Apparuisti Virgini
Matri tuæ, per sæcula. Amen.

Tempor. paschali Psalmi in Nocturnis dicentur sub una antiphona, sub cujus fine additur, ut dictum est, Alleluia.

IN I. NOCT.

De Cantico canticorum.

LECTIO 1. *c.* 2. *v.* 10.

En dilectus meus loquitur mihi: surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam hyems transiit, imber abiit et recessit. Flores apparuerunt in terrâ nostrâ, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terrâ nostrâ. Tu. ℟. Surge, amica. *p.* 196.

LECTIO 2.

Ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea et veni: columba mea in foraminibus petræ, in cavernâ maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Tu. ℟. Revertere. *p.* 196.

LECTIO 3.

Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies et inclinentur umbræ. Revertere: similis esto, dilecte mi, capreæ hinuloque cervorum super montes Bethel. Tu. ℟. Surgam. *p.* 196.

IN II. NOCT.

Sermo S. Amadei Ep. Laus. *De Laudibus B. V. M. Hom.* 6.

LECTIO 4.

Gaude, et lætare, quia surrexit susceptor tuus, gloria tua, et exaltans caput tuum. Propterea vocat te: amica mea per conjunctionem; columba mea per unionem: formosa mea per decus et compositionem. Surge de mœrore, de afflictione, de humiliatione, et pulvere, quæ doloris indicia sunt: propera, tolle moras, onus excute, gravitatem exue, levitatem indue, cursum arripe, volatum assume et veni. Tu. ℟. Veni de Libano. *p.* 196.

LECTIO 5.

Veni, ut possideas gloriam Dei, primitias Resurrectionis primos-niti ex mortuis. Jam hyems transiit, quâ Petrus torpens negavit, quâ corda Judæorum congelata extinxere sibi solem justitiæ prunis voluptatum suarum succensi. Tu. ℟. Descendi. *p.* 196.

LECTIO 6.

Imber abiit et recessit, imber turbidus, lutulentus, minosus, mixtus nive et grandine, abiit et recessit. Abiit quoquè imber, quo area gentilium, et vellus Judaici populi ma-

ruit excicari. Flores apparuerunt in terrâ nostrâ, flores utique beatorum Spirituum, et angelorum alternatim venientium, et locum odore suavissimo spargentium, ubi positus Dominus. Tu. ℟. Pulchra. *p.* 196.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 28. *v.* 1.

In illo tempore: vespere sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalena, et altera Maria videre sepulchrum. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi.

Serm. 74. *de Resurrect.*

Venit Maria. Hoc nomen Matris est Christi, venit ergò Mater in nomine, venit mulier, ut fieret mater viventium, quæ facta fuerat morientium Mater, ut quod scriptum est, impleretur. Hæc est mater omnium viventium. Venit Maria, et altera Maria. Non dixit: venerunt, sed, venit: sub uno nomine venerunt duæ mysterio, non casu. Venit Maria, et altera Maria. Venit ipsa, sed altera: altera, sed ipsa, ut mulier mutaretur vitâ, non nomine, virtute, non sexu, et fieret Resurrectionis nuntia, quæ internuntia et lapsûs exiterat, et ruinæ. Tu. ℟. Flores. *p.* 196.

LECTIO 8.

Præcedunt apostolos ad ministerium feminæ, quæ sexu viros, ordine discipulos sequuntur: sed non hinc faciunt apostolos segniores, quæ non feminarum formas, sed Ecclesiarum typum deferunt dominicum ad sepulchrum. Maria, et Maria, sic altera, ut ipsa: ipsa ut altera, altera ipsa Maria, MARIA Mater Christi: unum nomen duas geminatur in feminas, quia hic Ecclesia ex duobus populis veniens una figuratur: ex duobus populis, id est ex gentibus, et judæis, quia primi novissimi, et novissimi primi. Tu. ℟. Indica mihi. *p.* 196.

LECTIO 9.

Venit Maria ad sepulchrum, venit ad Resurrectionis uterum, venit ad vitæ partum: ut iterum Christus ex sepulchro nasceretur fidei, qui carnis fuerat generatus ex ventre: et eum, quem clausa virginitas vitam protulerat ad præsentem, clausum sepulchrum ad vitam redderet sempiternam. Divinitatis insigne est clausam Virginem reliquisse post partum: de sepulchro clauso exisse cum corpore, est divinitatis insigne. Tu. ℟. Te Matrem. *p.* 5.

AD LAUDES.

CAPITULUM. *Rom.* 69.

Christus resurgens à mortuis jam non moritur: mors illi ultrà non dominabitur.

HYMNUS 55.

Aurora cœlum purpurat,
Æther resultat laudibus:
Mundus triumphans jubilat,
Horrens avernus infremit.

Rex ille dum fortissimus
Parentis afflictæ memor,
Sinus amoris explicans
Sese fruendum præbuit.

Quem copiosis imbribus
Lugebat ante mortuum
Victor triumphat et suo
Mortem sepulchro funerat.

Sat fuerit, sat lacrymis,
Sat est datum doloribus:
Absorta Virgo plenius
Nati potire gaudiis.

JESU, tibi sit gloria,
Surgendo qui de mortuis
Apparuisti Virgini
Matri tuæ, per sæcula. Amen.

℣. Regina cœli lætare, alleluia.
℟. Quia surrexit Filius tuus, alleluia.

Ad Benedict. *ant.* Ardens est cor

meum, desidero videre Dominum Filium meum, alleluia, alleluia.

Oremus. *Oratio.*

In mentibus nostris, quæsumus, Domine, veræ fidei sacramenta confirma, ut qui conceptum de Virgine Deum verum et hominem confitemur, per ejus salutiferæ Resurrectionis potentiam, ad æternam mereamur pervenire lætitiam. Per eumdem Dom.

XII.

CULTUS DEIPARÆ SS. TRIBUTUS.

1. *In Effigiebus.*

CANON.

Ex Concilio Nicæno Secundo. *An.* 787. *act.* 7.—*Concil. T.* 19. *pag.* 606.

258. Simùl acclamavimus, veritatemque prædicavimus, omnimodis videlicèt recipiendas venerabiles Imagines Domini nostri JESU-Christi..... atque intemeratæ Dominæ nostræ Sanctæ Dei Genitricis, Sanctorumque Angelorum (...) una cum omnibus Sanctis. Tu.

Horæ dicuntur ut in Psalterio notatur pro tempore paschali.

In ℟℟. brevibus Horarum tam in officio de tempore, quàm de Festis addantur Alleluia, *hoc modo.*

℟. *br.* Virgo Mater Dei vivi, miserere nobis, * Alleluia, allel. Virgo. ℣. Quæ in Resurrectione Filii tui lætata fuisti.—Allel. allel.—Gloria.—Virgo ℣. Memento nostri, Domina, allel. ℟. In beneplacito tuo, alleluia.

Et sic in aliis ℟℟. brev.

AD VESPERAS.

Capitul. Christus res. *Ultim Laud.*

HYMNUS 56. *Brev. Bisuntin.*

Quem casta Mater in sacro
Sinu lutisti Filius,
Magnâ coruscans gloriâ
Victo resurgit funere.

Quem sputa, spinas, verbera,
Quem ferre pro nobis crucem,
Quem morte raptum videras,
Tibi triumphans redditur.

JESU, tibi sit gloria,
Surgendo qui de mortuis
Apparuisti Virgini
Matri tuæ, per sæcula. Amen.

℣. Gaude, et lætare, Virgo MARIA, alleluia.
℟. Quia surrexit Dominus verè, alleluia.

Ad Magnific. *ant.* Surge, amica mea, allel. allel.

Orat de Laudib.

CANONES

Post Dominic. in Albis.

FERIA II.

Ex Concilio Nicæno secundo. *Ut supr. p.* 609.

259. Veracitèr et incunctanter esse coram Deo acceptum et beneplacitum constat, imaginales formationes Domini nostri JESU-Chisti, et intemeratæ Dei Genitricis sempèrque Virginis MARIÆ, ac honorabilium angelorum et omnium Sanctorum adorari et osculari, et quisquis sic se non habuerit... hunc anathematizat sancta nostra et universalis Synodus. Tu.

FERIA III.

Ex Concilio Nicæno Secundo. *Ut supr. p.* 648. *act.* 8.

In Sermon. laudator. in fine Concilii

260. Decet Dei Genitricis Matris Christi, qui te desponsavit, imaginem tuis sacratissimis parietibus factam in picturâ et musivorum opere ferre: quatenùs gratia, quæ tibi per hanc illuxit, facilè prædicatione communitèr cunctis populis prædicetur. Tu.

FERIA IV.

Ex Concilio Nicæno secundo. *Act.* 1. *an.* 787.—*Verba Theod. Ep. Amorii.*—*Conc. T.* 18. *p.* 259.

261. Approbo, suscipio, saluto,

et veneror... Imaginem Sanctæ Matris Virginis, cujus etiàm auxilium, protectionem et intercessionem nocte dieque, ut peccatori mihi subveniat, invoco, ut quæ eam potestatem habet ab illo, quem in mundum edidit, Christo Deo nostro. Tu.

FERIA. V.

Ex Concilio Nicæno secundo.

Idem ibid. ut supra.

262. Probo similiter, quæ à primordio receptæ traduntur Imagines principio JESU-Christi et Sanctæ Deiparæ Virginis, sive ex auro, sive ex argento, sive colorum ductibus, sive quâcumque materiâ exprimantur. Tu.

FERIA VI.

Ex Concilio Constantinopolitano Quarto.

An. 870. *act.* 10. *can.* 3.—*T.* 22. *p.* 629.

263. Intemeratæ Genitricis Dei effigiem, sanctorumque angelorum..... ac Sanctorum omnium veneramur et colimus. Qui aliter sentiunt, anathemate sunto. Tu.

SABBATO.

Ex Concilio Budensi.

An. 1279.—*Cap.* 13.—*Labb. Tom.* 7. *col.* 794.

264. Suademus, ut quotiescumquè Clericos contingerit simùl vel singulariter incedere ante altare, seu figuram Beatæ Virginis, et maximè cum pro divinis officiis intrant chorum, inclinent capita sua, depositis pileis reverenter. Tu.

DOM. II. POST PASCHAM.

Semiduplex.

Omnia ut in Dom. in Albis p. 207.

IN I. NOCT.

De Cantico canticorum.

LECTIO 1. *c.* 3. *v.* 1.

In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea : quæsivi illum et non inveni. Surgam et circuibo civitatem: per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea: quæsivi illum et non inveni: invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem: num quem diligit anima mea vidisti ? Paulùm cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, in cubiculum genitricis meæ. Tu. ℣. Surge. *p.* 196.

LECTIO 2.

Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare facialis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus mirrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii? En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Tu. ℣. Revertere. *p.* 196.

LECTIO 3.

Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: mediâ charitate constravit propter filias Jerusalem. Egredimini, et videte filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus. Tu. ℣. Surgam. *p.* 196.

IN II. NOCT.

Sermo S. Petri Damiani Ep.

In Assumptione B. M. V.

LECTIO 4.

In hujus sæculi vanitates omnes vel descendere, vel cadere cognoscuntur, rarusque qui non descendat vel cadat in hujus turbulentissimæ profunditatis oceanum. Sola illa Mater Creatoris nec descendit, nec cecidit, sed de virtute in virtutem ascendens consummatione virtutum vestita est. Qualiter autem ascendit? Sicut virgula, inquit, fumi. Sed hæc operatio, quàm significante similitudine sit signata, recollige. Tu. ℣. Veni de Lib. *p.* 196.

LECTIO 5.

Virgula fumi recta est, subtilis, odorifera, et quantò magis in aream extenditur, tantò ampliùs dilatatur. Sic et Angelorum Regina recta est in sublimitate conversationis, subtilis in Deitatis contemplatione, odorifera in virtutum opinione, angusta in temporalibus, in spiritualibus dilatata. Sequitur: ex aromatibus myrræ et thuris. In myrrhâ abstinentiam, in thure devotionem intellige. Tu. ℣. Descendi. *p.* 196.

LECTIO 6.

Hæc sunt duo quæ totam virginalem substantiam circumdedere virtute, continentiâ scilicet, et devotione, quorum alterum carnem, alterum mentem, ut caro purissima, mens purissima Genitricem Domini singulariùs consecrarent. Universus etiàm pulvis pigmentarius in Virgine conjectus est, quia in eâ virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit, et si cæteris per partes Spiritus afflut, MARIÆ tamen tota plenitudo gratiæ supervenit. Tu. ℣. Pulchra. *p.* 196.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Marcum.

LECTIO 7. *c.* 16. *v.* 1.

In illo tempore: cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent JESUM. Et reliqua.

Homilia D. Georgii Nicomediensis Arch.

Orat. 9. *in S. Mariam.*

Vide sanè MARIÆ Virginis majorem cogitatu clarissimam sinceramque prudentiam, ut neque unguenta ferentibus feminis, neque Apostolis hæc ipsa per se priùs annuntiaverit; sed ut magis ex visu certiores factos, firmiorem veritatem tenere concesserit. Sic enim sapientèr admodùm in toto se œconomiæ gessit negotio, ut non per eam essent primæ notiones, sed ut ipsa quoquè peteret ex Deo, iisque, eâ mediatrice, amicis, ac quibus congruum esset, traduceret. Tu. ℣. Flores. *p.* 196.

LECTIO 8.

Cum itaque sacri præcones primam ipsam, ac cæteris clariùs divinæ Resurrectionis mysteria didicisse scirent: per eam siquidem certiores longè quàm per unguentiferas mulieres facti fuerant; nusquàm tamen cum de Resurrectione agunt, illius voluerunt facere mentionem: congruâ nimirùm prudentiâ, ac divinâ spiritûs prudentiâ disponente. Tu. ℣. Indica. *p.* 196.

LECTIO 9.

Nam si testem Resurrectionis eam produxissent, quæ videri posset suam ipsa quærere gloriam, in causâ fuissent, ut Resurrectionis astructa fides incredulis suspecta videretur. Quam ob rem etiàm meritò hic, quæ ad eam spectant, omittunt, ac tacent. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad Benedict. *ant.* Quis revolvet nobis lapidem ? Et invenerunt lapidem sepulchri revolutum ab ostio monumenti, alleluia, alleluia.

Oremus. *Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice, ut qui in sanctissimæ Genitri-

BIBLIOTECA CENTRAL UANL

cis tuæ intercessione confidimus, tuâ sempèr protectione muniamur. Qui vivis et regnas.

CANON.

Ex Concilio Tridentino.

An. 1563. *Sess.* 25.

265. Mandat Sancta Synodus... Imagines Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et veneralionem impertiendam. Tu.

Ad Magnific. *ant.* Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, alleluia, alleluia.

CANONES

Infra Hebr. 2. *post Pasch.*

FERIA II.

Ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis.

21. *Mart.* 1774 *in Bergom.*—*Tabu.* 1169.

266. Permitti potest, ut statua Beatæ MARIÆ Virginis velo nigro circumdata in nocte Feriæ quintæ in cenâ Domini cum JESU Domino Filio mortuo in gremium deposito, in Ecclesiâ exponatur, et sequenti Feriâ sextâ in mane processionaliter cum pluvialibus nigris deferatur. Tu.

FERIA III.

Ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis.

22. *august.* 1744. *in Ripana. Man.* 671.

267. In Processionibus cum sacrâ Imagine Beatæ MARIÆ Virginis Officiales Confraternitatis debent incedere à latere statuæ. Tu.

FERIA IV.

Ex Decreto Sacr. Rituum Congreg. 21. *Juli.* 1789. *In Canarien. Man.* 760.

268. Imago Beatæ MARIÆ Virginis thurificanda tantùm est duplici ductu. Tu.

FERIA V.

2. *In Officio Ecclesiastico.*

§ 1. Officio parvo.

Ex Statuto Capituli Ecclesiæ Senogiensis.

An 1198.—*Martene, Tom.* 1. *col.* 1019.

269. Cum in Ecclesiâ nostrâ.... Horarum gloriosæ Dei Genitricis ac perpetuæ Virginis MARIÆ assiduè canendarum institutio vel consuetudo nequaquàm haberetur; nos... diligenter decrevimus, per quotidianam illarum celebrationem institutum divinorum laborem officiorum augmentare. Tu.

FERIA VI.

Ex statutis Ecclesiæ Rothomagensis. *edit. ann.* 1361. *Mart. T.* 9. *n.* 5.

270. Horæ Beatæ MARIÆ Rothomagensis Ecclesiæ Dominæ et Patronæ, quæ statim nullo medio intervallo post communes horas celebrantur de antiquâ consuetudine, de quâ hominum memoria non existit, ad honorem Dei et Beatæ MARIÆ Virginis sunt inibi ordinatæ. Tu.

SABBATO.

Ex Statutis Ecclesiæ Rothomagensis. *Ut supra col.* 1533.

271. Statuimus, quod omnes Capellani et Clerici in horis Beatæ MARIÆ officiando, ut in aliis interesse teneantur, et si in eisdem, sicut in aliis non intersint, illicò eamdem pœnam incurrant, quam incurrerent, si aliis principalibus Horis non adessent. Tu.

DOM. III. POST PASCH.

Semiduplex.

Omnia ut in Dom. in Albis p. 207.

IN I. NOCT.

De Cantico canticorum.

LECTIO 1. *c.* 4. *v.* 1.

Quàm pulchra es, amica mea! quàm pulchra es! Oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecùs latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici ita genæ tuæ, absque eo, quod intrinsecùs latet. Tu. ℣. Surge. *p.* 196.

LECTIO 2.

Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium. Duo ubera tua, sicut duo hinnulli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis. Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ, vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Tu. ℣. Revertere. *p.* 196.

LECTIO 3.

Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea, Sponsa! Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Tu. ℣. Surgam. *p.* 196.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni, Ep. *In Bibliâ Mariandi.* LECT. 4.

Beata Virgo est turris munitissima in se, et in aliis. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex eâ. Ibi quisque inveniet defensionem contra malum suum. Ibi pendet clypeus castitatis contra luxuriam: humilitatis contra superbiam; charitatis contra invidiam, largitatis contra avaritiam. Omnis armatura fortium in ipsâ. Tu. ℣. Veni de Libano. *p.* 196.

LECTIO 5.

Item ipsa beata Virgo est quam tota Trinitas multiplici nomine ad se venire invitavit. Tota pulchra es, amica mea, immunis etiàm à veniali peccato, et ideo macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni. Tèr dicit: veni, propter fidem Trinitatis. Tu. ℣. Descendi. *p.* 196.

LECTIO 6.

Nota, quòd multùm dilecta Regis multiplici nomine solet à diligente appellari. Sic beatissima Virgo à Deo vocatur amica, columba, dilecta, speciosa, formosa, soror, immaculata, perfecta, electa, Sunamitis, filia. Diversitatem horum nominum nota, et gloriosæ Virgini adapta. Tu. ℣. Pulchra. *p.* 196.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 24. *v.* 38.

In illo tempore: dixit JESUS discipulis suis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Libr. de Assumptione—Inter ejus opera.*

Caro enim JESU caro est MARIÆ et multò specialiùs quàm Joseph, Judæ, cæterorumque fratrum ejus, quibus dicebat: frater enim et caro nostra est. Caro enim Christi, quamvis gloriâ Resurrectionis fuerit magnificata, et potentèr super omnes cœlos ascensione glorificata, eadem tamen carnis mansit, et manet natura, quæ suscepta est de MARIA. Ipse enim est, qui conceptus, genitus, atque à mortuis su-

BIBLIOTECA CENTRAL UANL

scitatus est per gloriam Patris, sicut profectò ipse testatur post Resurrectionem, quandò apostolis dicit: videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum. Tu. ℣. Flores. *p.* 196.

LECTIO 8.

Quid enim est: ego ipse sum: nisi quia alter non sum, quàm qui tunc eram, quandò passus sum? Et hoc siquidem cognoscere potestis, qui in manibus et pedibus meis clavorum signa clarè videtis. Ipse ergò, idemque cœlos ascendit, et carnem, quam de Matre suscepit, super astra transvexit, honorans omnem humanam naturam, sed multò magis maternam. Tu. ℣. Indica mihi. *p.* 196.

LECTIO 9.

Si igitur natura matris est filius, conveniens est, ut sit et filii mater, non quantùm pertinet ad æquam administrationem, sed quantùm pertinet ad eamdem reciprocam substantiam, ut homo de homine, caro de carne, mater de filio, filius à matre, non ad unitatem personæ, sed ad unitatem corporalis naturæ, et substantiæ: Si enim unitatem potest facere gratia sine propriotate specialis naturæ, quantò magis ubi gratiæ unitas, et corporis est specialis nativitas. Tu. ℣. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Ego ipse sum: videte manus meas, et pedes meos, alleluia, alleluia.

Oremus. *Oratio.*

Voces nostras, quæsumus, Domine, clementèr exaudi, ut dum misericordiam tuam per Unigeniti tui Genitricem sanctissimam imploramus, in conspectu tuo veniam invenire possimus. Per eumd. Dom.

CANON.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Suessionensis.

Apud Marten. T. 9. *col.* 1540.

272. Ad Horas Beatæ MARIÆ dicatur tertius versus, «MARIA Mater gratiæ, Mater misericordiæ» et dicatur cum omni devotione, non in surgendo, et calceando, nec syncopando. Tu.

Ad Magnific. *ant.* Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, alleluia, alleluia.

CANONES

Infra Hebdom. 3. *pos Pasch.*

FERIA II.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Aurelianensis.

Apud Mart. T. 7. *col.* 1277.

273. Ad Horas Beatæ MARIÆ Virginis semper dicatur tertius versus, «MARIA Mater gratiæ» et cantetur cum nota in Ecclesiâ, quandò cantatur cum notâ in Ecclesiâ Aurelianensi, et cum devotione, non in surgendo et calceando. Tu.

FERIA III.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Cameracensis.

Apud Marten. T. 7. *col.* 1297.

274. Statuimus, quod Acolithus Horas gloriosæ Virginis quotidiè dicat. Tu.

FERIA IV.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Cameracensis.

ut supra.

275. Statuimus, quòd existens in sacris ordinibus, sive sit beneficiatus, sive non, horas canonicas videlicet de die, et Beatæ MARIÆ Virginis dicere quotidiè non omittat. Tu.

FERIA V.

Ex Concilio Andegavensi.

An. 1365. *cap.* 15.—*Labb. T.* 7. *col.* 1776.

276. Approbante Concilio, statuimus, quòd in singulis Ecclesiis Metropolitanis, Catedralibus, Regularibus, Collegiatis, matutinæ et

aliæ horæ de Beatâ MARIA singulis diebus solemniter decantentur: nisi aliàs Officium esset de Beatâ MARIA, vel aliis majoribus Festis anni, vel in adventu Domini, et ad hoc omnes volumus astringi sub præcepto. Tu.

FERIA VI.

Ex S. Pio Papâ Quinto.

Const. Superni. 167.—*an.* 1571. —*Bull.* 14. *T.* 4. *p.* 3. *p.* 155.

277. Omnes et singulos qui Beatæ MARIÆ Officium dicere, psallere, et recitare tenentur, ex hujus nostri Romani Officii præscripto, et ratione ad id omninò obligatos esse, et neminem muneri suo nisi hâc formâ satisfacere posse. Tu.

SABBATO.

Ex S. Pio Papâ Quinto.

ut supra.

278. Omnibus et singulis qui ad recitationem officii parvi Beatæ MARIÆ Virginis non tenentur, quotiès istud sic de mandato nostro reformatum recitaverint, quinquaginta dies.... obligatis vero eas duntaxat indulgentias concedimus, quæ literis nostris super reformatione novi Breviarii editis designantur, et hujusmodi Beatæ MARIÆ Virginis Officium recitantibus concedentur. Tu.

DOM. IV. POST PASCH.

Semiduplex.

Omnia ut in Dom. in Albis, p. 207.

IN I. NOCT.

De Cantico canticorum.

LECTIO 1. *c.* 6. *v.* 6.

Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque ocultis tuis. Tu. ℣. Surge. *p.* 196.

LECTIO 2.

Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus. Unica est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitricis suæ. Viderunt eam filiæ et beatissimam prædicaverunt: reginæ et concubinæ laudaverunt eam. Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Tu. ℣. Revertere. *p.* 196.

LECTIO 3.

Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium, et respicerem, si floruisset vinea, et germinassent mala punica. Nescivi: anima mea conturbata est propter quadrigas Aminadab. Revertere, revertere, Sulamitis: revertere, revertere, ut intueamur te. Tu. ℣. Surgam. *p.* 196.

IN II. NOCT.

Sermo S. Petri Damiani Ep.

In Assumpt. B. V. M. LECT. 4.

Natâ Virgine, surrexit aurora, quia MARIA prævia veri luminis nativitate suâ manè clarissimum serenavit. Nam sicut aurora terminum noctis, diei principium adesse testatur, sic et Virgo noctem expulit sempiternam, et diem de terrâ suæ virginitatis exortum teris infudit. Progreditur quasi procùl et de ultimis finibus pretium eius: consurgens, quia de cadente supersurgens materiâ. Tu. ℣. Veni de. *p.* 196.

LECTIO 5.

Pulchra ut luna. Quid lunâ pulchrius, cum stellis coruscantibus in signifero limite reliquorum syderum splendorem excedit? Sic et Virgo inter animas sanctorum et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

angelorum choros supereminens, et evecta merita singulorum, et omnium titulos antecedit. Quantumlibet aliæ stellæ reluceant, luna tamen, et magnitudinem præeminet, et splendorem. Sic utramque naturam Virgo singularis exuperat, et immensitate gratiæ, et fulgore virtutum. Tu. ℣. Descendi. *p.* 196.

LECTIO 6.

Electa ut sol. Hanc attende similitudinem, quâ nulla in rebus mundi potest esse sublimior. Nihil enim habuit Spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet. Electa, inquit, sed præelecta: ut sol, quia sicut sol solus orbem illuminat, sic hæc sola solidiori lumine et angelos, et homines illustrat. Terribilis ut castrorum acies ordinata. Terribilis dæmonibus, ordinata virtutibus: singularis timor malignorum spirituum: specialis amor beatorum civium. Tu. ℣. Pulcra. *p.* 196.

IN III. NOCT.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 13. *v.* 44.

In illo tempore: dixit JESUS Discipulis suis: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventuræ Ep.

In Specul. B. V. M. c. 7.

Ager iste est MARIA, in quâ thesaurus angelorum, immò totus Dei Patris Filius absconditus est. Felix qui vendit omnia quæ habet, et emit agrum istum. Hujus agri pleni plenus odor est plena MARIÆ fama, plenus odor. De hoc Beatus Hieronymus ait: quia multis erat repleta virtutum odoribus, manans ex eâ fragrabat suavissimus odor Spiritibus angelicis. Tu. ℣. Flores. *p.* 196.

LECTIO 8.

De isto odore ipsa sancta gloriando dicere potest illud Ecclesiastici: sicut cinnamomum et balsamum amœnitatis odorem dedi. Odor MARIÆ sicut cinnamomum exteriùs, in cortice conversationis: sicut balsamum interiùs in unctione devotionis: sicut myrrha in amaritudine castigationis. Tu. ℣. Indica. *p.* 196.

LECTIO 9.

Fuit quoque odor MARIÆ sicut cinnamomum in actione, sicut balsamum in contemplatione: sicut myrrha in passione. O verè dives, et nimis dives! Quæ præter alia aromata, tam plena fuit odorifero Spiritûs Sancti balsamo, ut benè de illo beatus Bernardus dicat: pretiosum illud balsamum tantâ sibi copiâ, tantâque plenitudine influet, ut copiosissimè effluat circumquaque. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Ecce odor Filiæ Dei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus, allel. allel.

Oremus. *Oratio.*

Beatæ et gloriosæ semperque Virginis MARIÆ nos, Domine, quæsumus, merita consequantur, ut tuam nobis semper indulgentiam, dum pro peccatis nostris affligimur, implorent. Per Dominum.

CANON.

Ex Breviario Romano.

Rubricæ gener. 12. *n.* 5.

279. In festis Beatæ MARIÆ (omissis iis, quæ propria in illis habentur) hymni, novem Psalmi, et alia quædam requirenda, sunt ex communi ejus officio parvo, circa finem Breviarii. Tu.

Ad Magnific. *ant.* Revertere, revertere, ut intueamur te. Allel. allel.

CANONES.

Infra Hebdom. 4. post Pasch.

FERIA II.

Ex Breviario Romano.

Rubric. gener. 37. *n.* 2.

280. Tempore Paschali in Officio parvo Beatæ MARIÆ, quod dicitur in choro, non additur alleluia antiphonis, neque versibus, neque responsoriis. Tu.

FERIA III.

Ex Breviario Romano.

Rubr. de officio parvo.

281. Officium parvum Beatæ MARIÆ non dicitur, quandò fit Officium novem Lectionum, nec in Sabatis, quandò fit Officium de Sanctâ MARIA. Quibus diebus omittitur à primis Vesperis. Tu.

FERIA IV.

Ex Breviario Romano.

Ut supra.

282. Cum «Officium parvum» dicitur in choro, in Matutinis et in Vesperis præponitur officio diei, in aliis Horis postponitur. Prima dicitur post «Benedicamus Domino,» antequàm legatur Martyrologium. Extra chorum dicitur pro temporis opportunitate. Tu.

FERIA V.

Ex Concilio Mediolanensi Quarto. *An.* 1576.—*Conc. Tom.* 36. *p.* 361.

283. Quibus in Ecclesiis divinum canonicarum horarum Officium de Beatâ MARIA Virgine recitari aut solet, aut debet, earum Clerus universus illud in choro præsens pariter recitet, atque Officium quod de Domino dicitur: id vero ità, ut singulas Horas canonicas unius officii cum singulis alterius, ex Breviarii Romani præscripto, ordine conjungat. Tu.

FERIA VI.

Ex Concilio Aquileiensi.

An. 1596.—*Conc. Tom.* 36. *p.* 825.

284. Pensi narios serio monitos esse volumus, eos ad Officium Beatæ MARIÆ Virginis quotidiè recitandum teneri: præter peccatum mortale, quod committunt, si omiserint, restitutionis onere obstrictos declaramus. Tu.

SABBATO.

Ex Decreto Sacr. Rituum Congregationis.

28. *Mart.* 1626. *in Tornacens. Man.* 412.

285. Officium parvum Beatæ MARIÆ Virginis tempore paschali recitandum est prout in Breviario Romano. Tu.

DOM. V. POST PASCH.

Semiduplex.

Omnia ut in Dom. in Albis p. 207.

IN I. NOCT.

De Cantico canticorum.

LECTIO 1. *c.* 7. *v.* 1.

Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum? Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis? Juncturæ femorum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis. Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquàm indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis. Tu. ℣. Surge. *p.* 196.

LECTIO 2.

Duo ubera tua sicut duo hinnulli gemelli capreæ. Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui, sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in portâ filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Caput tuum ut Carmelus: et comæ capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus. Tu. ℣. Revertere *p.* 196.

LECTIO 3.

Quàm pulcra es, et quàm decora, carissima, in deliciis! Statura tua assimilata es palmæ, et ubera tua botris. Dixi: ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus: et erunt

ubera tua sicut botri vineæ: et odor odoris tui sicut malorum. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum. Tu. ℣. Surgam. *p.* 196

IN II. NOCT.

Sermo S. Ambrosii Ep.

De institutione Virginum c. 14.

LECTIO 4.

Hanc imitamini, filiæ, cui pulchrè convenit illud, quod de Ecclesiâ prophetatum est: speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis, eo quod speciosè Ecclesia Evangelii prædicatione processit. In hoc calceamento speciosè processit MARIA, quæ sine illâ commixtione corporeæ consuetudinis Auctorem salutis virgo generavit. Tu. ℣. Veni de Libano. *p.* 196.

LECTIO 5.

Venter tuus sicut acervus tritici munili inter lilia, eo quod continens sibi in omnibus Christi ortus ex Virgine, sicut victores solent sæcularium præliorum strænuorum virorum donatis torquibus honorare cervices: ita jugum nostrum levavit, ut fidelium colla virtutis insignibus coronarei. Tu. ℣. Descendi. *p.* 196.

LECTIO 6.

In quo Virginis utero simùl acervus tritici, et lilii floris gratia germinabat, quoniàm et granum tritici generabat et lilium. Ex illo ergò utero MARIÆ diffusus est in hunc mundum acervus tritici muniti inter lilia, quandò natus est ex eâ Christus, cui dicit Prophetа David: Benedices coronam anni benignitatis tuæ, et campi tui replebuntur ubertate. Tu. ℣. Pulchra. *p.* 196.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 7. *v.* 17.

Dixit JESUS Discipulis suis: omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit. Et reliqua.

Homilia B. Alberti Magni Ep.

In Biblia Mariana.

Beata Virgo MARIA est arbor bona quæ optimum fructum facit. Non potest arbor bona, id est, bona in naturâ, melior in gratiâ, sed optima in glorià, fructus malos arboris facere, quia è radice fructus pullulat: neque arbor mala, id est, Eva misera, fructus bonos facere, quia in amaritudine originalis culpæ concipimur, et nascimur. Tu ℣. Flores. *p.* 196.

LECTIO 8.

Item ipsa domus totius firmitatis, assimilabitur viro sapienti, id est, Christo, qui ædificavit domum suam, id est, MARIAM supra petram. Quam ob rem, ille non erit domus Dei, qui inconstantiâ facilè permutatur. Et descendit pluvia, et venerunt flumina in passione filii prædilecti, et flaverunt venti, scilicet, vituperatores, et irrisores, dicentes: Vah, qui destruis templum Dei. Tu. ℣. Indica mihi.

LECTIO 9.

Et irruerunt in illam domum, id est MARIAM. Undè ipsa dicere poterat ad Patrem illud Psalmistæ: omnes fluctus tui transierunt super me. Et non cecidit per incredulitatem, et infidelitatem, sicut apostoli, sed stetit fortissima apud crucem, quia fundata erat supra firmam petram, id est, Christum. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Optima arbor * Virgo optimos fructus sempèr fecit, alleluia, alleluia.

Oremus. *Oratio.*

Famulos tuos, quæsumus, Domine, corpore pariter ac mente

purifica, ut beatâ MARIA sempèr Virgine intercedente, in tuâ inspiratione compuncti noxias delectationes vitare prævaleant. Per Dominum.

§. 2. In offic. in Sabbat.

CANON.

Ex Concilio Claramontano.

An. 1095. *Concil. Tom.* 26. *p.* 669.

286. Mandatum «est» omnibus christianis, ut diebus singulis Sabbati Officium Beatæ Virginis recitarent. Tu.

Ad Magnific. *ant* Quàm pulchri * sunt gressus tui in calceamentis, filia principis, alleluia, allel.

FERIA II. IN ROGATION.

Si hodiè, occurrat festum novem Lectionum fit de eo, cum commemoratione hujus Feriæ. Si verò occurrat festum trium lection. fit de feriâ, et lectio 3. *erit de eo festo in commemoratione illius.*

Omnia, ut in feriali officio.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 2. *v.* 1.

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater JESU ibi. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

De gradibus humilitatis in fine.

Disce in Matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere, in magnâ fide verecundiam retinere. Disce verecundiâ decorare fidem, reprimere præsumptionem. Vinum, inquit, non habent. Quàm brevitèr, quàm reverentèr, undè pia fuit sollicita. Tu. ℣. Surge. *p.* 196.

LECTIO 2.

Et ut discas in hujusmodi magis piè gemere, quàm petere præsumptuosè, pietatis æstum pudoris temperans umbrâ, conceptam precis fiduciam verecundè suppressit. Non frontosè accepit, non palàm locuta est, ut audactèr coram omnibus diceret: obsecro, fili, deficit vinum, contristantur convivæ, confunditur sponsus, ostende quid possis. Tu. ℣. Revertere. *p.* 196.

LECTIO 3.

Sed licet hæc, aut multa plura pectus æstuans, fervens loqueretur affectus: privatim tamen potentem pia Filium Mater adiit, non potentiam tentans, sed voluntatem explorans. Vinum, inquit, non habent. Quid modestius? Quid fidelius? Non deficit pietati fides, voci gravitas, efficacia volo. Tu. ℣. Surgam.

Hâc nocte non dicitur cantic. Te Matrem. *In duobus verò sequentibus feriis dicitur.*

Ad Bened. *ant.* Petite per MARIAM, * et accipietis; quærite per MARIAM, et invenietis: pulsate per MARIAM, et aperietur vobis, alleluia, allel.

Oremus. *Oratio.*

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui in afflictione nostrâ de tuâ pietate confidimus, Sanctissimæ Genitricis Filii tui intercessione contra adversa omnia tuâ sempèr protectione muniamur. Per eumdem Dominum.

Hoc triduo dicuntur Litaniæ post Laudes, prout positæ sunt in fine Breviarii, genibus flexis.

CANON.

Ex Breviario Romano.

Rubric. gen. 8. *n.* 1.

287. In omnibus Sabbatis per annum extra adventum et quadragesimam, aut nisi quatuor tempora aut vigiliæ occurrant, vel nisi fieri debeat de Feriâ..... sempèr fit officium de Sanctâ MARIA, eo modo quo fit de festo simplici. Tu.

Ad Horas omnia ut in Psalterio, et etiàm Vesperæ, nisi occurrat festum novem Lection. cum oratione

de Dominic. præcedenti. Si verò sequantur festum simplex à capit. fit de eo.

Ad Magnif. *ant.* Vinum non habent: ℣ Quid mihi et tibi, mulier? allel. allel.

FERIA III. IN ROGATION.

Omnia ut in feriali officio: Lectiones de Feriâ occurrente. Oratio Dominicæ præcedentis.

CANON.

Ex Paulo Papâ Quinto. *Const.* Eximia. an. 1606.—*Bull. R. Tom. V. p. 4. p.* 256.

288. Religiosis Ordinis Servorum Beatæ MARIÆ Virginis ut diebus Sabbati..... non impeditis, et exceptis Sabbatis adventûs et Quadragesimæ, Officium solemne cum novem Lectionibus de Beatissimâ Virgine agere, et illud agendo divini officii obligationi satisfacere..... concedimus. Tu.

FERIA IV. IN ROGATIONIB.

VIGILIA

ASCENSIONIS DOMINI.

Si hodiè occurrat festum nov. Lection. fit de eo cum nona Lect. de sequenti Homiliâ. Si verò fuerit trium Lection. Officium fit de Vigiliâ, et tertia Lect. erit de eo festo. Quod in aliis vigiliis observatur, nisi aliter notetur.

Omnia ut in feriali officio.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 19. *v.* 25.

In illo tempore: stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et soror Matris ejus, Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. *Apud Theophil. Raynaud. in Dyptich. marian. p.* 1. *pag.* 9.

Conversus ad Matrem Dominus dixit: Pax tibi, ò Mater. Ne contristeris quia ascendo ad Patrem meum. Non te relinquam, quæ splendores, ac fenestra mundi. Non te relinquam habitaculum meum omni fuco, ac dolo carens. Non te relinquam, templum meum sanctum. Non te relinquam, quæ fidelis inventa es per universum mundum. Tu. ℟. Flores. *p.* 196.

LECTIO 2.

Non te relinquam arcam meam sanctam, et indissolubilem. Non te relinquam, Mater mea virgo. Cum et quandò emigratura es de hoc corpore, non angelum, neque archangelum missurus sum, sed ego ipse veniam, tuamque animam sole splendidiorem excipiam. Noli ergò contristari, Virgò Mater mea, quia ascendo ad Patrem meum. Tu. ℟. Judica mihi. *p.* 196.

LECTIO 3.

Noli ergò contristari, loco enim meo habes Joannem Virginem. Nonne quandò crucem ascendi, te illi commendavi, dicens Joanni: ecce Mater tua: Tibique dixi: ò mulier, ecce Filius tuus? Et nunc vice meâ, ipse ad pacem tibi erit, ò Mater mea Virgo. Nihil pertimescas, nam ego tecum sum. Tu.

Te Matrem. *p.* 5.

Ad Benedict. *ant.* Dixit JESUS ℣ Matri suæ: Mulier, ecce Filius tuus. Deindè dicit Discipulo: ecce Mater tua, allel. allel.

Oremus. *Oratio.*

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut, qui Ascensionem Filii tui ad cœlos devotè prævenimus, de eâ cum Sanctissimâ ejus genitrice gaudere valeamus. Per eumdem Dominum.

CANON.

Ex Sacr. Rituum Congregationis Decreto.

1. *Mart.* 1681. *Canonicor. Regul. Later.* Tal. 524.

289. Officium Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis concessum in Sabbato non impedito ab Officio novem Lectionum vel occurrente, vel translato, non est celebrandum in adventu, Quadragesimâ, Quatuor temporibus, et in Vigiliis. Tu.

IN

ASCENSIONE

DOMINI.

Duplex 1. *Class. Cum Octavâ.*

IN I. VESPER.

Ant. 1. Adhuc modicum vobiscum sum: expedit, ut ego vadam, alleluia. *Psalmi de Solemnitat.*

2. Quo ego vado, Mater mea, non potes me modò sequi: sequeris autem posteà, allel.

3. Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum, allel.

4. Ne permittas, Fili mi, me separari à te: fiat tamen voluntas tua, allel.

5. Non turbetur cor vestrum, neque formidet, quia vado parare vobis locum, allel.

CAPITULUM. *Joan.* 16. 7.

Ego veritatem dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.

℟. Viri Galilæi, quid statis hic aspicientes in cœlum? ℣ Ascendit Christus in altum; alleluia, volavit super pennas ventorum alleluia, et sedet à dextris Dei, alleluia, alleluia.

℣. Hic JESUS, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodùm vidistis eum euntem in cœlum.—Ascendit.—Gloria.—Viri.

HYMNUS 37. *Breb. Bisunt.*

Opus perigisti tuum:
Te, Criste, victorem necis
Æterna, quam relinqueras,
Cœlo reposcit gloria.

Jam nube vectus fulgidâ,
Terras jacentes despicis:
Educta longo carcere
Regem sequuntur agmina.

Mirante turmâ cœlitum,
Panduntur æternæ fores,
Ovansque sublimem Patris,
Homò Deus, scandis thronum.

Quo, Christe, procedis caput,
Hùc integrum corpus vocas:
Vestigiis tritam tuis,
Fac membra sectentur viam.

JESU, tibi sit gloria,
Qui victor in cœlum redis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Hæc Doxologia dicitur per totam octav.

℣. Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, alleluia. ℟. ad Deum meum, et Deum vestrum alleluia.

Ad Magnif. *ant.* Si abiero, Mater mea, et præparavero tibi locum, iterùm veniam et accipiam te ad me ipsum, ut ubi sum ego, et tu sis, alleluia, alleluia. *Orat de Laudibus.*

Completor. de Dominicâ.

AD MATUTIN.

Invitator. JESUM Virginis MARIÆ Filium ascendentem in cœlum; ℣ Venite, adoremus, alleluia, allelnia.

HYMNUS 38. *Salla.*

Orco subacto, cœlica
Ad regna, queis descenderat
Terras in imas, dum redit
Dei et MARIÆ Filius,

Matris duplex dilectio
In corde certat Virginis;
Ejus quâ amat præsentiam,
Ejus quâ anhelat gloriam.

Hæc mansionem flagitat;
Istæc recessum præcipit;
Cœlestis ejus denique

Vincit triumphi charitas.
Procedat ergò protinus
Ut hic, Parens Sanctissima
Damna illiusce absentiæ
Libente sponte suscipit.
Quis ergò Matris æmulus,
Natique verus assecla
Christi in decorem respuat
Privis recidi gaudiis?
Cœli triumphans atria
Qui, Matre lætâ, transmeas,
Cum Patre et almo Spiritu
Laudere, Chriſle, in sæcula.
Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Decorem induit * hodie Filius tuus, Virgo MARIA, amictus lumine, sicut vestimento, allel.

Psalmi de Dominicâ, p. 2.

2. Nimis exaltatus est, * allel., super omnes Deos, allel.

3. Posuit nubem * ascensum suum, et ambulat super pennas ventorum, allel.

℣. Ascendit Deus in jubilatione, allel.

℟. Et Dominus in voce tubæ, allel.

De Actibus apostolorum.

LECTIO 1. *c.* 1. *v.* 6.

Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis: non est vestrum nosce tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate: sed accipietis virtutem supervenientis Spiritûs Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ, et Samariâ, et usque ad ultimum terræ. Tu.

℟. Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? * Iste formosus in stolâ suâ, gradiens in multitudine fortitudinis suæ, allel. allel. ℣. Attolite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales.—Iste.

LECTIO 2.

Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt: viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic JESUS, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodùm vidistis eum euntem in cœlum. Tu.

℟. Revertere, revertere, Dilecte mi, revertere, revertere, ut intueamur te: * Mane nobiscum, ne derelinquas nos, allel. allel. ℣. Non abscondas à nobis faciem tuam, quia facies tua decora nimis.—Mane.

LECTIO 3.

Tunc reversi sunt Jerosolymam à monte qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, Sabbati habens iter. Et cum introissent in cœnaculum, ascenderunt, ubi manebant Petrus et Joannes, Jacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et MARIA Matre JESU, et fratribus eius. Tu.

℟. Quò abiit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? Quò dilectus tuus declinavit? * Ascendit super Cherubim et volavit, volavit super pennas ventorum, allel. allel. ℣. Elevata est magnificentia sua super cœlos.—Ascendit.—Gloria.—Quò abiit. *Infra octavam.* Ascendit.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Post te * curremus in odorem unguentorum tuorum, allel.

2. Ascendens Christus * in altum captivum secum duxit cor Virginis imaculatum, allel.

3. Cumque intuerentur * in cœlum euntem Filium, nubes suscepit eum, allel.

℣. Dominus in cœlo, alleluia.

℟. Paravit sedem suam, allel.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *Concion. 4. in Ascens. Dom.*

LECTIO 4.

Postquàm igitur Dominus consummavit opus nostræ redemptionis, et suam Resurrectionem multis argumentis probavit, perfectis omnibus, quæ ei Pater imperaverat, parat reditum ad Patrem. Et cum sæpiùs apparuisset discipulis novissimè recumbentibus illis apparuit: præcepitque illis, à Jerosylimis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quoadusque indurentur virtute ex alto. His ergò completis, sicut bonus Pastor, gregem suum et peculium, ait Evangelista, eduxit eos foras in Bethaniam. Tu.

℟. Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine: * Tui sunt cœli, et tua est terra, orbem terræ, et plenitudinem ejus tu fundasti, alleluia, alleluia. ℣. Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua, quoniàm quis in nubibus æquabitur Domino.—Tui.

LECTIO 5.

Cum igitur vellet levari, sigillatim quilibet apostolus osculatur manus, et Dominus amplexatus est illos. O quomodò ille senex venerabilis Petrus, quomodò totus plenus lacrymis adhæret vestigiis Redemptoris! Quomodò dilectus ille Discipulus Joannes osculatur pedes Domini sui! Novissima verò et ultima venit Virgo Mater et Filium amplexatur. Et ipsa vellet intra brachia Unigeniti sui evolare cum illo ad cœlum. O quanta lætitia! O quantum gaudium permixtum lacrymis! O quanta devotio! Quid dixisti, Domine recedens, Matri tuæ? O Evangelistæ, quarè tacuistis? Multùm desideramus omnes scire illud ultimum vale. Tu.

℟. Gloriosus apparuisti in conspectu Domini: * Propterea decorem induit te Dominus, alleluia, allel. ℣. Quoniàm apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.—Propterea.

LECTIO 6.

Potuit interim sequentia fortè dicere roganti Matri, ut secum illam portaret. Necessaria est, ò Mater mea, vestra præsentia adhuc in terris: consolaberis familiam istam in hoc mundo. Ego autem sempèr futurus in vestro corde, qui fui novem mensibus in vestro sacratissimo utero: et licet recedam, non recedo. Ista particula, quam de vobis sumpsi, modò collocabitur in cœlis, et ego parabo vobis sedem in latere meo. Et dictis istis, elevatis manibus suis, benedixit eis. Tu.

℟. Paulò minùs ab angelis minoratus, * Gloriâ et honore coronatus est, et constitutus super opera manuum Dei, allel. allel. ℣. Speciosus formâ præ filiis hominum, Filius tuus, Virgo MARIA.—Gloriâ et—Glor. Patri.—Paulò. *Indieb. infra Octav.* Glor. et.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Omnis pulchritudo tua, * Fili mi, exaltata est hodiè super sidera, allel.

2. Species ejus * in nubibus cœli, et nomen ejus in æternum permanet, allel.

3. Exultavit, * ut gigas ad cur-

rendum viam, usque ad summum cœli, allel.

℣. Dominus virtutum, allel.

℟. Ipse est Rex gloriæ, allel.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 14, *v.* 28.

In illo tempore: dixit JESUS discipulis suis: Si diligeretis me, gauderetis utiquè, quia vado ad Patrem. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi. *De excellent. B. V. M. c.* 6.

Si gaudium habuit beata Virgo MARIA eodem suo Filio secum in carne degente, si gaudium habuit eodem Filio, calcatâ morte, ab inferis resurgente, non minori gaudio exultavit suo Filio in eâ carne, quam de se assumptam noverat, coram oculis suis cœlos penetrante, quis hoc dixerit: immo quis gaudium ejus omnibus, quæ illud præcesserunt, gaudiis non crediderit eminere. Tu.

℟. Gaude et lætare, Virgo MARIA,* Quia Filius tuus JESUS assumptus est in cœlum, et sedet à dextris Dei, allel. allel. ℣. In Domino gaudebo, et exultabo in JESU Filio meo.—Quia.

LECTIO 8.

Bonæ matres solent in hoc mundo exhilarari, cum vident Filios suos terrenis honoribus sublimari: et ista Mater proculdubio bona non ineffabili gaudio lætaretur, quandò Filium suum unigenitum omnes cœlos dominandi jure penetrare, ac in Dei Patris Omnipotentis vidit consessum ascendendo pertingere? Immò quid huic gaudio fuit unquàm simile? Quid in medium prolatum saltem per illud aliquo modo possit mens humana in istud aciem dirigere? Tu.

℟. Attolite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, * Et introibit Rex gloriæ, allel. ℣. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.—Et introibit. *Hoc ℟. non dicitur in diebus infra octav.*

LECTIO 9.

Ista, fratres, dicimus dulce habentes, et vos dulce habere cupientes, semper volvere in memoriâ amorem et gaudium hujus Dominæ, quibus jugi exundantiâ in Deum, et Deo jucundabatur tota illa substantia. Nihil enim utiliùs post Deum memoriâ Matris ejus, nihil meditatione pii amoris, quo ferebatur in memoriâ et contemplatione Filii sui, nihil jucundius sapere pertræti gaudii ejus, quo multipliciter pascebatur in eodem, et per eumdem Filium suum. Tu.

℣. Viri Galilæi, quid statis hic aspicientes in cœlum? * Ascendit Christus in altum, allel. volavit super pennas ventorum, allel., et sedet à dextris Dei, allel. allel. ℣. Ille JESUS, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodùm vidistis eum euntem in cœlum.—Ascendit.—Gloria.—Viri. *In diebus infra actav.* Ascendit.

AD LAUDES

Et per Horas antiphonæ.

1. Exaltabo te, * Domine, quoniàm suscepisti Filium meum ad te, alleluia.

2 Videntibus illis, * elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum, alleluia.

3. Elevatis manibus * benedixit eis, et ferebatur in cœlum, allel.

4. Exaltare * super cœlos, Fili mi, et super omnem terram gloriam tuam, alleluia.

5. Omnis pulchritudo * Domini exaltata est hodiè super sidera.

CAPITUL. *Act.* 1. 2.

Cumque intuerentur in cœlum euntem illum: ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis.

HYMNUS 59. * *Salla.*

Cogens parentem linquere,
Quæ causa tanta suppetit
Nato potenti sydera,
Secum valenti tollere?

Ut manentes infantulos
Natos recens Baptismate,
Et nascituros postmodùm
Lactet, secumdet, protegat.

Magna utriusque charitas
Suis alumnis præstita,
Sese libens ab invicem
Ambos revelli sustinens!

Queis suos sic amantibus,
Sat de suis agentibus,
Quis fidat haud tutissimè;
Quis non amet medullitùs?

Amor petit fiduciam,
Amore amor rependitur;
Par ergò diligentibus,
Par spesque, amorque reddito.

Qui summa tranans æthera,
Nobis Parentem deseris,
Cum Patre et almo Spiritu,
Laudere, Christe, in sæcula. Am.

℣. Exaltate Regem regum, allel.
℣. Hymnum dicite Deo, allel.

Ad Benedict. *ant.* Dominus JESUS, postquàm locutus est discipulis suis, videntibus illis, assumptus est in cœlum, et nubes suscepit eum ab oculis eorum, et sedet à dextris Dei, allel., allel.

Oremus. *Oratio.*

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui de Ascensione Filii tui unigeniti cum beatâ MARIA semper Virgine congaudemus in terris, æternis gaudiis, ipsâ interveniente, perfruamur in cœlis. Per eumdem.

AD PRIMAM.

Ant. Exaltabo. *Capitul.* Cumque *de Laudibus.*

℟. *br.* Quæ Filium tuum euntem in cœlum vidisti. *Et dicitur per octav.*

CANON.

Ex Concilio Illyrico.

Ant. 365.—*Concil. Tom.* 3.*p.* 229.

290. Confitemur consubstantialem Dei Patris Filium sumpsisse carnem ex Sacrâ Virgine, inter homines habitasse, implevisseque omnem pro nobis œconomiam, nascendo, patiendo, resurgendo, et in cœlum ascendendo. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *act.* 1. 11.

Hic JESUS, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodùm vidistis eum euntem in cœlum.

℟. *br.* Ascendit Deus in jubilatione,* Alleluia, alleluia.—Ascendit.—℣. Et Dominus in voce tubæ.—Allel.—Gloria.—Ascendit.

℣. Non turbetur cor vestrum, alleluia.

℟. Vado parare vobis locum, alleluia.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *act.* 1. 12.

Tunc reversi sunt Jerosolymam à monte, qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, Sabbati habens iter.

℟. *br.* Non turbetur cor vestrum, * Allel. allel.—Non.—℣. Vado parare vobis locum.—Allel.—Gloria.—Non turbet.

℣. Dominus in cœlo, * allel.

℟. Paravit sedem suam, allel.

AD NONAM.

CAPITULUM. *act.* 1 14.

Omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et MARIA Matre ejus, et fratribus ejus.

℟. *b.*. Dominus in cœlo. Alleluia, alleluia.—Domin. ℣. Paravit sedem suam. Allel.—Glor.—Do-

minus. ℣. Non potes me modò sequi, allel. ℟. Sequeris autem posteà, allel.

IN II. VESPER.

Psalmi ut in 2. vesp. Solemn. antiph. de Laud. Capit. et ℟. 1. *Vesper.*

HIMNUS. 60. *Salla.*

Nos ergò. Mater optima,
Grates tibi rependimus,
Amore nostri quæ lubens
Terrena prælers cœlicis.

Absente Christo, parvulæ
Quæ lacrymanti Ecclesiæ
In orbitate cælitùs
Datum manes solatium.

Quæ filios hujus, sicuti
Gallina pullos incubans,
Sancto tuarum subditos
Foves alarum tegmini.

Quæ qualis ales regius
Prolis volatum provocans
Exemplo et ore promoves
Ascensiones mentium.

Queis nos eò fac progredi,
Ut sanctitatis culmina
Nacti æstimemur perpetis
Digni beatitudinis.

Qui jàm paternâ in dexterâ
Per Parentem nos protegis,
Cum Patre et almo Spiritu
Laudere, Christe, in sæcula. Am.

℣. Quandò veniam, allelula.

℟. Et apparebo ante faciem tuam, allelula.

Ad Magnif. ant. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cœlo, Filius Virginis MARIÆ, qui est in cœlo, allel. allel. *Orat de Laud.*

Completor. de Dominica.

In diebus infra octav. officium fit (nisi occurrat festum novem Lection.) omninò ut in die cum Psalm. et Lectionibus 1. *Noct. de feriâ occurrenti.*

FER. VI. INFRA OCT.

Semiduplex.

Omnia ut in die. Dect. 1. *Noct. de fer. occur.*

IN II. NOCT.

Sermo Ven. Petri Blesensis.

Sermo de Assumpt. 33.

LECTIO 4.

Matrem suam Christus relinquerat ad tempus in terris, donec omnia, quæ familiariùs in Filio viderat, et in corde suo diù contulerat, discipulis communicaret, atque juxta vetus eloquium, contrito capite serpentis antiqui, credentium cordibus fidem et amorem Christi impressiùs et firmiùs intimaret, Christique Ecclesiam, quam erudiendam in ejus Ascensione receperat, Filio suo sine rugâ et maculâ representaret. Tu. ℟. Confitebuntur.

LECTIO 5.

Videbatur Christo, quòd non totus ascendisset in cœlum, donec illam ad se traxisset, de cuius carne, et sanguine traxerat corpus suum. Desiderio ergo desiderabat Christus habere secum vas illud electum, Corpus Virginis dico, in quo sibi benè complacuit, in quo nihil quod divinitati possit displicere reperit: quod omnium virtutum affluentiâ, omnium plenitudine gratiarum, omnium cœlestium odore perfudit. Tu. ℟. Gloriosus.

LECTIO 6.

Hæc est in cujus utero ex diversis speciebus confectus est manu Spiritûs Sancti mirabiliter et ineffabiliter illud tymmiama, quod Christus assistens Pontifex futurorum bonorum in aræ crucis Deo Patri sacrificium obtulit vespertinum. Ratione hujus tymmiamatis odorifera facta est, ei suavis in deliciis suis sancta Dei Genitrix. Tu. ℟. Paulò minùs.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 14. *v.* 28.

In illo tempore: dixit JESUS Discipulis suis: Si diligeretis me, gauderetis utiquè, quia vado ad Patrem. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis.

Sermo de Ascens. Dom. art. 1. *c.* 3.

Prædictis igitur in cœnaculo sancto Sion cum inexplicabili charitate et devotione completis, tunc sicut Lucas refert, eduxit eos foràs in Bethaniam. Et fortè non inconvenientèr intelligi potest, quod eos præcedendo corporali incessu eduxerit per illud viæ spatium usque ad montem Oliveti, undè ascensurus erat ad Patrem. Tu. ℟. Gaude.

LECTIO 8.

Potuit quippè pius JESUS hoc ad consolationem pusilli gregis, quem statim relicturus erat, corporali præsentiâ talitèr facere, quod eum solum videret Virgo Mater, aliique Discipuli, qui cum Domino tunc in monte Sion fuerint congregati, suo aspectu aliis Judæis denegato. ℟. Viri Galilæi.

LECTIO 9.

Porrò nulli dubium est, quòd reverenda Mater cum sanctis mulieribus, et apostoli cum cæteris discipulis ad montem Sion fuerunt congregati cum multâ devotione, et mentis ardore, ut indè Salvatorem conspicerent ascensurum. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

CANON.

§. 3. *In antiphonis in fine officii.*

Ex Breviario Romano.

Rub. 36. *n.* 1. 2.

291. Antiphonæ Beatæ MARIÆ... singulæ dicuntur pro temporis diversitate... præterquàm in triduo majoris Hebdomadæ extrachorum, tantùm in fine Completorii, et in fine Matutini, dictis Laudibus, si tunc terminandum est officium, alioquin si alia subsequatur hora, in fine ultimæ Horæ. In Choro autem semper dicuntur, quandocumquè, terminata aliquâ Horâ, discedendum est à choro. Tu.

SABB. INFRA OCT.

Semiduplex.

Omnia ut in die. Lection. prim. Noct. de Feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Hieronymi Presb.

Epistola ad Paul. et Estoch.

LECTIO 4.

Quòd si quæritur post Ascensionem Domini, quid beata Virgo egerit, unum pro certo est, quia Virgo Sancta corpore et mente permansit: quam sanè Angelus Gabriel, ac si cœlestis paraninphus, intactam custodivit. Tu. ℟. Confitebuntur.

LECTIO 5.

Et Joannes Apostolus et Evangelista, cui Christus eam de cruce commisit, Virgo Virginem servavit, suisque ei deservivit obsequiis. Cæterum ad exemplum humanæ vitæ, conversatio ejus post Ascensionem Christi generaliter cum Apostolis fuit, quousquè dispergantur. Tu. ℟. Gloriosus.

LECTIO 6.

Hoc sanctus Lucas meminit, dicens: quòd regressi quidem à monte Oliveti, Jerosolymam venerunt et ascenderunt in cœnaculum, ubi manebant Petrus et Joannes; et Jacobus, et Andreas, Philippus, et Thomas, Bartolomæus et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi: hi omnes, inquit, erant perseverantes unanimiter in oratione cum MA-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

RIA Matre JESU, et fratribus eis. Tu. ℣. Paulò minùs.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 14 *v.* 28.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis, si diligeretis me, gauderetis utiquè, quia vado ad Patrem. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis.

Serm. de ascens. Dom. art. 1. *c.* 3.

Ibi quoquè illi beati Spiritus Sanctorum Patrum, quorum fortè multi aderant in corpore gloriosi, quos educens Dominus de inferno, in terrestri collocaverat paradiso, jussu Domini astiterunt. Adest itaque dilectus JESUS medius inter has duas turmas, utrasque in seipso, et invicem mirando amore connectens. Tu.

℣. Gaude et lætare.

LECTIO 8.

Utrum autem benedictus JESUS aliquos de Sanctis Patribus, qui astabant, Virgini Matri cæterisque apostolis conspiciendos monstraverit, qui et eos sint familiariter collocuti, non est absurdum credere, licet sit temerarium affirmare. Tu.

℣. Viri Galilæi.

LECTIO 9.

Piè tamen pensandum est, quòd licet Apostoli illum sanctorum exercitum non viderent, cum nihilominus Sancti Patres cum multâ jucunditate cernebant illam Sanctissimam Virginem Domini sui Matrem, sed et illam Dominam et Reginam suam in cujus ventris benedictione, et ipsi à captivitate educti erant, et beatitudinis gloriam consecuti. Tu.

Te Matrem.

CANON.

Ex Breviario Romano.

Ut supra n. 3.

292. Antiphonæ Beatæ MARIÆ dicuntur flexis genibus (præterquàm in diebus Dominicis, à primis Vesperis Sabbati, et toto tempore paschali) Hebdomadario tamen ad Orationem surgente. Tu.

DOM. VI. POST PASCH.

INFRA OCT. ASCENS.

Semiduplex.

Omnia ut in die Ascensionis præter sequentia.

IN I. NOCT.

De cantico canticorum.

LECTIO 1. *c.* 8. *v.* 1.

Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat? Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ; ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito et mustum malorum granatorum meorum. Tu. ℣. Quis est iste.

LECTIO 2.

Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est Mater tua, ibi violata est Genitrix tua. Tu. ℣. Reverlere.

LECTIO 3.

Pone me, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est, ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere chari-

tatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Tu. ℣. Quo abiit.

IN II. NOCT.

Ex verbis Ven. Ruperti Abbatis super Canticum canticorum. *Libr.* 7.

LECTIO 4.

Ista admirativa percontatio: quis mihi det te, similis illi est: undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Et ista exultatio, inveniam te foris, et deosculer te, et jam nemo despiciat, similis illi responso tuo ad Angelum: ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Similis namque est, vel quæ hæc dicit, sicut decet filiam similem esse Matri. Tu. ℣. Confitebuntur.

LECTIO 5.

An non tu Mater ejus, quæ vitam et salutem peperisti? An non filia tua hæc est, videlicèt imitatione fidei? Si Abraham pater gentium, et Sara mater gentium rectè dicitur, et est, videlicèt propter fidem, quantò magis tu, ò fidelissima fidelium Mater, et omnium nostrum? Propterea dicit ista valdè attonita propter auditum supra dictum magnâ gaudii multitudine. Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ? Fratrem suum dicit dilectum suum, et describit eum dulci descriptione sugentem, inquiens, ubera matris meæ. Cujus matris meæ, nisi Virginis MARIÆ? Tu.

℣. Gloriosus.

LECTIO 6.

Propterea de Patre nihil dixit, quia videlicet in fratre isto, ut conciperetur, vel nasceretur, fieretque filius naturæ, vel carnis nostræ, vir nihil patravit. Totus qui frater noster est, de matre est. Matris ubera suxit, sed non de Patris radice fluxit. Mater ista mater est, quia caro ista, caro nostra, et fides ista fides tua, ò MARIA, fides nostra est. Non se capit intùs magnitudo gaudii, intùs in corde credentis, et felicitatem suam admirantis, quàm: Deus filius Dei frater ejus factus sit, frater ejus, ò Mater, ex te, cujus ubera suxit. Tu.

℣. Paulò minùs.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO. 7. *c.* 14. *v.* 28.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si diligeretis me, gauderetis utiquè, quia vado ad Patrem. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi.

De excelent. B. V. M. c. 7.

Immensitatem gaudii beatæ MARIÆ Virginis in Filii ascensione quis considerabit, qui non in ipsâ consideratione penitus ab eâ opprimatur? Et si causa gaudii tanta est, gaudium ipsum quale ac quantum erit? Sed ò bone JESU, ipsius tuæ dulcissimæ Matris Fili, quomodò potuisti pati, ut te in regnum tuæ gloriæ remeante, illam quasi orbatam in miseriis mundi relinqueres, et non eam statim tecum regnaturam assumeres? Tu.

℣. Gaude.

LECTIO 8.

Fortassis, Domine, ne tuæ cœlesti curiæ veniret in dubium, cui potiùs occurreret, tibi, videlicet, Domino suo, cum post regnum tuum in assumptâ carne petenti, an ipsæ Dominæ suæ ipsum regnum jam suum materno jure affectum ascendenti... Nam ut in partes suo occursu divideretur, quatenùs pars tibi, et pars illi in pri-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mo adventu obsequeretur, non deceret æstimo, præsertim cum tota sit tua, totaque per te eadem cœlestis curia sua. Tu. ℣. Viri Galilæi.

LECTIO 9.

Prudentiori ergò et digniori consilio usus, præcedere illam volebas, quatenùs ei locum immortalitatis in regno tuo præpararet, ac si comitatus totâ curiâ tuâ festivus ei occurreres, eamque sublimius, sicut decebat, tuam Matrem ad teipsum exaltares. Equidem non est abs re credere ipsam his de causis Matrem suam præcessisse, cum ipse idem unigenitus hujus beatissimæ Virginis promiserit suis discipulis, si se abierit eis locum in cælesti sede præparaturum. Si ergò locus ab eo præparabatur ad honorem et gloriam discipulorum, quomodò non præpararetur ad honorem et gloriam Matris suæ, Dominæ, scilicet et Reginæ Angelorum. Tu. Te Matrem. *p.* 5. *Ad* Bened. *ant.* Vado parare * tibi thronum tuum in regno meo, et uno tantùm solio te præcedam, allel. allel.

Oremus. *Oratio.*

Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut qui cum beatâ Virgine MARIA in Ascensione Filii tui gloriamur, perpetuæ in cœlo capiamus gaudia vitæ. Per eumdem Dom.

CANON.

Ex Decreto Sacr. Rituum Congregationis.

10 *Jan.* 1693. *in una Gallior.*

293. Antiphona Beatæ MARIÆ Virginis «Ave Regina Cœlorum» semper dici debet die 2. Februarii, etiàm si Festum Purificationis transferatur, vel habeat Octavam. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Pone me, * ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, allel. allel.

FER. II. INFRA OCT. ASCENS.

Semiduplex.

Omnia ut in die. Lection 1. *Noct. de feriâ occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo. S. Hieronymi Pbresb. *Epist. ad Paul et Estoch. c.* 4.

LECTIO 4.

Hi omnes, inquit Sanctus Lucas, erant perseverantes unanimitèr in oratione cum mulieribus, et MARIA Matre JESU, et fratribus ejus. Ecce, JESU ascendente, cum quibus Virgo vacat in scholâ virtutum, et meditatur in lege mandatorum Dei, ut et ipsa sit forma disciplinæ Christi, et exemplum perfectionis virginibus. Tu. ℣. Confitebuntur.

LECTIO 5.

Conversatur autem cum testibus sanctæ Resurrectionis, et ipsa testis. Conversatur cum senatoribus cœli intra curiam paradisi sub Spiritûs Sancti disciplinâ, et magisterio totius divinitatis. Invenitur prima beata MARIA inter primas summi Regis cohortes, quorum vita jam non erat de terris, in quibus Christus præliabatur, sed de cœlis. Tu. ℣. Gloriosus.

LECTIO 3.

Hinc ascendisse leguntur in cœnaculum, in quo pascha digniissimè celebrabatur: ibi quippe manebant cum MARIA Matre JESU, unanimitèr aspirati in charitate, perseverantes in oratione, donec indue-rentur virtute ex alto. Tu. ℣. Paulò.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 14. *v.* 28.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si diligeretis me, gauderetis utiquè quia vado ad Patrem. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Serm. 6. *in ascens Dom.*

Hodiè sedenti in throno Antiquo dierum consessurus oblatus est Filius hominis, et erit deincèps non modò germen Domini in magnificentiâ et gloriâ, sed et fructus terræ sublimimis. Felix unio et amplectendum ineffabilibus gaudiis Sacramentum. Idem enim et germen Domini, et fructus terræ, idem et ipse Dei Filius, et fructus ventris MARIÆ est. Tu. ℣. Gaude.

LECTIO 8.

Idem Filius David et Dominus, de quo hodiè gaudium ejus implelum est, undè olim præcinens ajebat: Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis. Quomodò enim non Dominus germen Domini? Idem tamen et Filius ejus, utpote fructus terræ sublimis, fructus virgæ, quæ de radice Jesse processit. Tu. ℣. Viri Galilæi.

LECTIO 9.

Hodiè igitur suum hunc et hominis Filium apud semetipsum Pater clarificat claritate quam habuit, priusquàm mundus fieret apud ipsum. Hodiè veritatem, quæ de terrâ orta est, cœlum sibi redditam gloriatur. Hodiè Sponsus aufertur à filiis, et lugendum eis est, sicut ipse prædixit: non enim poterant filii Sponsi lugere, donec Sponsus cum eis erat: sed venit dies, ut auferatur ab eis, ut de cætero lugeant, et jejunent. Tu. ℣. Te Matrem.

CANON.

§. 4. *In Antiphona «Salve Regina.»*

Ex Concilio Toletano apud Rupem fidelem.

An. 1302.—*cap.* 12.—*Lab. T.* 7. *col.* 1256.

294. Duximus ordinandum, ut singulis diebus post completorium cantetur Salve Regina in qualibet Ecclesiâ, altâ voce, cum versu Ora pro nobis, et oratione Concede. Tu.

FERIA III. INFRA OCT.

Semiduplex.

Omnia ut in die Ascen. Lect. de Scrip. feriæ occurr.

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *Concio* 4. *in assumpt. B. V. M.*

LECTIO 4.

Post Ascensionem verò Filii in cœlum, nihil de illâ legimus, nisi quòd (ut fertur) oratorio clausa, mysteria omnia quæ videral, et audierat, animo retractabat: assiduâ mente percurrens, quomodò eum concepit, quomodò peperit, quid in templo ei dictum sit à Simeone, quid cum illo sustinuit in Ægypto, verba, miracula, doctrinam, conversationem, mortem, resurrectionem, ascensionem et cætera omnia, quæ Virgo prudentissima, et sapientissima in corde suo assiduè conferebat, et prout optimè noverat, discipulos edocebat. Tu. ℣. Confitebuntur.

LECTIO 5.

Hæc omnis Virginis vita. Hæc totius peregrinationis ejus brevissima summa. Cæterùm: quos in hâc tum sublimi et cælesti vitâ gaudiorum motus pertulerit, quos Spiritûs Sancti afflatus persenserit, nemini mortalium cognitum est: solà novit, quæ sola illo irradiante, et Spiritu obumbrante meruit experiri. Tu. ℣. Gloriosus.

LECTIO 6.

Ac proindè, quamvis de Virgine sacrâ nihil ferè aliud in Evangelio referatur, nisi quod Filium Dei Spiritu Sancto conceperit, et aluerit, ex hoc ejus fastigio tam ampla et immensa cogitandi et enarrandi

nobis insurgit Historia, ut tot Sanctorum volnaminibus, non modò nequeat exhauriri, sed neque pro meritò attingi. Majora enim et sublimiora fuerunt, quàm ut humano sensu valeant comprehendi. Undè cum finierit homo de eâ loqui, tunc incipit: imo necdùm se incepisse cognoscit. Et cum nunquàm ab ejus laude cessaverit, nihil aliud invenit, nisi voluisse edicere. Tu. ℟. Paulò.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 14. *v.* 28.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si diligeretis me, gauderetis utiquè quia vado ad Patrem. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis. *Sermo. de Ascens. Dom. part.* 1. *c.* 3.

Astans igitur Filius in monte Oliveti cum dulcissimâ Matre, et Discipulis suis, cæpit eorum commota corda ex tali separatione blandis sermonibus demulcere, multâque benignitate consolatus est eos. Deindè ad prælia futura exhortans illos, prædixit eis: in mundo præsuram habebitis, in me autem pacem. Estote ergò fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente, et accipietis regnum æternum. Tu. ℟. Gaude.

LECTIO 8.

Tunc Matrem quanto putas ardore commotam, quantoque in gloriæ desiderio ferebatur. Nonne tibi videtur ipse JESUS blanda quasi excusatione Matri ostendere desiderium, quo ferebatur ad eam, et quasi verbis apertis dicat. O mea verè et meæ naturæ genitrix, et meæ peregrinationis sedula ministratrix et particeps omnium laborum meorum: quæ ultimò mecum per compassionem fuisti cruci affixa? Maternæ dilectionis teneritudo requireret, ut nunc mecum in gloriâ absorberem, nisi horum dilectorum filiorum, pusillique gregis indigentia relineret, quibus te matrem, consolatricem, atque magistram intimâ pietate relinquo, teque ipsis et Reginam et Matrem et Dominam recommendo. Tu. ℟. Viri Galileæ.

LECTIO 9.

Iterùm, dilecta Mater, veniam ad te, et ad me ipsum assumam te, ut ubi ego sum, et tu in æternum sis mecum: quia charitatem, quam dedit mihi Pater, dabo tibi, quam fidelissimâ charitate tibi reservo. Et tu, mi dilecte Joannes, memento dilectionis et gratiæ quâ semper tibi mea probasti ostendisse præcordia, dormisti super hoc pectus sanctæ Trinitatis sacrarium, recommendatæ tibi meæ Matris in cruce diligenter exequaris officium: nam demùm per incendium sancti amoris ad meum finaliter deduceris amplexum. Tu Te Matrem Dei.

CANON.

Ex Concilio Mediolanensi Tertio. *An.* 1575.-*Concil. Tom.* 3. *p.* 226.

293. Curet Episcopus, ut singulis Sabbatis Sanctissimæ Virgini Deiquæ Matri MARIÆ dicatis diebus, statuta illa et solemnis, quæ veteri Ecclesiæ instituto, perpetuoque de eâ usu dicitur, antiphona, Salve Regina, vel alia pro ratione temporis, in parrochiali tum urbanâ, tum diœcesanâ unaquâque Ecclesiâ à Parrocho et reliquis illius parrochiæ Clericis, quibus ab Episcopo jussum erit, sub vesperum ante crepusculum scilicet, piè religiosèque canatur: convocatis

etiàm certo campanæ signo fidelibus. Tu.

FERIA IV. INFRA. OCT.

ASCENS.

Semiduplex.

Omnia ut in die. Lection de Scrip. de fer. occurr.

IN II. NOCT.

Sermo S. Amadei Ep. Lausan. *De Laudibus B. V. M. Hom.* 7.

LECTIO 4.

Mirà denique pietate primitivæ Ecclesiæ provissum est, ut quæ Deum in carne hâc præsentem jam minimè cerneret, Matrem ejus visu jucundissimo recreato videret. Quid enim tàm jucundum, quid tàm decorum et amabile, quàm Matrem Plasmatoris et Redemptoris omnium videre? Beata gens, et felix generatio, quæ tali spectaculo meruit illustrari? Tu. ℟. Confitebuntur.

LECTIO 5.

Beata planè in cujus medio credentis et ferventis constitit arbor, producens fructum vitæ, effulsit Genitrix lucis veræ! Apparuit puteus ille clausus, et fons signatus, de quo egressus est fons domui David patens in ablutionem peccatoris, et menstruatæ. Hoc insigne privilegium, hoc cœleste munus, hæc gratia specialis Ecclesiæ primitivorum præstita sunt. Tu. ℟. Gloriosus.

LECTIO 6.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *Conc.* 4. *in assumpt. B. V.*

Quis, obsecro, ardores illos, et æstus animi tui, plusquàm seraphicos exprimat, quos in ruminandis scrutandisque tot et tantis mysteriis, in te ipsâ celebratis persensisti? Quis ignem illum ardentissimæ charitatis in visceribus tuis æstuantem, quo in eo, qui talem ac tantam fecerat, ut in suam te Matrem eligeret, incessanter ardebas, enarrabit? Tu. ℟. Paulò minus.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 14. *v.* 28.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si diligeretis me, gauderetis utiquè, quia vado ad Patrem. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valentini. *Conc.* 4. *in ascens. Dom.*

Quærit Anselmus rationem, quarè Virgo remanserit post Ascensionem Filii sui: et dicit, id factum esse, ut esset discipulorum magistra, et consolatio in absentiâ Filii. Ipsa quippe præfuit Ecclesiæ, tanquàm et rectrix et gubernatrix. Psalmus: et erit firmamentum in terrâ, id est, Ecclesiæ. Bernardus: omnibus firmamentis firmius firmamentum tu, Domina. Tu. ℟. Gaude et lætare.

LECTIO 8.

Posuit in hoc firmamento solem et lunam: Christum et Ecclesiam. In summis montium, id est, Apostolis. Benè firmamentum. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus JESUS. Filius fundamentum, Mater firmamentum firmans corda in fundamento. Superextolletur super libanum, id est, naturam angelicam; Fructus ejus, de quo: Benedictus fructus ventris tui: Tu. ℟. Viri Galilæi.

LECTIO 9.

Potest etiàm in alio sensu Virgo dici firmamentum. Nam inter cœlos stellarum cœlum firmamentum dicitur: et Virgo se habet ad alios sanctos, sicut firmamentum, in quo omnia sydera, ad alios cœlos, in quorum quolibet est tanquàm uni-

cum sydus. In cæteris virginibus per partes, in MARIA verò tota se infudit plenitudo gratiæ: sicut à firmamento igitur influentia in reliquos; ità in Virgine influentia gratiarum in Ecclesiam. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

CANON.

Ex Clemente Papâ Decimo Tercio. *S. R. C.* 29. *Nov.* 1766.—*Carm. Exeal. Hisp.*

296. Pia consuetudo vigens apud Carmelitanos antiquæ observantiæ recitandi in fine Missæ antiphonam «Salve Regina» ad Fratres Carmelitanos Excalceatos Congregationis Hispaniæ benignè extenditur. Tu.

FER. V. IN OCTAV. ASCENS.

Duplex majus.

Omnia ut in die à prim. Vesper. excepto ℣. post Capit. et post novam Lection.

AD MATUTIN.

HYMNUS 61.

O grande cunctis gaudium,
Quod partus almæ Virginis
Post spuła, flagra, post crucem
Sedi paternæ jungitur.
Eo elevatur nubibus
Natus MARIÆ Virgine
Per quem recludit cardines
Priùs quos Eva clauserat.
Carpamus ergò Virgini
Commune cunctis gaudium,
Illa ob triumphum Filii,
Nos de triumpho Emmanuel.
JESU, tibi sit gloria,
Qui victor in cœlum redis,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Lection. 1. *Noct. ut in die Ascens.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

In signum magnum.

LECTIO 4.

Legis in actibus Apostolorum, quòd redeuntes à monte Oliveti, unanimitèr perseverabant in oratione. Qui? Si fortè MARIA affuit, nominetur prima, quæ super omnes est, tàm Filii prærogativâ, quàm suæ privilegio sanctitatis. Petrus et Andreas, ait, Jacobus et Joannes, et cæteri, qui sequuntur: hi omnes perseverabant unanimitèr cum mulieribus, et cum MARIA Matre JESU. Ita ne et mulierum sese ultimam exhibebat, ut novissima omnium poneretur? Tu. ℣. Confitebuntur.

LECTIO 5.

Verè carnales adhuc discipuli, quibus necdùm Spiritus Sanctus erat datus, quia JESUS nondùm fuerat glorificatus, quandò facta est inter illos contentio de primatu: cum MARIA quantò major erat, humiliaret se, non modo de omnibus, sed et præ omnibus. Meritò facta est novissima prima, quæ cum prima esset omnium, sese novissimam faciebat. Tu. ℣. Gloriosus.

LECTIO 6.

Meritò facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Meritò denique super Angelos exaltata est, quæ infra viduas, et pœnitentes, infra eam de quâ ejecta fuerant septem dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat. Obsecro vos, filioli, æmulamini hanc virtutem. Si MARIAM diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam ejus. Tu. ℣. Paulò minus.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 14. *v* 28.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si diligeretis me, gauderetis utiquè, quia vado ad Patrem. Et reliqua.

Homilia S. Amadei Ep. Lausan.

Hom 7. *in Laud. B. V. M.*

Quæritur, cur, ascendente Domino in cœlum, Mater ejus, quæ tantò eum ampleciebatur affectu, non statim secuta est. Cum enim nullâ peccati labe depressa, nullâ vitæ maculâ respersa, super ignem ruberet ob charitatem, luce clarior ob castitatem, ipsis etiàm præclarior cœligenis ob virginei partûs novitatem, mirum videbatur, quarè cum Filio non statim ad æthera provehebatur. Tu. ℣. Gaude et lætare.

LECTIO 8.

Ut quid enim retardata est vel ad momentum, aut passa nati divortium? Ut quid dilatum ferventius igne tàm sanctum desiderium? Quoniàm ista dilatio Discipulorum Christi non minima consolatio fuit. Ista dilatio Matri nihil minuit, et mundo contulit remedia salutis. Tu. ℣. Viri Galilæi.

LECTIO 9.

Voluit Dominus JESUS, ut, ipso ad Patrem revertente, apostoli materno solatio, et eruditione fruerentur. Qui quidem licet edocti essent à Spiritu, ab illâ tamen potuerunt edoceri, quæ mundo justitiæ solem edidit, et fontem sapientiæ ex prato virgineo intemerata nobis alvo produxit. Tu.

Te Matrem. *p.* 5.

AD LAUDES.

HYMNUS 62.

Votis cupitus omnium
Sacratus illuxit dies,
Quo Filius nostræ Virginis
Cœli resumit culmina.
Mater gavisa conspicit
Prolem triumphantem suam,
Mundi subacto principe
Dum sede sidet propriâ.
Virgo petentem sidera
JESUM secuta permanet
In orbe nostro et cœlico
Hoc lætâ festo jubilat.
Patrique suo colloquens,
En, inquit, ipsa cernua
Tuo tuum conspectui
Meumque sisto Filium.

Doxolog. de infra Octav.

CANON.

§. 5. *In Salutatione angelica.*

Ex Decreto Odonis Ep. Parisiensis. *An.* 1196.—*Bened. XIV. De festis B. V. c.* 12. *n.* 6.

297. Exhortentur populum sæpè Presbyteri ad dicendam..... Salutationem angelicam Beatæ Virginis. Tu.

AD VESPER.

HYMNUS 63. *Caryophil.*

Vides petentem Filium,
Virgo, paternam dexteram;
Non videras, cum viscera
Descendit ad purissima.
Vestigiorum symbola
Impressa terræ conspicis:
Impressa nulla conspicis
Tibi, Virgo, vestigia.
Apostolis videntibus
Solùm trahuntur lumina,
Tibi videnti Filium
Expectorantur viscera.
Quo vivis ergò spiritu
Orbata Mater Filio?
Sic absque corde vivitur,
Et absque luce cernitur.

Doxolog. de infra Octav.

FERIA VI. POST OCT. ASCENS.

Semiduplex.

Hodiè, nisi occurrat Festum novem Lection. fit officium omninò ut in diebus infra oct. Ascens.

Lect. 1. *Noct. de Feriâ occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Anselmi Episcopi.

Orat. 51. *ad B. V.*

LECTIO 4.

Nihil est æquale MARIÆ: nihil

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nisi Deus major MARIA. Deus Filium suum, quem solum de corde suo æqualem sibi genitum, tanquàm seipsum deligebat, ipsum dedit MARIÆ: et ex MARIA fecit sibi Filium, non alium, sed eumdem; ut naturalitèr esset unus idemque communis Filius Dei, et MARIÆ. Omnis natura à Deo est creata, et Deus ex MARIA est natus. Deus omnia creavit, et MARIA Deum genuit. Deus qui omnia fecit, ipse se ex MARIA fecit, et sic omnia quæ fecerat, refecit. Tu. ℣. Confitebuntur.

LECTIO 5.

Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine MARIA reficere. Deus igitur est Pater rerum creatarum, et MARIA est Mater rerum recreatarum. O verè Dominus tecum, cui dedit Dominus, ut omnis natura tantum tibi deberet secum. Sicut, ô beatissima, omnis, à te aversus, et à te despectus necesse est, ut intereat; ita omnis ad te conversus et à te respectus, impossibile est, ut pereat: sicut enim, Domina, Deus genuit illum, in quo omnia vivunt, sic, ô tu flos virginitatis, genuisti eum, per quem mortui reviviscunt. Tu. ℣. Gloriosus.

LECTIO 6.

Et sicut Deus per Filium suum beatos angelos à peccato servavit; ita, ô tu decus puritatis, per Filium tuum miseros homines à peccato salvabis. Non est reconciliatio, nisi quam tu casta concepisti: non est justificatio, nisi quam tu integra fovisti: non est salus, nisi quam tu Virgo peperisti. O beata fiducia! O totum refugium! Mater Dei est Mater nostra: Mater ejus, in quo solo speramus, et quem solum timemus, est Mater nostra: mater, inquam ejus, qui solus salvat, solus damnat, est Mater nostra. Tu. ℣. Paulò minùs.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 14. *v.* 28.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si diligeritis me gauderitis utique, quia vado ad Patrem. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presb.

Epist. ad Paul. et Estoch. Inter ejus opera. c. 14.

Imitamini, dilectissimæ, quam amatis beatam, et gloriosam Virginem, de quâ dicitur: MARIA autem conservabat omnia verba hæc (quæ de Christo dicebantur, scilicet) conferens in corde suo. Conferte ergò et vos in cordibus vestris, carissimæ quæ de ipso, eodemque Domino catholicè dicuntur, ut et fidem integram servare possitis, et Matrem ejus debitè venerari. Quoniàm nullus honor ejus est alius, nisi cum ille jure honoratur, qui nasci dignatus est ex eâ. Tu. ℣. Gaude.

LECTIO 8.

Cæterùm cogitate attentiùs, et perpendite diligentiùs, quibus afficiebatur beata et intemerata Virgo MARIA doloribus post Christi ad cœlos ascensum, expletis omnibus quæ de ipso erant ab angelis prædicata, et à prophetis multifariè multisque modis præsignata, divinis declarata oraculis, virtutibus exhibita, et quæ humanitatis sunt estensa præsagiis. Quæso, si qua sunt in vobis viscera pietàtis, considerate, quo cruciabatur amore, quove desiderio æstuabat hæc Virgo, dum revolveret animo cuncta, quæ viderat, quæ audierat, quæ cognoverat. Tu. ℣. Viri Galilæi.

LECTIO 9.

Puto, quòd quidquid cordis est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, si totum adhibeas, non sufficiat, ut cogitare veleas, quanto indesinenter cremabatur ardore pii amoris: quantò movebatur repleta Spiritu Sancto cœlestium secretorum incitamentis: quia et si diligebat Christum ex toto corde, et ex totâ animâ, et ex tota virtute, novis tamen quotidiè infflammabatur præsentiâ absens desideriorum affectibus: tantò siquidem validius, quantò divinis illustrabatur intùs visitationibus: quam tota repleverat Spiritûs Sancti gratia: quam totam incanduerat divinus amor, ita ut in eâ nihil esset, mundanus quod violaret affectus, sed ardor continuus, et ebriatas perfusi amoris. Tu.

Te Matrem. *p.* 5.

CANON.

Ex Concilio Budensi.

An. 1279.–*Lab. Tom.* 7. *col.* 794.

298. Volumus, quòd omnes clerici, quoliescumquè in divinis officiis, «Ave MARIA» audierint, flexis genibus se reverenter inclinent. Tu.

SABBATO.

VIGILIA PENTECOST.

Semiduplex.

Ab hâc die usque ad Dom. Primam post Pentec. si occurrat aliquòd festum novem Lection. transfertur.

Ad Matut. Invitat. Hym. et ℣. ut in die Ascens. Reliqua ut in feriali Officio.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 2. *v.* 1.

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater JESU ibi. Et reliqua.

Homilia S. Antonini Arch. Florent. *De B. V. c.* 42.

Hi omnes erant perseverantes in oratione cum MARIA Matre JESU. Hæc dicuntur de his, scilicet de apostolis post ascensionem Christi, cum congregati in unm expectabant Spiritûs Sancti promissionem à Christo. Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis. Invenitur MARIA inter primas summi Regis cohortes, quorum vita non erat jam de terrâ. Tu. ℣. Gaude. *p.* 224.

LECTIO 2.

Vinum non habent, dixit beata MARIA in nuptiis existens ad Filium. Quia nuptiæ istæ celebratæ inter Christum et Ecclesiam erant publicandæ per Apostolos, qui ibi erant cum eâ, et vinum illud perfectissimæ gratiæ nondùm aderat in eis, quia nondùm erat Spiritus Sanctus datus in illâ copiâ. Ideò hoc orans, ait: Vinum non habent. Tu. ℣. Viri Gal. *p.* 125.

LECTIO 3.

Et ideò in linguis igneis missus est, qui ignis habet calefacere, ut legem igneam corda ignea linguis igneis populis prædicarent. Deficiente ergò vino illo spirituali Beata MARIA congregala cum Apostolis in cœnaculo mente dicit: vinum non habent viri isti nuptiarum. Undè orans cum illis, inquit: Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, scilicet, in esse spirituali perfecto, et renovabis faciem terræ. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Fili, vinum non habent viri isti nuptiarum: emitte Spiritum tuum, et creabuntur: et renovabis faciem terræ

Sine precibus.

Oremus. *Oratio.*

Mentes nostras, quæsumus, Domine, visitando purifica, ut veniens Spiritus tuus Sanctus, cujus solem-

nia in oratione perseverantes prævenimus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Per Dominum... in unitate ejusdem.

Ad Laud. et per Hor. ut in dieb. infra oct. Ascension.

CANON.

Ex Concilio Parisiensi.

An. 1346. *c.* 13.—*Lab. Tom.* 7. *col.* 1682.

299. Præcipimus, quòd observetur inviolabiliter ordinatio facta per sanctæ memoriæ Joannem vigesimum secundum de dicendo ter «Ave MARIA,» tempore seu horâ ignitegii, in quâ ordinatione conceditur indulgentia dicentibus ter Ave Maria, dictis tempore et horâ. Tu.

IN FESTO
PENTECOSTES.

Duplex 1. *Classis cum Octavâ.*

IN I. VESPERIS.

Ant. 1. Effundam de Spiritu meo super ancillam meam, allel. *Psalmi de Solemnitatibus.*

2. Et requiescet super eam Spiritus Domini, et prophetabit, allel.

3. Simùl in MARIA collecta est gratiæ Spiritûs Sancti plenitudo, allel.

4. Ad quem respiciet Spiritus Sanctus, nisi ad pauperculam, et humilem Virginem? alleluia.

5. In me omnis gratia viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis, allel.

CAPITULUM *Joel.* 2. 28.

Effundam Spiritum meum super omnem carnem, et super servos meos, et ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum.

℟. Super servos meos, et super ancillas meas effundam de Spiritu meo, et prophetabunt. * Et dabo prodigia in cœlo sursùm, et in terrâ deorsùm alleluia, alleluia. ℣. Et requiescet Spiritus meus super ancillam humilem cujus humilitatem respexi.—Et dabo.—Gloria.—Super servos. *Hoc.* ℟. *dicitur tantum hâc die.*

HIMNUS 64. *Brev. Rom.*

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superná gratiâ,
Quæ tu creasti pectora,
Qui diceris Paraclitus
Altissimi Domum Dei
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritualis unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu ritè promissum Patris
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longiùs,
Pacemque dones protinùs:
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem
Noscamus atque Filium,
Te utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
JESU, tibi sit gloria,
Surgendo qui de mortuis
Apparuisti Virgini
Matri tuæ, per sæcula. Amen.

℣. Spiritûs Sanctus supervenìet in te, allel.

℟. Et virtus Altissimi obumbrabit tibi, allel.

Ad Magnific. *ant.* Non vos relinquam orphanos, sed mittam ad vos Spiritum Sanctum, et gaudebit cor vestrum, allel. allel.

Oratio de Laudib. Completor. de Dominicâ.

AD MATUTIN.

Invitat. Spiritus Domini requievit super Virginem Matrem: * Venite, adoremus, alleluia, alleluia.

HYMNUS *p.* 65. *Muret.*

Lustra nostra tuâ pectora lampade
Qui quondàm strepitu Spiritus à Patre
Lustrasti unanimes missus Apostolos,
Linguis deditus igneis.
Confirma dubios, dirige devios,
Consolare tui muneris indigos,
Lætalique animos frigore torpidos
Sanctis ignibus excita.
Mens doctrinam avide nostra bibat tuam,
Præstetque assiduè tota Deo calens
Et spem firmam in eo constituens sibi
Terram pro nihilo putet.
O Sator omnium, cerlè homines sumus,
Quanquàm indigna tuæ plasmata dexteræ,
Ne feras quos tua vis ex nihilo extulit
Æterno exitio obrui.
Simplex ætherei Numinis unitas,
Quæ distincta eadem est, veraque Trinitas,
Æternùs vigeat sempèr honoribus
Et terrâ simùl et polo. Amen.

AD NOCTURNUM.

Ant. 1. Spiritus Domini * super me, eo quod in Matrem Dei elegit me, allel.

Psalm. de primo Noct. Dom. p. 2.

2. Simùl in MARIA * collecta est gratiæ plenitudo, quia aspersione Spiritûs Sancti totâ Deitatis gratiâ fuit superfusa, allel.

3. Cæteris per partes, * MARIÆ verò se tota infudit gratiæ plenitudo, allel.

4. Factus est de repente sonus, allel.

℟. Tamquàm advenientis spiritûs vehementis, allel.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *v.* 14. *c.* 13.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Ep.

De excell. B. V. M. c. 6.

Gaudiorum beatæ Virginis magnitudo non nihil incrementi accepit, cum adveniente super discipulos Spiritu Sancto, mox ad prædicationem illorum fidem Filii sui tanto hominum multitudo suscepit. Nec mirum indè alicui videatur, quod dico, gaudium incrementum in credentium conversione sumpsisse Tu.

℟. Patris obumbravit virtus tibi, regia Virgo, nuntius è cœlo cum tibi dixit, ave: * At nunc lingua tuum supra caput ignea fulget, allel., allel. ℣. Lux implens mentem dolibus innumeris. At.

LECTIO 2.

Ibi enim excepto gaudio, quod de salute generis humani in istorum conversione suscipiebat, Filium non gratis fuisse mortuum, cum tam efficacia operari videbat fidem amoris ejus in eis, qui amatores ejus extiterant. Gaudium itaque erat ei in cœlo, et gaudium in terrâ, gaudium insuper in omni creaturâ. Tu.

℟. Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquàm ignis. * Et Spiritus Sanctus sedit supra singulos eorum, allel., allel. ℣. Ignis ante ipsum præcedet, et inflamabit corda eorum.—Et Spiritus.

LECTIO 3.

Gaudium in cœlo, quia fructus ventris ejus benedictus jam erat victor mortis, et orbis, in cœlo regnabat, et cuncta cœlestis curiæ agmina inæstimabili magnificentiâ

lætificabat. Gaudium in terrâ, quoniàm eos, pro quorum salute Matrem Dei se factam sciebat, abjecto jugo diaboli, à quo captivi tenebantur, liberam in ipsam salutem cernere coaspiciebat. In omni quoquè creaturâ gaudium habuit, eo quod illam à pristinâ oppresione erui ad illum, ad quem facta fuerant, statum redire vidit. Tu.

℣. Super servos meos, et super ancillas meas effundam de Spiritu meo, et prophetabunt; * Et dabo prodigia in cœlo sursùm, et in terrâ deorsùm, allel., allel. ℣. Et requiescet Spiritus meus super ancillam humilem, cujus humilitatem respexi. Et dabo.—Glor.—Super.

A fer. IV. et deinceps. Et dabo.

AD LAUDES.

Et per Horas antiphonæ.

Ant. 1. Erant perseverantes * omnes in oratione cum MARIA Matre JESU, allel.

2. Et factus est * repente de cœlo sonus, tanquàm advenientis Spiritûs vehementis, allel.

3. Spiritus Sanctus * replevit totam domum, ubi erant apostoli sedentes, allel.

4. Et requievit * super MARIAM Spiritus Sanctus, Spiritus sapientiæ, et intellectûs, allel.

5. Totam eam * possedit Spiritus Sanctus, cujus templum facta est Virgo Dei Mater, allel.

CAPITULUM. *Jecl.* 2. 28.

Effundam spiritum meum super omnem carnem, et super servos meos, et ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum.

HYMNUS 66. *Brev. Rom.*

Jam Christus astra ascenderat,
Reversus undè venerat,
Patris fruendum munere
Sanctum daturus Spiritum.

Solemnis urgebat dies,
Quo mystico septemplici
Orbis volutus septiès
Signat beata tempora.

Cum lucis horâ tertiâ
Repentè mundus intonat,
Apostolis mirantibus
Deum venire nuntiat.

De Patris ergò lumine
Docorus ignis almus est,
Qui fida Christi pectora
Calore verbi compleat.

Impleta gaudent viscera
Afflata Sancto Spiritu,
Vocesque diversæ sonant,
Fantur Dei magnalia.

Doxolog. de Tempore.

℣. Spiritus Domini, allel.

℟. Requievit super Virginem Matrem, allel

Ad Benedict. *ant.* Sedit Spiritus Sanctus * super singulos eorum, qui perseverabant in oratione cum MARIA Matre JESU, allel. allel.

Oremus. *Oratio.*

Spiritum Sanctum, Domine, qui hodiernâ die de cœlo descendens supra beatam Virginem MARIAM, et supra Sanctos Apostolos requievit, in cordibus nostris infunde, ut te perfectè diligere, et dignè laudare mereamur. Per Dominum..... in unitate ejusdem.

AD PRIMAM.

Ant. Erant omnes. *Capit.* Effundam. *de Laudibus* ℣. ℟. Quæ Spiritu Sancto repleta fuisti. *Et dicitur per Oct.*

CANON.

Ex S. Hildephonso Arch. Toletano. *Serm.* 5. *in Assumpt.*

300. Credimus Virginem in die Sancto Pentecostes cum Sanctis Apostolis percepisse gratiam Spiritûs Sancti, quem constat eam plenissimè habere ab ipsâ Conceptione Christi. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Judith.* 16. 17.

Tibi serviat omnis creatura: quia dixisti, et facta sunt: misisti Spiritum tuum, et creata sunt, et non est qui resistat voci tuæ.

℣. *br.* Spiritus Sanctus * Allel. allel.—Spiritus.

℣. Superveniet in te.—Alleluia.—Gloria.—Spiritus.

℣. Virtus Altissimi, alleluia.

℟. Obumbrabit tibi, allel.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Act.* 2. 4.

Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.

℣. *br.* Virtus Altissimi, * Allel. allel.—Virtus.

℣. Obumbrabit tibi.—Alleluia.—Gloria.—Virtus.

℣. Spiritus Domini, allel. ℟. Requievit super Virginem Matrem, alleluia.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Act.* 2. 6.

Factâ autem hâc voce, convenit multitudo, et mente confussa est, quoniàm audiebat unusquisque linguâ suâ illos loquentes.

℣. *br.* Spiritus Domini, * allel. allel.—Spiritus. ℣. Requievit super Virginem Matrem.—Allel.—Gloria.—Spiritus.—℣. Spiritus Domini super me, allel. ℟. Eo quod in Matrem Dei elegit me, allel.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Spiritus Domini * replevit orbem terrarum: gaudeat Virgo MARIA in conversione gentium, alleluia. *Psalmi de Solemn. in* 2. *Vesp.*

2. Spiritus Sanctus * Deiparæ et discipulis in igne apparuit, et tribuit eis charismatum dona, allel.

3. Spiritus Sanctus * procedens à throno, eorum pectora invisibiliter penetravit, alleluia.

4. Advenit in eos * ignis divinus, non comburens, sed illuminans, alleluia.

5. Seditque * supra singulos eorum Spiritus Sanctus, et cœperunt loqui variis linguis, allel.

Capit. Effundam. *et* ℟. Super servos. *ut in* 1. *Vesper.*

Hymnus ut in 1. *Vesp.*

℣. MARIA, Sacrarium Spiritûs Sancti, alleluia.

℟. Totius Trinitatis nobile triclinium, alleluia.

Ad Magnific. *ant.* Requiescet super me * Spiritus Domini; Spiritus sapientiæ, et intellectûs, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et replevit me Spiritus timoris Domini, alleluia, allel. *Complet. de Dominic.*

FERIA II.

Duplex 1. *Class.*

Omnia ut in die Pentec. præter sequentia.

Ad Matut. Psalmi tres primi feriæ II. p. 19.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 14. *v.* 23.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et reliqua. Homilia B. Dionysii Carthusiani.

De Laud. B. M. V. l. 2. *a.* 26.

A die Ascensionis usque ad horam diei Pentecostes, in quâ Spiritum Sanctum receperunt, sanctissimum illud collegium Apostolorum orationibus, jejuniisque devotissimè insistebant, per hæc et consimilia exercitia sancta interna ad susceptionem Spiritûs Sancti se præparantes. Tu. ℟. Stupebant.

LECTIO 2.

Porrò adveniente Spiritu Sancto, unumquemque illorum tanto co-

piosiùs adimpl'evit, quanlò capacior fuit, ac dignior, seque devotiùs præparavit. Ideo sicut serenissima Virgo MARIA cæteris il is cunctis fuit prestantior, capacior, exc'llentiùsque disposita, sic sola plùs de supernis charismatibus, tunc collatis à Spiritu Sancto, accepit... Tu. ℣. Apparuerunt.

LECTIO 3.

Atque præ omnibus illis in charitatis ardore, sapientiæ luce, notitiâ scripturarum omnique virtute ineffabiliter tunc profecit. In dono quoque linguarum, et prophetiæ gratiâ, in discretione Spirituum, et interpretatione sermonum, idest, facultate exponendi sacri verba eloquii, cæterisque gratiæ gratis datæ muneribus tunc præ omnibus crevit. Tu. ℣. Super.

Te Matrem. *p.* 3.

Psalmi ad Laud. et Vesper. ut heri.

CANON.

Ex S. Athanasio Arch. Alexandrino.

In SS. Deip. Annunt.

301. Spiritus Sanctus in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem divini principatûs adsunt, imbuens eam in gratiâ, ut in omnibus gratiosa esset. Tu.

FERIA III. POST PENT.

Duplex. 1. Classis.

Omnia ut in die Pentc. Psalmi tres primi Fer. III. p. 25.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 14. *v.* 23.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et reliqua.

Homilia B. Dionysii Carthusiani. *De laudib. B. V.* l. 2. *a.* 26.

Fervens charitatis affectio potissima ac propinquissima est dispositio ad suscipiendum charismata meliora, abundantiorem influxum Spiritûs Sanc i, incrementum gratiæ, omniumque profectum virtutum; etenim amoris intentio affectûs aperit mentem, ac eum sui dilecti reddit copiosè capacem. Tu. ℣. Stupebant.

LECTIO 2.

Hinc sicut felicissima creaturarum incomparabilis Virgo MARIA fuit præ cunctis et singulis Apostolis in sinceris imæ charitatis fervore ineffabiliter magis perfecta, sic præ omnibus illis charismata Paracleti exuberantissimè suscepit. Tu. ℣. Apparuerunt.

LECTIO 3.

Denique Spiritus cujus opulentiæ et magnificentiæ non est finis, vas illud electissimum, et familiarissimum suum sacrarium, præsantissimam Genitricem ipsius, à quo ipse æternaliter profluit, totamque Deitatis plenitudinem accepit, sponsam ac filiam suam prorsus carissimam, in quâ potissimùm sibi complacuit, singularissimè visitavit, gloriosissimè adimplevit, atque præ omnibus liberalissimè superimplevit. Tu. ℣. Super.

Te Matrem.

CANON.

Ex S. Athanasio Arch. Alexandrino.

Ut Supra.

302. Supervenit igitur Spiritus Sanctus super Virginem, et sanctificavit ipsam, ut in Psalmis Spiritus dicit: Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Tu.

Reliqua ut heri.

FER. IV. QUAT. TEMP.

Semiduplex.

Omnia ut in die Pentec. Psalmi tres primi de Fer. IV. p. 31.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 14. *v.* 23.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valentini.

Concion 4. *in Assumpt. B. V. M.*

Infusi amoris quantâ fuerit magnitudine dotata Virgo MARIA, quis non videat? Quæ in gratiâ concepta, gratiam, quam semèl acceperat, semper bonis operibus adauxit, et peccatis nunquàm amisit. Quæ in Verbi Dei concep ione ab Angelo gratiâ plena salutata, posteà Spiritûs Sancti obumbratione superadimpleatur, ut ex plenitudine ejus per Filium recipiant universi. Tu. ℣. Stupebant.

LECTIO 2.

Et post hæc omnia in die Pentecostes Spiritu Sancto jam plenissima, iterùm eumdem Spiritum Sanctum per ampliùs et plenius, quàm Apostolicus ille cætus acceperit, ut esset in eâ abundans et super abundans gratia: cui non per partes, ut cæteris, sed tota se infudit gratiæ plenitudo. Cum itaque amor infusus nihil aliud sit, quàm ipsa gratia, aut ipse gratiæ appendix sit, ubi tanta fuit gratiæ plenitudo, quantum fuit infusi quoque pondus amoris. Tu. ℣. Super.

LECTIO 3.

Denique in cujus utero novem mensibus Sol ille divinitatis ardentissimus, velut in quâdam nubeculâ corporaliter latuit: quibus existimas eum fulgoribus, et ardoribus inflammavit? O viscera virginea tot ac tantis æstibus inflammata? O pectus sacrum, in quo triplex hic amoris caminus tam potentissimè ardebat! Quomodò tàm immenso amoris calore solutum non fuisti? Tu. Te Matrem.

Psalm. ad Laud. Vesper. et Complet. de feriâ vel liq. Hebd.

CANON.

Ex S. Hieronymo Presb.

In Serm. B. V.—apud Flores PP. p. 438.

303. Totam repleverat MARIAM Spiritûs Sancti gratia: totam incenderat eam divinus amor; ita ut etiàm in eâ nihil esset, mundanus quod violaret affectus, sed amor continuus et ebrietas perfusi amoris. Tu.

FERIA V. POST PENT.

Semiduplex.

Omnia ut in die. Psalm. tres primi de Feria V. p. 36.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 14. *v.* 23.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et reliqua.

Homilia S. Antonini Arch. Florent. *In adv. Sps. de B. V. c.* 19. §. 8. *in Bibl. Virgin.*

Spiritus Sanctus in Pentecostes fuit datus in specie linguæ juxta illud Actorum: apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquàm ignis, ad innuendum, quod acceperant donum linguarum, id est, loqui ad placitum suum in variis idiomatibus. Et quia beata MARIA fuit cum Apostolis orans, qua ido receperunt Spiritum Sanctum, credendum est, quod et hoc donum receperit cum eis. Tu. ℣. Stupebant.

LECTIO 2.

Quamvis non essel deputata à Deo ad discurrendum per mundum, ad prædicandum sicut Apostoli, tamen, ut nihil boni spiritualis et gratiæ ei subtrahatur, decebat eam hâc non privari. Sic nec Filius ejus, quamvis non egeret habere

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

donum linguarum, quia non prædicavit nisi Judæis, dicens: non sum missus, nisi ad oves Israel, non tamen hoc caruit, secundum Divum Thomam in Summâ. Nec frustrà ipsum habuit, quamvis eo non sit usus, sed ad excellentiam ejus. Tu. ℟. Super serv.

LECTIO 3.

Prælereà ipsa beata MARIA, etsi non prædicaret, verisimiliter tamen credendum est, quamvis non scriptum sit, quòd multi ex conversis ad fidem de diversis nationibus, et linguis scientes Matrem esse JESUS Dei et hominis post adventum Spiritûs Sancti, accedebant ad eam visitandam, venerandam et audiendam. Quibus cum esset plenâ charitate, nec in loquelâ posset errare, loquebatur, consolabatur, respondebat, instruebat variis idio alibus, in quibus illi nutriti, et edoci erant. Ave igitur, et hâc gratiâ plena. Tu.

Te Matrem. *p.* 5.

CANON.

Ex D. Dionysio Carthusiano.

Libr. 2. de Præc. Mar. art. 28.

304. Virgo templum venerandissimum, quod Spiritus Sanctus indesinenter inhabitavit, atque possedit, irradiavit, idemque implevit. Tu.

FERIA VI. QUAT. TEMPOR.

Semiduplex.

Omnia ut in die Pent. Psalmi tres primi de Fer. VI. p. 42.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 14. *v.* 23.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi.

De excellentiâ B. M. V. c. 7.

Erat, ut hic quidem videtur, utilis et necessaria fidei nostræ conversatio sua post ascensionem Domini inter Apostolos ejus: quia licet ipsi per revelationem Spiritûs Sancti edocti in omnem fuerint veritatem, incomparabili er tamen eminentiùs, ac manifestiùs ipsa per eum Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, et per hoc multa eis per hanc revelabantur, quæ in se non solùm simplici scientiâ, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysteriis ejusdem Domini nostri JESU Christi. Tu. ℟. Stupebant.

LECTIO 2.

Nec dilatio assumptionis quoquo modò jacturam aliquam inferre poterat immensitati amoris et gaudii sui: quoniàm ipsa perfectio amoris et gaudii, ità illam reficiebat plenitudine sui, ut hoc ipsum ei ad amoris et gaudii augmentum magnoperè fieret, quod se illic esse videbat, ubi Deum, quem præ cunctis amabat, magis velle sciebat. Tu. ℟. Super servos.

LECTIO 3.

Igitur ubicumquè erat, et ipsa in Deo, et Deus in ipsâ jucundabatur: quâ jucunditate ipsa felix, sed præ ceteris ubiquè fieri cupiebat, quod sapientiæ Dei potissimùm placere intelligebat. Hâc æstimabili amoris et gaudii immensitate prædita fuit hæc Virgo Sanctissima, quandò etiàm in omni mortali carne placeret sapientissimo Filio suo. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Antonino Arch. Florentino.

Titul. 15. *c.* 19. §. 3.

305. Spiritus Sanctus venit imporportionabiliter in Beatam MARIAM, magis quàm in quemlibet viatorem purum, et in conceptu Filii, et in die Pentecostes, quum

esset cum Apostolis, quandò venit in specie ignis. Tu.

SABBAT. QUAT. TEMPOR

Semiduplex.

Omnia ut in die. Psalmi ad mat. tres primi Sabb. p. 47.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 14. *v.* 23.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et reliqua.

Homilia Ven. Ruperti Abbatis.

In capite 2. *super Matth.*

Tempus tacendi, ait Salomon, et tempus loquendi. Discretionem hujusmodi Virgo sapiens et prudens non ignoravit. Inde col'audans eam Sponsus...., dicit in canticis: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Denique hoc quidem sponsus Christus Dei filius convenienter dicit sponsæ suæ Ecclesiæ, sed ipsum non minùs congruè dicit persona Dei Patris dilectæ sibi MARIÆ, statim subjungens: Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Tu. ℟. Stupebant.

LECTIO 2.

Quandiù Filius hominis manere debuit minoratus paulò minùs ab angelis, ferè tandiù fuit beatæ Virgini tempus tacendi, et tandiù tacuit, tandiù in silentio fuit, velut hortus conclusus; hortus, inquam, conclusus, fons signatus, quò accedere, cujus secretum audire nullus meretur, nisi cognitus; nullus cui talis hortus, talisque fons clausuram vel signaculum oris aperire indignum arbitraretur. Tu. ℟. Super servos.

LECTIO 3.

Ubi autem gloriâ et honore coronatus est Filius hominis resurgendo, et in cœlum ascendendo, ubi sedet ad dexteram Patris, ex tunc eidem beatæ Virgini fuit tempus loquendi, et hoc amicis, id est, sanctis apostolis, et talia loquendi, qualia portare priùs non potuissent. Sed ubi venit Spiritus veritatis, primus quidem, et princeps ipse illos omnem veritatem docuit, sed et ipsa beata Virgo testimonium suæ vocis adhibuit, et talitèr locuta est auribus fidelibus, ut proindè rectè dicat dilectus ejus Deus: favus distillans lâbia tua, mel et lac sub linguâ tuâ. Tu.

Te Matrem. *p.* 5.

Ad Benedict. *ant.* Tempus loquendi, * Domina, sonet vox tua in auribus meis, quia eloquium tuum dulce, allel. allel.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineff. 8. *Dec.* 1854.

306. Docuerunt « Sancti Patres».... Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divi Spiritûs charismatibus exornatam, immò eorumdem charismatum infinitum propè thesaurum, abyssumque inexhaustam... Tu.

Post Nonam terminatur tempus paschale.

Vesperæ dicuntur ut in sabbato per annum cum oratione Domin. 1. post Pentecost.

In fine Completorii dicitur ant. Salve Regina.

VIII.

VITA ACTIVA

B. MARIÆ V.

Quæ tempus à Pentecoste usque ad Assumptionem complectitur.

RESPONSORIA

dienda post Lectiones in Dominicis et in Officio feriali toto hoc tempore.

donum linguarum, quia non prædicavit nisi Judæis, dicens: non sum missus, nisi ad oves Israel, non tamen hoc caruit, secundum Divum Thomam in Summâ. Nec frustrà ipsum habuit, quamvis eo non sit usus, sed ad excellentiam ejus. Tu. ℟. Super serv.

LECTIO 3.

Prælereà ipsa beata MARIA, etsi non prædicaret, verisimiliter tamen credendum est, quamvis non scriptum sit, quòd multi ex conversis ad fidem de diversis nationibus, et linguis scientes Matrem esse JESUS Dei et hominis post adventum Spiritûs Sancti, accedebant ad eam visitandam, venerandam et audiendam. Quibus cum esset plenâ charitate, nec in loquelâ posset errare, loquebatur, consolabatur, respondebat, instruebat variis idio alibus, in quibus illi nutriti, et edoci erant. Ave igitur, et hâc gratiâ plena. Tu.

Te Matrem. *p.* 5.

CANON.

Ex D. Dionysio Carthusiano.

Libr. 2. de Præc. Mar. art. 28.

304. Virgo templum venerandissimum, quod Spiritus Sanctus indesinenter inhabitavit, atque possedit, irradiavit, idemque implevit. Tu.

FERIA VI. QUAT. TEMPOR.

Semiduplex.

Omnia ut in die Pent. Psalmi tres primi de Fer. VI. p. 42.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 14. *v.* 23.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi.

De excellentiâ B. M. V. c. 7.

Erat, ut hic quidem videtur, utilis et necessaria fidei nostræ conversatio sua post ascensionem Domini inter Apostolos ejus: quia licet ipsi per revelationem Spiritûs Sancti edocti in omnem fuerint veritatem, incomparabili er tamen eminentiùs, ac manifestiùs ipsa per eum Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, et per hoc multa eis per hanc revelabantur, quæ in se non solùm simplici scientiâ, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysteriis ejusdem Domini nostri JESU Christi. Tu. ℟. Stupebant.

LECTIO 2.

Nec dilatio assumptionis quoquo modò jacturam aliquam inferre poterat immensitati amoris et gaudii sui: quoniàm ipsa perfectio amoris et gaudii, ità illam reficiebat plenitudine sui, ut hoc ipsum ei ad amoris et gaudii augmentum magnoperè fieret, quod se illic esse videbat, ubi Deum, quem præ cunctis amabat, magis velle sciebat. Tu. ℟. Super servos.

LECTIO 3.

Igitur ubicumquè erat, et ipsa in Deo, et Deus in ipsâ jucundabatur: quâ jucunditate ipsa felix, sed præ ceteris ubiquè fieri cupiebat, quod sapientiæ Dei potissimùm placere intelligebat. Hâc æstimabili amoris et gaudii immensitate prædita fuit hæc Virgo Sanctissima, quandò etiàm in omni mortali carne placeret sapientissimo Filio suo. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Antonino Arch. Florentino.

Titul. 15. *c.* 19. §. 3.

305. Spiritus Sanctus venit imporportionabiliter in Beatam MARIAM, magis quàm in quemlibet viatorem purum, et in conceptu Filii, et in die Pentecostes, quum

esset cum Apostolis, quandò venit in specie ignis. Tu.

SABBAT. QUAT. TEMPOR

Semiduplex.

Omnia ut in die. Psalmi ad mat. tres primi Sabb. p. 47.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 14. *v.* 23.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et reliqua.

Homilia Ven. Ruperti Abbatis.

In capite 2. *super Matth.*

Tempus tacendi, ait Salomon, et tempus loquendi. Discretionem hujusmodi Virgo sapiens et prudens non ignoravit. Inde col'audans eam Sponsus...., dicit in canticis: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Denique hoc quidem sponsus Christus Dei filius convenienter dicit sponsæ suæ Ecclesiæ, sed ipsum non minùs congruè dicit persona Dei Patris dilectæ sibi MARIÆ, statim subjungens: Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Tu. ℟. Stupebant.

LECTIO 2.

Quandiù Filius hominis manere debuit minoratus paulò minùs ab angelis, ferè tandiù fuit beatæ Virgini tempus tacendi, et tandiù tacuit, tandiù in silentio fuit, velut hortus conclusus; hortus, inquam, conclusus, fons signatus, quò accedere, cujus secretum audire nullus meretur, nisi cognitus; nullus cui talis hortus, talisque fons clausuram vel signaculum oris aperire indignum arbitraretur. Tu. ℟. Super servos.

LECTIO 3.

Ubi autem gloriâ et honore coronatus est Filius hominis resurgendo, et in cœlum ascendendo, ubi sedet ad dexteram Patris, ex tunc eidem beatæ Virgini fuit tempus loquendi, et hoc amicis, id est, sanctis apostolis, et talia loquendi, qualia portare priùs non potuissent. Sed ubi venit Spiritus veritatis, primus quidem, et princeps ipse illos omnem veritatem docuit, sed et ipsa beata Virgo testimonium suæ vocis adhibuit, et talitèr locuta est auribus fidelibus, ut proindè rectè dicat dilectus ejus Deus: favus distillans lâbia tua, mel et lac sub linguâ tuâ. Tu.

Te Matrem. *p.* 5.

Ad Benedict. *ant.* Tempus loquendi, * Domina, sonet vox tua in auribus meis, quia eloquium tuum dulce, allel. allel.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineff. 8. *Dec.* 1854.

306. Docuerunt « Sancti Patres».... Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divi Spiritûs charismatibus exornatam, immò eorumdem charismatum infinitum propè thesaurum, abyssumque inexhaustam... Tu.

Post Nonam terminatur tempus paschale.

Vesperæ dicuntur ut in sabbato per annum cum oratione Domin. 1. post Pentecost.

In fine Completorii dicitur ant. Salve Regina.

VIII.

VITA ACTIVA

B. MARIÆ V.

Quæ tempus à Pentecoste usque ad Assumptionem complectitur.

RESPONSORIA

dienda post Lectiones in Dominicis et in Officio feriali toto hoc tempore.

In 1. Noct. Dom. et in Feriâ II. et V.

℣. 1. Loquatur, Domine, ancilla tua in auribus tuis. ℟ Et audi verba famulæ tuæ. ℣. Si inveni gratiam in oculis tuis, dona mihi populum meum, pro quo obsecro. —Et audi.

℣. 2. Benedictum eloquium tuum, et ℟ Benedicta tu, quæ prohibuisti me hodiè, ne irem ad sanguinem, et ulciscerer me manu meâ. ℣. Invoca Dominum et loquere regi pro nobis, et libera nos de morte.—Benedicta.

℣. 3. Favus distillans labia tua, mel et lac sub linguâ tuâ, et eloquium tuum dulce: ℟ Emissiones tuæ paradisus. ℣. Sonet vox tua in auribus meis: vox tua dulcis, et facies tua decora.—Emissiones.—Gloria.—Emissiones.

In II. Noct. Dom. et in Feriâ III. et VI.

℣. 4. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio: ℟ Ego quasi fluvii Diorix, et sicut aquæductus exivi de paradiso. ℣. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et à generationibus meis implemini.—Ego.

℣. 5. Benedictio illius quasi fluvius inundavit, ℟ Et quomodò cataclysmus omnem terram operuit. Deriventur fontes tui foràs, et in plateas aquas tuas divide.—Et quom.

℣. 6. Benedictum eloquium tuum, ℟ Et benedicta tu inter mulieres, Virgo MARIA. ℣. Benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum.—Et benedicta.—Gloria.—Et beneđ.

In III. Noct. Dom. et in Fer. IV. et Sabbat.

℣. 7. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, ℟ Et ego reficiam vos. ℣. Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.—Et ego.

Sequens ℣. non dicitur in Dominicis.

℣. 8. Discite à me, quia mitis sum, et humilis corde: ℟ Et invenietis requiem animabus vestris. ℣. Qui audit me, non confundetur, et qui operantur in me, non peccabunt.—Et invenietis.

℣. 9. Quis infirmatur et ego non infirmor? ℟ Omnibus omnia facta sum, ut omnes Christo lucrifaciam. ℣. Ab infantiâ crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum.—Omnibus.—Gloria.—Omnibus.

LECTIONES

DE SCRIPTURA.

Pro feriis vitæ Activæ, seu post Pentec. usque ad Assumptionem, et pro I. Noct. Festivitatum, quæ proprias non habuerint.

IN FERIIS II.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. *c. 1. v. 4.*

Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiæ ab ævo. Unus est Altissimus creator omnipotens, et Rex potens et metuendis nimis, sedens super thronum illius, et dominans Deus. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto, et vidit, et dinumeravit, et mensus est. Tu. ℟. Loquatur, p. 246.

LECTIO 2.

Et effudit illam super omnia opera sua, et super omnem carnem secundum datum suum, et præbuit diligentibus se... Dilectio Dei honorabilis sapientia. Quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, et in agnitione magnalium suorum. Tu. ℟. Benedictum.

LECTIO 3.

Initio sapientiæ timor Domini, et cum fidelibus in vulvâ concreatus

est, cum electis feminis graditur, et cum justis et fidelibus agnoscitur. Plenitudo sapientiæ est timere Deum, et plenitudo à fructibus illius. Omnem domum illius implebit à generationibus, et receptacula à thesauris illius. Tu ℟. Favus distillans.

IN FERIIS III.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1 *c. 1. v. 22.*

Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem, et salutis fructum. Et vidit, et dinumeravit eam: utraque autem sunt dona Dei. Scientiam et intellectum prudentiæ sapientia compartietur, et gloriam tenentium se exaltat. Radix sapientiæ est timere Dominum, et rami illius longævi. Tu. ℟. Ego quasi. p. 246.

LECTIO 2.

In thesauris sapientiæ intellectûs et scientiæ religiositas: execratio autem peccatoribus sapientia... In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ: execratio autem peccatori cultura Dei Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi. Tu. ℟. Benedictio.

LECTIO 3.

Sapientia enim et disciplina timor Domini: et quod beneplacitum est illi fides et mansuetudo, et adimplebit thesauros illius. Ne sis incredibilis timori Domini, et ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hipocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris in labiis tuis. Tu. ℟. Benedictum.

IN FERIIS IV.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. *c. 4.*

Sapientia filiis suis vitam inspirat, et suscipit inquirentes se, et præibit in viâ justitiæ. Et qui illam diligit, diligit vitam, et qui vigilaverint ad illam, complecientur placorem ejus. Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt: et quò introibit, benedicet Deus. Tu. ℟. Venite ad. p. 246.

LECTIO 2.

Qui serviunt ei, obsequentes erunt sancto: et eos, qui diligunt illam, diligit Deus. Qui audit illam judicabit gentes, et qui intuetur illam, permanebit confidens: si crediderit ei, hæreditabit illam, et erunt in confirmatione creaturæ illius. Quoniàm in tentatione ambulat cum eo, et in primis eligit eum. Tu. ℟. Discite.

LECTIO 3.

Timorem, et metum, et probationem inducet super illum: et cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ donec tentet eum in cogitationibus suis, et credat animæ illius. Et firmabit illum, et iter adducet directum ad illum, et lætificabit illum, et denudabit absconsa sua illi, et thesaurizabit super illum scientiam, et intellectum justitiæ. Tu. ℟. Quis.

IN FERIIS V.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. *c. 6. v. 28.*

Fili à juventute tuâ excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam. Quasi is qui arat et seminat, accede ad eam, et sustine bonos fructus illius. Quàm aspera est nimiùm sapientia indoctis hominibus, et non permanebit in illâ excors. Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, et non demorabuntur projicere illam. Tu. ℟. Loquatur. p. 246.

LECTIO 2.

Sapientia enim doctrinæ secundum nomen est ejus, et non est multis manifesta: quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei. Audi, fili, et accipe consilium

intellectûs, et ne abjicias consilium meum. Injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, et porta illam, et ne acedieris in vinculis ejus. Tu. ℣. Benedictum.

LECTIO 3.

In omni animo tuo accede ad illam, et in omni virtu e tuâ conserva vias ejus. Investiga illam et manifestabitur tibi, et continens factus, ne derelinquas eam: in novissimis enim invenies requiem in eâ, et convertetur tibi in oblectationem. Tu. ℣. Favus distillans.

IN FERIIS VI.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. *c.* 6. *v.* 30.

Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriæ: decor enim vitæ est illa, et vincula illius alligatura salutaris. Stolam gloriæ indues eam, et coronam gratulationis superpones tibi. Tu. ℣. Ego quasi. *p.* 246.

LECTIO 2.

Fili, si attenderis mihi, disces: et si accommodaveris animum tuum, sapiens eris. Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam: et si dilexeris audire, sapiens eris..... Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, et in mandatis illius maximè assiduus esto: et ipse dabit tibi cor: et concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. Tu. ℣. Benedictio.

LECTIO 3. *c.* 11.

Sapientia humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum consedere illum faciet. Sapientia et disciplina, et scientia legis apud Deum. Dilectio, et viæ bonorum apud ipsum... Datio Dei permanet justis, et profectus illius sucesus habebit in æternum. Tu. ℣. Benedictum.

IN SABBATIS.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. *c.* 14. *v.* 22.

Beatus vir, qui in sapientiâ morabitur, et qui in justitiâ suâ meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei. Qui excogitat vias illius in corde suo, et in abscondit is suis intelligens, vadens post illam, quasi investigator, et in viis illius consistens. Statuet filios suos sub tegmine illius, et sub ramis ejus morabitur. Tu. ℣. Venite. *p.* 246.

LECTIO 2. *c.* 15. *v.* 1.

Qui timet Deum, faciet bona, et qui continens est justitiæ apprehendet illam, et obviabit illi, quasi mater honorificata, et quasi mulier à virginitate suscipiet illum. Cibabit illum pane vitæ et intellectûs, et aquâ sapientiæ salutaris potabit illum: et firmabitur in illo, et non flectetur, et continebit illum, et non confundetur: et exaltabit illum apud proximos suos. Tu. ℣. Discite.

LECTIO 3.

Et in medio Ecclesiæ aperiet os ejus, et adimplebit illum spiritu sapientiæ, et intellectûs, et stolâ gloria vestiet illum. Jucunditatem et exultationem thesaurizabit super illum, et nomine æterno hæreditabit illum. Homines stulti non apprehendent illam, et homines sensati obviabunt illi: viri mendaces non erunt illius memores, et viri veraces invenientur in illâ, et sucessum habebunt usque ad inspectionem Dei. Tu. ℣. Quis infirmatur.

DOMINICÆ

TEMP. VITÆ ACTIVÆ, SEU POST PENTECOST.

DOMIN. I. POST PENT.

Semiduplex.

Officium fit ut in Psalte io per annum.

IN I. NOCT.

De libro Judith.

LECTIO 1. *c.* 11. *v.* 1.

Tunc Holophernes dixit Judith: æquo animo esto, et noli pavere in corde tuo: quoniàm ego nunquàm nocui viro, qui voluit servire Nabucodonosor Regi. Populus autem tuus, si non contempsisset me, non levassem lanceam meam super eum. Nunc autem dic mihi: quâ ex causâ recessisti ab illis, et placuit tibi, ut venires ad nos? Tu. ℣. Loquatur. *p.* 246.

LECTIO 2.

Et dixit illi Judith: sume verba ancillæ tuæ, quoniàm si secutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum. Vivit enim Nabucodonosor rex terræ, et vivit virtus ejus, quæ est in te ad correptionem omnium animorum errantium, quoniàm non solum homines serviunt illi per te, sed et bestiæ agri obtemperant illi. Tu. ℣. Benedictum.

LECTIO 3. *v.* 18.

Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holopherne et coram pueris ejus et mirabantur sapientiam ejus et dicebant alter ad alterum: non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum. Et dixit ad illam Holophernes: Benefecit Deus, qui misit te ante populum, ut des illum tu in manibus nostris. Tu. ℣. Favus.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo B. Virginis. *Lect.* 6.

LECTIO 4.

Considerate, carissimi, in MARIA gratiam labiorum, de quâ in psalmo dicitur: Diffusa est gratia in labiis tuis. Tanta siquidem fuit gratia labiorum in MARIA, ut ipsa optimè per Judith signari possit, de quâ dicitur in libro Judith: non est mulier talis super terram in aspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum. Tu.

℣. Ego quasi.

LECTIO 5.

Revera non est, non fuit, non erit mulier talis super terram, qualis MARIA fuit in aspectu clarissimæ vitæ, in pulchritudine mundissimæ conscientiæ, et in sensu verborum dissertissimæ linguæ. Gratiam autem verborum labiorum ejus ex evangelio colligamus diligenter. Tu. ℣. Benedictio.

LECTIO 6.

Invenimus septem in Evangelio mellifluas sententias, de mellifluis MARIÆ labiis distillantes, et mellifluam labiorum ejus gratiam optimè indicantes juxta illud Canticorum: Favus distillans labia tua. Septem mellis stillæ sunt septem dulcissima verba MARIÆ, quæ ad Angelum, ad hominem et ad Deum legitur habuisse. Duo ad Angelum, duo ad hominem, tria ad Deum. Tu. ℣. Benedictum.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 46.

In illo tempore: Ait MARIA: Magnificat anima mea Dominum. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Libr. de Pass. Dom. c. 26.

Vis audire canticum Matris Christi? Exaltata est supra quàm dici, aut cogitari potest, toti mundo, cœlisque prælata, non ascendit supra se, sed cantavit canticum humilitatis, quod et charitas est, quia charitas non inflatur. Eructavit de corde suo in ebrietate verbum bonum et suave, canticum novum virginibus cantandum. Et quid ait? Magnificat anima mea Dominum. Tu. ℣. Venite ad.

LECTIO 8.

Vide quàm contrarium est canticum hoc cantico Angeli ruituri. Incœpit ille in alto, ac proindè in ima non descendit, sed corruit. Incœpit MARIA ab imo, ut in altum sublevaretur. Magnificat hæc Dominum, non se, licet inæstimabiliter exaltata: servans quod scriptum est: quantò major es, humilia te in omnibus. Undè et super omnes choros angelorum meruit elevari. Magnificavit se ille supra Dominum, undè infra omne, quod est, meruit præcipitari. Tu. ℟. Quis inf.

LECTIO 9.

Exultavit Spiritus humilis MARIÆ in Domino JESU suo: undè oleo lætitiæ præ consortibus suis inungi promeruit. Exultavit stultus ille Angelus in se, undè lucifer perpetuo meruit condemnari. Gloriatur ista humilitatem suam esse respectam: undè habebit fructus in respectione animarum sanctarum. Gloriatur ille in multitudine virtutis suæ: undè perpetuam despectionem incurrit. Tu. Te Matrem. *p.* 5.

Ad Benedict. *ant.* Magnificate * Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui humanæ substantiæ veritatem de virginalis uteri materiâ suscepisti: da nobis beatæ Genitricis tuæ precibus, ita degenerem exuere vetustatem, ut te novæ reparationis induamus auctorem. Qui vivis et regnas.

Reassumuntur suffragia.

3. PER SACRIFICIUM MISSÆ.

§. 1. *Per Missas votivas.*

CANON.

Ex Decretis Sacrorum Rituum Congregationis.

8 *Jun.* 1658. *In Claram.*—20 *Nov.* 1662. *In Aretin.*—16 *Jun.* 1663. *in Rosanensis.*

307. Missa votiva, etiàm cantata, Beatæ MARIÆ Virginis cum Gloria et Credo, sed sine Officio, potest celebrari in aliquâ die, etsi Dominicâ, ob publicam causam, et ratione concursûs populi, vel aliâ causâ. Tu.

Ad Magnificat. *ant.* Non est talis * mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum.

Oratio de Laudibus.

CANONES.

Post. Dom. 1. *post Pentecost.*

FERIA II.

Ex Decr. Sacr. Rituum Congregationis.

30 *Jul.* 1689. *In una Capuccin.*—1697. 16 *Maj. in Placent.*

308. In Missis votivis Beatæ MARIÆ Virginis, quæ recitantur in Sabbato, dicitur «Gloria in excelsis», etiàmsi non fiat Festum de eodem, tàm in Sabbatis feriarum, quàm in Sabbatis adventûs. Tu.

FERIA III.

Ex Decreto Sacr. Rituum Congregationis.

24 *Jul.* 1683. *in Ruremund.*

309. Missæ votivæ Beatæ MARIÆ Virginis in cantu fundatæ dici non possunt in Duplicibus, aliisque diebus duplicia excludentibus, sed cantari debent Missæ de festo currenti... non obstante quâcumque consuetudine in contrarium. Tu.

FERIA IV.

Ex Decreto Sacr. Rituum Congregationis.

16 *Mart.* 1805. *Oriolens.*

310 Sacerdos cæculiens celebrans ex apostolico indulto Missam votivam Beatæ MARIÆ Virginis uti

debet sempèr paramentis albis: nequit in eâ legere orationem Officii currentis: debet tamen orationes illas dicere, quæ votivæ conveniunt, omissis Gloria in excelsis et Credo, etiàm in Dominicis. Tu.

FERIA V.

IN FESTO SS. CORPORIS CHRISTI.

Duplex 1. *Class. cum Octavâ.*

IN I. VESPER.

Ant. 1. Convertimini ad me; ea proferam vobis spiritum meum, allel. *Psalmi de Solemnit.*

2. Accipite, comedite, amici, et inebriamini, carissimi, allel.

3. Comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis, allel.

4. Nisi manducaverilis ex hoc pane, non habebitis vitam in vobis, allel.

5. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum, allel.

CAPITULUM. *Cant.* 8. 2.

Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.

℟. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum, et in foribus portarum urbis, dicens: * Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis. ℣. Misit ancillas suas, ut vocaret ad arcem et ad mœnia civitatis.—Venite.—Gloria.—Sapientia. *Indieb. infra Oct. non dicitur.*

HYMNUS 67. *J. M. Caryophilo.*

Te fasciis obvoluerat
Enixa Virgo parvulum;
Nunc fasciis obvolveris,
Cum te sacerdos advocat.

Tunc Christe lac ut sugeres;
Nunc panis ut tu nutrias:
Tunc pastus uno tempore;
Nunc pastor omni tempore.

Divina tunc vis abdita,
Nunc et virilis abdita
Tunc ventre Matris editus,
At ventribus nunc conditus.

Mortalis à mortalibus
Ut figereris hostia:
Nunc sumptus ut mortalibus
Sis morte victâ pharmacum.

Doxol. de Tempore.

℣. Panem de cœlo præstitit nobis Virgo MARIA, allel. ℟. Omne delectamentum in se habentem, allel.

Ad Magnif. *ant.* O sacrum convivium, * in quo nobis datur in cibum ipse MARIÆ Filius! Beati, qui ad cœnam hanc vocati sunt, allel. allel.

AD MATUTIN.

Invitat. Corpus Christi de MARIA natum et nobis in panem datum, * Venite, adoremus, allel.

℣ HYMNUS 68. *S. Bonav.*

Summus Artifex omnium
Te providit vas nobile,
Vas dignum, vas egrégium,
Vas gratum, vas laudabile,
Vas cunctis ve erabile
Famulis, ut cœlitum
Ministres delectabile,
Panemque cœli civium.

Tu ministras hominibus
Verum panem angelorum,
Tuis natum visceribus
Pro salute peccatorum.
Hic est panis viatorum,
Qui non est dandus canibus,
Qui est salus miserorum
Præstans omnibus panibus.

Gaude, Virgo Mater, gaude:
Per te mundus restauratur.
Cum civibus cœli plaude:
Qui honor tibi datur
Deus decenter solvatur
Tibi, majus omni laude,
Qui per te liberatur

Omnis homo, factâ fraude. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Fructum salutiferum * gustandum paravit nobis Virgo Dei Genitrix, allel. *Psalm.* 8. Domina Domin. nost. *p.* 4.

2. Venter tuus, * Domina, sicut acervus tritici vallatus liliis, allel. *Ps.* 32. Exultate justi. *p.* 21.

3. A fructu frumenti et vini tui, Domina, multiplicamur in pace Christi, allel. *Ps.* 34. Exandi Dom. *p.* 24.

℣. Panem cœli dedit nobis Virgo sacrata, allel. ℟. Panem angelorum manducabit homo, allel.

De libro Sapientiæ.

LECTIO 1. *Prov. c.* 9. 1.

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis: Si quis est parvulus veniat ad me. Et insipientibus locuta est: venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis. Tu.

℟. Qui est parvulus, declinet ad me: qui sibi veniat ad me: qui esurit, accédat ad me. * Venite ad me omnes, et ego reficiam vos. ℣. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et à generationibus meis implemini.—Venite.

LECTIO 2. *Cant. c.* 5. 1.

Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi. Tu.

℟. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: * Qui manducat ex hoc pane, vivet in æternum. ℣. Caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus.—Qui.

LECTIO 3. *Eccl*, 24. 26.

Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et à generationibus meis implemini: spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum: memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: qui operantur in me, non peccabunt. Qui eluciant me, vitam æternam habebunt. Tu.

℟. Nunquid non sapientia clamitat, dicens: * Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod appono vobis. ℣. Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det nobis de carnibus ejus, ut saturemur?—Venite.—Gloria.—Nunquid. *In dieb. infra octav.* Venite.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Sicut novellæ * olivarum filii tui sumus in circuitu mensæ tuæ, allel. *Ps.* 48. Audite hæc. *p.* 31.

2. Frange esurienti * panem tuum, et cibanos, Domina, ex adipe frumenti, allel. *Ps.* 115. Credidi. *p.* 45.

3. Bibite vinum, * quod miscui vobis: inebriamini, carissimi, allel. *Ps.* 119. Ad Dominum. *p.* 46.

℣. Educas panem de terrâ, allel. ℟. Et vinum lætificet cor hominis, allel.

Sermo S. Amadei Ep. Lausan. *De Laudibus B. V. Hom.* 6.

LECTIO 4.

Invito vos ad mensam sapientiæ, et ad vini libamina, quæ miscuit vobis in cratere calicis præclari. Invito vos ad epulas gloriosæ, ad convivium Dei Genitricis. Felix, qui tali potius convivio coram recumbentibus in veste nuptiali fulgebit, apponetur ei panis vitæ confirmans, replens, et satians suavitate nutritivâ. Et vinum lætitiæ, vinum procedens de genimine vitis, verè vinum resurrectionis expressum de ligno dominicæ passionis. Tu.

℟. Hic est panis de cœlo descendens, * Ut si quis ex ipso manducet, non moriatur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.—Ut.

LECTIO 5.

Hoc vinum Botrus ille protulit, qui ablatus è terrâ promissionis in vecte ligneo pependit. Edet præterea præfatus conviva in stolâ primâ, et annulo pacis occissum à Patre vitulum saginatum, accinctus renes zonâ fidei, et castitatis, habens etiàm calceamenta in pedibus, utpote ad omne opus bonum præparatus, agni paschali assas igne carnes manducabit. Tu.

℟. Ego præbeo vobis panem vivum, qui de cœlo descendit: * Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. ℣. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt.—Si quis.

LECTIO 6.

Et ego, fratres ad hoc prandium invito. Edite panem vitæ, vinum lætitiæ bibite, inebriamini gaudio resurrectionis. Ebrietas hæc summa sobrietas est, hæc mundi memoriam obliterat, et Deum presentem animo semper inculcat: hâc ebrius quisque cunctorum, semper obliviscitur, et solius divinæ claritatis recordatur. Hâc igitur et vos inebriamini, dilectissimi: cum Dei Genitrice inebriamini, et gaudete. Tu.

℟. Comedetis carnes, et saturabimini panibus: * Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum. ℣. Venite, et comedite panem meum.—Iste est.—Glor.—Comedetis. *Infra octav.* Iste.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Adversus omnes, * qui tribulant nos, Virgo MARIA paravit nobis mensam, allel. *Ps.* 125. In convertendo. *p.* 47.

2. Vinum germinans * virgines germinavit nobis sancta Virgo Virginum, allel. *Ps.* 113. Benedicta sis. *p.* 52.

3. His, qui amaro * sunt corde, præparavit Domina vinum lætitiæ, allel. *Ps.* 144. Exaltabo te. *p.* 52.

℣. Impinguasti in oleo caput meum, allel.

℟. Et calix meus inebrians, quam præclarus est, allel.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 6. *v.* 56.

In illo tempore: Dixit JESUS turbis Judæorum: caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Damasceni.

Libr. 4. *c.* 14. *de Ortodox. fide.*

Si ipsemet Deus Verbum, posteà quàm voluntas ipsius tulit, homo factus est, atque ex puris et immaculatis sanctæ ac semper Virginis sanguinibus carnem sibi ipsi sine semine condidit, quid tandem afferri potest, quia ex pane corpus suum et aquâ sanguinem suum efficere queat? Dixit antiquitùs: producat terra herbam virentem, atque ea etiàm nunc orto imbre fœtus suos producit. Dixit Deus: hoc est corpus meum, et hic sanguis meus: atque omnipotenti ipsius præcepto, donec ipse veniat, hoc efficitur.

℟. Audite audientes me, et comedite bonum. * Et delectabitur in crassitudine anima vestra. ℣. Quid mihi est in cœlo, et à te quid

volui super terram, Deus cordis mei.—Et delect.

LECTIO 8.

Quemadmodùm quidquid Deus fecit, id Sancti Spiritûs operatio fecit: eodem modo nunc quoquè Spiritûs operatio ea, quæ naturam superant, effecit: quæque nisi sola fide capi, atque intelligi nequeunt. Quo tandèm modo fieri istud, ajebat sancta Virgo, quoniàm virum non cognosco? Respondit Archangelus Gabriel: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Tu quoquè quæris, quomodò panis corpus Christi, et vinum cur: aquâ conjunctum sanguis Christi fiat? Tibi idem respondeo: Spiritus Sanctus superveniet, atque efficit quæ orationis facultatem, et mentis intelligentiam excelunt. Tu.

℣. Sicut modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite, ℟. Ut in eo crescatis in salutem. ℣. Venite, emite absque argento vinum et lac.—Ut.

Hoc ℟. *omittitur in diebus infra octav.*

LECTIO 9.

Sanè corpus divinitati verè unitum est, illud corpus, quod ex sanctâ Virgine ortum est: non quod assumptum illud corpus è cœlo descendit, sed quia panis ipse ac vinum in corpus et sanguinem Dei immutantur. Quod, si quo pacto id fiat, requiris, sat tibi sit, audire, quòd per Sanctum Spiritum id fiat, quemadmodùm et ex sanctâ Dei Matre per Spiritum Sanctum Dominus sibi ipsi, et in seipso carnem condidit. Tu.

℟. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum, et in foribus portarum urbis, dicens: ℟ Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. ℣. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis.—Venite.—Gloria.—Sapientia. *In diebus infra oct.* Venite.

Te Matrem Dei.

AD LAUDES

et per Horas Antiphonæ.

1. Domina mea ℟ regit me, et in loco pascuæ ibi me collocavit, allel. *Psalmi de Dominicâ.*

2. Pinguis est panis, ℟ quem nobis paravit Virgo, et præbet delicias regibus, allel.

3. Dedit nobis ℟ medullam tritici, et sanguinem uvæ bibere meracissimum, allel.

4. Qui manducat ℟ ex hoc pane, vivet in æternum, allel.

5. Dabo vobis ℟ manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit, allel.

CAPITULUM. *Cant.* 8. 2.

Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.

HYMNUS 69.

Verbum supernum prodiens
Nec Patris linquens dexteram
Ad opus suum exiens
Per Virginem peritransiit.

In mortem à Discipulo
Suis tradendus æmulis
Prius in vitæ ferculo
Se dat Patribus et fratribus.

Quibus sub binâ specie
Carnem dedit et sanguinem,
Quam duplicem substantiam
Assumpserat de Virgine.

Concede, Christe, quæsumus,
Dum sumimus convivium
Hoc, memoriam facere
Communis Matris omnium.

Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in Patriâ. Amen.

℣. Nomen tuum, et memoriale tuum, Domina, allel. ℟. In desiderio animæ meæ, allel.

Ad Benedict. *ant.* Caro Filii meî verè est cibus, et sanguis ejus verè est potus: venite, comedite, et bibite, ut vivatis in æternum, allel., allel.

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui per Spiritum Sanctum in visceribus Beatæ MARIÆ sempèr Virginis Corpus Christi sanctum et immaculatum formasti, et pro nobis pati, ac mori, et nobiscum in memoriam suæ passionis usque ad consummationem sæculi in Sacramento altaris esse voluisti: tribue, quæsumus, ita nos corporis et sanguinis sui sacra mysteria venerari, ut redemptionis ejus fructum in nobis jugitèr sentiamus. Qui tecum vivit et regnat.

AD PRIMAM.

Ant. Domina. *Capitul.* Apprehendam. *de Laud.*

℣. ℟. *br.* Quæ satias nos adipe frumenti.

CANON.

Ex Concilio Levitiensi.

An. 1606—*die* 11. *Sep. Can.* 18. *Mort. T.* 7. *col.* 1447.

311. In Eucharistiæ Sacramento est reipsa verum Corpus Domini Nostri JESU-Christi, illud ipsum quod de Virgine natum est, et in cruce passum est. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Isai.* 25. 6.

Fecit Dominus exercituum omnibus populis convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ.

℟. *br.* Panem cœli dedit eis, ℟ Alleluia, alleluia.—Panem. ℣. Panem Angelorum manducavit homo.—Allel.—Gloria.—Panem.

℣. Cibavit illos ex adipe frumenti, allel.

℟. Et de petrâ melle saturavit eos, allel.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. 1. *Corinth.* 11. 26.

Quotiescumquè manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.

℟. *br.* Comedite panem meum, ℟ Allel. allel.—Comedite ℣. Et bibite vinum, quod miscui vobis.—Allel.—Gloria.—Comedite.

℣. Educas panem de terrâ, allel.

℟. Et vinum lætificet cor hominis, allel.

AD NONAM.

CAPITULUM. 1. *Corinth.* 11. 27.

Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, et sanguinis Domini.

℟. *br.* Comedite, amici et bibite, ℟ Allel. allel.—Comedite. ℣. Et inebriamini, carissimi,—Allel.—Gloria.—Comedite.

℣. Posuit fines tuos pacem, allel.

℟. Et adipe frumenti saliat te, allel.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Quomodò ℟ si cui Mater blandiatur, ita ego consolabor vos, allel. *Psalmi de Solemnit.*

2. Ad ubera ℟ portabimini, et in Matre Dei consolabimini, allel.

3. Sicut modò ℟ geniti infantes, rationabile sine dolo lac meum concupiscite, allel.

4. Venite, ℟ et emite absque argento panem et vinum meum, allel.

5. Qui manducat ℟ hunc panem, vivet in æternum, allel.

Capitul. et ℣. *ut in primis vesper.*

HYMNUS 70. *Br. Rom.*

Pange, lingua, gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,

Quem in mundi prétium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intactâ Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Observatâ lege plenè
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum;
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergò Sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitóri Genitóque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque,
Sit et benedictio;
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

℣. Venite ad me omnes, allel.
℟. Comedite panem meum, allel.

Ad Magnific. *ant.* Exultate in eâ omnes qui diligitis eam, ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus, ut mulgeatis, et deliciis affluatis in omnimodâ gloriâ ejus, allel. allel. *Orat. de Laud. Completor. de Dominicâ.*

In diebus infra octav. nisi occurrat festum Duplex. Officium fit ut in die, Psalmi et Lectiones primi Noct. de feriâ occurrenti.

FER. VI. INFRA OCT.
Semiduplex.

Sermo S. Ambrosii Ep.
Serm. 3. in Psalm. 21.

LECTIO 4.

Cur totius Dominus creaturæ vermiculo se voluerit comparari? Possumus hoc quidem humilitati primitùs assignare, quæ sanctorum virtus est maxima, sicut sanctus Moyses ante Deum animal se irrationabile profitetur; David pulverem se sæpè commemorat. Sed magis illud accipiendum puto, quoniàm vermis nullâ extrinsecùs admixtione alieni corporis, sed de solâ et purâ terrâ procreatur, ideò illum comparatum Domino, quoniàm et ipse Salvator de solâ et purâ MARIA generatur. Tu. ℣. Hic est panis.

LECTIO 5.

Legimus etiàm in libris Moysi de manna vermiculos procreatos. Digna et plenè justa comparatio. Si quidem de manna vermiculus gignitur, et Dominus Christus de Virgine procreatur. Quia potiùs ipsam MARIAM manna dixerim, quia est subtilis et splendida, suavis, et virgo, quæ velut cœlitùs veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit: quem qui edere, aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit. Tu. ℟. Ego præbeo.

LECTIO 6.

Filiis Israel subtilitèr prophetatum est in veteri testamento. Manna enim illis contra divina præcepta tractantibus vermes effecti sunt, id est, contumaciæ ultores et judices. Quæ similitudo Christum indicat Dominum, quem qui suavem cibum, et dulcem potum haurire neglexerit, judicem patietur, sicut ipse ait: neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Tu. ℟. Comedetis.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. c. 6. v. 56.

In illo tempore: Dixit JESUS turbis Judæorum: caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus. Et reliqua.

Homilia S. Laurentii Justiniani. *Sermo de Nat. B. V. M. In Bibliotec. PP. concion.*

An non MARIA testamenti arca verissima, quæ auro vestita mundissimo, virtutum gemmis ornata, ac imputribilibus lignis spiritualitèr facta, testamenti tabulas, frondentem virgam et suavissimum in se manna continui? Hæc omnia in Christo, imò hæc omnia Christus, qui virginalis pudicitiæ habitavit in utero. Ipse namque verus Deus fuit, et homo, veramque carnem traxit ex Virgine. Tu. ℟. Audite.

LECTIO 8.

Hoc namque suavissimum est manna de cœlo missum ad spiritualem refectionem, vitamque justorum. Nullam utique in se corruptionem admittit, nullum de se spiritualitèr manducantibus fastidium parit, quin potiùs præstat vitam, vires præbet, infundit gaudium, et de imis constituit in excelsis. Qui manducat, inquit, meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Tu. ℟. Sapientia.

LECTIO 9.

Hoc utique manna, quod in utero MARIÆ repositum, ubique expositum, atque appositum est, frequenter utere ad salutem. Uteri hujus venerare pudicitiam, et arcæ hujus mysticæ gratiam contemplare, quæ tale excepit munus, talemque genuit prolem, quæ le corporis sui manna reficeret, inebriaret cruore, passione redimeret, morte salvaret. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Cænomanensis.

An. 1247. *apud Marten. Tom.* 7. *col.* 1381.

312. Ubi erat priùs purus panis, est verum Corpus Christi de Virgine natum, in cruce passum, ad dexteram Dei collocatum. Tu. *Vesperæ ut in secund Vesper.*

SABBATO INFRA OCTAV.
Semiduplex.

IN II. NOCT.

Sermo S. Augustini Episcopi. *In Psalm. 98. Enarratione.*

LECTIO 4.

Adorate scabellum pedum ejus. Quæro, quid sit scabellum pedum ejus, et dicit mihi scriptura. Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, et invenio, quandò sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terrâ terram, quia caro de terrâ est, et de carne MARIÆ carnem accepit. Tu. ℣. Hic est.

LECTIO 5.

Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adoraverit: inventum est quemadmodùm adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Nunquid autem caro vivificat? Ipse Dominus dixit cum de ipsâ commendatione ejusdem terræ loqueretur: Spiritus est, qui vivificat, caro autem nihil prodest. Tu. ℟. Ego præbeo.

LECTIO 6.

Tunc autem, quandò hoc Dominus commendavit, de carne suâ locutus

erat, et dixerat. Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit in se vitam æternam. Scandalizati sunt quidam discipuli ejus, septuaginta fermè et dixerunt. Durus est hic sermo, quis potest hoc intelligere? Et recesserunt ab eo, et ampliùs cum eo non ambulaverunt. Tu. ℣. Comedetis.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 6. *v.* 56.

In illo tempore: Dixit JESUS turbis Judæorum; caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus. Et reliqua.

Homilia S. Germani Arch. Constantinopolitani. *Ex theoria rerum Ecclesiasticarum.*

Apud Maxæcium. in Bibliot. marian. frag. 1.

Oblatio (quæ panis et benedictio, et primitiæ dicitur) ex quâ Dominicum Corpus disseratur, ad typum sempèr Virginis et Deiparæ sumitur: quæ secundum beneplacitum Patris, et voluntatem Filii sui et Verbi, et adventum Domini Spiritûs unum Sanctæ Trinitatis Filium Dei et Verbum recipiens in se, perfectum Deum, et perfectum hominem peperit. Tu. ℣. Audite aud.

LECTIO 8.

Craterem etiàm interpreteris licet mammas Deiparæ, salulare lætitiæ poculum, et tutelare ac consecratorium totius generis mortalium. Pontifex Dominus est. Thronus Virgo. Christus Dei sapientia et virtus suam carnem ædificavit ex eâ, virum non expertâ, castâ matre et virgine, præpurgatâ animâ et corpore. Miscuit in cratere suo vinum, in supersanctâ Virgine suam Deitatem uniens carni et vinum merum. Servator enim genitus est ex eâ inconfusè, at absque conjuge Deus et homo. Tu. ℣. Sapientia.

LECTIO 9.

Oportet ut nos Dominam hujus universi laudemus, et illam angeli salulationem annuntiemus. O Mater casta, lumine carentes, typos et præterilas umbras verbi contemplantes, quæque insunt occlusis foribus, lumen veritatis refulgens glorificamus. Tuo verò utero dignè benedicimus. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex S. Hilario Episcopo.

De Trinit. libr. X, n. 18.

313. Per panem suum de cœlo descendentem et carnem ac sanguinem Filii hominis, et conceptæ ex Spiritu Sancto, et natæ ex Virgine carnis intelligatur assumptio. Tu.

DOM. II. VIT. ACTIV. ET INFRA OCTAV.

Semiduplex.

Psalmi de Dominicâ. Reliqua ut in dir.

IN I. NOCT.

LECTIO 1. *c.* 15. *v.* 4.

Deposuit Esther vestimenta ornatûs sui, et circumdata est gloriâ suâ. Cumque regio fulgeret habitu, et invocasset omnium rectorem et Salvatorem Deum, assumpsit duas famulas, et super unam quidem innitebatur, quasi præ deliciis et nimiâ teneritudine corpus suum ferre non sustinens: altera autem famularum sequebatur Dominam defluentia in humum vestimenta sustenlans. Tu. ℣. Qui est parv. *p.* 252.

LECTIO 2.

Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, et gratis ac nitentibus oculis tristem celabat animum, et nimio timore contractum. Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, ubi ille resi-

debat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroque fulgens, et pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu. Tu. ℣. Ego.

LECTIO 3.

Cumque elevasset faciem, et ardentibus oculis furorem pectoris indicassel, regina corruit, et in pallorem colore mutato, lassum superancillulam reclinavit caput. Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem, et festinus ac metuens exilivit de solio, et sustentans eam ulnis suis donec rediret ad se, his verbis blandiebatur. Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere. Tu. ℣. Nunquid.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo B. Virginis. *Lect.* 3.

LECTIO 4.

Considera, carissime, quòd MARIA est Domina Angelorum. Ipsa enim signata est in Dominâ Esther reginâ, de quâ legitur, quòd super unam famulam suam deliciosè innitebatur, altera autem feminarum sequebatur Dominam defluentia in humum vestimenta sustenlans. Per Dominam Esther Reginam intellige MARIAM Reginam: duæ famulæ quarum Domina est Regina MARIA, sunt angelica, et humana creatura. Tu. ℣. Hic est.

LECTIO 5.

O quantum gaudendum est nobis miseris hominibus, quòd Angeli Dominam, et Dominam habent ex hominibus! Verrissimè enim Angelorum Domina est MARIA; undè Augustinus ipsam alloquens, ait: si cœlum te vocem, altior es: si matrem gentium prædicam, præcedis: si Dominam Angelorum nominem, per omnia esse comprobaris: si formam Dei appellem, digna existis. Anima verò humana est famula, quæ Dominam suam MARIAM sequitur in mundo. Sequitur certè colligens virtutes et exempla MARIÆ. Tu. ℣. Ego præbeo.

LECTIO 6.

Intelligentia verò angelica est famula superquam Domina sua MARIA innititur in cœlo. Innititur certè tanquàm familiarissima se angelis sociando. Innititur etiàm tanquàm delicatissima in angelis deliciando. Innititur quoquè tanquàm plenissima se cum suâ plenitudine angelis communicando. Innititur in supèr tanquàm potentissima angelis imperando. Omnibus enim angelis MARIA innititur suo imperio. Tu. ℣. Comedetis.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 6. *v.* 56.

In illo tempore: Dixit JESUS turbis Judæorum: caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus. Et reliqua.

Homilia S. Epiphanii Ep.

In Serm. de B. V. M.

Virgo MARIA cibanus est intellectualis, qui ignem et panem vitæ calidum mundo in essum attulit, de quo Salvator mundi Christus ait: accipite, et comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Locuples est, carissimi, virtutibus plena mensa virginea, optimis quibuscumque cibis abundans, quibus terra fruatur. Tu. ℣. Audite audientes.

LECTIO 8.

Est etiàm beata Virgo vitis veritatis fertilissima, et quoad virginitatem minimè vindemiata, quæ licet non fossa, uvarum tamen feracissima, nempè quæ maturam uvam germinavit Christum. Quam ob rem, Sanctissima Virgo, fac

UNIVERSIDAD DE NAVARRA · FONDO GENERAL DE PUBLICACIONES

nobis fidem, quâ ratione germinaveris, quo pacto suscipiens Verbum, quod est ante sæcula, Mater Dei visa sis super terram. Tu. ℟. Sapientia.

LECTIO 9.

O Virginem, stupendum Ecclesiæ thesaurum, qui adeptus est ingens mysterium. Virginem appellat velut Sacerdotem, pariter et altare: quæ quidem mensam ferens dedit nobis cœlestem panem Christum in remissionem peccatorum. Sed quid dicam, aut quid loquar de præclarâ et sanctâ Virgine? Desiderium me trahit, ut de Deiparâ verba faciam, et formido me retinet in silentio, ut qui non habet facultatem dicendi. Tu. Te Matrem.

Ad Bened. *ant.* Qui manducat carnem Filii mei, vivet in æternum, allel. allel.

Oremus. *Oratio.*

Cordibus nostris, quæsumus, Domine, gratiam tuam benignus infunde, et intercedente Sanctissimâ Dei Genitrice MARIA, corpora nostra castifica, et mentes nostras humilitate, et charitate sanctifica. Per eumdem.

CANON.

Ex S. Hilario Episcopo.

Tract. in Psalm. 51. *n.* 16.

314. « Elevabo tabernaculum David, » sanctum illud scilicet et venerabile nati ex Virgine Dei corpus, et Templum, in quo qui crediderit, tanquàm consors dominicæ carnis habitavit. Tu.

Ad Magnific. *ant.* Cum regio fulgeret habitu pro nobis omnium rectorem Deum invocavit, allel. allel.

FER. II. INFRA OCT.

Semiduplex.

IN II. NOCT.

Sermo Ven. Petri Blessensis. *Serm.* 6. *de Natiç. Domini.*

LECTIO 4.

Comedamus panes Melchisedech, nam ipsi sunt vetustissimi et suavissimi, et projiciamus panes propitiationis, qui sunt veteres; quia supervenit panis novus, qui de cœlo descendit. Hunc panem mulier evangelica de tribus saccis farinæ commiscuit. Beatissima enim Virgo tres substantias, divinitatem, scilicet, carnem et animam unitas concepit. Tu. ℟. Hic est pan. *p.* 253.

LECTIO 5.

Panis iste, quem vobis confecit, in clibano crucis confectus est, et in Resurrectione divisus. Sapientia enim abscondita, et thesaurus invisus, et panis non divisus aut fractus, quæ utilitas in his tribus? Sed fractus est panis, apertus est liber, concissus est saccus: et Spiritus Christi descendens ad inferos, tanquàm inter mortuos liber, eduxit vinctos de domo carceris, sedentes in tenebris, et umbrâ mortis. Tu. ℟. Ego præb.

LECTIO 6.

Caro verò moriens mortem perimit, et vita hominum cum eâ resurgit, regenerata in spem vitæ per Resurrectionem JESU-Christi ex mortuis. Sic itaque panis noster quotidianus super substantialis ex tribus saccis farinæ compactus est in conceptione, coctus in passione, fractus in resurrectione. Hic est panis subsinericius, qui subvertit castra Madian. Tu. ℟. Comedetis.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 6. *v.* 36.

In illo tempore: Dixit JESUS turbis Judæorum: Caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus. Et reliqua.

Homilia S. Isidori Arch. Thessalonicensis.

Orat in Ann. B. V. M. In Bibliotecâ Marrrace

Sed ut se exhibeat Virgo alterum ferè Creatorem, bonumque dominum, Creatori et Filio suo similem, maximaquæque communicat cum aliis. Imò vero, ut ostendat, quòd propter nos in hanc vitam est edita, et quasi munus porrigens Deo conjungat, indè disjunctos alacritèr per suum partum nos advocat, quo simus consortes unionis cum ipso, ut quod illi fuit Deus per admirandam illam conceptionem (tulit enim ipsum veluti absorptum, sibique coagmentatum), hoc idem cum Deo nos efficiamur per sumptionem carnis, quam ejus Unigenitus assumpsit ab eâ. Tu. ℟. Audite.

LECTIO 8.

Carnem porrò hanc jucundissimam, et vitæ largitricem, supercœlestis verè homo, nimirùm Virgo, agriculatione suâ præstitit, atque futuram nobis cœnam paravit. Itaque cum nos ejus Filius ad hanc quoquè altrahit mensam, suasque porrigit carnes, vidensque nos degustantes gaudet; hoc etiàm Matri ad scribendum est. Fructus enim hominum et ipsa mirum in modum procreata est, ut carnem quidem ex eâ Deus sibi sumerel, eâdem verò aleret Matris suæ cognatos. Tu. ℟. Sapientia.

LECTIO 9.

Nam si hoc futurum non fuisset, omni materiâ sublimius illustrissimum hoc vas nunquàm extitisset creatum è terrâ simulacrum. Et ubi terram adiit, quia Deo similima erat, nihil aliud exoptavit, quàm quod Deus optabat: et quia ligni quidem fuit gustus, qui hominem à Deo, proh dolor! abalienavit, suam verò carnem virgo esse idoneam medicinam videbat, appositam gustantibus, ad conjungendos homines Deo, quo ægrotum beneficio afficere gratuitò cupiebat. Id ipsum verò Deo quoquè gratum erat, seipsum, scilicet, si fieri posset, apponere lapso escam. Tu.

Te Matrem.

CANON.

Ex S. Cyrillo Ep. Alexandrino.

Ad Valer. Epist.—Concil. T. 6. *p.* 372.

315. Cum unigenitum Dei Verbum corpus ex sanctâ et Dei Genitrice Virgine suscepisset, susceptumque proprium sibi fuisset; semetipsum pro nobis Deo et Patri immaculatam Hostiam in odorem suavitatis obtulit. Tu.

FER. III. INFRA OCT.

Semiduplex.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis. *Tom.* 1. *Serm.* 61. *art.* 1. *c.* 10.

LECTIO 4.

De carne Virginis benedictæ, et in parte corporis ejus excissâ consistit, perficitur, et terminatur totum decus et pondus sacramentorum Ecclesiæ Dei. Certum est enim quòd omnis institutio Sacramentorum, et omnia alia Sacramenta, tanquàm in ultimum finem, et ad illud Sacramentum omnium Sacramentorum excellentissimum, quod est Eucharistia, ordinantur, quæ quidem conficitur, et consecratur, dum panis in corpus Christi convertitur. Tu. ℟. Hic est.

LECTIO 5.

Quamvis enim per concomitantiam in Christi corpore sit divina substantia, et anima sola; tamen substantia panis transubstantiatur in solâ substantiâ carnis, non in divinitatem neque in animam: ideò hoc Sacramentum est finis omnium

Sacarmentorum. Tu. ℣. Ego præb.

LECTIO 6.

Et (ut expressiùs magnificem illam dignissimam et beatissimam carnem de Virgine gloriosâ decisam) dico, quod tantâ infinitate nobilitatis eam dignificavit Allissimus, quòd cum esset veri hominis caro dum vivebat JESUS, formam hominis posset perdere, Dei autem nunquàm: non enim erat verum dicere de corpore exanimi Christi: hoc corpus est homo, et verum erat dicere: hoc corpus est Deus. Tu. ℣. Comedetis.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. c. 6. v. 56.

In illo tempore: dixit JESUS turbis Judæorum: caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus. Et reliqua.

Homilia S. Andreæ Cretensis.
Oratio de Dormition. B. V. apud Surium.

Jam sapientia, quæ ipsam sapientiam secundum carnem genuit, appositè invitans, cum totam seipsam, tanquàm mensam mysticam cœlestemque paraverit, eos qui mente sunt in divinis initiati mysteriis, benignè invitat ad convivium... Tu. ℣. Audite.

LECTIO 8.

«Invitat, dico», non victimam mactatis, aut crateri liquores infundens, cujusmodi fuerint olim beatæ illæ victimæ, et crater ille, qui beatum illud à Deo perfectum nectar suscepit: sed suorum mysteriorum illa planè admirabilia et divina reverâ spectacula. Ad quæ quidem maximè eos, qui sunt congregati invitans festi Domina, sapientiæ quidem donum, quantacumque sit, hinc nobis ex se ipsâ ostendit. Tu. ℣. Sapientia.

LECTIO 9.

Ostendit autem suam sanctissimam mensam, utpote quæ ipsum totum vivificum panem Dominum nostrum JESUM, qui est vita æterna, qui creatam continet naturam, ex fermento adamicæ conspersionis panem factum, in utero gestavit œconomicè, qui eos, qui sanctè ad eum accedunt, reducit ad vitam recentiorem, et reddit in Deo perfectos. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex S. Cyrillo Ep. Alexandrino.
Concil. Tom. 6. p. 70.

316. Panis, quem ego dabo caro mea est... videlicet, quomodò ubique suum corpus illud è muliere assumptum nominat propter summam unitatem. Tu.

FER. IV. INFRA. OCT.
Semiduplex.

Sermo S. Bernadi Abbatis.
Homilia 3. super missus.

LECTIO 4.

Benedictus fructus ventris tui. Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie. Hujus odoriferi fructûs fragrantiam sentiebat, qui dicebat: Ecce odor Filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. An non verè benedictus, cui benedixit Dominus? De sapore hujus fructûs quidam quod gustaverat, aliter eructabat: Gustate et videte, quoniàm suavis est Dominus. Et alibi: quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. Tu. ℣. Hic est.

LECTIO 5.

Et alius quidem: si tamen, inquit, gustastis, quoniàm dulcis est Dominus. Et ipse fructus de se, invitans nos ad se. Qui edit me, ait, adhuc esuriet, et qui bibit me, adhuc sitiet. Utique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semèl

gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus qui animarum esurientium, et sitientium justitiam, et esca et potus est. Tu. ℣. Ego præbeo.

LECTIO 6.

Audisti de odore, audisti de sapore, audi et de specie. Si enim fructus ille mortis non solùm suavis fuit ad vescendum, sed etiàm, teste scripturâ, delectabilis aspectu; quantò magis hujus vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere, in quem, teste aliâ scripturâ, desiderant etiàm angeli prospicere? Cujus pulchritudidem in spiritu videbat, et in corpore videre cupiebat, qui dicebat: ex Sion species decoris ejus. Tu. ℣. Comedetis.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. c. 6. v. 56.

In illo tempore: Dixit JESUS turbis Judæorum: carò mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus. Et reliqua.

Homilia S. Isidori Arch. Thesalonicensis.
Orat. in annunt. B. M. V. Apud Marrace.

Nos verò, è quibus decantatissima orta est Virgo, communè omnium oblectamentum, et pro quibus ille, qui potens est, cum ipsâ Virgine magna peregit: sicut accepimus gaudium, ita reddamus illi quæ dedit, non solùm adhibentes salutationem, quam à Gabriele didicimus, sed nos metipsos etiàm intùs perpurgantes, et omne quod depravat animum eliminantes, ut cœnæ apti sine labe fiamus, accedentes ad escam admirabilem, et purissimam, quam salutatio hoc modo novo et insolito dedit. Tu. ℣. Audite.

LECTIO 8.

Ita ergò gloriosissima Virgo summam lætitiam percipit, dum nos unigeniti sui carnibus repleri videt. Nam propter hoc immaculatissima in terram venit, et carneâ suâ veste Salvatorem obtexit, ut Salvator hæc nobis fieret cœna, perque cognatam ejus carnem Deo jungeremur: quod assequi sine Virgine propter peccatum non poteramus. Tu. ℣. Sapientia.

LECTIO 9.

Gaudet sine dubio, dum nos hâc mensâ ulimur, quam ad hoc præparavit, et propterquam cuncta illa mysteria tremenda peracta sunt, et per quam in deos ex hominibus essu doni mutatur. Quod si indè venit gaudium, certè contrarium beatissimæ Virgini est molestum, cum nos procùl à sacrâ mensâ sedemus fame laborantes, quod est abalienatio à Deo, vitæque peremptio. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex S. Buenaventurâ Episcopo.
Specul. B. V. M. Lect. 18.

317. Necessarius est fructus MARIÆ benedictus ad locupletationem, sive replelionem animæ... Ipsum ore exteriori sumimus sacramentaliter, ore quoque interiori spiritualiter. Propterquod Hyeronimus ait: Flos MARIÆ factus est fructus, ut nos illum comederemus Tu.

Vesperæ ut in prim. Vesp.

FERIA. V.

OCTAVA SS. CORPOR. CHRISTI.

DUPLEX MAJUS.

Lection 1. *Noct. et reliqua ut in die.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Petri Damiani.
In Nativitat. B. V. M.

LECTIO 4.

Hic dilectissimi fratres, hic rogo,

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
CENTRAL DE RECURSOS

perpendite, quàm debitores sumus huic beatissimæ Dei Genitrici. Illud siquidem Corpus Christi, quod in beatissima Virgo genuit, quod in gremio fovit, quod fasciis cinxit, quod maternâ curâ nutrivit: illud, inquam, absque ullâ dubietate non aliud nunc de sacro altari percipimus, et ejus sanguinem in sacramento nostræ Redemptionis haurimus. ℣. Hic est.

LECTIO 5.

Hoc catholica fides habet, hoc sancta Ecclesia docet. Impar est ergò illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratæ carnis suæ visceribus cibum nobis prætulit animarum, illum videlicet, qui de semetipso perhibet, dicens: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Tu. ℟. Ego præb.

LECTIO 6.

Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Per cibum à paradisi sumus amaritate dejecti, per cibum quoquè ad paradisi gaudia reparati. Cibum comedit Eva, per quem nos æterni jejunii fame multavit. Cibum MARIA edidit, qui nobis cœlestis convivii aditum patefecit. Tu. ℣ Comedetis.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c. 6. v. 56.*

In illo tempore: Dixit JESUS turbis Judæorum: Caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus. Et reliqua.

Homilia S. Paschasii Abbatis. *De Epistolâ Corpor. et Sang. Christi.*

Quæris de re, ex quâ multi dubitant. Quam si forìè ad plenè non intelligunt, utique credere debuerant verba Salvatoris, qui non mentitur verax Deus, cum ait: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis manentem. Caro enim mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus. Tu. ℣. Audite.

LECTIO 8.

Ergò cum ait: Hoc est corpus meum, vel caro mea, seu hic est sanguis meus, non aliam puto insinuasse, quàm propriam, et quæ nata est de MARIA Virgine, et pependit in cruce: neque alium sanguinem, quàm qui profussus est in cruce, et tunc erat in proprio corpore. Nemo igitur qui sanè sapit, credit JESUM aliam carnem, aut sanguinem habuisse, quàm quæ nata est de MARIA Virgine, et passa est in cruce. Tu. ℣. Sapientia.

LECTIO 9.

Et ne putares, quia in Sacramento loquebatur, quòd de alio diceret, quàm de proprio in eodem mysterio, demonstrativè dixit: Hoc est Corpus meum. Num cum ait mecum, et hoc est, non qualecumque vult intelligi corpus, sed illud, quod tradendum erat, ut ipse mox adjecit, et non alium sanguinem, quam qui fundendus erat in proprio corpore, in remissionem peccatorum. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex S. Petro Paschasio *Ep.* et Mart. *Tituli* 17. *de Sacram. altar. n.* 35. *p.* 350.

318. Creator... potens est ex se ipso facere, quod ejus gloriosum corpus quod de MARIA Virgine assumpsit, sit perfectè et integrè in qualibet parte Hostiæ consecratæ à Presbytero: et sic tàm in parte modicâ, quàm in magnâ est verus Deus, et homo invisibilis et Omnipotens. Tu.

FERIA VI.

post Domin. 2. *Vitæ activæ.*

§. 2. Per Missas in Sabbato.

CANON.

Ex Concilio Avenionensi.

An. 1326. *c.* 1. *Lab. Coll. T.* 7. *col.* 1494

319. Statuimus et communitèr ordinamus, quòd Missa de Beatâ MARIA... in die Sabbati, si festum novem Lectionum non impediat... solemnitèr in singulis Ecclesiis celebretur. Et ut ad veniendum fideles ferventiùs inducantur, singulis ad dictam Missam venientibus, decem dies de injunctis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Tu.

SABBATO.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

2. *Dec.* 1684. *in una Canon. Regul. Later.*

320. In Ecclesiis, ubi adest immemorabilis consuetudo cantandi Missam votivam de Beatâ MARIA Virgine singulis Sabbatis, licì è confirmari potest, etiamsi occurrat Officium duplex, dummodò non omittatur suo tempore Missa conventualis. Tu.

DOM. III. VITÆ ACTIV.

Semiduplex.

Omnia ut in Psalter. per annum, et sic in sequentib.

IN I. NOCT.

De libro Job.

LECTIO 1. *c.* 38. *v.* 12.

Nunquid post ortum tuum præcepisti diluculò, et ostendisti auroræ locum suum? Et tenuisti concutiens extrema terræ, et excussi sìs impios ex eâ? Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum: auferetur ab impiis lux sua, et brachium excelsum confringetur. Tu. ℣. Loquatur. *p.* 246.

LECTIO 2.

Nunquid ingressus es profunda maris, et in novissimis abyssi deambulasti? Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti? Nunquid considerasti latitudinem terræ? Indica mihi, si nosti omnia. In quâ viâ lux habitet, et tenebrarum quis locus sit: ut ducas unumquodque ad terminos suos, et intelligas semitas domus ejus. Tu. ℣. Benedictum.

LECTIO 3.

Sciebas tunc quòd nasciturus esses, et numerum dierum tuorum noveras? Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? Quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ et belli? Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram. Tu. ℣. Favus dis illans.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo B. Virginis. *Lectione* 11.

LECTIO 4.

Quædam felix aurora est MARIA propter felicem locum ejus in gloriâ et secundum hoc benè de auroră dicitur in Job: Nunquid ostendisti auroræ locum suum? Jam certè aurora nostra MARIA sublimitèr locata in cœlo, locum tenet vicinissimum soli æterno. Tu. ℣. Ego quasi.

LECTIO 5.

Nunquid ostendisti auroræ locum suum? Quasi dicat: non tu, sed ego. Non ad te pertinet ostendere auroræ MARIÆ locum suum in cœlo, sed ad me: Benè autem dicit: suum, quasi appropriando, et discernendo illum ab aliis omnium sanctorum locis. Tu. ℣. Benedictio.

LECTIO 6.

Hinc etiàm benè legitur: intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum. Hic locus est super choros angelorum. Hic locus est in cœlo dignissimus, testante

Beato Bernardo, qui ait: Nec in mundo locus dignior virginalis uteri thalamo, in quo Filium Dei MARIA suscepit, nec in cœlis regali solio, quò MARIAM MARIÆ Filius sublevavit. Tu. ℟. Benedictum.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 13. *v.* 31.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: simile est regnum cœlorum grano sinapis. Et reliqua.

Homilia B. Alberti magni, Ep.

In Biblia Mariana.

Domina Evangelistarum Virgo MARIA comparatur grano sinapis, de quo dicitur, quòd minus est omnibus seminibus, et hoc per humilitatem, et cum seminatum fuerit, scilicet in mundo apparendo, ascendit in arborem, quæ altitudine, amplitudine, et annositate transcendet herbarum naturam. Alta est, quia ad cœlestia attollitur: ampla, quia totum mundum occupat: annosa, quia non potest finiri. Tu. ℟. Venite ad.

LECTIO 8.

Hæc tria sunt in arbore, id est, in MARIA, quæ est major gloriâ et charitate omnibus oleribus, id est, angelis, et hominibus, et facit ramos misericordiæ et compassionis magnos, ita ut possint sub umbrâ protectionis ejus aves cœli, id est, sancti Dei, immò et peccatores habitare fiduciali*t*er propter securitatem, gaudenter propter umbrositatem, utiliter propter fructuositatem. Tu.

℟. Quis infirmatur.

LECTIO 9.

Ipsa beata Virgo est quoquè cervical omnium virtutum, in quo Filius Dei dormit. Erat ipse in puppi super cervical dormiens in MARIA, quia talem alibi requiem non invenit. Et excitant eum Discipuli, et dicunt ei: Magister, non ad te pertinet, quia perimus? Et exurgens in Resurrectione comminatus est vento, id est, diabolo, et dixit mari, id est, omnibus tentationibus: Tace, obmutesce. Tu.

Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Similabo eam grano sinapis, quod cum seminatum fuerit, majus fit omnibus oleribus.

Oremus. *Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos sanctissimæ Unigeniti tui Matris meritis et intercessione lætificas, conc de propitius, ut qui tua per eam beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per Dominum.

CANON.

Ex Decretis S. Rituum Congregationis.

13. *Aug.* 1701. *et* 4. *Apr.* 1705.— *Bull. Rom. Tom.* 10. *p.* 1.

321. Religiosis Excalceatis Sancti Francisci Provinciarum Bæticæ et Mexicanæ conceditur Indultum celebrandi unicam Missam de Beatâ Virgine MARIA in auroræ singulis Sabbatis, festo duplici primæ vel secundæ classis non impeditis. Tu.

Ad Magnificat. *ant.* Nunquid ostendisti auroræ locum suum? Non tu, sed ego, dicit Dominus.

CANONES

Infra Hebdom. 3. vitæ activæ.

4. *Per Festivitates.*

§. 1. Per Fest. SS. Nominis.

FERIA II.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

31. *Jul.* 1665. *Carmel Excalc.*— *B. Carm. Tom.* 3.

322. Conceditur Carmelitis Excalceatis Congregationis Hispaniæ, ut in die decimâ septimâ Septembris recitari possint Officium Sanctissimi Nominis MARIÆ sub Ritu Duplici majori. Tu.

FERIA III.

Ex Clemente Papâ Decimo. *Constitutionib. Præclar. et* Alias emanar. *an.* 1671.

323. Piis Mariannæ Hispaniarum Reginæ precibus inclinati, Officium de Nomine Beatissimæ Virginis MARIÆ (in Diœcesi Toletanâ celebrari solitum) ad omnes Provincias Catholico Regi subjectas extendimus..... atque omnibus et singulis Christi fidelibus confessis et sacrâ communione refectis, qui Missæ solemni eodem festo celebrandæ interfuerint, plenariam Indulgentiam concedimus. Tu.

FERIA IV.

Ex Decretis S. Rituum Congregationis.

23. *Sept.* 1684.—15. *Sept.* 1686.— 23. *Jan.* 1736.

324. In Festo Sanctissimi Nominis Beatæ MARIÆ Virginis (quod sub ritu Duplici majori celebrari debet Dominicâ infra octavam Nativitatis ejusdem) non est facienda commemoratio de Nativitate, (etiamsi hoc festum occurrat in die Octavâ, in quâ totum Officium erit de dicto Sanctissimo Nomine) et in secundis Vesperis de Nativitate cadentibus in Sabbato non est facienda Commemoratio de Sanctissimo Nomine. Tu.

FERIA V.

Ex Decretis S. Rituum Congregationis.

2. *Jul.* 1686. *in una Dubiorn.*— 19. *Jan.* 1700. *in Curien.*

325. Si in Dominicâ Infra Octavam Nativitatis Beatissimæ Virginis, in quâ celebratur Festum Sanctissimi Nominis ejusdem, occurrat alicubi dies octava «aut Festum Exaltationis Sanctæ Crucis,» Officium Sanctissimi Nominis transferendum est ad primam diem non impeditam. Tu.

FERIA VI.

§. 2. Per Festum Desponsationis.

Ex Decretis S. Rituum Congregationis.

1. *Jul.* 1713. *Ordin. Minor.*— 9. *April.* 1729. *Carm. Exc.*

326. Religiosis Ordinis Minorum Sancti Francisci, «et Carmelitis Excalceatis Congregationis Hispaniæ» indulgetur, ut tam in Officio, quàm in Missâ Desponsationis Beatæ MARIÆ Virginis cum Sancto JOSEPHO fiat ab ipsis Commemoratio ejusdem Sancti JOSEPHI. Tu.

SABBATO.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

5. *Maj.* 1735. *in Einsidlen.*

327. In Desponsatione Beatæ MARIÆ Virginis non est facienda Commemoratio Sancti JOSEPHI, nisi constet de speciali concessione. Tu.

DOMIN. IV. VITÆ ACT.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 19. 1.

Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus, et cor Ægypti tabescet in medio ejus. Et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios, et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversum civitatem, regnum adversus regnum. Tu. ℟. Loquatur *p.* 246.

LECTIO 2.

Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, et consilium ejus præcipitabo: et interrogabunt simulacra sua, et divinos suos, et pythones, et ariolos. Et tradam Ægiptum in manu Dominorum cru-

delium, et rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum. Tu. ℣. Benedictum.

LECTIO 3.

Et crescet aqua de mari, et fluvius desolabitur, atque siccabitur. Et deficient flumina, attenuabuntur et siccabuntur rivi aggerum. Calamus et juncus marescet: nudabitur alveus rivi à fonte suo, et omnis sementis irrigua siccabitur, arescet, et non erit. Tu. ℣. Favus distillans.

IN II. NOCT.

Sermo Ambrosii Episcopi.

Institut. Virginum c. 13.

LECTIO 4.

O divitias marianæ virginitatis! quasi olla ferbuit, et quasi nubes pluit in terris gratiam Christi. Scriptum est enim de eâ; ecce Dominus venit sedens super nubem levem. Verè levem, quæ conjugii onera nescivit. Verè levem quæ levavit hunc mundum de gravi fœnore peccatorum. Levis erat, quæ remissionem peccatorum utero gestabat. Tu. ℣. Ego quasi.

LECTIO 5.

Denique elevavit Joannem in utero constitutum, qui ad vocem ejus exilivit, et infans exultavit in gaudio, priùs sensu devotionis, quàm Spiritûs infusione vitalis animatus. Excipite, igitur, excipite, sacræ virgines, nubis hujus pluviam, temperamentum fragrantiæ corporalis, ut corporis omnes reslingualis ardores, atque interna mentis vestræ lumescant. Tu. ℣. Benedictio.

LECTIO 6.

Hujus imbrem nubis sacratæ patres nostri annuntiaverunt nobis salutem mundi futurum. Hunc imbrem significabant esse verturum stillicidia stillantia super terram, quæ Hieroboal poposcit et meruit. Bonam nubem sequimini, quæ fontem intra se genuit, quo rigavit orbem terrarum. Excipite ergò voluntariam pluviam, pluviam benedictionis, quam hæreditati suæ Dominus effudit. Excipite aquam, et non effluat vobis, quia nubes est. Tu. ℣. Benedictum.

IN III. NOCT.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 12. *v.* 48.

In illo tempore: Respondens JESUS dixit: Quæ est Mater mea, et qui sunt fratres mei? Et reliqua.

Homilia S. Petri Damiani Ep.

Serm. 2. *de Nativ. B. V. M.*

Note, fratres, notate dignitatem vestram, si adimplentes legem Dei frangiis voluntatem vestram. Ecce beata et venerabilis Virgo MARIA secundum carnem quidem Mater Christi fuit, frater non fuit, soror non fuit. Nam quicumque aliquid horum secundum carnalis jura propinquitatis exhiberit, aliud sibi esse omninò non valebit, ut nimirùm si mater fuerit, frater vel soror esse non possit; si verò frater exhiberit, mater non sit. Nos autem hæc simùl omnia Christo per spiritum sumus, si voluntatem Christi, quæ illi semper cum Patre communis fuit adimplere satagimus. Tu. ℣. Venite ad.

LECTIO 8.

Sed quod natum est ex carne caro est, et quod natum est ex Spiritu Spiritus est: quia Deus Spiritus est: Ex illâ ergò parte, quâ Redemptor noster Deus est, propinqui sibi tam multipliciter sumus, quantùm illi beata Virgo, ex quâ nasci dignatus est, secundum carnem esse non potuit. Proprium et singulare fuit illi beatissimæ Virgini Christum in utero concipere: commune verò et universale est omnibus electis in cor-

dibus eum devotione portare. Tu. ℣. Quis inf.

LECTIO 9.

Felix illa, et nimiùm beata femina, quæ illum novem mensibus gestavit in ventre; felices et nos, si illum assiduè portare desideramus in mente. Mirabile quidem fuit Christum concipi in utero carnis, sed non est inferius, si deferatur in ergastulo mentis. Concepit MARIA Christum in matrice carnis: deferimus et nos in visceribus mentis. Reficiebat MARIA Christum, cum teneris labris lac exprimeret uberum: reficimus et nos variis bonorum deliciis operum. Tu.

Te Matrem.

Ad Benedic. *ant.* Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus fratrer et soror, et mater est.

Oremus. *Oratio.*

Exaudi, Domine, precs nostras, quas per beatissimam Virginem MARIAM tibi deferimus, ut, quæ Filii tui digna Mater extitit, ipsius intercessione ab omnibus nos absolvas peccatis. Per eumdem.

§. 3. De Festo Annuntiationis.

CANON.

Ex Concilio Cameracensi.

An 1586. *Tit.* 4. *c.* 4.—*Lab. Tom.* 9. *col.* 2158.

328. Si festum Annuntiationis Beatæ MARIÆ Virginis inter Dominicam Palmarum, et Dominicam Quasimodo inciderit, Feria secunda post Dominicam Quasimodo etiàm à populo servetur. Tu.

Ad Magnific. *ant.* Ecce Dominus venit super nubem levem, alleluia.

CANONES.

Infra Hebd. IV. vitæ activæ.

FERIA II.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Cameracensis.

Apud. Martenn. T. 7. *col.* 1297.

329. Statuimus, quòd si Festum Annuntiationis Dominicæ Sabbato in Ramis palmarum occurrat, ibidem feriatur et celebretur, sed ultimæ vesperæ fient de Tempore, et memoria tantùm fiet de Sanctâ MARIA per antiphonam, versum, et collectam. Tu.

FERIA III.

Ex decreto S. Rituum Congregation.

1. *Sept.* 1523. *In Ulissiponens.*

330. Si occurrat Festum Annuntiationis Beatæ MARIÆ Virginis in Dominicâ secundâ, tertiâ quartâ vel quintâ quadragesimæ non fit officium de Annuntiatione, nisi in Ecclesiis sub invocatione Annuntiationis dictis. Tu.

FERIA IV.

Ex Decreto Generali S. Rituum Congregationis.

14. *Jul.* 1692.

331. Quandò transfertur officium Patriarchæ Sancti JOSEPHI et Annuntiationis Beatæ MARIÆ Virginis, ambo secundæ classis, quocumque in contrarium non obstante, priùs debet transferri et recitari Officium de Annuntiatione, et posteà de Sancto JOSEPHO. Tu.

FERIA V.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

12. *Sept.* 1716.

332. Si Festum Annuntiationis inciderit in Feriam Quintam majoris Hebdomadæ, præcepium audiendi Missam et abstinendi à servilibus non erit transferendum sed omninò servandum in prædictâ Feriâ Quintâ. Tu.

FERIA VI.

Ex Decretis S. Rituum Congregationis.

11. *Febr. et* 11. *Mart.* 1690.—10. *Jan.* 1693. *Galliar.*

333. Si Festum Sanctissimæ Annuntiationis MARIÆ occurrat in Feriâ Sextâ in Parasceve vel in Sabbato Sancto, transfertur una cum præcepto audiendi Missam et vacandi à servilibus ad Feriam secundam post Dominicam in albis, etiàm quolibet alio festo impeditam, et in Sabbatho Sancto Missæ privatæ celebrari non possunt, sed unica tantùm Missa conventualis unà cum Officio ejusdem Sabbati celebretur Tu.

SABBATO.

Ex Decretis Congregationis S. Rituum.

16. *Jun.* 1663. *Panorm.*—2 *Sept.* 1741. *in Aquens.*

334. Quandò Festum Annuntiationis transfertur simùl cum præcepto audiendi sacrum ad Feriam secundam post Dominicam in albis præfertur cuicumque Duplici etiàm primæ classis eo die occurrenti; si verò transfertur absque præcepto audiendi sacrum, præfertur cuicumque festo translato licet primæ classis, non autem festis eo die occurrentibus: et quandò transfertur, ad verba Symboli «Et incarnatus est,» genuflectendum est à Sacerdote et Ministris. Tu.

DOM. V. VITÆ. ACT.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De Jeremiâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 31. *v.* 1.

In illo tempore dixit Dominus: ero Deus universis cognationibus Israel et ipsi erunt mihi in populum. Hæc dicit Dominus invenit gratiam in deserto populus, qui remanserat à gladio: vadet ad requiem suam Israel. Longè Dominus apparuit mihi. Et in charitate perpetuâ dilexi te: ideò attraxi te miserans. Tu. ℣. Loquatur. p. 246.

LECTIO 2.

Rursùmque ædificabo te, et ædificaberis, Virgo Israel: adhuc ornaberis tympanis tuis, et egredieris in choro ludentium. Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ: plantabunt plantantes, et donec tempus veniat, non vindemiabunt: quia erit dies in quâ clamabunt custodes in monte Ephraim: surgite, et ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum. Tu. ℣. Benedictum.

LECTIO 3. *v.* 21.

Statue tibi speculam: pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam, in quâ ambulasti: revertere, virgo Israel, revertere, ad civitates tuas. Usquequò deliciis dissolveris, filia vaga? Quia creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum Tu. ℣. Favus distillans.

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Homil. 2. *Super missus.*

LECTIO 4.

Quæ est hæc femina? Quis verò iste vir? aut si vir, quomodò à feminâ circumdatus? Aut si à feminâ circumdari potest, quomodò vir? Et ut apertius dicam, quomodò potest simùl et vir esse, et in utero matris? Hoc est enim virum à feminâ circumdari. Sed verto me ad conceptum partumque virginalem, si fortè inter plurima nova et mira, quæ ibi profectò inspicit, qui diligenter inquirit, etiàm hanc quam de Prophetâ protuli, reperiam novitatem. Tu. ℣. Ego quasi.

LECTIO 5.

Porrò ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua siticns, panis esuriens. Videas, si attendas potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari: Deum deniquè lactentem, sed angelos reficientem: vagientem sed miseros consolantem. Nunquid non facile tibi est inter hæc feminam agnoscere virum circumdantem, cum MARIAM videas virum approbatum à Deo JESUM suo utero circumplectentem? Tu. ℣. Benedict.

LECTIO 6.

Sed vide, si non etiàm hanc Jeremiæ novitatem Isaias lucidissimè aperit, qui novos superiùs aaronicos flores exposuit. Ecce, inquit, Virgo concipiet, et pariet Filium. En habes feminam, scilicet, Virginem. Vis et de viro audire quid sit? Et vocabitur, ait, nomen ejus Emmanuel, id est, Nobiscum Deus. Femina itaque circumdans virum, virgo est concipiens Deum. Tu. ℣. Benedictum.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. *v.* 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi.

Homil. 6. *in Lucam.*

Duo istæ sorores, sicut Sancti Patres plenissimè nobis exposuerunt, duas in sanctâ Ecclesiâ vitas designant; Martha, scilicet, activam, Maria contemplativam. Ista laborat ad exhibenda indigenti omnia humilitatis officia: illa vacat et videt, quoniàm Deus est. Tu. ℣. Venite.

LECTIO 8.

Ista circa exteriora occupatur, illa interiora contemplatur. Sicut enim Mater Dei est singularis, ita et istarum vitarum effectus, quarum istæ sorores typum tenent in eâ extitit singularis. Tu. ℣. Quis infirmatur.

LECTIO 9.

Nunquàm in aliâ personâ, immò in omnibus sic Martha operata est, nunquàm aliàs sic Maria contemplationi vacavit. Nunquàm illa, vel hæc aliis, quod suum est, sic exhibuit. Cum Mariam, vel Mariam dico, earum significata intelligo. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Martha "satagebat circa frequens ministerium: Maria autem sedebat secus pedes Domini.

Oremus. *Oratio.*

Exaudi, quæsumus, Domine, preces humilitatis nostræ, quas, beata MARIA semper Virgine intercedente, tibi offerrimus, ut à nostris vinculis absoluti, ad vitam perveniamus æternam. Per Dominum.

CANON.

Ex Decreto S. Riuum Congregationis.

14. *Majus.* 1803. *Carm. Excals.*

335. Quandò Festum Annuntiationis transfertur in feriam secundam post Dominicam in albis, tanquàm in diem propriam, celebrari debet sine octavâ, in illis Ecclesiis, ubi Annuntiatio est tutelaris, si transferatur tantùm quoad chorum, et cum octavâ, si transferatur simùl quoad chorum et forum. Tu.

Ad Magnific. *ant.* Hoc sub sole novum, "quod fecit Dominus super terram: femina circumdedit virum: virgo concepit Deum. Allel.

CANONES

Infra Dominic. 5. *vitæ activæ.* §. 1. De Festo Expectationis.

FERIA II.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

26 *Nov.* 1735. *Hispalen.*

336. In Festo Expectationis Partûs Beatæ MARIÆ Virginis Hymni sunt celebrandi cum versibus: «Virtus, honor, laus, gloria,» et breve Responsorium ad Primam debet esse. «Qui venturus es in mundum.» Tu.

§. 5. De Festo Purificacionis.

FERIA III.

Ex Benedicto Papâ Octavo.

Const. 1. Quoniam omnis. *ad ann.* 1012.—*Bull. Rom. Tom.* 1. *p.* 318.

337. Concedimus Abbati Ripuvillensi et suis in perpetuum successoribus, ut si Purificationis Festivitas evenerit, postquàm dimissa fuerit «alleluia,» illa cantetur cum «Gloria in excelsis Deo» in solo Monastério. Tu.

FERIA IV.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

11. *Jun.* 1681. *In una Urbis et orbis.*

338. Occurrente Festo Purificationis Beatissimæ Virginis MARIÆ in Dominicis privilegiatis, ita ut illius Officium ex hoc contingat transferri, non est ob id protrahenda etiàm recitatio antiphonæ «Alma Redemptoris Mater,» sed die secundâ Februarii, illâ dimissâ sumenda est antiphona «Ave Regina cœlorum.» Tu.

FERIA V.

Ex Decretis S. Rituum Congregationis.

9. *Aug.* 1681.—23. *Aug.* 13 *Sept.* 1704.—15 *Sept.* 1736.

339. Festum Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis, quandò occurrit in Dominicis privilegiatis, in Ecclesiis eidem sub alio titulo dicatis, scilicet Annuntiationis, seu Assumptionis.... Missa solemnis post benedictionem candelarum et processionem debet cantari de Dominicâ «nec facienda est commeratio Purificationis,» et in sequentem diem transferendum est, quoad officium et Missam, nisi sit titulus Ecclesiæ. Tu.

FERIA VI.

Ex Decretis S. Rituum Congregationis.

7. *Mart. Varsovien.*—20 *Jul.* 1748. *Urb. et Orb.*

340. Quandò Festum Purificationis occurrit in Dominicâ privilegiatâ, officium transferendum est in Feriam secundam immediatè sequentem, translato ab eâ quocumque alio festo «æquali, non tamen alterius ritûs, in eam incidente», ne continuatio Mysterii Dominicæ Incarnationis diù protrahatur. Tu.

SABBATO.

Ex Clemente Papâ Decimo.

Const. Ad pastorale. *an.* 1671.—*Bull. R. Tom.* 8. *p.* 134.

341. Clericis Regularibus Congregationis Theatinorum, ut ipsi Officium de Purificatione quotannis cum octavâ recitari valeant auctoritate apostolicâ concedimus. Tu.

DOM. VI. VITÆ ACTIV.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De Ezechiele Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 44. 1.

Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem, et erat clausa. Et dixit Dominus ad me: porta hæc clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniàm Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Tu. ℣. Loquatur. *p.* 246.

LECTIO 2.

Princeps ipse sedebit in eâ, ut comedat panem coram Domino. Per viam portæ vestibuli ingredietur, et per viam ejus egredietur. Et adduxit me per viam portæ aquilonis in conspectu domûs: et vidi, et ecce implevit gloria Domini domum Domini: et cecidi in faciem meam. Tu. ℣. Benedict.

LECTIO 3.

Et dixit ad me Dominus: Fili hominis, pone cor tuum, et vide oculis tuis, et auribus tuis audi omnia quæ ego loquor ad te de universis cœremoniis domûs Domini, et de cunctis legibus ejus: et pones cor tuum in viis templi per omnes exitus sanctuarii. Tu. ℣. Favus distillans.

IN II. NOCT.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.

De institut. Virgin. c. 8.

LECTIO 4.

Quæ est hæc porta, nisi MARIA? ideò clausa, quia virgo. Porta igitur MARIA, per quam Christus intravit in hunc mundum, quandò virginali fusus est partu, et genitalia virginitatis clausura non solvit. Mansit inviolatum septum pudoris, et inviolatæ integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine, cujus altitudinem mundus sustinere non posset. Tu. ℣. Ego quasi.

LECTIO 5.

Hæc, inquit, porta clausa erit, et non aperietur. Bona porta MARIA, quæ clausa erat, et non aperiebatur. Transivit per eam Christus, sed non aperuit. Et nemo transibit per eam, id est, nemo hominum, quoniàm Dominus, inquit, Deus Israel transibit per eam. Eritque clausa, et non aperietur à quoquam, nec aperta est, quoniàm habuit sempèr jannam suam Christus, qui dixit: Ego sum janua, qua: nemo ab eâ potuit avellere. Tu. ℣. Benedictio.

LECTIO 6.

Hæc porta ad orientem aspiciebat, quoniàm verum lumen effudit, quæ generavit orientem, peperitque solem justitiæ. Audiunt ergò imprudentes: clausa, inquit, erit hæc porta, quæ solum recipit Deum Israel. Is igitur de quo dictum est ad Ecclesiam: quoniàm confortavit seras portarum tuarum: suam portam confortare non potuit? Sed confirmavit profectò et reservavit intactam. Deniquè non est aperta. Tu. ℣. Benedicium.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 13. *v.* 33.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulièr abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In Natali Dom. Serm. 2.

Verbum (quod erat in principio apud Deum et Deus era), anima (quæ de nihilo creata est, et ante non era), caro de massâ corruptionis, sine corruptione aliquâ segregata artificio (qualis nulla jam caro erat) vinculo indissolubili in personæ coeunt unitatem. Habes in his triplex genus potentiæ: quod non erat, creatum: quod perierat, reparatum: quod super omnia erat, paulò minùs ab angelis minoratum. Hæc sunt Evangelica illa sata farinæ, quæ pari èr fermentantur, ut sit panis angelorum, quem manducet homo, panis cor hominis confirmans. Tu. ℣. Venite ad me.

LECTIO 8.

Felix mulier benedicta in mulieribus, in cujus castis visceribus, superveniente igne Sancti Spiritûs coctus est panis iste. Felix, inquam, mulier, quæ in hæc tria sata immisit fidei suæ fermentum, siquidem fide concepit, fide peperit, et, ut ait Elizabeth, beata, quæ credidit, quoniàm perfecta sunt in eâ omnia, quæ dicta sunt ei à Domino. Tu. ℟. Quis infirmatur.

LECTIO 9.

Nec mireris, quòd fide ejus mediante unitum dixerim Verbum carni, quandoquidèm et carnem ipsam de ejus carne suscepit. Sanè ne hoc quidem præsenti expositioni obviare potest, quòd de cœlestis regni dicitur similitudine. Neque enim indignum videtur, si cœlorum regnum fidei MARIÆ comparatur, quâ et reparatur. Hujus itaque vinculum uniouis nulla omninò solvere poterit creatura. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Cœlorum regnum * fidei MARIÆ comparatur, quia per ipsam ejus fidem reparatur.

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui nos conspicis ex nostrâ infirmitate deficere, sub tuâ protectione nos suscipe, quos per Unigeniti tui Genitricem Sanctissimam, misericordiam et gratiam in conspectu tuo invenire fecisti. Per eundem Dom.

CANON.

Ex Decretis S. Rituum Congregationis.

14 *Jun.* 1608. *et* 28 *Maj.* 1616.

342. Prima dignitas det candelam Episcopo in Festo Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis, et Episcopus det statim primæ dignitati ante Vicarium generalem. Tu.

Ad Magnific. *ant.* Porta hæc * clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam.

CANONES

Infra Hebd. 6. *Vitæ activæ.*

§. 16. De Festo B. M. V. de Monte Carmelo.

FERIA II.

Ex Joanne Papâ Vigesimo secundo. *Const.* Sic mihi. 13. *Mart.* 1322. B. *Carm. T.* 1. *p.* 61.

343. Sanctam Indulgentiam «Sabbatinam appellatam» acceptо, roboro, et in terris confirmo; sicut propter merita Virginis Matris gloriosæ JESUS-Christus concessit in cœlis. Tu.

FERIA III.

Ex Alexandro Papâ Quinto. *Const.* Tenorem. *an.* 1409. B. *Carm. T.* 1. *p.* 166.

344. Tenorem «Sabbatini» privilegii Joannis Vigesimi secundi Prædecessoris nostri fratribus et sororibus et confratribus ordinis Carmelitarum concessi, per nos visi, et diligenter inspecti, de dicto originali sumptum, ut de ipso in posterum certitudo plenior habeatur, præsentibus fecimus annotari. Tu.

FERIA IV.

Ex Clemente Papâ Septimo. *Const.* 38. Ex Clementi. *an.* 1530. —*B. Rom. T.* 4. *p.* 1. *p.* 93.

345. Joannis Vigesimi secundi, et Alexandri Quinti, ac aliorum Prædecessorum nostrorum literas, ac per eosdem Prædecessores, omnia et singula privilegia..... et gratias Ordini Beatæ MARIÆ Virginis de Monte Carmelo... etiàm per nos et sedem apostolicam concessas..... auctoritate apostolicâ approbamus et innovamus. Tu.

FERIA V.

Ex Decreto S. Romanæ Inquisitionis.

Sub Paulo V. an. 1613. *Bullar. Carm. T.* 1. *p.* 62.

346. Patribus Carmelitanis permittatur prædicare, quòd populus Christianus possit piè credere de adjutorio animarum Fratrum et confratrum in charitate decedentium, qui in vitâ habitum gestaverint, et charitatem pro suo statu coluerint, officiumque parvum recitaverint, vel si recitare nesciverint, Ecclesiæ jejunia observaverint, et feriâ quartâ et sabbatis à carnibus abstinuerint, Beatæ Virginis intercessionibus continuis, suisque suffragiis et meritis, et speciali protectione post eorum transitum, præcipuèque in die Sabbati, (qui dies ab Ecclesiâ eidem Beatæ Virgini dicatus est) adjuturam. Tu.

FERIA VI.

Ex Innocentio Papâ Undecimo. *Const.* Apostol. Officium. *an.* 1679. *B. Rom. T.* 8. *p.* 92.

347. Precibus Reginæ Portugaliæ inclinati, ut Festum gloriosissimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo..... in omnibus Ecclesiis Coronæ Portugaliæ annis singulis die decimâ sextâ Julii, seu aliâ die infrà eius Octavam cum Officio et Missâ propriâ, celebrari possit, concedimus. Tu.

SABBATO.

Ex Decretis S. Rituum Congregationis.

24. *Sept.* 1726.—5 *Maj.* 1736.

348. Benedictus Papa Decimus tertius motiùs impressum Officium pro solemnitate Beatæ MARIÆ Virginis de Monte Carmelo approbavit, atque in posterum sub ritu Duplici majori pro die decimâ sextâ Julii quotannis recitari constituit. «Missa dicatur illa, quæ incipit: Gaudeamus omnes.» Tu.

DOM. VII. POST PENT.

Semiduplex.

IN III. NOCT.

De Daniele Prophetâ.

LECTIO. 1. *c.* 4. 1.

Ego Nabucodonosor quietus eram in domo meâ, et florens in palatio meo: somnium vidi, quod perterruit me: et cogitationes meæ in strato meo, et visiones capitis mei conturbaverunt me. Et per me propositum est decretum, ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, et ut solutionem somnii indicarent mihi. Tu. ℟. Loquatur. *p.* 246.

LECTIO 2. *v.* 6.

Balthasar princeps ariolorum, quoniàm ego scio, quòd Spiritum sanctorum Deorum habeas in te, et omne Sacramentum non est impossibile tibi: visiones somniorum meorum, quas vidi, et solutionem eorum narra. Visio capitis mei in cubili meo: videbam, et ecce arbor in medio terræ, et altitudo ejus nimia. Tu. ℟. Benedictum.

LECTIO 3.

Magna arbor et fortis: et proceritas ejus contingens cœlum: aspectus illius erat usquè ad terminos universæ terræ. Folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius: et esca universorum in eâ: subter eam habitabant animalia et bestiæ, et in ramis ejus conversabantur volucres cœli: et ex eâ vescebatur omnis caro. Tu. ℟. Favus distillans.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni, in Bibliâ Marianâ. *In Daniele Propb.*

LECTIO 4.

Beata Virgo est arbor illa, quæ multipliciter commendatur in Daniele. Primò commendatur à communitate: ibi videbam, et ecce arbor in medio terræ, id est, MARIA in medio Ecclesiæ, omnes respiciens, et quantum in se est, communiter ad omnes se habens. Secundò à dig-

nitate, ibi: et altitudo ejus nimia. Bernardus: O virgo, virga sublimis in quàm sublime verticem sanctam erigis, usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum majestatis? Neque id mirum, quoniàm in altum mittit radices humilitatis. Et magna, virtutum magnitudine. Tu. ℟. Ego quasi.

LECTIO 5.

Tertiò à fortitudine: ibi: et fortis. Glossa: contra diabolum, mortem, et peccatum. Et proceritas ejus contingens cœlum, id est, Christum Deum. Quartò à misericordiâ ad omnes: ibi: aspectus illius: glossa: misericordiæ usque ad terminos universæ terræ. Quinto à fœcunditate: ibi: folia ejus pulcherrima, id est, verba, quæ dixit ad angelum, ad cognatam, ad Filium. Et fructus ejus nimius, id est, Christus, qui sufficit et angelis et hominibus. Tu. ℟. Benedictio.

LECTIO 6.

Sextò commendatur à cibatione, quia cibat omnes. Et esca universorum in eâ, id est, angelorum, et hominum. Septimò à fidelissimâ protectione: ibi: subter eam: idest, sub protectione ejus habitant confidenter et lætanter animalia et bestiæ, id est, miseri peccatores propter refectionem, protectionem, pausationem, et pulchritudinem. Octavò à jucunditate, quam habent omnes Sancti in eâ: ibi: et in ramis ejus scilicet virtutum, conversabuntur volucres cœli, idest, omnes sancti, et ex eâ vescebatur omnis caro, quoniàm alii omnes. Tu. ℟. Benedictum.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 12. *v.* 24.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua. Homilia Sancti Ambrosii Episcopi.

De institutione Virgin. c. 14.

Verè autem alvus ille MARIÆ crater tornatilis, in quo erat sapientia, quæ miscuit in cratere vinum suum, indeficientem cognitionis suæ gratiam, divinitatis suæ plenitudine subministrans. In quo Virginis utero simùl acervus trilici et lilii floris gratia germinabat, quoniàm et granum trilici genuerat, et lilium. Tu. ℣. Venite.

LECTIO 8.

Granum tritici secundum quod scriptum est: amen, amen dico vobis, nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Sed quià de uno grano tritici acervus est factus, completum est illud propheticum: Et convalles abundabunt frumento, quia granum illud mortuum plurimum fructum attulit. Hoc itaquè granum omnes homines perpetuâ cœlestium munerum escâ saturavit. Tu. ℟. Quis infirmatur.

LECTIO 9.

Consummatum est illud propheticis eloquium, dicente eodem David: cibavit eos ex adipe frumenti, et de petrâ melle saturavit eos. In hoc grano esse etiàm lilium divina testantur oracula, quia scriptum est: Ego sum flos campi, et lilium convallium: sicut lilium in medio spinarum. Christus erat lilium in medio spinarum, quandò erat in medio Judæorum. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Venter tuus * sicut acervus trilici vallatus liliis.

Oremus. *Oratio.*

Dulcissimum MARIÆ Nomen invocantibus servulis per te, Regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur JESUS Christus Filius tuus, qui cum Patre et Spiritu Sancto

vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

CANON.

§. 7 *De Sanctissimo Rosario*

Ex Sixto Papâ Quarto.

Const. Ea quæ. *an.* 1478.—*Bul. Rom. T.* 3. *p.* 3. *p.* 172.

349. Ducis ei Ducissæ Britaniæ supplicationibus inclinati..... Sanctissimum Rosarium auctoritate apostolicâ approbamus, illudque tolerandum fore, ac cunctis fidelibus eo modo orare debere, et licere decernimus. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Ecce arbor * in medio terræ et altitudo ejus nimia.

CANONES

Infra Hebd. 7. *vitæ act.*

FERIA II.

Ex Sixto Papâ Quarto.

Ut supra.

350. Pro quâlibet vice quâ «omnes et singuli Christi fideles Sanctissimo Rosario» oraverint, pro quâlibet quinquagenâ præfati Psalterii quinque annos, et totidèm quadragenas indulgentiæ misericordièr in Domino relaxamus. Tu.

FERIA III.

Ex Leone Papâ Decimo.

Const. Pastor. Æterni. *an.* 1520.—*B. R. Tom.* 3. *p. p.* 495.

351. Innocentius Papa Octavus omnibus confratribus Sanctissimi Rosarii, qui per Hebdomadam dicerent Psalterium Beatæ MARIÆ Virginis, hujusmodi plenariam omnium peccatorum suorum remissionem semèl in vitâ et semèl in mortis articulo concessit. Tu.

FERIA IV.

Ex Leone Papâ Decimo.

Ut supra.

352. Confraternitatem Sanctissimi Rosarii, ac ritum sive modum orandi hujusmodi, necnon omnes et singulas indulgentias tàm per Sixtum et Innocentium Prædecessores, quàm per Legatum, Nuntium, et Ordinarium, ut præfertur, concessas, et desuper confectas literas, ac omnia et singula in eis contenta approbamus..... ipsasque Indulgentias de novo perpetuò concedimus. Tu.

FERIA V.

Ex Leone Papâ Decimo.

Pastor. Officii.

353. Confratribus Sanctissimi Rosarii..... qui tèr in Hebdomadâ dictum Rosarium devotè oraverint, pro quâlibet vice alios decem annos, et totidèm quadragenas de injunctis ei pœnitentiis misericorditèr in Domino relaxamus. Tu.

FERIA VI.

Ex Leone Papâ Decimo.

Ut supra.

354. Quòd pro receptione et conscriptione aliquorum confratrum et consororum in confraternitatem Sanctissimi Rosarii, nihil omninò temporale exigi debeat, sed spontè oblata, dumtaxàt recipi possint, perpetuò statuimus et ordinamus. Tu.

SABBATO.

Ex Clementi Papâ Septimo.

Const. Etsi temporal. *an.* 1533.—*B. R. Tom.* 4. *p.* 1. *p.* 109.

355. Quia nos decet religiones, et Sanctorum Patrum Instituta potissimùm ampliare... omnibus confratribus et consoribus Rosarium Sanctissimæ Virginis recitantibus annos duos veræ indulgentiæ «ultrà concessas» concedimus. Tu.

DOM. VIII. VITÆ ACT.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De Oseâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 2 14.

Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Et dabo ei vineas ejus

ex eodem loco, et vallem Achor ad aperiendam spem: et canet ibi juxta dies ascensionis suæ de terrâ Ægipti. Et erit in die illâ, ait Dominus: vocabit me vir meus, et non vocabit me ultrà Baali. Tu. ℣. Loquatur. *p.* 246.

LECTIO 2.

Et auferam nomina Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultrà nominis eorum... Et sponsabo te mihi in sempiternum: et sponsabo te mihi in justitiâ; et judicio, et in misericordiâ, et in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide, et scies, quia ego Dominus. Tu. ℣. Benedictum.

LECTIO 3.

Et erit in die illâ: exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, et illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum: et hæc exaudiet Jezrael. Et seminabo eam mihi in terrâ, et miserebor ejus, qui fuit absque misericordiâ. Tu. ℣. Favus distill.

IN II. NOCT.

Ex verbis Sancti Bonaventuræ Ep. in Speculo Beatæ Virginis, LEC. 10.

LECTIO 4.

Attendite, carissimi, quòd Dominus iste, qui tàm singulariter est cum MARIA, ipse est Dominus, cujus Sponsa venustissima est MARIA. Undè tàm de isto Domino, quàm de istâ Sponsâ, exponi potest illud Oseæ: sponsabo te mihi: Ecce pulchra Sponsâ, pulchra in justitiâ, et judicio respectui sui: pulchra in miserationibus, et misericordiâ respectui proximi: pulchra in fide respectui Dei. Tu. ℣. Ego quasi.

LECTIO 5.

Pulchra utique in justitiâ vitæ, et in judicio conscientiæ: pulchra in misericordiâ in affectu; et in miserationibus in effectu: pulchra in fide, quâ credidit omnia credenda supra se, et quâ credidit omnia perficienda in se, juxta illud, beata quæ credidisti, quoniàm perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. Tu. ℣. Benedictio.

LECTIO 6.

Sed ecce Sponsa Spiritûs Sancti MARIA sicut formosissima fuit in conversatione, ita etiàm dulcissima est in allocutione, sicut dicitur in canticis: Favus distillans labia tua, mel, et lac sub linguâ tuâ. O quàm melliflua verba sæpè distillaverunt dulcissima MARIÆ labia? Quæ etiàm benè mel et lac sub linguâ habuit in duobus verbis, quæ ipsa Gabrieli respondit. Ejus ergò quanti decoris, et quanti dulcoris est illa sponsa summi consolatoris! Tu. ℣. Benedictum.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 2. *v.* 12.

In illo tempore: Descendit JESUS Capharnaum, et Mater ejus, et fratres ejus, et discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Tract.* 10. *in Joann.*

Undè fratres Domini? Num enim MARIA iterùm peperit? Absit. Indè cœpit dignitas virginum. Illa femina Mater esse potuit, mulier non potuit. Dicta est autem mulier secundum femineum sexum, non secundum corruptionem integritatis: et hoc ex linguâ ipsius Scripturæ. Nam et Eva statim facta de latere viri sui, nondum contacta à viro suo, nostis, quia mulier appellata est. Tu. ℣. Venite.

LECTIO 8.

Undè ergò fratres? Cognati MARIÆ fratres Domini, de quolibet gradu cognati. Undè probamus? Ex ipsâ Scripturâ. Frater Abrahæ dictus est Lot, filius erat fratris ipsius. Lege et invenies, quia Abraham patruus erat Lot, et dicti sunt fratres. Item Jacob Labam Syrum habebat avunculum, frater enim erat Laban matris Jacob, id est, Rebeccæ uxoris Isaac. Lege scripturam, et invenies, quia fratres dicuntur avunculus et sororis Filius. Quâ regulâ cognitâ, invenies omnes cognatos consanguineos MARIÆ fratres esse Christi. Tu. ℣. Quis inter.

LECTIO 9.

Sed illi Discipuli magis erant fratres, quia et illi cognati fratres non essent, si discipuli non essent, et sine causâ fratres, si magistrum non agnoscerent fratrem. Nam quodam loco ait: quæ mihi mater, et qui mihi fratres? Et extendens manum super discipulos suos, dixit: isti sunt fratres mei. Et quicumque fecerit voluntatem Patris mei, illi mihi mater et frater et soror est: Ergò et MARIA, quia fecit voluntatem Patris. Hoc in eâ magnificavit Dominus, quia fecit voluntatem Patris, non quia caro genuit carnem. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict, *ant.* Beatus venter, * qui te portavit, et ubera, que suxisti.

Oremus. *Oratio.*

Presta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Genitricis Unigeniti tui assiduè imploramus auxilium, petitionis nostræ singularem consequamur effectum. Per eumdem.

CANON.

Ex Sixto Papâ Quinto.

Const. Dum ineffabilis. *an.* 1586. —*B. R. Tom.* 4. *p.* 4. *o.* 34.

336. Confratribus Rosarii Beatæ Virginis MARIÆ itinerantibus, vel navigantibus, ac servientibus totum Rosarium, infirmis verò, aut aliàs legitimè impeditis tertiam ejus partem devotè recitantibus... qui capellas «Confraternitatis» iis diebus, quibus festa mysteriorum ejusdem Rosarii celebrantur, visitare et processioni, quæ primâ Dominicâ cujuslibet mensis fieri solita, interesse non potuerint, plenariam indulgentiam concedimus. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Sponsabo te * mihi in fide, in judicio, in misericordiâ, et in miserationibus.

CANONES.

Infra Hebdom. 8. *Vitæ activæ.*

FERIA II.

Ex Clemente Papâ Decimo.

Const. Cœlestium muner. *an.* 1671. —*B. R. Tom.* 7. *p.* 90.

357. Precibus Catholicorum Regum inclinati.... Sacerdotibus.... Missam de Sanctissimo Rosario celebraturis... et confratribus Rosarii, qui Missæ de Rosario celebrandæ interfuerint... omnes et singulas Indulgentias... quas confratres totum Rosarium recitando... consequuntur, auctoritate apostolicâ concedimus. Tu.

FERIA III.

Ex Constitutionibus Synodalibus Derusentibus. *Titul.* 5. *c.* 9.

358. Statuimus et ordinamus, quòd à cætero in omnibus Ecclesiis nostræ Diœcesis, singulis diebus, saltem Dominicis et festivis, horâ competenti, et ad id invitato populo, Parrochi et alii Sacerdotes, si forsàn fuerint, Psalterium (seu Sanctissimum Rosarium Beatæ Virginis) devotè recitent, salutantque nihilominùs, ut sui parrochiani intersint, ut indulgentias jam aliàs concessas, et quadraginta dies, quos interessentibus, et illud attentè recitantibus ultrà concedimus, consequi mereantur. Tu.

FERIA IV.

§. 8. *De B. V. de Mercede.*

Ex Clementi Papâ Nono.

Const. In supereminenti. *an.* 1668. —*B. R. Tom.* 6. *p.* 6. *p.* 289.

359. Ordinis Beatæ MARIÆ Virginis de Mercede Magistro et Procuratoribus generalibus nunc et pro tempore existentibus, ut utriusque sexûs confraternitates tàm sub præfatæ Beatæ MARIÆ de Mercede, quàm aliâ quârumcumque invocatione ubi vos locorum instituere valeant, perpetuò concedimus. Tu.

FERIA V.

Ex Innocentio Papâ Undecimo. *Const. Ortodox. ann.* 1680.—*B. R. Tom.* 8. *p.* 131.

360. U. Missa et Officium Beatissimæ Virginis MARIÆ de Mercede sub ritu Duplici singulis annis Dominicâ proximiori Kalendis Augusti... in omnibus Hispaniarum Regnis celebrari et recitari possint, auctoritate apostolicâ indulgemus. Tu.

FERIA VI.

§. 9. *De septem Doloribus B. V.*

Ex Decreto S. Rituum Congregationis, 31 *Maj.* 1669. *in Tornacens.*

361. Missa Beatæ MARIÆ Virginis sub invocatione septem Dolorum Feriâ sextâ infra hebdomadam Passionis debet recitari cum «Gloria Patri» ad Introitum, et cum Psalmo «Judica me Deus» ad Confessionem. Tu.

SABBATO.

Ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis. 3. *Sept.* 1672.

362. Si Festum Dolorum Beatæ MARIÆ Virginis occurrat in aliud festum altioris ritûs, transfertur in Sabbatum sequens: si verò concurrat cum festo Annuntiationis ejusdem Beatæ MARIÆ Virginis, Vesperæ dicuntur de Annuntiatione sine commemoratione de septem Doloribus. Tu.

DOM. IX. VITÆ ACTIVÆ.

Semiduplex.

Si hæc Domin. fuerit ultima vitæ activæ omittitur cum sequentibus, et ejus loco ponitur Dom. XIII. seu ultima.

IN I. NOCT.

De Joele Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 2. 21.

Noli timere, terra, exulta; et lætare: quoniàm magnificavit Dominus, ut faceret. Nolite timere animalia regionis: quia germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt virtutem suam. Tu. ℣. Loquantur. *p.* 246.

LECTIO 2.

Et Filii Sion, exultate, et lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem justitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum, sicut in principio. Et implebuntur areæ frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo. Tu. ℣. Benedictum.

LECTIO 3.

Et comedetis vescentes, et saturabimini: et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum: et non confundetur populus meus in sempiternum. Et scietis, quia in medio Israel ego sum: et ego Dominus Deus vester, et non est amplius: et non confundetur populus meus in æternum. Tu. ℣. Favus.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo B. Virginis. *Lectione* 18.

LECTIO 4.

Fructus MARIÆ benedictus necessarius est ad relevationem inediæ, sive famis mentalis, ne propter defectum nutrimenti deficiant animalia Dei. Propter quod benedicitur à Prophetâ Joele: nolite timere animalia regionis, quia germinaverunt speciosa deserti, et lignum attulit fructum suum. Tu. ℣. Ego quasi.

LECTIO 5.

Desertum, quod sine culturâ germinat, et proferi pastum animalium, signare potest MARIAM, quæ sine culturâ maritali protulit Filium, qui est pastus animarum fidelium. Ideò benè de ipsâ dici potest illud Ezechielis: terra illa inculta facta est ut hortus voluptatis. Speciosa hujus felicis deserti sunt speciosa germina cœlestium desideriorum, speciosæ herbæ opernm bonorum, speciosi flores virtutum et donorum, speciosa folia utilium verborum, et certè speciosus fructus ventris sui, qui est pastus omnium justorum. Tu. ℣. Benedicta.

LECTIO 6.

MARIA est desertum hoc speciosum: MARIA quoquè est lignum hoc fructuosum, de quo dicitur: et lignum attulit fructum suum. O verè mirabilem fructum, per quem tàm fames, quàm sitis relevatur animarum. Sicut testatur Beatus Bernardus, dicens: bonus fructus, qui animarum esurientium, et sitientium justitiam esca, et potus est. Tu. ℣. Benedictum.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 24. *v* 15.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Prophetâ, stantem in loco sancto. Et reliqua.

Homilia S. Antonini Ep. Florentini.

De angelicâ salut. cap. 13. §. 17.

Fuit beata Virgo sine væ, quod contingit omnibus matribus. Undè Dominus JESUS, væ prægnantibus, et nutrientibus. Est autem istud væ triplex in matribus, scilicet damnificentiæ, indigentiæ, et afficientiæ. Damnum autem triplex incurrit femina, cum mater efficitur, scilicet, quia in concepiu perdit virginitatem, thesaurum incorruptibilem. Post concepturn venustatem et sanitatem. In partu autem perdunt hominum societatem: non enim possunt viri accedere ad eas. Sed ab hujusmodi væ fuit libera Beata MARIA. Tu. ℣. Venite ad me.

LECTIO 8.

Item matres incurrunt væ indigentiæ. Nam ad concipiendum indigent compare, id est, viro, ex quo concipiant, post concepium egent quiete, in partu obstetricatione. Sed ab hujusmodi væ libera fuit beata MARIA, quia non ex virili semine, sed mystico spiramine Verbum Dei factum est caro de Virgine MARIA. Non eguit quiete, quia non ex eo debilitata, sed roborata fuit. Nulla neque fuit obstetrix, nulla obsequia mulierum. Tu. ℣. Quis infirmatur.

LECTIO 9.

Tertiò matres incurrunt væ afficientiæ, quâ afficiuntur in concepiu libidine, in portando in ventre gravedine, in partu maximo dolore. Sed beata MARIA sine hujusmodi væ fuit. Nam concepit sine libidine: undè angelus: virtus Altissimi obumbrabit tibi, id est, refrigerium præstabit, ut sine ardore alicujus libidinis concipias. Sine gravamine filium in ventre portavit: Undè Isaias: Dominus ascendet super nubem levem. Nubes est Virgo MARIA, quæ gravamen in portando non habuit, et ipsa sola sine dolore peperit Sal-

vatorem seculi. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Sine contaminatione Virgo concepit, et sine dolore peperit medicinam mundi.

Oremus. *Oratio.*

Purifica, quæsumus, Domine charitate tuâ corda nostra, ut per intercessionem beatæ MARIÆ semper Virginis, Sanctissimi Filii tui promissionibus digni efficiamur. Qui tecum.

CANON.

Ex Decreto Sacr. Rituum Congregationis.

19. *Aug.* 1817. *Urbis et Orbis.*

363. Occurrente Festo septem Dolorum Beatæ MARIÆ Virginis, quod celebratur Dominicâ tertiâ septembris, cum die octavâ Patroni, Titularis, aut Dedicationis Ecclesiæ, fieri debet de octavâ, et Festum septem Dolorum transfertur ad primam Dominicam non impeditam alio festo Beatæ Virginis, vel aliquâ octavâ: et si omnes Dominicæ usque ad Adventum fuerint impeditæ, tunc transferendum erit juxta Rubricas ad primam diem non impeditam post Dominicam tertiam septembris. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Nolite timere, quia lignum attulit fructum suum.

CANONES.

Infra Hebd. 9. *Vitæ activæ.*

FERIA II

Ex Benedicto Papâ Decimo Tertio.

Cons. Redemptoris. *an.* 1724. *B. Carm. Tom.* 4. *p.* 102.

364. Omnibus Christi fidelibus, qui in singulis Feriis sextis Quadragesimæ et festivitate Septem Dolorum Beatæ MARIÆ Virginis... coronam septem Dolorum recitaverint, ducentos dies pro quâlibet oratione Dominicâ, et totidem pro quâvis salutatione angelicâ. In reliquis verò totius anni diebus, centum dies: iis autem qui hujusmodi coronam integram recitaverint septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis relaxamus. Tu.

FERIA III.

Ex Clemente Papâ Duodecimo.

Const. Exponi nobis. *an.* 1733.—*B. R. Tom.* 13. *p.* 377.

365. Omnes et singulas confraternitates sub titulo Beatæ MARIÆ Virginis Septem Dolorum à Superioribus Generalibus Ordinis Servorum ejusdem Beatæ Virginis... ubicumque locorum de præsenti erectas... auctoritate apostolicâ confirmamus, et validamus. Tu.

FERIA IV.

§. 10. *De Patrocinio B. V.*

Ex Innocentio Papâ Undecimo.

Const. Eximia *an.* 1679. *B. R. Tom.* 8. *p.* 96.

366. Precibus Caroli Regis Hispaniarum inclinati... ut Patrocinii Beatissimæ Virginis MARIÆ Festum hujusmodi cum Officio et Missâ... in posterum Dominiis Regi Hispaniarum subjectis celebrari liberè et licitè valeat, auctoritate apostolicâ concedimus. Tu.

FERIA V.

Ex Alexandro Papâ Septimo.

Cons. Præclara. *an.* 1656.—*B. R. T.* 6. *p.* 4. *p.* 131.

367. Omnibus utriusque sexûs Christi fidelibus, verè pœnitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui Missæ solemni in die Patrocinii Beatæ MARIÆ Virginis interfuerint..... plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Tu.

FERIA VI.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

14. *april* 1733.—*Bullar. Carm. Tom.* 4. *p.* 397.

368. Sacrorum Rituum Congregatio confirmavit et approbavit electionem Sanctæ MARIÆ Scalæ Paradisi nuncupatæ in Patronam principalem... Provinciæ Syracusanæ. Tu.

SABBATO.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

8. *Jan.* 1763. *Cong. Canon. S. Ant. Abb.*

369. Clemens Papa Decimus tertius electionem Beatæ MARIÆ Virginis de Columnâ in Patronam principalem Congregationis Sancti Antonii Abbatis Regnorum Navarræ, Aragoniæ, Cathalauniæ, Valentiæ et Insularum nuncupatarum Baleares benignè approbavit et confirmavit. Tu.

DOM. X. VITÆ ACTIVÆ.

Semiduplex.

Si hæc Dom. fuerit ultima Vitæ activæ omittitur cum duobus sequentibus, et ejus loco ponitur Dom. XIII. seu ultima.

IN I. NOCT.

De Jonâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 1. 1.

Et factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens: surge, et vade in Ninivem civitatem grandem, et prædica in eâ, quia ascendit malitia ejus coram me. Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis à facie Domini, et descendit in Joppem, et invenit navem euntem in Tharsis: et dedit nautum ejus, et descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis à facie Domini. Tu. ℣. Loquatur. *p.* 246.

LECTIO 2.

Dominus autem misit ventum magnum in mare; et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri... Et dixit vir ad collegam suum: venite, et mittamus sortes, et sciamus quale hoc mare sit nobis. Et miserunt sortes, et cecidit sors super Jonam. Et dixerunt ad eum: indica nobis, cujus causâ malum istud sit nobis... Quid faciemus tibi, et cessabit mare à nobis? Tu. ℣. Benedictum.

LECTIO 3. *v.* 12.

Et dixit ad eos: tollite me, et mittite in mare, et cessabit mare à vobis: scio enim, quoniàm propter me tempestas hæc grandis venit super vos. Et remigabant viri, ut reverterentur ad aridam, et non valebant, quia mare ibat, et intumescebat super eos... Et tulerunt Jonam, et miserunt in mare, et stetit mare à fervore suo. Tu. ℣. Favus.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni Ep. *In Biblia Mariana.*

LECTIO 4.

MARIA Mater misericordiæ est mare, quod nunquàm per desideria et suspiria quiescere potuit, donec verus Jonas, id est, Filius Dei in ipsum per Incarnationem missus fuit. Dixerunt viri ad Jonam: Glosa: Jona qui interpretatur, columba, Christus est. Quid faciemus tibi, et cessabit mare à nobis? Et dixit ad eos: Tollite me, et mittite me in mare. Tu. ℣. Ego.

LECTIO 5.

Tollite me, et mittite in mare, id est, in MARIAM, ditissimum in pauperrimam, sublimissimum in humillimam, Dominum in ancillam. Et tulerunt Jonam, id est, Christum: Glossa: non repugnantem, sed voluntati Patris voluntа-

riè obedientem, et miserunt in mare, id est, in uterum MARIÆ cum angelico honore et obsequio. Tu. ℟. Benedictio.

LECTIO 6.

Item beata Virgo est turris potentiæ Dei, de qua Micheas: turris gregis, id est, munimentum, nebulosa, obumbrans et abscondens peccatores, usque ad te veniet. Glossa: id est, Christus dans tibi secundam in omnibus potestatem, ut dicere possis: data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terrâ. Tu. ℟. Benedictum.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. *v.* 23.

In illo tempore: Conversus JESUS ad Discipulos suos dixit: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Et reliqua.

Homilia B. Dionysii Carthusiani. *De Laudib. B. V. M. libr.* 1. *art.* 17.

Si ergò commendantur et beatificantur à Christo oculi, et aures, qui eum viderunt, et audierunt, et si tàm magnum et salubre fuit Salvatorem videre, et audire in carne, quod sancti prophetæ et reges hoc avidissimè optaverunt, quàm magnum, salubberrimum ac desiderabilissimum fuit ipsum Dei Patris unicum Filium castissimo ventre concipere, portare, nutrire, parere, contrectare, et non solùm interiori, exterioriquè visu videre, ut Dominum Deum ac Salvatorem, atque audire, ut magistrum et prædicatorem; sed etiàm ipsum quotidiè per tot annos ad libitum intueri et audire, ut unicum et amantissimum Filium, imò, ut ei dignissimè subditum, et cœlestem et spiritualem, et amantissimum sponsum, ut familiarissimè et amorosissimè cohabitatorem domesticum. Tu. ℟. Venite ad me.

LECTIO 8.

Beatissimi ergò sunt oculi suavissimæ et æternaliter benedictæ MARIÆ, qui Deum incarnatum ita viderunt: beatissimæ aures ejus, quæ Christum sic audierunt: beatissimus tactus ejus, qui illum assiduè, ac maternaliter, corporaliterque tractavit: beatissimus gustus ejus, qui cum rege cœlorum quotidiè comedit et bibit: beatissimus ejus olfatus, qui dulci Salvatoris odore frequenter est immutatus. Sacratissima ac suavissima ubera ejus, quæ universitatis Opifici alimoniam præbere electa sunt. Felicissimum os et labia venerabilissimæ, et præclarissimæ prorsùs MARIÆ, quæ Deum ex se natum infantulum lotiès, et tàm affectuosissimâ, atque purissimâ affectione sunt osculata. Tu. ℟. Quis infirmatur.

LECTIO 9.

Ecce venerandus et magnus ille Patriarcha Abraham Pater tuus, imò poliùs servus ac Filius tuus, exultavit, ut videret diem Christi Filii tui: vidit et gavisus est, qui tamen filium tuum non vidit, nisi in spiritu ac figurâ. Et si tantus vir ex imaginariâ, spirituali, ac typicâ visione Christi futuri, ita gavisus est, atque cum tàm ingenti affectu ipsum optavit videre, quàm præcordialiter in felicissima mens, laudabilissima semper MARIA in ipsius Christi Filii tui gaudebas præsentiâ et aspectu? Certè tanto plùs, quantò ampliùs eum amasti, quo clariùs cognovisti, quo familiariùs cohabitasti, quo licentiùs contrectasti. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *cnt.* Beati oculi tui splendissimi, qui Filium Dei frequentissimè conspiciebant.

Oremus. *Oratio.*

Dirige, Domine, actus nostros secundum tuam voluntatem, ut in omnibus tibi placentes, beatissimæ Virginis MARIÆ intercessione digni effici mereamur. Per Dominum.

CANON.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

In Bull. Alex. VII. 1656. Salvatoris. *Confirmato.*

370. Sacra Rituum Congregatio Presbyteris Oratorii JESU-Christi..... quotannis tanquàm de Patrono..... die decimâ septimâ septembris Festum Solemnitatis Gloriosæ Virginis cum octavâ recolendi, nec non Missam et Officium celebrandi recitandique facultatem attribuit. Tu.

Ad Magnificat. *ant.* Tollite me, et mittite me in mare, id est, in MARIAM, et cessabit contra me orta tempestas.

CANONES

Infra Hebd. 10. *Vitæ activæ.*

FERIA II.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

14. *Maj.* 1707. *in Parisiens.*

371. In Ecclesiis dedicatis sub titulo Sanctæ MARIÆ Angelorum Officium de hocce titulari celebrandum est die Assumptionis ejusdem. Tu.

FERIA III.

§. *Per Litanias.*

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

13. *Jul.* 1675. *Forosempron.*

372. Ad instantiam Confraternitatis Sanctissimi Rosarii civitatis Forosempronensis toleratur, si in fine Litaniarum dicatur: Regina Sanctissimi Rosarii, ideòque non potest prohiberi. Tu.

FERIA IV.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

16. *Aug.* 1766. *Ord. Carmelitar.*

373. Pia et laudabilis consuetudo, quæ ab antiquissimo tempore, cujus initii memoria non extat, in universo Ordine Carmelitarum Congregationis Hispaniæ viget, recitandi et canendi in Litaniis Beatæ MARIÆ Virginis versiculum: «Mater Decor Carmeli, sive, Mater Carmelitarum.....» apostolicâ approbatione tolleratur. Tu.

FERIA V.

Ex Clemente Papâ Decimo Tertio. *Const.* Eximia pietas. 14. *Mart.* 1767.

374. Conceditur facultas in Regnis Hispaniarum in quibus Beata MARIA Virgo sub Immaculatæ Conceptionis Mysterio, uti Patrona principalis peculiari devotione colitur, addendi in Litaniis Lauretanis tàm publicè, quàm privatè recitandis, post versiculum «Mater intemerata,» alterum scilicet, «Mater Immaculata.» Tu.

FERIA VI.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

Episcopor. Galliæ—apud Perrone.

375. Conceditur indultum addendi in Litaniis post versum «Regina Sanctorum omnium» aliud Deiparæ encomium, «Regina sine labe concepta,» dummodò iisdem tam privatim, quàm publicè aliud non addatur, nisi obtentâ facultate à sanctâ apostolicâ sede. Tu.

SABBATO.

Ex Decreto S. Rituum Congregat. *In pluribus Decretis.*

376. Non licet titulo specialis devotionis Litaniis Lauretanis aliquem versiculum addere..... Tu.

DOM. XI. VITÆ ACTIVÆ.

Semiduplex.

Si hæc Dom. fuerit ultima post Pentec. omittitur cum sequenti, et ejus loco ponitur Dom. XIII. seu ultima.

IN III. NOCT.

De Habacuc Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 3. 1.

Domine, audivi auditionem tuam, et timui, Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Deus ab austro veniet, et sanctus de monte Pharan: operuit cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. Tu. ℣. Loquatur. *p.* 246.

LECTIO 2.

Splendor ejus, ut lux erit: cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus; ante faciem ejus ibit mors. Et egredietur diabolus ante pedes ejus. Stetit et mensus est terram: aspexit et dissolvit gentes: et contriti sunt montes sæculi: incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus. Tu. ℣. Benedictum.

LECTIO 3.

Pro iniquitate vidi tentoria Æthyopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian. Nunquid in fluminibus iratus es, Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua? Qui ascendes super equos tuos: et quadrigæ tuæ salvatio. Suscitans suscitabis arcum tuum, juramenta tribubus, quæ locutus es. Tu. ℣. Favus.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni, Ep. *De laudib. B. V. M. libr.* 8. *c.* 5.

LECTIO 4.

Mons, qui dicitur ab eminentiâ secundum Isidorum, vel secundum alios dicitur mons, quasi moles opposita nascenti soli. Moles enim immobilis humilitatis MARIÆ, quam humilitas Christi adamavit, ut de se ipsâ nasci dignaretur, se opposuit pro familiaribus suis fervori solis justitiæ ne ipsos areficiat. Exortus est sol cum ardore, et arefecit fœnum, id est, carnales, ut dicit Beatus Jacobus. Tu. ℣. Ego quasi.

LECTIO 5.

Beata Virgo MARIA est ille mons umbrosus et condensus Habacuc, secundum aliam literam, à quo Deus venit ad nos. Undè sic ibi loquitur: Deus à Libano veniet, et Sanctus de monte umbroso et condenso. Beata Virgo Mons propter eminentiam sanctissimæ conversationis suæ, quæ dicitur Libanus, qui interpretatur candor propter prærogativam virginalis puritatis. Tu. ℣. Benedictio.

LECTIO 6.

Umbrosus etiàm dicitur iste mons, quia virtus Altissimi obumbravit ei in conceptione filii Dei, qui est lux inaccessibilis, et lucem habitat inaccessibilem. Condensus est mons iste per universarum virtutum multitudinem, quæ designantur in condensitate arborum: quia in eo condensitæ à divinâ sapientiâ circumierunt omnes virtutes in superlativo. Dicitur ergò Deus à Libano, id est, à candore uteri virginalis veniet ad salvandum nos, et Sanctus sanctorum de monte umbroso et condenso. Tu. ℣. Benedictum.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 23. *v.* 31.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: cum venerit Filius hominis in sede majestatis suæ, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ. Et reliqua.

Homilia B. Goffridi Abb. Vindocinensis.

Serm. de B. V. M. —In Bibliotecâ PP. Tom. 12. *p.* 287.

Illo utiquè die homines qui in hoc sæculo humiles sunt, et obedientes, patriam illam cœlestem et supernam, duce suo capite Christo, cum honore magno et exultatione intrabunt, undè superbi et inobedientes Angeli cum verecundiâ et confussione cecidérunt. Ibi videbunt Deum homines facie ad faciem, sicuti est, et donabitur eis vita, salus, et gloria sempiterna, quæ Deus est. Tu. ℣. Venile.

LECTIO 8.

Beata autem MARIA mater, Virgo et Sponsa intacta ibi piissima apud piissimum Filium suum obtinebit, ut nemo illorum pereat, pro quibus vel semèl oraverit. Nec mirum, quia universum suis precibus mundum salvare potest, si ipsa voluerit. Et ipsa quidem pro universo mundo paratissima esset ad precandum, totusque mundus salvaretur, si precibus ejus se faceret dignum. Hæc veracissimè apud omnipotentem Filium, ut diximus, orando potest quidquid desiderat: sed pro illis, qui semper peccare desiderant, nullatenus orat. Tu. ℣. Quis infirmatur.

LECTIO 9.

Cæteri Sancti Dominum Deum orando impetrant, sed honorabilis Virgo MARIA, si illum ex eo quod Deus et Dominus est, exorarè meritò credatur, ex eo tamen quod homo est, et natus ex eâ, quasi quodam matris imperio, apud ipsum impetrare quidquid voluerit, piâ fide non dubitatur. Nam si quilibet sanctus apud justum judicem Deum obtinet quidquid sibi jure debetur: hæc quæ est mater judicis et omnium sanctorum Domina, jure matris nunquàm fraudabitur. Hoc est enim materni juris apud Filios dignitate sublimes, ut si eos matres eorum sæpiùs rogent, quia domini sunt, eis etiàm aliquid quasi imperent quia filii sunt. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Quem vis, ipse salvus erit, et à quo avertis vultum tuum vadit in interitum.

Oremus. *Oratio.*

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, puritatem mentis et corporis, ut digni Genitricis luæ Sanctissimæ filii esse mereamur. Qui vivis et regnas.

In hâc Dom. et Dominicis ac hebdomad. sequentibus Vitæ activæ leguntur Canones, qui lecti non fuerint in Dominicis et hebdomad. Februarii, seu Vitæ contemp. p. 134. 136. *et* 139.

Ad Magnif. *ant.* Dominus de Libano veniet, Dominus de monte umbroso et condenso.

DOM. XII. VITÆ ACTIVÆ.

Semiduplex.

Si hæc Dom. fuerit ultima post Pentec. omittitur et ejus loco ponitur Dom. XIII. quæ sequitur.

IN I. NOCT.

De Aggæo Propheta.

LECTIO 1. *c.* 2. 1.

Factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, dicens: Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Juda, et ad Jesum filium Josedec Sacerdotem magnum, et ad reliquos populi dicens: Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in glorià suà primâ? Et quid vos videlis hanc nunc? Nunquid non ita est, quasi

non sit in oculis vestris? Tu. ℣. Loquatur. p. 246.

LECTIO 2.

Et nunc confortare, Zorobabel, dicit Dominus: et confortare, Jesu fili Josedec Sacerdos magne, et confortare, omnis populus terræ... quia hæc dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum, et terram, et mare et àridam. Tu. ℣. Benedict.

LECTIO 3.

Et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus: et implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domûs istius novissimæ plùs quàm primæ, dicit Dominus exercituum: et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. Tu. ℣. Favus distillans.

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *Conc. de imm. concep. B. V. M.*

LECTIO 4.

In structurâ secundi templi Dominus consolatur populum, et Sacerdotes mœstos, quoniàm domus illâ in comparatione primæ nulla apparebat. Domus prima Eva in statu innocentiæ, pulchra, decora, innocens, sapiens. Domus secunda Virgo MARIA, humilis et mortalis. Sed, ò peccatores, nolite contristari! major erit gloria Domûs istius novissimæ, plusquàm primæ. Illa nos occidit, ista nos vivificavit. Illa mortem adduxit; ista vitam. Illa creatura Dei; ista Mater Dei. Illa mundi excidium: ista sine peccato concepta, et à parentibus progenita. Tu. ℣. Ego quasi.

LECTIO 5.

Et in templo isto dabo pacem. Non fuit rebellio, non tumultus sensualitatis, non fomes peccati. Quoniàm, ut ait Psalmus; factus est in pace locus ejus. Quis locus, nisi virginalis uterus? In pace formatus in utero, in pace vixit extra uterum. In ædificatione namque templi Salomonis non audiebatur malleus, non strepitus, quoniàm benè quadrati lapides sine malleo jungebantur. Tù. ℣. Benedictio.

LECTIO 6.

Domus, inquit Scriptura, cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: et malleus et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur. Siquidem, ut ait Prophe'a, confractus est in eâ, et contritus malleus universæ terræ, id est, universæ carnis: de quo Psalmista: ecce, inquit, in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. In pace igitur formatus est in utero, ut sempèr pacem haberet in terrâ. Tu. ℣. Benedictum.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 16. *v.* 1.

In illo tempore: Dicebat JESUS ad Discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum. Et reliq. Homilia S. Thomæ Arch. Valent.

Concione de Domiñ nostrâ.

O Domina, quantùm debes Domino meo! Qui profundissime divinæ sapientiæ, ultrà quàm credi possit, penetrare te fecit abyssum! In tantum, ut absorta videatur in Deitatem humanitas. Non quòd immutata sit substantia, sed affectio deificata; ita ut operiri undiquè, et circumfundi, et tanquàm ipso Deo concludi meruerit: paulò minùs adoraturus quasi feminam, qui solebat ab hominibus hactenùs adorari. Quàm familiaris facta es Dec, Domina! Quàm intima fieri meruisti! Quantam invenisti gratiam apud Deum! ℣. Venite ad.

LECTIO 8.

In te manet, et tu in eo: et vestis eum, et vestiris ab eo. Vestis eum substantiâ carnis, et vestit ille te gloriâ suæ majestatis. Vestis solem nube, et sole ipsa vestiris. Et quidem quòd verum Deum, et Dei Filium genueris, ut idem ipse Dei atque hominis filius, unus omninò Deus et homo ex te prodierit. Si rerum pretia de raritate pensamus, nihil hoc potest rarius inveniri. Quis enim istam generationem poterit sermone enarrare? Quæ linguæ facundia explicare? O Domina, quantùm debes Domino meo! Tu. ℣. Quis infirmatur.

LECTIO 9.

Dic, obsecro te, per eum, qui talem fecit te, ut ipse fieret in te: dic, inquam, mihi, quid boni egisti, quantum præmium obtulisti, per quas potestates ambisti, quos patronos habuisti, quæ suffragia præmisisti, quo sensu, vel quâ cogitatione, ad hoc, ut reciperes prævenisti, ut et virtus et sapientia patris, quæ attingit à fine usque in finem, et disponit omnia suaviter, totus ubique manens, et sine ullâ sui mutabilitate in uterum tuum veniens, ita castellum castum tui ventris incoleret, ut et ingrediens non laederet, et exiens incolumen custodiret? O Domina, quantùm debes Domino meo! Qui gratis adeò te mirificavit, magnificavit, et magna tibi fecit, qui potens est et facit mirabilia magna solus. Tu.

Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* O Domina, * quantùm debes Domino meo, qui magna tibi fecit!

Oremus. *Oratio.*

Omnipotens Deus, famulos tuos dextera potentiæ tuæ à cunctis protegat periculis, et beatâ MARIA sempèr Virgine intercedente, fac eos præsenti gaudere prosperitate et futurâ. Per Dom.

Ad Magnif. *ant.* Domus prima * Eva in statu innocentiæ: domus secunda MARIA in statu gratiæ.

DOM. XIII.

ET ULTIMA VIT. ACTIVÆ.

Semiduplex.

Hæc Domin. semper dicitur ultimo loco in Vitâ Activâ.

IN I. NOCT.

De Zachariâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 3. *et* 4.

In die illâ dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem, et subter ficum. Et reversus est angelus, qui loquebatur in me, et suscitavit me, quasi virum, qui suscitatur de somno suo, et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud: et septem infusoria lucernis, quæ erant super caput ejus. Tu. ℣. Loquatur. *p.* 246.

LECTIO 2.

Et duæ olivæ super illud, una à dextris lampadis, et una à sinistris ejus. Et respondi, et ajo ad angelum, qui loquebatur in me dicens: quid sunt hæc, Domine mi?... Et respondit, et ait ad me, dicens: Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens: non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum. Tu. ℣. Benedictum.

LECTIO 3.

Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum: et educet lapidem primarium, et exacquabit gra-

tiam gratiæ ejus. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam: et scietis, quia Dominus exercituum misit me ad vos. Tu. ℣. Favus distillans.

IN II. NOCT.

Sermo S. Procli Arch. Constantinopolitani.

Oratio 2. LECTIO 4.

In die illâ dicit Dominus omnipotens. In quo die, ò Prophetà? In die Incarnationis, quandò Virgo cœli speciem quandam prætulit: quandò ex utero prosiluerunt radii: quandò sol incarnatus è matrice prorupit: quandò lux humanam figuram induit: quandò partus ejus qui nascebatur, non initium, sed ortus fuit. Tu. ℣. Ego quasi.

LECTIO 5.

Et convertit me, inquit angelus, qui loquebatur in me: et suscitavit me, sicut quandò homo excitatur à somno. Quisnam angelus? Is qui læta, faustaque nuntiavit MARIÆ. Quis somnus? Legis tempus. Quandoquidèm ut in somno palpebræ populos obtegunt; ita legis tempore velamen cor obtexerat. Et dixit ad me: quid tu vides? Et dixi: vidi, et ecce candelabrum aureum totum. Quid est ergò illud candelabrum? Sancta MARIA. Tu. ℣. Benedictio.

LECTIO 6.

Cur autem candelabrum? Quia immateriale lumen, nempe Deum incarnatum, portavit. Ut quid verò aureum totum? Quia etiàm post partum virgo permansit. Ait namque: Porta hæc clausa erit. Uterum autem portam vocari testatur Job dicens: cur non conclusit portas uteri mei? Et sicut candelabrum non est lucis causa, sed lucis vehiculum; ita etiàm Virgo non est ipsa Deus, sed Dei templum. Tu. ℣. Benedictum.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 19. *v.* 28.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel. Et reliqua.

Homilia Sancti Hildephonsi Archiepiscopi Toletani.

Serm. 2. in Assumpt. B. V.

Absque dubio, fratres carissimi, beata Virgo pro tantâ gratiâ, tantique honoris privilegio materno hodiè resedit sublimi in throno, quoniàm etsi duodecim leguntur throni, in quibus duodecim Apostolorum sessurus est numerus, quandò judex omnium, sacratissimæ hujus matris Filius, sedebit in sede majestatis suæ cum senatoribus suis: non desunt tamen ibidem quàm plurimi alii, interquos in conspectu Dei, etiàm viginti quatuor dicuntur residere seniores, et adorare ante thronum Dei viventem in sæcula sæculorum. Tu. ℣. Venite ad.

LECTIO 8.

Sed et Daniel testatur, quòd throni positi sint, nec eorum tamen explicat numerum. Undè liquidò constat, dilectissimi, quia thronus beatissimæ Virginis parátus ante mundi constitutionem, hodiè celsior glorificetur, et invenitur ab angelis: nec immeritò igitur, quoniàm et ipsa facta est thronus Dei, et thalamus, in cujus utero veniens sapientia Dei Patris Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Tu. ℣. Quis infirmatur.

LECTIO 9.

Quòd si anima cujuslibet justi sedes est sapientiæ, tes'e scripturâ, multò magis hujus anima, fratres carissimi, quam Spiritus Sanctus sic implevit, etiàm ante conceptionis horam, ut salutaretur ab angelo: Ave gratiâ plena: Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Ad quam ita mox ingressus Filius Dei, qui est virtus et sapientia Patris, sic replévit, sicque possedit, ut in eâ Verbum caro fieret, et habitavit totus Deus in homine, ac ideò totus in nobis, quia totus Deus in eâ fuit. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Ecce throni * in cœlo positi sunt, sed excelsior thronus Virgini Matri, quæ prima sedet post Deitatem.

Oremus. *Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui dilectissimam Unigeniti tui Matrem super omnes Angelorum choros in cœlo sublimasti, concede propitiùs ut qui gloriam ejus in terris veneramur, ejus aspectibus in cœlis perfrui possimus. Per eumdem Dominum.

Ad Magnific. *ant.* Ecce Candelabrum * aureum totum, et lampas ejus super caput ejus, et septem lucernæ ejus super illud.

IX.

VITA GLORIOSA

B. MARIÆ V.

Quæ post Assumptionem tempus complectitur.

RESPONSORIA

dicenda post Lectiones tàm in officio Dominicæ, quàm in feriali post Assumptionem.

In 1. *Nocturno, et in Feriâ II. et IV.*

℣. 1. Signum magnum apparuit in cœlo: * Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. Allel., allel.

℣. Hoc erit signum fœderis, quod constituì inter me, et omnem carnem super terram.—Mulier.

℣. 2. Arcum meum ponam in nubibus, * Et erit signum fœderis inter me, et inter terram, allel. allel. ℣. Videbo illum, et recordabor fœderis mei sempiterni.—Et.

℣. 3. Apertum est templum Dei in cœlo * Et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, allel. allel. ℣. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.—Et visa.—Gloria.—Et visa.

In II. Noct. et in fer. III. et VI.

℣. 4. Recordare nostri, Domina, in conspectu Dei, * ut facias nobiscum misericordiam, et liberes nos de morte, allel., allel. ℣. Invoca Dominum, et loquere regi pro nobis.—Ut.

℣. 5. Corona aurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis, allel. allel. ℣. Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso.—Expressa.

℣. 6. Magna est gloria ejus in salutare suo: * Gloriam et magnum decorem, imponent super eam, allel. allel. ℣. O Israel, quàm magna est Domus Dei, et ingens locus possessionis ejus!—Gloriam.—Gloria.—Gloriam.

In III. Noct. et in Feriâ VI. et Sabb.

℣. 7. Sustulit me Angelus in Spiritu in montem magnum et altum, * Et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei, allel., allel. ℣. Et locutus est mecum, dicens: Veni et ostendam tibi sponsam uxorem Agni.—Et ostendit.

℣. 8. Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam Deo: * Quia venerunt nuptiæ Agni, et

tiam gratiæ ejus. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam: et scietis, quia Dominus exercituum misit me ad vos. Tu. ℣. Favus distillans.

IN II. NOCT.

Sermo S. Procli Arch. Constantinopolitani.

Oratio 2. LECTIO 4.

In die illâ dicit Dominus omnipotens. In quo die, ò Prophetà? In die Incarnationis, quandò Virgo cœli speciem quandam prætulit: quandò ex utero prosiluerunt radii: quandò sol incarnatus è matrice prorupit: quandò lux humanam figuram induit: quandò partus ejus qui nascebatur, non initium, sed ortus fuit. Tu. ℣. Ego quasi.

LECTIO 5.

Et convertit me, inquit angelus, qui loquebatur in me: et suscitavit me, sicut quandò homo excitatur à somno. Quisnam angelus? Is qui læta, faustaque nuntiavit MARIÆ. Quis somnus? Legis tempus. Quandoquidèm ut in somno palpebræ populos obtegunt; ita legis tempore velamen cor obtexerat. Et dixit ad me: quid tu vides? Et dixi: vidi, et ecce candelabrum aureum totum. Quid est ergò illud candelabrum? Sancta MARIA. Tu. ℣. Benedictio.

LECTIO 6.

Cur autem candelabrum? Quia immateriale lumen, nempe Deum incarnatum, portavit. Ut quid verò aureum totum? Quia etiàm post partum virgo permansit. Ait namque: Porta hæc clausa erit. Uterum autem portam vocari testatur Job dicens: cur non conclusit portas uteri mei? Et sicut candelabrum non est lucis causa, sed lucis vehiculum; ita etiàm Virgo non est ipsa Deus, sed Dei templum. Tu. ℣. Benedictum.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 19. *v.* 28.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel. Et reliqua.

Homilia Sancti Hildephonsi Archiepiscopi Toletani.

Serm. 2. in Assumpt. B. V.

Absque dubio, fratres carissimi, beata Virgo pro tantâ gratiâ, tantique honoris privilegio materno hodiè resedit sublimi in throno, quoniàm etsi duodecim leguntur throni, in quibus duodecim Apostolorum sessurus est numerus, quandò judex omnium, sacratissimæ hujus matris Filius, sedebit in sede majestatis suæ cum senatoribus suis: non desunt tamen ibidem quàm plurimi alii, interquos in conspectu Dei, etiàm viginti quatuor dicuntur residere seniores, et adorare ante thronum Dei viventem in sæcula sæculorum. Tu. ℣. Venite ad.

LECTIO 8.

Sed et Daniel testatur, quòd throni positi sint, nec eorum tamen explicat numerum. Undè liquidò constat, dilectissimi, quia thronus beatissimæ Virginis parátus ante mundi constitutionem, hodiè celsior glorificetur, et invenitur ab angelis: nec immeritò igitur, quoniàm et ipsa facta est thronus Dei, et thalamus, in cujus utero veniens sapientia Dei Patris Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Tu. ℣. Quis infirmatur.

LECTIO 9.

Quòd si anima cujuslibet justi sedes est sapientiæ, tes'e scripturâ, multò magis hujus anima, fratres carissimi, quam Spiritus Sanctus sic implevit, etiàm ante conceptionis horam, ut salutaretur ab angelo: Ave gratiâ plena: Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Ad quam ita mox ingressus Filius Dei, qui est virtus et sapientia Patris, sic replévit, sicque possedit, ut in eâ Verbum caro fieret, et habitavit totus Deus in homine, ac ideò totus in nobis, quia totus Deus in eâ fuit. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Ecce throni * in cœlo positi sunt, sed excelsior thronus Virgini Matri, quæ prima sedet post Deitatem.

Oremus. *Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui dilectissimam Unigeniti tui Matrem super omnes Angelorum choros in cœlo sublimasti, concede propitiùs ut qui gloriam ejus in terris veneramur, ejus aspectibus in cœlis perfrui possimus. Per eumdem Dominum.

Ad Magnific. *ant.* Ecce Candelabrum * aureum totum, et lampas ejus super caput ejus, et septem lucernæ ejus super illud.

IX.

VITA GLORIOSA

B. MARIÆ V.

Quæ post Assumptionem tempus complectitur.

RESPONSORIA

dicenda post Lectiones tàm in officio Dominicæ, quàm in feriali post Assumptionem.

In 1. *Nocturno, et in Feriâ II. et IV.*

℣. 1. Signum magnum apparuit in cœlo: * Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. Allel., allel.

℣. Hoc erit signum fœderis, quod constituì inter me, et omnem carnem super terram.—Mulier.

℣. 2. Arcum meum ponam in nubibus, * Et erit signum fœderis inter me, et inter terram, allel. allel. ℣. Videbo illum, et recordabor fœderis mei sempiterni.—Et.

℣. 3. Apertum est templum Dei in cœlo * Et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, allel. allel. ℣. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.—Et visa.—Gloria.—Et visa.

In II. Noct. et in fer. III. et VI.

℣. 4. Recordare nostri, Domina, in conspectu Dei, * ut facias nobiscum misericordiam, et liberes nos de morte, allel., allel. ℣. Invoca Dominum, et loquere regi pro nobis.—Ut.

℣. 5. Corona aurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis, allel. allel. ℣. Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso.—Expressa.

℣. 6. Magna est gloria ejus in salutare suo: * Gloriam et magnum decorem, imponent super eam, allel. allel. ℣. O Israel, quàm magna est Domus Dei, et ingens locus possessionis ejus!—Gloriam.—Gloria.—Gloriam.

In III. Noct. et in Feriâ VI. et Sabb.

℣. 7. Sustulit me Angelus in Spiritu in montem magnum et altum, * Et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei, allel., allel. ℣. Et locutus est mecum, dicens: Veni et ostendam tibi sponsam uxorem Agni.—Et ostendit.

℣. 8. Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam Deo: * Quia venerunt nuptiæ Agni, et

uxor ejus præparavit se, allel. allel: ℣. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido.—Quia vener.

℟. 8. *omittitur in Dominicis.*

℟. 9. Ambulabunt gentes in lumine ejus, * Et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam, allel., allel. ℣. Claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus.—Et reges.—Gloria.—Et reges.

LECTIONES
DE SCRIPTURA.
Dicendæ in feriali officio et in primo nocturno Festivitatum quæ proprias non habuerint.

IN FERIIS II.
De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. *c.* 24. 1.

Sapientia laudabit animam suam, et in Deo honorabitur, et in medio populi sui gloriabitur, et in ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur: et in medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sanctâ admirabitur. Tu. ℟. Signum. magn. *p.* 291.

LECTIO 2.

Et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur, dicens: Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam: ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram. Tu. ℟. Arcum meum.

LECTIO 3.

Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columnâ nubis. Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi, et in omni terrâ steti: et in omni populo; et in omni gente primatum habui. Tu. ℟. Apertum est.

IN FERIIS III.
De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. *c.* 24. 11.

Et omnium excellentium, et humilium virtute calcavi: et in his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Tu. ℟. Recordare. *p.* 291.

LECTIO 2.

Et dixit mihi: in Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. Ab initio et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi. Tu. ℟. Corona aurea.

LECTIO 3.

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. Tu. ℟. Magna est.

IN FERIIS IV.
De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. *c.* 24. 17.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion; quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho: quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Tu.

℟. Sustinuit me. *p.* 291.

LECTIO 2.

Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris: et quasi storax et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mixtum odor meus. Tu. ℟. Gaudeamus.

LECTIO 3.

Ego quasi therebintus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei Tu. ℟. Ambulabunt. *p.* 292.

IN FERIIS V.
De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. *c.* 24. 25.

In me gratia omnis viæ et veritatis: in me omnis spes vitæ et virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Tu. ℟. Signum magnum. *p.* 291.

LECTIO 2.

Memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient; qui bibunt me adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Hæc omnia liber vitæ, et testamentum Altissimi, et agnitio veritatis. Tu. ℟. Arcum.

LECTIO 3.

Legem mandavit Moyses in præceptis justificationum, et hæreditatem domui Jacob, et Israel repromissiones. Qui implet quasi Phison sapientiam, et sicut Tigris in diebus novorum. Qui adimplet quasi Euphrates sensum; qui multiplicat, quasi Jordanis in tempore messis. Qui mittit disciplinam, sicut lucem, et assistens quasi Géhon in die vindemiæ. Tu. ℟. Apertum.

IN FERIIS VI.
De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. *c.* 24. 38.

Qui perficit primus scire ipsam, et infirmior non investigabit eam: à mari enim abundabit cogitatio ejus, et consilium illius ab abysso magnâ. Ego sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio, ego quasi fluvii Diorix, et sicut aquæductus exivi de paradiso. Tu. ℟. Recordare. *p.* 291.

LECTIO 2.

Dixi: rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi tranes abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare: quoniàm doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum. Tu. ℟. Corona aurea.

LECTIO 3.

Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, et relinquam illam quærentibus sapientiam, et non desinam in progenies illorum usque in ævum sanctum. Videte, quoniàm non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem. Tu. ℟. Magna.

IN SABBATIS.
De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. *c.* 39. 17.

In voce dicit: obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Quasi Libanus odorem suavitatis habete. Florete flores, quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Tu. ℟. Sustulit me. *p.* 291.

LECTIO 2. *c.* 51. 31.

Appropiate me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ. Quid adhuc retardatis? Et quid dicitis in his? Animæ vestræ sitiunt vehementèr. Aperui os meum, et locuta sum: comparate vobis sine argento, et collum vestrum subjicite

jugo, et suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim invenire eam. Tu. ℣. Gaudeamus.

LECTIO 3.

Videte oculis vestris, quia modicùm laboravi, et inveni mihi multam requiem. Assumite disciplinam in multo numero argenti, et copiosum aurum possidete in eâ. Lætetur anima vestra in misericordiâ ejus, et non confundemini in laude ipsius. Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo. Tu. ℣. Ambulabunt. *p.* 292.

In singulis Antiph. Versib. et Respons. Vitæ gloriosæ additur Alleluia, *ut in tempore Paschali.*

DOMINICÆ
TEMPORIS VITÆ
GLORIOSÆ B. M. V.

DOMINICA I.

Quæ incidit ipso die Assumptionis vel post Assumptionem B. M. V. Semiduplex.

Quandò hæc Dominica occurrit in solemnitate Assumptionis, omittitur nec fit de ipsâ commemor.

Quandò fit de Dom. omnia dicuntur ut in diebus infra octav. Assumpt.

IN I. NOCT.

De libro Apocalypsis B. Joannis Apostoli.

LECTIO 1. *c.* 4. 1.

Post hæc vidi: et ecce ostium apertum in cœlo: et vox prima, quam audivi, tanquàm tubæ loquentis mecum dicens: ascende hùc, et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. Et statim fui in spiritu: et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens. Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis, et sardinis: et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ. Tu. ℣. *Ut in die assumpt.*

LECTIO 2.

Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor: et super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ. Et de throno procedebant fulgura, et voces et tonitrua: et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Et in conspectu sedis tanquàm mare vitreum simile cristallo: et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retrò. Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti. Tu. ℣.

IN II. NOCT.

Sermo B. Alberti Magni Ep. *De laudibus B. V. M. libr.* 10. *c.* 7.

LECTIO 4.

Secundum Isidorum sedes in singulari numero propriè vel regis, vel regni est, quæ græcè thronus dicitur. MARIA verò sedes est regis magni, ideò de ipsâ dicitur: Dominus in cœlo, id est, in beatâ Virgine, paravit ministerio Spiritûs Sancti sedem suam; quia in eâ quasi humilitate residit tempore Incarnationis. Undè dicit Patri: tu cognovisti, id est, approbasti sessionem meam. De hâc sede potest exprimi illud, quod dicit Joannes in Apocalypsi: Fui in spiritu, et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens, et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis, et sardinis, et iris erat in circuitu sedis. Tu.

LECTIO 5.

Benè dicit: Fui in spiritu, id est, in

mente, vel quia qui videre vult, hoc est intelligere magnalia MARIÆ, de carnali necesse habet priùs fieri spiritualis. Vel ut resurgat priùs à culpâ, qui vult instrui de dignitate MARIÆ. Et ecce sedes; allegoricè Angeli, et prælati, in quibus sedet et principaliter regnat Dominus, et alios regit et judicat: posita erat in cœlo, hoc est, in Ecclesiâ providentiâ Dei ordinati. Undè Joannis dicit eis Dominus: posui vos, ut eatis. Vel MARIA, in quâ resedit Majestas Deitatis, posita erat in cœlo in assumptione, ministerio Angelorum in corpore et animâ, ut piè creditur. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Sedes ergò MARIA: sedens Filius Dei ex eâ carnem assumens. Ejus enim sessio est incarnatio: undè et dicit Patri: tu cognovisti, id est, approbasti sessionem meam, id est, incarnationem meam in Virgine. Ubi autem esset hæc sedes posita dicitur Ezechieli: Vidi, et ecce super firmamentum, quod erat imminens capiti animalium, quasi similitudo throni, id est, beata Virgo, quæ est thronus, id est, sedes regia. Sequitur: et supra sedem sedens: Christus, scilicet, suâ virtute cam continens, et majestate præcellens. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 28. *v.* 18.

In illo tempore: Accedens JESUS locutus est discipulis suis, dicens: Data est mihi omni potestas in cœlo et in terrâ. Et reliqua.

Homilia S. Petri Damiani Ep. *In Natiw. B. V. M. Serm.* 1.

Fecit in te magna, qui potens est, et data est tibi omnis potestas in cœlo, et in terrâ Quid tibi negabitur, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus revocare? Infelicem animulam totum illud, quod in te factum est proprio carectere denegantem, de luto fecis, et miseriæ sublevasti. Nihil tibi impossibile cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. Quomodò enim illa potestas tuæ potentiæ poterit obviare, quæ de carne tuâ carnis suscepit originem? Tu. ℣.

LECTIO 8.

Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solùm rogans, sed imperans: Domina, non ancilla. Moveat te natura, potentia moveat, quia quantò potentior tantò misericordior esse debebis. Potestati enim cedit ad gloriam, injurias ulcisci nolle cum possit. Scio, Domina, quia benignissima es, et amas nos amore invincibili, quia in te et per te Filius tuus et Deus tuus summâ dilectione dilexit. Quis scit, quotiès refrigeras iram judicis, cum justitiæ virtus à presentiâ Deitatis egreditur? Tu. ℣.

LECTIO 9.

In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini: et sola electa es, cui gratia tanta conceditur. Absit ut cesset manus tua, cum ocassionem quæras salvandi miseros, et misericordiam effundendi. Neque enim tua gloria minuitur, sed augetur, cum pœnitentes ad veniam, justificati ad gloriam assumuntur. Tu. Te Matrem.

Ad Benedic. *ant.* In ditione tuâ cuncta sunt posita, et nihil potest tuæ resistere voluntati, allel. allel.

Oremus. *Oratio.*

Lætetur Ecclesia tua, Omnipotens Deus, beatissimæ Genitricis tuæ confisa adjutorio, atque ejus precibus gloriosis, et devota per-

maneat, et secura consistat. Qui vivis et regnas.

XIII.

Gloria Deiparæ in cœlo.

CANON.

Ex Alexandro Papâ Secundo.

Ep. 32. *ad Soldam. Icon.*

377. Concepit «Virgo» sine pudore, peperit sine dolore, et hinc migravit sine corruptione juxta verbum Angeli imò Dei per Angelum, ut plena, non semiplena gratiâ esse probaretur, et Deus Filius ejus antiquum quod pridèm docuit mandatum fidelitèr adimpleret, videlicet Patrem et Matrem honore prævenire; et ne caro Christi virginea, quæ de carne Matris Virginis assumpta fuerat, à totâ discreparet. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Ecce sedes posita erat in cœlo, et super sedem sedens, alleluia, allel.

CANONES.

Infra hebdomad. prim. Vitæ gloriosæ.

FERIA II.

Ex S. Athanasio Archiep. Alexandrino.

In Smæ. Dei. Annunt.

378. Nunc adest à dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta, variegata, eo quod secundum sexum femineum Regina, et Domina, et Mater Dei appellari debeat. Tu.

FERIA III.

Ex S. Hieronymo Presbytero.

Ad Paul. et Eustoch. c. 16.

379. Beata Dei Genitrix, quæ adhuc tantis in terrâ prædicatur laudibus, non immeritò creditur exaltata et glorificata, necnon et clarificata, quantùm novit ille, qui eam elegit in suâ sapientiâ, quâ dispossuit omnia. Tu.

FERIA IV.

Ex Bonifacio Papâ Nono.

Const. Superni benign. *an.* 1389.

380. Laudes tantæ Virginis humana lingua non sufficit exprimere, nec etiàm Sancti et justi eam in cujus ille, quem cœli capere non poterant, se contulit aulâ virginali, dignis laudum præconiis efferre poterunt... Tu.

FERIA V.

Ex Bonifacio Papâ Nono.

Const. ut supra.

381 «Si» Dominum in Sanctis suis laudare jubemur quantò magis in veneratione Beatæ MARIÆ Virginis Matris ipsius exultantibus animis collaudare... quæ etiàm exaltata super sidera stellato consedit sui solio Genitoris...? Tu.

FERIA VI.

Ex Paulo Papâ Quinto.

Const. immensæ bonitat. *an.* 1615.

382. Dignum debitum reputamus, ut sicuti Redempor noster et Deus ipsum sacratissimam Virginem sublimavit in cœlis, ita eam nos quantùm possumus honoremus in terris. Tu.

SABBATO

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabil. *an.* 1854.

383. Non luculenta minùs quàm concors Patrum sententia, gloriosissimam Virginem, cui fecit magna qui potens est, eâ cœlestium donorum vi, eâ gratiæ plenitudine, eâque innocentiâ emicuisse, quâ veluti ineffabile Dei miraculum, immò omnium miraculorum apex, ac digna Mater Dei extiterit, et ad Deum ipsum pro ratione creatæ naturæ quàm proximè accedens, omnibus quâ humanis, quâ angelicis præconiis celsior evaserit. Tu.

DOMIN. II. VITÆ GLOR.

Semiduplex.

Si hæc Dom. furit ultima in vitâ gloriosâ, omittitur, et ejus loco ponitur Dom. III. quæ sequitur. Officium per ann.

IN I. NOCT.

De libro Apocalypsis B. Joannis Apostoli.

LECTIO 1. *c.* 11. 14.

Væ secundum abiit; et ecce væ tertium veniet citò. Et septimus angelus tubâ cecinit: et factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes: factum est regnum hujus mundi, Domini nostri, et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum. Amen. Tu. ℣. Signum. *p.* 291.

LECTIO 2.

Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes: Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti. Tu. ℣. Arcum.

LECTIO 3.

Et iratæ sunt gentes, et advenit ira tua, et tempus mortuorum judicari, et reddere mercedem servis tuis Prophetis et Sanctis, et timentibus nomen tuum, pusillis et magnis, et exterminandi eos, qui corruperunt terram. Et apertum est templum Dei in cœlo: et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, et facta sunt fulgura, et voces, et terræ motus, et grando magna. Tu. ℣. Apertum est.

IN II. NOCT.

Sermo S. Hildephonsi Arch. Toletani. *Serm.* 1. *de Assumpt. in fine.*

LECTIO 4.

Templum autem Dei est Ecclesia, sicut Joannes testatur in suâ Apocalypsi. Et apertum est, inquit, templum Dei in cœlo, et arca testamenti ejus visa est. Quæ profectò arca, non ille Moysi fabricata, sed beata Virgo MARIA est, quæ hinc jam transposita erat, quam beatus Joannes Evangelista, testis veritatis, cui commissa est, fortè recognoscens venerabiliter affatur, quia in cœlo visa est: mostratur species in genere, sicuti et genus per speciem declaratur, quoniàm beata MARIA in templo Dei visa est, scilicet in Ecclesiâ. Tu. ℣. Recordare.

LECTIO 5.

Ecclesia verò in ejus virginitatis fructu penitùs Domino dedicatur, ac per hoc arca testamenti Dei, ipsa videlicet Dei Genitrix in templo ejus non immeritò visa est, quia Ecclesia et ipsa virgo est. Undè Apostolus: Despondi enim vos uni viro, inquit, virginem castam exhibere Christo. Et ideò, dilectissimi, illuc mentem dirigile, ubi sponsus vester pro nobis introit, et beata Virgo visa est: quoniàm ibi ejus festivitas recta colitur, ubi Christus est Sponsus, et ætemæ vitæ gaudia celebrantur. Tu. ℣. Corona.

LECTIO 6.

Undè, quæso, egredimini fide, moribus, mente, atque omni desiderio ætemæ visionis actibus, et pollutum nolite tangere. Ascendite rursùm per contemplationem, et per conversionem bonæ vitæ, donec aperium est templum Dei in cœlo, quatenus ingredi possitis, omnia ubi vobis repromissa bona servantur, et Virgo sancta cœlesti jam immortalitate vestitur. In cœlestibus namque sint corda vestra creata, ubi est et thesaurus vester. Tu. ℣. Magna.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 16. 13.

In illo tempore: Venit JESUS in partes Cæsarææ Philippi, et inter-

rogabat Discipulos suos. Et reliqua.

Homilia S. Basilii Seleuciæ Ep.

Orat. 39. *de Beatâ Virgine.*

Videtis, quantum per Virginem peractum sit mysterium, quod omnem linguam cogitationemque superaudit. Quis ingentem Deiparæ potentiam non miretur? Quis non miretur quantoperè supereminеat quotquot honoramus sanctos. Nam si Deus servis tantum impertitus est gratiæ, ut non factu solum ægros persanarent, sed et umbræ projectu idem præstarent.... qualem Matri virtutem inesse cogitabimus? an non majorem multò, quàm ei subjectis? Cuivis notum. Tu. ℣. Sustulit me.

LECTIO 8.

Ecquid mirum si viventes virtute miraculorum pollebant sancti, quandò eorum potestatem, non unà cum ipsis demortuis humus consepelivit? Lapides enim, qui horum occultant corpora, iis qui malè anguntur, si modò pro dignitate accesserunt, salutem dare possunt. Quod si his tam rara perpretasse concessum sit, quale nutricationis pretium Matri dederit? Tu. ℟. Ambulabunt.

LECTIO 9.

Si Petrus beatus appellatus est, clavesque regni cœlorum concreditas habuit: cur non præ omnibus una beata prædicatur, cui eum datum est eniti, quem ille confessus est? Si Paulus vas electionis cognominatus est, quòd augustum Christi nomen extulerit, quòd ubique terrarum id evulgaverit, quale vas erit Dei Mater? Non aureæ instar arcæ, quæ manna cepit, sed cœlestem panem alvo conpræhendit, panem alimenti, roborisque causâ credentibus datum. Tu.

Te Matrem.

Ad Bened. *ant.* Beatus Petrus, qui confessus est Christum, sed beatior Virgo, quæ ipsum peperit, allel. allel.

Oremus. *Oratio.*

Beatæ et gloriosæ semper Virginis MARIÆ intercessio gloriosa nos protegat, et ad vitam perducat æternam. Per Dominum.

XIV.

Deiparæ Intercessio apud Deum.

CANON.

Ex S. Hormisdâ Papâ.

Concil. T. X. p. 395.

384. Intercessionibus Dominæ nostræ Sanctæ et gloriosæ Virginis, et Dei Genitricis MARIÆ omnia ad indivisam unitatem conveniant, et fundamentum inconcussum catholicæ fidei confirmetur. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Et apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, allel. allel.

CANONES.

Infra Hebdom. 2. *Vitæ glor.*

FERIA II.

Ex Julio Papâ Secundo.

Const. Dum præcels. *an.* 1508.

385. Virgo Dei Genitrix MARIA sedibus prælata Sydereis, quasi stella matutina prærutilans... utpote Mater gratiæ et misericordiæ et humani generis consolatrix pro salute Fidelium, qui delictorum onere pergravantur, apud eum, quem genuit, assiduè intercedit. Tu.

FERIA III.

Ex Paulo Papâ Quinto.

Const. Immensæ bon. *an.* 1615.

386. Præcelsis meritorum insignibus «ipsa Virgo Dei Genitrix gloriosa sedibus prælata sydereis, quasi stella matutina refulget»..... et uti Mater Misericordiæ pro Christiano populo sedula exoratrix et pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit. Tu.

FERIA IV.

Ex D. Augustino Episcopo.

Ap. D. Bonæ. Spec. Lect. 6.

387. Te solam, ô MARIA, pro sanctâ Ecclesiâ sollicitam præ omnibus sanctis scimus, quæ impetras inducias transgresoribus, ut renuntient suis erroribus... Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus Sanctis libertatis impendere suffragium. Tu.

FERIA V.

Ex D. Bernardo Abbate.

Ap. D. Bon. Spec. Lect. 11.

388. Securum jam habet homo accessum ad Deum, ubi mediatorem causæ suæ Filium habet ante Patrem, et ante Filium Matrem. Filius nudato corpore Patri ostendit latus et vulnera, MARIA Filio pectus et ubera. Tu.

FERIA VI.

Ex D. Bonaventurâ Ep.

Spec. B. V. Lect. 11.

389. Beatissima Virgo MARIA inter hominem et Deum, inter hominem injustum et Deum justum est optima Mediatrix, optima iræ Dei Refrigeratrix. Tu.

SABBATO.

Ex D. Bonaventurâ Ep.

Spcul. B. V. Lect. 7.

390. MARIA non solùm in plenitudine Sanctorum detinetur, sed etiàm in plenitudine Sanctos detinet, ne eorum plenitudo minuatur: detinet nimirùm virtutes, ne fugiant: detinet merita, ne pereant: detinet dæmones, ne noceant: detinet Filium, ne peccatores percutiat. Tu.

DOM. III. VITÆ. GLOR.

Semiduplex.

Omnia ut in psalterio per annum.

IN I. NOCT.

De libro Apocalypsis B. Joannis Ap.

LECTIO 1. *c.* 12. 1.

Signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus, et in capite ejus corona stellarum duodecim: et in utero habens clamabat parturiens, et cruciabatur, ut pariat. Et visum est aliud signum in cœlo: et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, et cornua decem, et in capitibus ejus diademata septem. ℣. Signum magn. *p.* 291.

LECTIO 2.

Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram: et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura: ut cum peperiset, Filium ejus devorasset. Et peperit Filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virgâ ferreâ: et raptus est Filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus. Tu. ℟. Arcum.

LECTIO 3.

Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum parutum à Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. Et factum est prælium magnum in cœlo. Michael et Angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli ejus: et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. Tu. ℟. Apertum.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

In signum magnum.

LECTIO 4.

MARIA est, quæ velut alterum solem induit sibi. Quemadmodùm enim ille super bonos et malos indifferentèr oritur, sic ipsa quoquè prætérita non discutit merita; sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium deniquè necessitatates am-

plissimo quodam miseratur affectu. Nam et defectus omnis sub eâ et quidquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissimâ quâdam sublimitate præ cæteris omnibus excedit, et supergreditur creaturis, ut meritò sub pedibus ejus, luna esse dicatur. Alioquin nihil magnum esse videbitur, ut sit luna ista sub pedibus ejus, quam super omnes angelorum choros, super Cherubim quoque ac Seraphim exaltatam netas est dubitare. Tu. ℣. Recordare.

LECTIO 5.

Jure ergò MARIA sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinæ sapientiæ, ultrà quàm credi valeat, penetravit abyssum: ut quantùm sine personali unione creaturæ patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirùm igne prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longè verò aliter MARIA meruit non velut summatim tangi, sed operiri magis undiquè, et circumfundi, et tanquàm ipso igne concludi. Tu. ℣. Corona.

LECTIO 6.

In capite, inquit, ejus corona stellarum duodecim. Dignum planè stellis coronari caput, quod et ipsis longè clarius micans, ornet eas, potius quàm ornetur ab eis. Quidni coronent sidera, quam sol vestit? Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Nimirùm læva Sponsi sub capite ejus, et jam dextera illius amplexatur eam. Quis illas æstimet gemmas? Quis stellas nominet, quibus MARIÆ regium diadema compactum est? Supra hominem est coronæ hujus rationem exponere, indicare compositionem. Tu. ℣. Magna.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 12. 26.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardini Senensis.

Serm. de B. V. M. act. 3. *c.* 1.

Quòd beata Virgo, làm corpore, quàm animâ gloriosâ regnet in cœlis, ostenditur propter conformitatem, scilicet matris et prolis. Mater enim filio suo perfectè conformis fuit, et ejus præcipua imitatrix, non tantùm gressibus pedum, sed etiàm pro reverentiâ ipsum Dominum secuta est affectu pietatis, fidei, religionis, et amore ardentissimæ charitatis, ut nunquàm ab ejus fide, atque dilectione avelli potuerit, quem de Spiritu Sancto, Angelo nuntiante, concepisse se novit. Nam ipsum concepit, ipsum peperit, lactavit, bajulavit, à facie Herodis abscondit: ergò esse non debuit, nisi ubi est Christus. Tu. ℣. Sustulit.

LECTIO 8.

Et non tantùm quòmodò alii Sancti sunt. Sed quâdam speciali prærogativâ. Quoniàm sicut in Matthæo scriptum est: ipse reddet unuicuique juxta opera sua: Si igitur omnium Sanctorum mors pretiosa, mors MARIÆ est pretiosissima, quam tanta comitata est gratia. Si igitur in vitâ MARIÆ præ omnibus donata est gratia, in morte profectò minuenda non est, sed ubi Christus Filius regnat, mente et corpore collocata est. Tu. ℣. Ambulabunt.

LECTIO 9.

Rursùs si MARIA Christo conformissima fuit, tanquàm Mater in puritate, et nobilitate, seu in regiâ diademate; profectò non debet Mater à Filio, Regina à Rege, non tantùm mentaliter, sed nec corporaliter separari. Ergò MARIA, Mater Christi, Regina cœli unà cum Filio debuit glorificata in animâ et corpore in cœlestibus collocari. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Ubi sum ego, illic sit et Mater mea, allel. allel.

Oremus. *Oratio.*

Dirige gressus nostros in beneplacito tuo, ut, intercedente beatâ Virgine MARIA, ad cœlestem patriam perveniamus. Per eumdem.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabilis. *an.* 1854.

391. Cœli terræque Regina à Domino constituta ac super omnes Angelorum choros, Sanctorumque ordines exaltata, adstans à dextris Unigeniti Filii sui Domini nostri JESU-Christi maternis suis precibus validissimè impetrat, et quod quærit, invenit, ac frustari non potest. Tu.

Ad Magnific. *ant.* Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona duodecim stellarum, allel. allel.

CANONES

post Dom. 3. *Vitæ glor.*

FERIA II.

Ex D. Bonaventurâ Ep.

Spec. B. V. Lect. 10.

392. Magna erga miseros fuit misericordia MARIÆ adhuc exsultantis in mundo; sed multò major erga miseros est misericordia ejus jam regnantis in cœlo. Majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, qui magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam.

FERIA III.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino.

Conc. 3. *Nativ. B. V. n.* 8.

393. MARIA facta est idonea Advocata; idonea quia purissima; idonea quia acceptissima; idonea quia piissima. Hæc enim omnia ad advocatam requiruntur. Tu.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PROPRIUM FESTIVITATUM

B. MARIÆ V.

FESTA SEPTEMBRIS.

ANTIPHONÆ MAJORES

dicendæ integræ ante et post cant. Magnificat. *sicut in Dupl. in quolibet officio tempor. Expectat.*

Die 31. *Aug. ant.* O Aurora valdè rutilans manè absque nubibus! Quandò apparebis consurgens pulchra ut luna, electa ut sol? O Virgo formosissima! Veni jam, noli tardare, et ostende lumen tuum sedentibus in tenebris et in umbrâ mortis.

Die 1. *Sept. ant.* O Radius divinæ claritatis, candor lucis æternæ, splendidior sole lumineque pulchrior, Virgo MARIA! Noli tardare, citò veni, et illumina mentes nostras, ut oriatur in tenebris lux tua.

2. *Sept. ant.* O MARIA, mons excelsus Domini, præparatus in vertice montium, et sublimis super omnes colles! O mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, ad quem fluent omnes gentes, et ibunt multi populi! O mons de quo abscindetur lapis sine manibus! O Virgo sacra, veni jam et ostende te nobis.

3. *Sept. ant.* O ignis effulgens et inextinguibilis! Ignis inflammans et illuminans! Ignis divinæ charitatis, qui in utero lates beatissimæ Annæ! Veni, appare nobis et tuo felicissimo aspectu mentes nostræ illuminentur, et corda nostra in amore Dei accendantur.

4. *Sept. ant.* O Lux splendidissima, figurata per illam primariam lucem, de quâ creditur factum corpus solis, ex te enim formabitur sol justitiæ! Lux pulcherrima et serenissima, veni et accelera ortum tuum: ostende te nobis, tuâque solari facie tenebras, quibus involvimur, expelle, nostramque sepulchralem noctem in perpetuum dissipa.

5. *Sept. ant.* O Luna tota pulchra et sine maculâ, semper gratiâ et gloriâ plena! Luna perfecta in æternum! Luna splendidissima et candidissima! Veni, ne tardes, atque noctis tenebras discutiens, universum mundum tuo jubare illustra.

6. *Sept. ant.* O Stella Jacob fulgida, Stella nuntia lucis, Stella splendida et matutina! Veni, noli tardare: appare nobis, et per salutis viam deduc nos prævia ad diem supremum.

DIE 1. SEPTEM.

EXPECTATIO NATIVIT. B. M. V.

Duplex majus.

Si hoc festum venerit in Dominicâ transfertur in diem sequent.

IN I. VESPERIS.

Ant. 1. Ecce tenebræ * operiunt terram, et caligo populos. *Psalmi de Feriâ occurrenti.*

2. Emarcuit cor meum, * tenebræ stupuerunt me.

3. Orietur * stella ex Jacob, et consurget virga de Israel.

4. Sicut aurora * consurgens illuminabit mundum: jam propè est, ut veniat.

5. Vade * et pone speculatorem, et quodcumque viderit, annuntiet.

CAPITULUM. *Isai.* 21. 11. Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? Dixit custos: venit mane et nox: si quæritis, quærite: convertimini et venite. ℟. Deo gratias.

HYMNUS 71. *Salla.*

Quæ gemis, primi soboles Parentis,
Orcino jamdiù chelidro subacta,
Diutinis demùm moderata, quæso,
Parce querelis.

En repromissi tibi plenitudo,
Quo trucî illius ditioni adempta
Sub Dei mîti spatiere sceptro,
Temporis instat.

Nil triumphato stygio draconi,
Quin dato ipsius capiti terendo,
Namque conceptu gravis urget Annæ
Partus ovalis.

Quo latet fœtu memorata quondàm
Ire contritum mulier superbum
Calce serpentem caput illi ineptè
Insidiantem.

Hæc Ave sumens, Gabriele misso
Cœlitùs, sartum dabit, atque fectum
Quidquid, audîlo Satanæ susurro,
Perdidit Eva.

Quod per erratum muliebre vicit
Hostis, exemptum muliebre fiet
Sic per oppugnans meritum, per artem
Arte repulsâ.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

℣. Ecce tenebræ operiunt terram.

℟. Et caligo populos.

Ad Magnif. *ant.* O. *p.* 302. *Oratio de Laudibus.*

Completorium ut in feriali officio.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Reginam cœlorum expectantes: * Venite, adoremus Dominum. *Psalm. Invitat. p.* 1.

HYMNUS 72. *Coffin.*

Mortale cœlo tolle genus caput,
En noctis horror desîl; en jubar
Nascentis auroræ propinquum
Admonuit properare solem.

Sacro tumentes germine jam polus
Terras amicis imbribus irrigat:
De stirpe Jesse virga surgit
Conspicuum parîtura florem.

Cœlestis illum gratia Spiritûs
Inunget: illi justitia et fides,
Timorque castus, veritasque
Et pietas comitêr præibunt.

Hunc ergò, quem tot sæcula fidelibus
Votis anhelant, quem misero Deus
Promisit orbi, spem salutis,
Accelera, pia Virgo, fructum.

Sit Trinitati perpetuum decus,
Inflicta mundo quæ miserans mala,
In Matre pignus nasciturî
Non dubium dat habere Christi.
Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Quis det, * ut veniat petitio mea, et quod expecto tribuat mihi Deus? *Psalmi* de Feriâ.

2. Quale gaudium * mihi erit qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video!

3. Expectabant me * sicut pluviam, et os suum aperiebant, quasi ad imbrem serotinum.

℣. Visita nos, stella matutina.

℟. Oriens ex alto, Virgo MARIA.

Pater. *Absol.* Exaudi Dom. *Bened.* Benedictione.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 14. 1.

Propè est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israel, et requiescere eos faciet super humum suam: adjungetur advena ad eos, et adhærebit domui Jacob. Et tenebunt eos populi, et adducent eos in locum suum: et possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos et ancillas: et erunt capientes eos, qui se ceperant, et subjicient exactores suos. Tu autem, Domina nostra, intercede pro nobis. *Sic semper concludantur Lectiones: et respondetur.* ℟. Deo gratias.

℟. Terra erit inanis et vacua, et tenebræ erunt super faciem abyssi, ' Donec oriatur stella ex Jacob, et consurgat virga de Israel. ℣. Ecce tenebræ operient terram, et caligo populos.—Donec.

Benedictio. Primogenita.

LECTIO 2.

Et erit in die illâ: cum requiem dederit tibi Deus à labore tuo, et à concussione tuâ, et à servitute durâ, quâ ante servisti: sumes parabolam istam contra regem Babylonis, et dices: quomodò cessavit exactor, quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione, plagâ insanabili subjicientem in furore gentes, persequentem crudelitèr. Tu.

℟. Surge, illuminare, Jerusalem, quia propè est lumen tuum: ' Et orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. ℣. Jam enim ascendit aurora.—Et orietur.

Benedictio. Spiritûs Sancti.

LECTIO 3.

Conquievit, et siluit omnis terra, gavisa est, et exultavit: abietes quoquè lætatæ sunt super te, et cedri Libani: ex quo dormisti, non ascendet, qui succidat nos. Infernus subtèr conturbatus est in occursum adventûs tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de solîis suis, omnes principes nationum. Tu.

℟. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte ' Et per omnes rivos Juda ibunt aquæ. ℣. In illâ die fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum.—Et per.—Gloria.—Et per.

IN II. NOCT.

1. Infernus subtèr ' conturbatus est in occursum adventûs tui.

2. Ego autem ' ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo, et dabo tibi arcana secretorum.

3. Propè est, ' non elongabitur, et salus mea non morabitur.

℣. Consolabitur Dominus populum suum.

℟. Et pauperum suorum miserebitur.

Pater nost. *Absolutio.* Ipsius pietas. *Benedict.* Dei Mater.

Sermo S. Isidori Arch. Thessalonicensis.

Oratio in Nativ. B. V. M.

Apud Hipp. Marracc.

LECTIO 4.

Terra, inquit Moyses, in principio nec videri poterat, nec erat ordine composita, et tenebræ super abissum erant, donec lucis creatio tenebras dissipavit. Ego verò etiàm post natos homines, et multorum vitam annorum, aliud genus tenebrarum effusum universo dixerim donec tu, purissima beata Virgo, lucidâ tuâ Nativitate effulsisti terræ; cujus splendor deorsum quidem emicuit, sed creaturam superiorem et inferiorem luce suâ implevit. Tenebras porrò, et sepulcrales, ut ita dicam, vivendi rationem fugavit apparens Virgo. Ipsa igitur nobilioribus etiàm creaturis, et lucidis lucem infudit, ut qui attendunt quid illæ sint, perspiciant, nec amplius in erroris noctem labantur. Tu.

℟. Ad MARIAM, ' Sicut ad medium terræ, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium omnium sæculorum, omnes respiciunt. ℣. Oculi omnium in te sperant, Domina, veni jam, noli tardare.—Sicut ad.

Benedictio. Filia Dei.

LECTIO 5.

Si quis attentè consideret, nullâ re creatâ indigebat, beata ut ipsa fieret: immò creatura omnis indigebat eâ, ut crearetur, et ornatu perficeretur, reductio enim creaturarum in meliorem statum procul dubio causam habuit ipsam Virginem; quæ si futura non fuisset, non cogitasset Opifex de producendis planè creaturis. Itaque priùs creatæ res propter ipsam conditæ sunt, eramque res productæ mirum in modum indigentes ad sui productionem eâ quæ producenda erat, et sola novum in modum suos antepeperit parentes. Adeò Virgo eorum qui ante vixerunt, nullius indiga fuit, et simile nihil illi est simile cum omnibus rebus Tu.

℟. Omnia te expectant, Domina, ' Expectatio desiderata generis humani. Quandò venies et liberabis populum tuum? ℣. In manibus tuis repossita est nostra salus.—Expectatio.

Benedictio Ignem divini.

LECTIO 6.

Anna verò veneranda Parens Natâ suâ indigebat ut generans regeneraretur, et dum gereret uterum, ipsa novum in modum generabatur. Neque solum ipsa, quæ genitrix fuit, sed proavi quoquè eâdem opus habebant, veluti matre quâ formarentur ad formam, et non caducam creationem, cum pulvis esset, et vi ventorum egeretur. Nec solus Adam, sed ingens ex eo natorum numerus usque ad sacratissimam hanc puellam, quasi suas quisque matres rejecissel, ut imperfectas, et enixè hanc communem matrem omnium perfectricem, et lucis dalricem requirebant. Quarè ventre materno continebantur, et formabantur: tumque reverâ luce editi sunt, quandò nata ipsa Salvatorem quoquè meum novo ex se protulit modo. Tu.

℟. Beati omnes qui expectant eam quia non confundentur: ' Veniens veniet, et non tardabit: veniet, et salvabit nos. ℣. In illâ die stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte.—Veniens.—Gloria.—Veniens.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Si moram fecerit, ' expecta illam; quia veniens veniet et non tardabit.

2. Veniens veniet ' et non tardabit: propè enim est, ut veniat.

3. Veniet properans ' et inundans quasi torrens gratiarum omnem terram.

℣. Surge, propera, amica mea.

℟. Columba mea, formosa mea, veni.

Pater noster. *Absolutio.* A vinculis. *Bened.* Evangelica.

Lectio S. Evang. secundum Matt.

LECTIO 7. *c.* 13. 17.

In illo tempore: Dixit JESUS Di-

scipulis suis: Amen quippè dico vobis, quia multi Prophetæ et justi cupierunt videre, quæ vos videtis. Et reliqua.

Homilia S. Jacobi Monachi.

Sermo in Nativ. B. M. V.

Desiderabant videre diem tuum prophetæ et justi omnes summoque animo rem porcupiebant. Requirebant eorum finem quæ fuissent promissa, docti fore in Christo eventura, læti eventûs modum præscrutabantur. Exultantes supplicabant, gaudioque commixtâ supplicatione, quod in votis erat quærebant. Exultaverunt videntes diem tuum, in quo revelatum fuit Incarnationis mysterium: in quo qui ex universo te elegit genere, per te universis creatis gaudium contulit, quod nemo auferre possit. Tu.

℟. Lætare Pater Adam, sed magis tu, ò Eva Mater exulta: ' Ambo, inquam, consolamini super filiâ et tali filiâ. ℣. Instat namque tempus, quo jam tollatur opprobium vestrum.—Ambo.

Bened. Cujus Adventum.

LECTIO 8.

Viderunt, inquit, et gavisi sunt. Viderunt tanquàm præsentia Spiritali obtutu, quæ erant futura. Perspexerunt animo ineffabilem Dei ad homines exinanitionem. Viderunt ex te factam Verbi Incarnationem. Docti sunt nova, ac quæ nullus sermo effari queat mysteria: novam generis reformationem, cogitatu majorem reconciliationem. Viderunt te Throuum Cherubicum: regalem thalamum: supercæleste cœlum; templum præsanctum: multis tabernaculum nominibus celebre. Tu.

℟. Custodite judicium et facite justitiam: ' Quia juxta est salus mea, ut veniat, et justitia mea, ut reveletur. ℣. Septem diebus expectabis, donec veniam ad te, et ostendam tibi, quid facias.—Quia.—Gloria.—Quia.—*Hoc* ℟. *dicitur tantùm hâc die: in aliis diebus dicitur quod sequitur.*

℟. Citò veniet gradiens ad aperiendum nobis portas justitiæ. Ingressi in eas confitebimur Domino:' Hæc porta Domini justi intrabunt in eam. ℣. Ecce sto ad ostium et pulso: aperi mihi, soror mea, amica mea.—Hæc.—Gloria.—Hæc.

Bened. Per Virginem.

LECTIO 9.

Viderunt te urnam Spiritûs auro conflatam': urnam immortalitatis illud manna continentem: mensam panem illum vitæ impositum habentem. Viderunt te sinu complexum eum qui in paterno moratur sinu: Verbum, inquam, cùdem cum genitore sublime sede: ejus illud figuram substantiæ: cognatum splendorem: æquè pollentem virtutem: ejusdem substantiæ gloriam, potentiam indivisam. Viderunt carnali ratione in tuis circumscriptum ulnis eum, qui universa palmo circumscribit: qui solo nutu res creat: qui suâ providentiâ creata continet, conservatque ut consistant, cœlestium denique virtutum regem et conditorem. Tu. *Cantic.* Te Matrem Dei. *p.* 3.

AD LAUDES.

Et per horas Antiphonæ.

1. Me insulæ ' expectant, et naves maris in principio: propè est dies meus. *Psalmi de Feriâ.*

2. Meritò in te' respiciunt oculi totius creaturæ, quia per te quæ Deus creaverat, recreavit.

3. Negotium' omnium sæculorum, causa omnium rerum, meritò in te omnes respiciunt.

4. Expectatio assidua' primorum parentum, desiderium patriarcharum, promissio prophetarum.

5. Propè est, ' ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur.

CAPITULUM. *Isai.* 21. 11.

Custos, quid de nocte? Custos quid de nocte? Dixit custos: venit mane et nox: si quæritis, quærite: convertimini et videte.

HYMNUS 73. *Salla.*

Cælo intonante canticis,
Tellus redundet gaudio,
En Anna fœtu cœlico
Gravis propinquat partui.

Adamicæ propagini
Culpæ tenebris obrutæ
Per partum hunce gratiæ
Eos rubere cœperit.

Est nascitura scilicet
Aurora solis nuntia,
Sanctæ æquitatis lumine
Atrum nefas qui exterminet.

Hæc illa erit mirabilis
Partura Virgo Filium
Suâ manentis Virginis
Alvo receptum cœlitùs;

Præsens Deus, qui sontibus
Nobis licet, vocandus est,
Suâque sanctitudine
Nostrum reatum destruet.

JESU per Annæ Filiam
Veniure, sit communitèr
Tibi, Patri, almo Flamini
Interminata gloria. Amen.

℣. Anima mea, desideravit te in nocte.

℟. Et manè vigilabo ad te.

Ad Benedict. *ant.* Egredietur virga ' de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.

Oremus. *Oratio.*

Dignare, Domine, corda nostra benedictionibus gratiæ tuæ prævenire; ut, cujus Nativitatem expectamus, Sanctissimæ Genitrici tuæ dignè placere possimus. Qui vivis et regnas.

AD PRIMAM.

Ant. Me insulæ. *Capit.* Custos. *De laudibus.*

℣. ℟. *br.* Quæ ventura es in mundum. *Et dicitur usque ad Nativ. B. V. Oratio de Laudibus.*

CANON.

Ex D. Bernardino Senen.

Ser. de imm. Conc. a. 1. *c.* 3.

394. MARIA fuit felix clausula totius Expectationis, et desiderii ac postulationis adventûs Filii Dei, in quâ sicut in cono, id est, in angulo omnia desideria præcedentium electorum atque Sanctorum consummata et terminata fuerunt. Tu.

AD TERTIAM.

Ant. Meritò in te.

CAPITULUM. *Isai.* 49. 1.

Audite insulæ, et attendite populi de longè: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.

℟. *br.* Visita nos, ' Stella matutina. Visita.

℣. Oriens ex alto, Virgo MARIA.—Stella.—Gloria.—Visita.

℣. Omnia te expectant, Domina.

℟. Veni jam, noli tardare.

Oratio de Laudibus.

AD SEXTAM.

Ant. Negotium omnium.

CAPITULUM. *Num.* 24. 17.

Orietur Stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.

℟. *br.* Orietur ' In tenebris lux tua.—Orietur. ℣. Et tenebræ tuæ sicut meridies.—In.—Gloria.—Orietur.

℣. Orietur Stella ex Jacob. ℟. Et consurget virga de Israel. *Oratio de Laudibus.*

AD NONAM.

Ant. Propè est.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPITULUM. *Jer.* 1. 5.

Priusquàm te formarem in utero, novi te: et antequàm exires de vulvâ sanctificavi te.

℟. *br.* Dominus faciens, * Et formans te.— Dominus.— Ab utero auxiliator tuus.—Et.—Gloria. Dominus.

℣. De ventre matris meæ Deus meus es tu.

℟. Tu es protector meus.

IN II. VESPERIS.

Ant. 1. Nunquid cognoscentur, * Domine, in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terrâ oblivionis?

2. Expectemus lucem, * ut videamus ortum surgentis auroræ.

3. Si subitò * apparuerit aurora, replebuntur lætitiâ corda nostra.

4. Splendor ejus, * ut lux erit sedentibus in tenebris, et in umbrâ mortis.

5. Veni Domina, * noli tardare; ostende lumen tuum super nos: accelera, ut liberes nos.

CAPITULUM. *Isai* 21. 11.

Custos, quid de nocte? Custos quid de nocte? Dixit custos: venit manè et nox: si quæritis, quærite: convertimini, et videte.

HIMNUS 74. *Salla.*

Prælude cœlum laudibus,
Collude, terra, jubilo:
Propinquat Anna partui
Utrique præstantissimo.

Hic nempè partus proferet
Germen pium redintegrans
Eò ruinas cœlicas
Quo damna protoplastica.

Jessea namque virgula
Prodibit, è quâ pullulet
Desideratus omnium
Votis Redemptor gentium.

Adamicam qui perditam
Parentis ausu reprobo,
Suo redemptam sanguine
Resuscitet propaginem.

Ex quâ, soluta crimine
Pensum superbè debitas
Ab Angelis apostatis
Sedes supernas impleat.

JESU per Annæ Filiam
Venture sit communiter
Tibi, Patri, almo Flamini
Interminata gloria. Amen.

℣. Luce splendidâ fulgebis, Virgo MARIA.

℟. Et omnes fines terræ adorabunt te.

Ad Magnif. *ant.* O. *p.* 302.
Oratio de Laudib.

Si festum Expec. transferatur ratione Dominicæ in aliam diem, non tamen transferuntur antiphonæ O. *ad* Magnificat; *sed earum loco dicuntur illæ quæ cuilibet diei determinatè assignantur. Idem observandum in aliis Festivitatibus quæ transferuntur ante Expectationem.*

DIE II. SEPT.

B. M. V. DE PODIO.

Simplex.

Si hoc die fiat de Expectatione, fit solùm comm. hujus festi. Ad Matutin. Invitator. et Hymn. ut in die Expectat. p. 303. *Antiph. Psalmi, ℣. etc. ut in feriali officio cum tribus sequentibus Lectionibus, quod in aliis simplicibus observetur. Festa simplicia non transferuntur.*

LECTIO 1.

Bolland. in vitâ S. Petri Nolasc.

Cum Jacobus Aragoniæ Rex anno millesimo ducentesimo trigesimo octavo, mense Septembris, Valentiæ urbem expugnaret, compositis exercitibus juxta arcem oppidi de Podio propè urbem, visæ sunt septem stellæ micantes plerisque diebus à cœlo ad terram descendere. Quæ res exercitum omnem et populum rapuit in admirationem, et ad invicem conferebant divinum

portentum. Sed illud non valentes penetrare, ex consilio Sancti Petri Nolasci is locus, in quem stellæ descendebant, inquisitus est. Tu. ℟℟. *Dicuntur ut in tempore Expectat. p.* 59.

LECTIO 2.

Cum autem in superiori parte à superficie terræ nihil prorsùs esset repertum, occultum aliquod mirabilius excogitantes, terram effoderunt, statimque in ipso effusionis initio divinum nectaris et ambrosiæ odorem terra spirabat, et ingenti fragrantiâ odoris totius agri campus fœcundabatur. Nam eo loci inventa fuit sanctissimæ Virginis MARIÆ mirabilis Imago, quæ hodiernâ die felicitèr colitur in antiquo monasterio ejusdem Virginis sanctissimæ in oppido de Podio prope Valentiæ urbem. Tu.

LECTIO 3.

Devota imago sanè subtùs terram sub ingenti æneo cymbalo erat inclusa. Et hæc inventio non parvum fuit militibus solatium, et quasi initium victoriæ. Hujus clarissimæ Imaginis extant hisce diebus pleraque divina miracula, et religiosissimo cultu valdè à cunctis illius provintiæ habitatoribus colitur. Eodem loco prorsùs reposita invisitur, quo inventa fuit, ad quem locum, cum ab eo dimota esset, ut majori altari ipsius Ecclesiæ poneretur, non semèl, sed bis et iterùm Deipara ipsa se contulit. Tu.

Ad laudes et per horas omnia ut in die Expectationis. Et sic in aliis Festis, quæ non inveniuntur propria in proprio Festivitatum desumuntur ex communi pro diversitate temporum.

Oratio.

Omnipotens et misericors Deus, qui Genitricis Filii tui imaginem mirabilibus signis venerabilem ac salutarem nobis esse voluisti; da, quæsumus, ut ipsius patrocinio ab omnibus semper liberemur adversis, et vitam consequamur æternam. Per eumdem.

Tempore Expectat. non fiunt suffragia.

Preces ad Primam. Canon de feriâ. Vesperæ de sequenti.

DIE III. SEPTEMB.

PRÆSIGNATIO B. M. V.

IN ANTIQUA LEGE.

Dupl. majus.

Omnia ut in die Expectationis præter sequentia.

Ad Magnific. *ant.* O. *p.* 302.
Oratio de Laudibus.

AD MATUTIN.

HYMNUS 75. *V. P. Canis.*

Dignum Tonantis tu Domicilium
Templumque Sancti nobile Flaminis,
Signatus ille fons et hortus,
Fatidicè celebratus ore.

Tu magna summi janua Numinis
Monstrata vati, pervia nemini:
Radicis expers tu, sed almo
Flore, nitens, sacra Virgo, virga.

Arente visum tu Gedeonicum
Madere quondàm vellus in areâ.
Amicta tu, Virgo, micanti
Sole, præcus pedibusque lunam.

Flammis et ardens innocuis rubus:
Spectante longè legifero duce:
Hesterque tu vultu decoro
Assnero speciosa Regi.

Quandò venusto de grege virginum
Sceptris superbis, et diademate,
A regiis dignata tædis,
Sola tuum genus omne serva.

Æterna summo gloria sit Patri,
Natoque necnon Spiritui Deo
Numenque tres unum futuris

Posteritas colat usque sæcla. Amen.

Lectiones 1. *Noct. ut in die Expectationis.*

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Dionysii Carthusiani in libro de Laudibus B. M. V. *Artic.* 11. *Libr.* 1.

LECTIO 4.

Quoniàm præstantissima ac divinissima Genitrix Christi præ cæteris ineffabiliter excelentius, atque propinquiùs spectat ad Christum, decentissimum fuit de ipsâ tàm in lege naturæ quàm in lege scriptâ præcedere varia ac præclara oracula, signa, vaticinia et gesta mirifica, supernaturalia quoquè misteria. Cernimus enim quòd reges et principes magni et providi magnalia peracturi, et suam potentiam, munificentiam, aut excellentiam monstraturi, non sine præmunitione id agant, sed præcones præmittant, locum ac tempus prædicant, congruentibusque præambulis intentum prævenient opus excelsum, quatenus interim ad illius intuitum alii præparentur, et confluant. Tu. ℟. Ad MARIAM.

LECTIO 5.

Itaque de hâc prælectissimâ atque Sanctissimâ Virgine, in quâ et ex quâ, et perquam implenda erant excellentissima Christi mysteria; quàm Pater Æternus prælegit sibi in sponsam singularem, in comparentalem, in veram unici, et coæqualis sui Filii matrem: quàm et Verbum æternum sibi in amantissimam elegit Genitricem: quam Spiritus Sanctus elegit sibi in summum sacrarium, atque purissimum templum, et in parentem illius, de quo ipse æternaliter, incomprensibiliterque procedit. De hâc, inquam, tantâ ac tali decuit totam super gloriosissimam Trinitatem per Patriarchas et Prophetas præfari, signa et figuras præmittere, supernaturalia insinuari. Tu. ℟. Omnia te.

LECTIO 6.

De hâc omnium fortissimâ ac victoriosissimâ mulierum, purrissimâ Virginum, fœcundissimâ Matrum, in mundi exordio dixit sub typo serpentis diabolo: Inimicitias ponam inter te et mulierem. Ipsa conteret caput tuum. De ipsâ quoquè et adorando Filio ejus Balaam: Orietur stella ex Jacob, et consurget virga, et ut alia habet translatio, Virgo de Israel. Hanc signavit tabernaculum Moysi, hanc arca testamenti, hanc propitiatorium et velamen. Ipsam nomine et effectu præfigurabil MARIA soror Moysi, Prophetissa Jael et Bethsabe, imo de his præfigurationibus innumerabilia ac præclara possent induci, de quibus hæc pauca sufficiat tetigisse. Tu. ℟. Beati ómnes.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Hom. 2. *super missus.*

Missus est, inquit, Angelus ad Virginem: virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique (qualem describit Apostolus) mente et corpore sanctam. Nec noviièr, nec fortuitò inventam, sed à sæculo electam, ab Altissimo præcognitam, et sibi præparatam, ab angelis servatam, à patribus præfiguratam, à prophetis promissam. Scrutare scripturas, et proba quod dico. Tu. ℟. Lætare, Pater.

Benedict. Cujus Præsignationem.

LECTIO 8.

Visne, ut et ego aliqua ex his testimonia hic inseram? Ut pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam prædixisse Deus videtur, quandòad serpentem ait: Inimicitias ponam inter te et mulierem? Et si adhùc dubitas, an de MARIA dixerit, audi quod sequitur: ipsa conteret caput tuum. Cui hæc servata victoria est, nisi MARIÆ? Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebrâ, quam de mentis superbiâ deduxit ad nihilum. Tu. ℟. Citò veniet.

LECTIO 9.

Quam verò aliam Salomon requirebat, cum dicebat: mulierem fortem quis inveniet? Quid deindè rubus ille quondàm Mosaycus portendebat, flammas quidem emittens, sed non ardens, nisi MARIAM parientem et dolorem non sentientem? Quid, rogo, virga Aaron florida, nec humectata, nisi ipsam concipientem, quamvis virum non cognoscentem? Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 76. *Parn. Virgin.*

Surpis Jesse generosa
Prodis Virga regia:
Gloriosa legis glossa
Et Mater egregia:
Nobis præsta cœli rosa
Sanctorum collegia.
Figuris Patriarcharum
Virgo præsignaris:
Scripturisque Prophetarum
Futura proclamaris:
Jamque nata Lumen Patris
Æternum largiaris.
Rubus ille visionis
Quem Moysis expavit,
Vellusque Gedeonis
Quod ros penetravit:
Tu et nata Salomonis
Clara stirpe David.
Sempiterna sit beatæ
Trinitati gloria:
Æqua Patri Filioque
Par decus Paraclito:
Unius trinique Nomen
Laudet universitas. Amen.

Ad Benedict. *ant.* Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.

Oremus. *Oratio.*

Inclina, quæsumus, Domine, aures tuas ad preces nostras, ut qui Præsignationem beatissimæ Virginis MARIÆ celebramus, ad vilam æternam præsignati, in cœlesti Jerusalem collocari mereamur. Per Dominum.

℣. ℟. *brev.* Quæ in antiquâ lege præfigurata fuisti.

CANON.

Ex Paulo Papâ Quinto. *Const.* 253. Immensæ bonit. *an.* 1615.—*Bull. Rom. T. V. p.* 4. 183.

393. Virgo tot figuris, tot Prophetarum visionibus ac vaticiniis: anteà præmonstrata, et à Sanctis Patribus diù expectata, tandèm veniens fortis, ac scuto virtutum, et gratiarum omnium ornata, salutiferâ fœcunditate suâ liberavit nos à captivitate. Tu.

Ad Vesper ant. ut in II. Vesper Expectat.

Ad Magnific. *ant.* O. *p.* 302.

DIE IV. SEPT.

B. M. V. DEAURATÆ.

Semiduplex.

Omma ut in die Expectat. ritu semiduplici.

Lectiones I. Noct. ut in Doman. Expect. p. 60. cum ℣. diei I. Septembris.

IN II. NOCT.

Gallia Christiana. tom. 13. p. 100.

LECTIO 4.

Beatæ MARIÆ apud Tolosam Ecclesiæ, vulgò dictæ Deauratæ, primordia quidam ad Theodosium Imperatorem referunt; alii ad Theodoricum Wisigothorum Regem; nonnulli verisimilius eamdem, cum anteà Jovis, vel, ut placet aliis, Pallidis templum esset, in honorem beatæ MARIÆ ab Exuperio Tolosano Episcopo consecratum tempore Honorii Imperatoris versus sæculi quarti finem. Evolutis autem aliquot post dedicationem annis, Placida soror Honorii, et Attolphi Wisigothorum regis uxor, concamerato fastigio templi parietem obduxit, vermiculatis miro et aureo opere tesserulis, quæ Beatæ Virginis, et sanctorum apostolorum Icones exprimebant: templo Beatæ MARIÆ Deauratæ inditum est nomen. Tu. ℣. Ad MARIAM.

LECTIO 5.

Dejectâ post quadraginta vel circiter annos concamerati ejus fastigii parte, Ranachildis Regis Eurici Sponsa, novo ædificio, quod instar navis esset, amplificavit. Posteà Monachos Ordinis Sancti Benedicti illic insedisse jam ab anno octingentesimo quadragesimo tertio apparet ex quodam Caroli Calvi diplomate, per quod Monasterium Beatæ MARIÆ, quod est infra muros civitatis Tolosæ, sub sua protectione suscipit novaque indulget privilegia. Tu. ℣. Omnia te.

LECTIO 6.

In eo templo reposita manet lignea Deiparæ Christum gestantis statua, intra quam à priscis temporibus sacræ reconditæ sunt reliquiæ: quæ quidem statua, gravissimis immanentibus periculis, ad Capitulinorum, nomine totius urbis, voluntatem, à sede propriâ demissa ad locum, in quo malum urgebat, magnâ cum pompâ, et populi universi concursu, præeuntibus sacris omnium Ecclesiarum vexillis, deferebatur. Et vix ac ne vix quidem frustrà unquàm, ut norunt omnes, ulla facta est solemnis hæc demissio, et cæremonia. Tu. ℣. Beati omnes.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 13. 17.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: amen quippè dico vobis; quia multi Prophetæ et justi cupierunt videre quæ vos videtis. Et reliqua.

Homilia Ven. Hugonis de Sancto Victore.

In Institut. monastica Serm. 34.

Beata Virgo MARIA aurora fuit, quia et præcedentis temporis, quod quasi nox fuerat, finis extitit, et vera lucis gratiæ, solisque justitiæ, qui ex ipsâ progenitus est, prevenirix et antelucanum sydus fuit. Totum namque tempus, quod ab Adam usque ad ejus ortum præcessit, quasi nox extitit, nox longa, obscura, frigida, otiosa, torpida, somniculosa, facila, imò muta fuit. Tu. ℣. Lætare.

LECTIO 8.

Quædam tamen astra radiis suis tempus illud irradiabant, quia Sancti Patriarchæ, et Prophetæ suis virtutibus ignorantiam populi illustrabant. Quorum radii posteà, hâc Aurorâ apparente, quodam modo obfuscati sunt, quia in comparatione beatæ MARIÆ præcedentes sancti parvam claritatem habuerunt: quid enim fuerunt aliorum virtutes sanctorum in comparatione Beatæ MARIÆ? Beata igitur Virgo MARIA verè aurora clarissima fuit, quia videlicet nihil tenebrarum illius culpæ admixtum habuit, quæ suo magnifico jubare præcedentium Patrum claritatem minoravit. Tu. ℣. Cito veniet.

LECTIO 9.

Commemoratio B. MARIÆ Majoris Neapolitanæ.

Spinelli, Tract. de Fest. et Templ. Deipar.

Extruxit Sanctæ MARIÆ majoris templum Neapoli Sanctus Pomponius Episcopus Neapolitanus annum Domini circiter quingentesimum vigesimum quartum. Est autem hæc Basilica una ex quatuor præcipuis Parrochiis, insignis etiàm Imagine Deiparæ, ut fama est, à Sancto Lucâ depictâ, quæ circa finem decimi sexti sæculi religiosissimis Patribus Clericorum Regularium est attributa, et ab iisdem nitori restituta, ubi in animarum salute procurandâ egregiam navant operam. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Concilio Tolosano.

In Statut. Synodalib. an. 1219.— *Marten. Tom. 7. c.* 106.

396. «Statuimus quòd Parrochiani» Sabbato circa vesperas ob reverentiam Beatæ MARIÆ Virginis Ecclesias suas cum devotione visitent. Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE V. SEPT.

B. M. V. IN UTERO MATERNO.

Duplex majus.

Omnia ut in die I. Septembris præter sequent.

Ad Magnif. *ant.* O. *p.* 302.

Oratio de laudibus.

AD MATUTIN.

HYMNUS 77. *Brev. Cistercien.*

Fecunda radix Isai
Florem pudicum germinat;
Dei daturam Filium,
Orbi dat Anna Virginem.

Jam sperat humanum genus
Caput tenebris excitans,
Lucemque primam conspicit
Annæ coruscantem sinu.

Hanc vota puri pectoris
Zeloque conceptæ preces
Prolem merentur omnium
Matrem salutis gignere.

Doxol. de Tempore.

IN I. NOCT.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 44. 2.

Hæc dicit Dominus faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus: noli timere serve meus Jacob, et rectissime, quem elegi. Effundam enim aquas super sitientes, et fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas, quasi salices juxta prælerfluentes aquas. Tu. ℣. Terra erat.

LECTIO 2. *c.* 24.

Hæc dicit Dominus redemptor tuus, et formator tuus ex utero: Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, et nullus mecum. Irrita faciens signa divinorum, et ariolos in furorem vertens. Convertens sapientes retrorsum: et scientiam eorum stultam faciens. Suscitans verbum servi sui, et consilium nuntiorum suorum complens. Tu.

℣. Surge, illuminare.

LECTIO 3. 49. 1.

Audite insulæ, et attendite populi de longè: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ re-

cordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum: in umbrâ manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam: in pharetrâ suâ abscondit me. Et dixit mihi: servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor. Tu. ℣. Ecce dies.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis. *De concept. B. V. M. art.* 1. *c.* 2.

LECTIO 4.

Beata Virgo etiàm dum erat in utero Matris habuit usum liberi arbitrii, atque lumen perfectum in intellectu et ratione. Proindè secundum quosdam fuit tunc in sublimioris contemplationis statu, quàm unquàm fuerit aliqua creatura humana in perfectâ ætate. Tu. ℣. Ad MARIAM

LECTIO 5.

Et licet in utero Matris suæ, sicut et cæteri infantes, dormiret; attamen somnus qui sepelit in nobis rationis et liberi arbitrii actus, et per consequens actum merendi, non credo, quòd talia in ipsâ fuerit operatus, sed anima sua liberè ac meritorio actu tunc tendebat in Deum. Tu. ℣. Omnia.

LECTIO 6.

Undè illo tempore erat perfectior contemplatrix, quàm unquàm fuerit aliquis alius, dum vigilavit, undè et ipsa ait: Ego dormio, et cor meum vigilat, scilicet, contemplatione perfectâ à nullâ actione debilitatâ. Tu. ℣. Beati omnes.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Laurentii Justiniani Ep. *Sermo in Annunt. B. V. M.*

Quotiès intemeratæ Virginis MARIÆ prærogativam sanctitatis facundia humana conatur ediscere, quoniàm longè ab illius extitit meritis, necesse est, ut succumbat. Meliùs quippè silentio, quàm locutione disseritur, cum omnis laus eâdem inferior sit. Quis (oro) hujus Virginis gratiam sufficit enarrare? Ab ipsâ namque sui conceptione in benedictionibus præventa dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo, priùs est sanctificata, quàm nata. Tu. ℣. Lætare.

LECTIO 7.

In ipso enim utero materno jam posita super illam gratia sanctificationis effulsit, utpotè eâ, quæ electa erat, ut pareret Deum. Noverat opus suum ille qui fecerat, et quale futurum erat certissimè agnoscebat. Hinc est, quòd Virginem, ipsam tam largo imbre Spiritus irrigavit. Erat planè sicut à carnis alluvione immunis, ita et ab omni peccati labe extranea: degebat quidem in carne, conversabatur supra carnem, carnisque molestias non sentiebat. Talis profectò erat, ut nulli usui servaretur, nisi divino. Tu. ℣. Citò.

LECTIO 9.

Quam ob rem cum temporis plenitudo venisset, in quo universorum conditor humanum genus redimere statuerat, hanc præ cæteris reperiens sanctiorem sibi præcipuè elegit in Sponsam: ipsam mente, ipsamque corpore custodivit intactam, ut esset, de quâ Verbum fieret caro, ac mulieris pudor per eam deleretur et culpa. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* In te, Domine, projecta sum ex utero, quia

à ventre matris meæ tu es Protector meus.

Oremus. *Oratio.*

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui Beatam Virginem MARIAM priùs sanctam quàm natam colimus, ab omnibus, ipsâ intercedente, peccatorum vinculis absoluti, vitam promereamur æternam. Per Dominum.

Vesperæ ut in 2. *Vesper. Expect. Ad* Magnif. O. *p.* 302.

DIE VI. SEPT.

B. M. V. XARAVIENSIS.

Simplex.

Ad Matut. Invitator. et Hymn. ut in die 1. *Septemb. Antiphonæ et Psalmi. ut in feriâ occurenti.*

LECTIO 1.

Lanuza Histor. Arag. lib. 3. *c.* 7.

Non longè ab oppido Xaravæ in Aragoniâ jam pluribus abhinc sæculis colitur diva Virgo in devotissimo sacello decem et octo passibus longo, decem verò tantùm lato, infra profundam cavernam ipsius in honorem excitato. Parvula, devotaque Imago, quæ in primâ arâ sub christalo colitur, à quibusdam xaraviensibus Pastoribus inventa creditur, non longè ab eo, in quo nunc est templum, loco. Tu.

℣. Xaravam Virgo, Templumque, locumque tueris, * Ut lux, ut Mater, ut medicina soli. ℣. Nomen namque sonat Xaravæ antidota.—Ut lux.

LECTIO 2.

Die decimâ quintâ augusti, beatæ Virgini ibi specialissimè sacrâ ingens fit ad illud sacellum accursus, tum ex Aragoniæ, tum ex Castellâ: nam innumerabilia gratiarum pignora à xaraviensi Divâ hominibus collata, miraculaquè propter ipsos ab illâ patrata, ut ex innumeris tabellis, aliisquè signis è muris templi appensis, satis liquet, eos ad tantum festum celebrandum è dissitis etiàm locis exciunt. Tu.

℣. Sis cunctis vita, salus, lux, via, meta nobis: * Nomen namque sonat Xaravæ antidota. ℣. Ut lux, ut Mater, ut medicina soli.—Nomen.—Gloria.—Nomen.

LECTIO 3.

Commemoratio S. MARIÆ in Domenicâ.

Spinelli tract. de fest. et templ. Deip.

Sancta MARIA in Domenicâ Romæ in monte Celio appellatur etiàm à Navicellâ propter lapideam Navichlam pro templi foribus positam, sive ad monumentum miraculi, vel beneficii à Virgine collati, sive ad ejusdem templi ornatum. Hæc inter cardinalium Diaconias præcipua fuisse videtur. Eamdem suâ antiquitate venerabilem, et jam ruinæ proximam Paschasius primus ampliorem, melioremque à fundamentis renovavit, absidemque ejus musivo opere mirificè decoravit, eique multa dona obtulit. Postmodùm Leo Decimus eam brevi ruituram refecit, et majori splendori restituit. Tu. Te Matrem.

Ad Laud. et per Hor. ut in die Expect. Prec. ad Prim. Vesperæ dicuntur ut in feriali Officium ant. O. *ad* Magn. *quæ dicitur integra ante et post. p.* 302. *Oratio ut in die* 1. *Sept.*

DIE VII. SEPT.

IN VIGIL. NATIVITATIS B. M. V.

Simplex.

Ad Matut. Invitator et Hymn. ut in die I. Sept. p. 303. *antiph. et Psalmi ut in feriali officio.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Petri Damiani Ep. *Sermo in Assumpt. B. V. M.*

In meridiano lumine primus ille parens creatus est, factus ad imaginem et similitudinem conditoris. Quid enim clarius quàm creatura creatori non esse dissimilem? Sed ille tanti privilegii dignitate rejectâ apostatæ Spiritui falsa promissioni delinitus inhæsit, et se cum posteritate suâ perpetuæ morti destinavit, et tenebris. Ab illâ horâ tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad Virginem: nec inventus est aliquis, qui vel exiret de tenebris vel tenebras dissiparet; sed mundo crescente concrevit et tenebrosa vorago, donec in densissimam conglobata nigredinem humanum genus nocte terribili sepelivit. Tu. ℟. *De ferid occur. p.* 39.

Bened. Cujus adventum.

LECTIO 2.

Hæc est illa nox solitaria, nec laude digna, de quâ scriptum est: posuisti tenebras et factâ est nox: in ipsâ pertransibunt omnes bestiæ silvæ. quia crudeles et indomiti spiritus, dimotis repagulis, humanum genus totis viribus obstulerunt. Sed natâ Virgine, surrexit aurora, quia MARIA veri præcia luminis Nativitate suâ manè clarissimum serenavit. Hæc est Stella matutina in medio nebulæ, quæ in cœli cardine summo splendore coruscans orbem subditum splendidioribus radiis incolorat. Tu. ℟.

Bened. Per Virginem.

LECTIO 3.

Hæc est aurora quam sequitur, immò de quâ nascitur sol justitiæ, solius solis claritati succumbens. Hæc est aurora, quam ille non vidit, qui vidit omne sublime: et orat beatus Job, ut ei multa suppressione claudatur, dicens: non videat ortum surgentis auroræ. Tuus est dies, Domine, in quâ Adam est conditus; tua est nox in quâ Adam à die est ejectus; tu fabricatus es auroram, id est, Virginem Matrem, et solem, videlicet justitiæ, qui de virginali thalamo consurrexit. Tu. ℟.

Ad Laud. et per horas offic. fit Duplex, et dicuntur omnia ut in die 1. Septembris.

Ad Benedic. *ant.* Crastinâ die in ascensu diluculi egredietur stella ex Jacob divini luminis nuntia.

Oremus. *Oratio.*

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Nativitatem beatissimæ Virginis MARIÆ expectando prævenimus, cœlestibus donis ad tantam solemnitatem ritè celebrandam prævèniri mereamur. Per Dom.

Vesperæ de sequenti.

DIE VIII. SEPT.

NATIVITAS B. M. V.

Duplex 1. *Classis cum Octavâ.*

IN I. VESPER.

Ant. 1. Orietur Stella ex Jacob, et consurget virga de Israel. *Psalmi ut in* 1. *Vesper. Solemn.*

2. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.

3. Erit radix Jesse, et qui exurget judicare gentes, in eum gentes sperabunt.

4. In splendore ortûs tui omnes venient, laudantes et glorificantes Dominum.

5. Multi in nativitate ejus gaudebant, eritque gaudium omnibus et exultatio.

CAPITULUM. *Genes.* 24. 59.

Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum.

℟. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens: * Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata. ℣. Sicut lux auroræ, quæ manè absque nubibus rutilat.—Pulchra. —Gloria.—Quæ est. *In diebus infra Oct. omittitur.*

HYMNUS 78. *Brev. Bisunt.*

Aurora, quæ solem paris,
Et ipsa solis filia,
Quàm splendidum, cum nasceris,
Affers diem mortalibus.

Te luce sol vestit suâ
Tibique luna sternitur:
Aplata sacro vertici
Nectunt coronam sidera.

Te mille virtutum chori,
Te turma cingit cœlitum:
Ambit tuo se numine
Qui te facit Matrem Deus.

Uti potens exercitus
Tu, Virgo, terror hostium:
Te sic obumbratam Deo
Pavent, tremuntque tartara.

Fac, Virgo, quem scimus Deum
Venisse terris hospitem,
Per te manens nobis adhuc
Nostri sit hospes pectoris.

Sit laus Pari, laus Filio,
Sit par tibi laus Spiritus,
Dignam Deo, qui Virginem
Formans ab ortu præparas. Am.

Hæc Doxol. dicitur per totam octavam.

℣. Nativitas est hodiè sanctæ MARIÆ Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Magnific. *ant.* Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendit de mari, allel. allel. *Orat. ut in Laudib.*

Completor. de Domin.

AD MATUTIN.

Invitator. Nativitatem beatæ MARIÆ Virginis celebrantes: * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

HYMNUS 79. *Apud Marrac.*

Ad Laudem Virginis invitat hominem.

Ipsa mens hominis lætа per Virginem:
MARIA nascitur salus credentium,
Et verè creditur salus nascentium.

Puella nobilis, comes humilium,
Magistra humilis, et dux nobilium:
Regina gloriæ, Regis et Filia
Sed Regis filiæ ab intûs gloria.

Hâc die nata est, per quam pax redditur,
Et vita data est, quibus hæc nascitur,
In terris fulserit, in cœlis lucida,
Undis illuxerit hæc stella fulgida.

Nos apud Filium reos concilia,
Reis consilium da, Regis Filia,
Ut trahat homines ad se dux Virginum,
Clamat ad Virginem gemens cor hominum. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Hodiè nata est * beata Virgo MARIA ex progenie David. *Psalm.* 18. Cœli enarr. *p.* 26.

2. Quandò nata est * Virgo MARIA, tunc illuminatus est mundus. *Psalm.* 28. Afferte Dom. *p.* 23.

3. Surps beata, radix sancta, et benedictus fructus ejus. *Psalm.* 46. Omnes gentes. *p.* 30.

℣. Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.

℟. Collum tuum sicut monilia.

De libro Sapientiæ.

LECTIO 1. *Prov.* 8. 22.

Dominus possedit me in initio via-

rum suarum, antequàm quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequàm terra fieret. Nondùm erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdùm fontes aquarum eruperant: necdùm montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar. Tu.

℟. Solem justitiæ Regem paritura supremum: * Stella MARIA maris hodiè processit ad ortum.

℣. Cernere divinum lumen gaudete fideles. —Stella.

LECTIO 2.

Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ. Quandò præparabat cœlos aderam: quandò certâ lege et gyro vallabat abyssos: quandò æthera firmabat sursùm, et librabat fontes aquarum: quandò circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quandò appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore: ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Tu.

℟. Hodiè nata est beata Virgo MARIA, per quam salus mundi credentibus apparuit: * Cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo. ℣. Beatissimæ Virginis MARIÆ Nativitatem devotissimè celebremus.—Cujus vita.

LECTIO 3. *Eccl.* 24. 14.

Ab initio et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi, et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea: et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. Tu.

℟. Ad nutum Domini nostrum ditantis honorem: * Sicut spina rosam genuit Judæa MARIAM. ℣. Ut vitium virtus operiret, et gratia culpam. — Sicut. — Gloria. — Ad nutum.

In diebus infra octavam. Sicut.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Quæ est ista, * quæ nascitur, quasi aurora valdè rutilans? *Psalm.* 60. Exaudi Dom. *p.* 33.

2. Soror nostra est: * tota pulchra, et immaculata. *Psalm.* 81. Deus in Synag. *p.* 38.

3. Viderunt eam * filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt. *Psalm.* 86. Fundamenta. *p.* 24.

℣. Gloriosa dicta sunt de te.

℟. MARIA, Civitas Dei.

Sermo S. Petri Damiani Ep. *Homil. in Nat. B. V. M.*

LECTIO 4.

Gaudeamus, dilectissimi, et exultemus in Nativitate beatissimæ Dei Genitricis MARIÆ, quæ novum mundo nunciavit gaudium, et totius extitit humanæ salutis exordium. Exultemus, inquam, et sicut gaudere solemus in Nativitate Christi, ita etiàm nihilominùs gaudeamus in Nativitate Matris Christi. Tu.

℟. Ne timeas, Joachim, quoniàm exaudita est deprecatio tua: * Et uxor tua Anna pariet tibi filiam, et vocabis eam MARIAM. ℣. Et erit tibi gaudium, et exultatio, et multi in Nativitate ejus gaudebunt.—Et uxor.

LECTIO 5.

Hodiè nata est Regina mundi, fenestra cœli, janua paradissi, tabernaculum Dei, Stella Maris, Scala cœlestis, per quam supremus Rex humiliatus ad ima descendit, et homo qui prostratus jacebat, ad superna exaltatus ascendit. Hodiè apparuit stella mundo, per quam sol justitiæ illuxit mundo. Illa videlicet de quâ per prophetam dicitur: orietur stella ex Jacob, et consurget homo de Israel. Tu.

℟. Fundatur exultatione universæ terræ, * Mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni. ℣. Deus fundavit eam in æternum. —Mons.

LECTIO 6.

Hodiè nata est splendidissima illa Virgo ex quâ processit speciosus forma præ filiis hominum, tanquàm sponsus procedens de thalamo suo. Hodiè prodiit ex utero matris, quæ templum fieri meruit divinitatis. Hodiè impleta est prophetia illa, quem eximius Prophetarum Isaias, quasi præco factus ad adventum Reginæ Mundi, magnâ voce clamabat, dicens: Egredietur viga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Tu.

℟. Fundamenta ejus in montibus sanctis: * Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. ℣. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.—Diligit. —Gloria. —Fundamenta.

In diebus infra oct. Diligit.

IN III. NOCT.

An 1. Congratulamini mihi, * quia cum essem parvula, placui Altissimo. *Psalm.* 88. Misericordias. *p.* 25.

2. Respexit Dominus * humilitatem ancillæ suæ, et beatam me dicent omnes generationes. *Psalm.* 127. Beati omnes. *p.* 48.

3. Invenisti gratiam coram Domino Deo tuo, et fecit tibi magna, qui potens est. *Psalm.* 130. Domina non. *p.* 48.

℣. Adjuvabit eam Deus. ℟. Mane diluculo.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi, Filii David, Filii Abraham. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valent.

Conc. 2. *in Nativ. B. M. V.*

Licet pauperem et humilem Matrem elegerit Deus, sed tamen genere illustrissimam, nobilissimam, generosissimam, quæ multò amplius secundum carnem, quàm sit modo quæcumque illustris femina. Namque ab antiquo multis sæculis, longâ progenie, à Patriarchis et Regibus, et Sacerdotibus virginem traxit. Recense nunc in toto orbe quænam sit, quæ tot regibus et principibus polleat in origine. Tu.

℟. Vitis uberrima ex Annâ pullulavit, uvaque suavissima efloruit, * Potum nectaris fundens in vitam æternam. ℟. Gaudete in Domino Deo vestro, quia germinavit desertum, et sterilis protulit fructum suum.—Potum.

Bened. Cujus Nativitatem colim. *et dicitur per Oct.*

LECTIO 8.

Nobilissima igitur fuit Virgo MARIA secundum progeniem, et illustrissima, qualem decuit Matrem Dei futuram. Neque enim decuit rusticam esse, aut vulgarem, ne aliqua obscuritatis, et ignobilitatis nota redundaret in Filium. Decuit itaque eum, qui Rex et Sacerdos futurus esset in populo Dei, ex regibus et sacerdotibus originem ducere, ut etiàm secundum carnem regnum et sacerdotium non usurpatum videretur, sed ei jure optimo convenire. Tu.

℟. Nativitas gloriosæ Virginis MARIÆ * Ex semine Abrahæ, de tribu Juda, clarâ ex stirpe David.

℣. Regali ex progenie MARIA exorta refulget. ℟. Ex semine.

In diebus infra oct. loco octavi ℣. *dicitur* ℣. *ut infra.*

LECTIO 9.

Neque te moveat, quod non ad Virginem, sed ad JOSEPH Genealogia deducta sit: Servatus est enim scripturarum mos ab Evangelistâ, in quibus non per feminas, sed per viros Genealogia deducitur. Et quia cognati erant Virgo et JOSEPH, deducto genere ad JOSEPH, deducitur ad MARIAM Virginem. Hæc autem cognatio illo tempore cognita erat omnibus, qui apud Judæam Christi fidem susceperunt. Tu.

℟. Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens: * Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. ℣. Sicut lux auroræ, quæ manè absque nubibus rutilat.—Pulchra.—Gloria.—Quæ. *In diebus infra octav.* Pulchra.

AD LAUDES

et per horas antiphonæ.

1. Signum magnum * apparuit hodiè: signum salutis ortum est homini, alleluia.

Psalmi de Dominicâ.

2. Lux magna * resplenduit hodiè in terrâ sedentibus in umbrâ mortis, alleluia.

3. Venite, * et videamus ortum surgentis Auroræ, alleluia.

4. Lux ejus, * sicut lux solis, et splendor ejus sicut meridies, allel.

5. Multi in Nativitate * ejus gaudebunt, alleluia.

CAPITULUM. *Genes.* 24. 59.

Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum.

HYMNUS 80.

Post longa noctis nubila,
Et incubantem tartarum
Jam perditis mortalibus
Aurora vultus explicat.

Frondens Jessæa prolulit
Jam virga divinum caput:
Jam læta præludit poli
Claro decore fulgida.

Jam tempus optatum venit,
Quo flore pingatur suo:
Flos ille campi Christus est,
Quem Nata natum proferet.

MARIA terris nascitur,
Illustre munus optimi,
Quâ nulla terras purior
Ortu sacravit prospero.

Natura reginam colit,
Et festa ducit gaudia:
Tantisque sub cunis tremunt
Metu paventes inferi.

Adorat orbis subditus
Matrem futuram Numinis,
Parvoque sub crepusculo
Prælibat affatum Dei.

O ter beata Numine,
Cui tota rident æthera,
Cui tota se felicitas
Infudit alto vertice.

Specta clientes supplices,
Audi precantes servulos,
Fac de tuis cunabulis
Hic lætus aspiret dies.

Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par tibi laus, Spiritus,
Puram Deo, qui Virginem
Formans ab ortu præparas. Am.

℣. Horius conclusus, Virgo sacrata, alleluia.

℟. Fons signatus, alleluia.

Ad Benedict. *ant.* Nativitatem hodiernam * perpetuæ Virginis Genitricis Dei MARIÆ solemniter celebremus, quâ celsitudo throni processit, alleluia, alleluia.

Oremus. *Oratio.*

Deus qui secundum propositum voluntatis tuæ mundum tibi reconciliare voluisti; præsta, quæsumus, ut qui Nativitatem Virginis MARIÆ, de quâ natus est nobis Christus Salvator, cum gaudio celebramus, ipsam quam Filius operatus est salutem, Matris intercessione consequamur. Per eumdem.

AD PRIMAM.

Ant. Signum. *Capit.* Soror. *de Laudibus.* ℣. ℟. *br.* Quæ hodiè nata fuisti. *Et dicitur per oct.*

CANON.

Ex Alexandro Papâ Tertio.

Ep. 32. *Ad soldan. Iconi.*

397. Cum MARIA de Jesse originem traxerit, Isaias Propheta Nativitatem MARIÆ, et per MARIAM Christi, atque plenitudinem gratiæ spiritualis in Christo declarat, dicens: Egredietur Virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Genes.* 12. 13.

Dic, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui.

℟. *br.* Puella decora nimis, * Allel., allel.—Puella. ℣. Virgoque pulcherrima.—Alleluia.—Gloria.—Puella.

℣. Puella ista erit magna, allel.

℟. Coram Domino. Alleluia.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Can.* 4. 11.

Favus distillans labia tua, mel et lac sub linguâ tuâ, et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.

℟. *br.* Puella ista erit magna, * Allel. Allel.—Puella. ℣. Coram Domino.—Allel.—Gloria.—Puella.

℣. Peperit Anna Filiam, allel.

℟. Et vocavit nomen ejus MARIAM, allelnia.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Cant.* 2. 7.

Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

℟. *br.* Peperit Anna Filiam, * Alleluia, allelnia.—Peperit. ℣. Et vocavit nomen ejus MARIAM.—Allel.—Gloria.—Peperit.

℣. Pro puellâ istâ oravi, allel.

℟. Et dedit mihi Dominus petitionem meam, allel.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Impletum est * tempus pariendi, et peperit Anna puellam formosissimam.

Psalmi ut in 2. *Vesper. Solemnit.*

2. Et mirati sunt omnes, * et gratulabantur ei propter gaudium.

3. Dominus mortificat, * et vivificat: deducit ad inferos et reducit.

4. Quæ putas puella ista erit, * nam manus Dei cum ipsâ est?

5. Benedicta tu, * filia, à Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus.

CAPITULUM. *Gen.* 24. 60.

Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum.

℟. Quæ est istâ, quæ progreditur, quasi Aurora consurgens: * Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. ℣. Sicut lux auroræ, quæ manè absque nubibus rutilat.—Pulchra.—Gloria.—Quæ. *Infra oct. non dicitur.*

HYMNUS 81. *Parn. Mar.*

Lux ecce surgit nova,
Novumque profert gaudium:
Fugatâ nox cessat vetus,
Cessat vetus corruptio.

Chorus triumphat cœlitum,
Antiquus invidet Draco,
Dum sente prodit lilium,
Dum spina rosam germinat.

In nube lux involvitur,
Cinisque gemmam contegit;

Dum gentis hebrææ sinu
Ortum MARIÆ suscipit.
Summi Parentis Filius
Hoc sibi extruxit templum,
Suâ quod almus Spiritus
Dicât sacratque gratiâ.
O flos, MARIA, Virginum,
Ut mente simus integri,
Tuæ præcamur gratiâ
Nativitatis obtine.
Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par tibi laus, Spiritus,
Parum Deo qui Virginem
Formans ab ortu præparas.
Amen.

℣. Nativitas est hodiè Sanctæ MARIÆ Virginis.

℟. Cujus vitâ inclita cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Magnific. *ant.* Nativitas tua,' Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo; ex te enim ortus est Sol justitiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictionem dedit benedictionem, et confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.

Completur de Dominicâ.

In diebus infra Octav. in festis Officium fit ut in die, exceptis Psalmis et Lectionib. primi Nocturni, qui dicuntur de feriâ occurrenti.

DOM. INFRA OCTAV. NATIVIT.

SS. NOMINIS B. MARIÆ V.

Duplex 2. Classis.

IN I. VESPER.

Ant. 1. A solis ortu usque ad occasum laudabile Nomen MARIÆ Matris Dei. *Psalmi de Solemn. in I. Vesp.*

2. Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam JOSEPH, et nomen Virginis MARIA.

3. Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

4. Magnificetur Nomen tuum, Domina, in æternum.

5. Laudetur nomen inclytum MARIÆ omni tempore.

CAPITULUM. *Jud.* 13. 23. Benedicta es tu, Filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram: quia hodiè Nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum.

HYMNUS ℟2.

Si quæris cœlum, anima,
MARIÆ Nomen invoca:
MARIAM invocantibus
Cœlestis patet janua.
Ad MARIÆ Nomen cœlites
Lætantur: tremunt inferi:
Terra, pontus, et æthera
Totusque mundus jubilat.
Culpæ fugantur tenebræ,
Morbi, dolores, ulcera;
Vinclis solvuntur compedes;
Nautis mitescunt æquora.
Gloria MARIÆ Filiæ
Patris, et Matri geniti,
Sponsæque Sancti Spiritûs
Per sæculorum sæcula. Amen.

℣. Sit Nomen MARIÆ benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

Ad Magnif. *ant.* MARIÆ Nomen cunctas illustrat Ecclesias, quia fecit ipsi magna qui potens est, et sanctum Nomen ejus.

Oratio de Laudib. Compl. de Dom.

AD MATUT.

Invitat. Laudemus Deum nostrum ' In veneratione Sanctissimi Nominis MARIÆ.

HYMNUS 83. *S. Anselm.*

O MARIA, Nomen bonum,
Nomen admirabile,
Balsamum aromatizans,
Thus miræ fragrantiæ:
O Nomen quòd melius est
Quàm multæ divitiæ.
O MARIA, Nomen bonum,
Canticum lætitiæ,

Flos æternus, rosa lenis,
Candida et suavis:
Prædicanda et laudanda
Privatim et publicè.
O MARIA, Nomen bonum,
Lignum sempèr viride,
Stella solis claritatem
Suo vincens jubare:
Sempèr Mater, quia nunquàm
Eris sine sobole.
Sempiterna sit bealæ
Trinitati gloria;
Æqua Patri Filioque,
Par decus Paraclito:
Unius Trinique Nomen
Laudet universitas. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. In universâ terrâ admirabile est Nomen tuum, Sancta Dei Genitrix.

Psalm. 1. Beatus vir. *p.* 1.

2. In omnem terram diffusa est gloria Nominis MARIÆ Matris Dei.

Psalm. 5. Verba mea. *p.* 3.

3. Annuntiaverunt cœli Nomen MARIÆ, et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Psalm. 10. In Domino. *p.* 4.

℣. Magnificate MARIAM mecum.

℟. Et exaltemus nomen ejus in æternum.

De libro Exodi.

LECTIO 1. c. 15. 20.

Sumpsit Maria prophetissa Soror Aaron tympanum in manu suâ: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum et ascensorem ejus dejecit in mare. Tu.

℟. Laudemus nomen sacrum, atque insigne MARIÆ: ' Mundo enim peperit Virgo salutis auctorem. ℟. Lætentur cœli de tali nomine, et orbis.—Mundo.

LECTIO 2.

Tulit autem Moyses Israel de mari rubro, et egressi sunt in desertum Sur: ambulaveruntque tribus diebus per solitudinem, et non inveniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quod essent amaræ, unde et congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, idest, amaritudinem. Tu.

℟. Benedictum sit Nomen MARIÆ: ' Cujus manus lornatiles plenæ hyacinthis.

℣. Implorantibus MARIÆ Nomen MARIA præsto adest.—Cujus.

LECTIO 3.

Et murmuravit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus? At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum: quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Ibi constituit ei præcepta atque judicia, et ibi tentavit eum. Tu.

℟. Salutemus MARIAM, pro nobis Filium exorantem: ' Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

℣. Hæc est Gedeonis vellus, quæ levissimâ orationis compressione larga exhibet gratiarum stillicidia. —Ave.—Gloria.—Salutemus.

IN II. NOCT.

Ant. 1. MARIA, civitas Dei sancta, gloriosa dicta sunt de Nomine Sancto tuo.

Psalm. 20. Domina in virtute. *p.* 20.

2. Secundum Nomen tuum, sic et laus tua in fines terræ.

Ps. 93. Deus ultionum. *p.* 41.

3. Novi te ex nomine: oleum effusum Nomen tuum.

Psalm. 104. Confitemini. *p.* 43.

℣. Repleatur os meum laude tuâ.

℟. Ut cantem gloriam Nomini tuo.

Sermo S. Epiphanii Episcopi.

De laud. B. V. M.

LECTIO 4.

Beata Anna gravida effecta, cœlum et thronum cherubicum peperit, sanctam puellam MARIAM. Illa enim reperitur esse cœlum, templum, et thronus: quia MARIAM interpretari solemus Dominam, atque etiàm spem. Peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, nempe Christum. Rursùm Nomen illud MARIA interpretatur myrrha maris: myrrham verò dicet aliquis (quod etiàm ego ajo) de immortalitate, eo quod paritura esset gemmam immortalem in mari, hoc est in mundo. Mare autem dicet universum mundum, cui Virgo serenitatem, et tranquillitatem contulit, dum portum peperit Christum. Tu.

℟. Benedictum Nomen MARIÆ, * Sanctum et laudabile, et super exaltatum in sæcula.

℣. MARIA in ore meo, in aure mellos, in corde jubilus.—Sanctum.

LECTIO 5.

Rursùm itaque præclaræ puellæ MARIÆ beatum Nomen interpretatur illustrata, utpote quæ illustrata sit à Filio Dei, et cunctos usque ad terminos terræ credentes illuminaverit. Sancta enim puella MARIA est Sponsa Trinitatis, et thesaurus dispensationis planè arcanus, cui Gabriel inquit: ave gratiâ plena, Dominus tecum. Subjunxit Gabriel: et Pater misit arrhabonem de cœlo Spiritum Sanctum, præparavit Virginem unigenito Filio, cœlesti Sponso, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus Sanctus percupivit. Tu.

℟. Melior est Nomen bonum, quàm multæ divitiæ: Turris fortitudinis MARIÆ Nomen.

℣. Propugnaculum est omnibus, qui ad illud confugiunt.—Turris.

LECTIO 6.

Ex Brev. Romano.

Venerabile ergò Nomen Virginis MARIÆ jam pridem in quibusdam Christiani orbis speciali ritu cultum, Innocentius Undecimus Romanus Pontifex ob insignem victoriam sub ejusdem Virginis MARIÆ præsidio de immanissimo Turcarum Tyranno cervicibus populi christiani insultante Viennæ in Austriâ partam, et in perenne tanti beneficii monumentum, in Ecclesiâ universali singulis annis Dominicâ infra octavam Nativitatis Beatæ Virginis MARIÆ celebrari præcepit. Tu.

℟. Oleum effusum Nomen tuum: * Ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis. ℣. Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.—Ideò.—Gloria.—Oleum.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Nuntiate inter gentes gloriam Nominis MARIÆ, in omnibus populis mirabilia ejus.

Ps. 125. In convertendo. *p.* 47.

2. Omnes populi viderunt gloriam Nominis MARIÆ Matris Dei.

Ps. 132. Ecce quam. *p.* 49.

3. In conspectu gentium revelavit Dominus gloriam Nominis ejus.

Ps. 114. Dilexi Matrem. *p.* 45.

℣. Lætabor et exultabo in te

℟. Psalmum dicam Nomini tuo.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat JOSEPH, de domo David, et Nomen Virginis MARIA. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homil. 2. super Missus.

Loquamur pauca et super hoc Nomine, quod interpretatum maris stella dicitur, et Matri Virgini valdè convenienter aptatur. Ipsa namque aptissimè syderi comparatur, quia sicut sine sui corruptione sydus sunum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturit filium. Nec syderi radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat, cujus splendor, et præfulget in supernis, et inferos penetrat, terras etiàm perlustrans et calefaciens magis mentem, quàm corpora, fovet virtutes, exquoquit vitia. Tu.

℟. Clarissimum MARIÆ Nomen ipsum est stella præfulgens: * Peccatores illuminat, et dirigit ad portum salutis. ℣. Consolatur tristes, miseros levat, et jacentes erigit.—Peccatores.

Bened. 8. Cujus Sanctissimum Nomen colimus.

LECTIO 8.

Ipsa, inquam, est præclara et eximia stella, super hoc mare magnum et spaciosum sublimata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne avertas oculos à fulgore hujus syderis, si nonvis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca MARIAM. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca MARIAM. Tu.

℟. Date Nomini MARIÆ magnificentiam: * glorificate Nomen ejus, quoniàm sanctum est. ℣. Nomen tuum, Domine, in desiderio animæ meæ.—Glorificate.—Gloria.—Date.

LECTIO 9.

In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, MARIAM cogita, MARIAM invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde: et, ut impetres ejus orationis suffragium non deseras conversationis exemplum. Ipsum sequens, non devias: Ipsum rogans, non desperas: Ipsum cogitans, non erras: Ipsâ tenente, non corruis; ipsâ protegente, non metuis; ipsâ duce, non fatigaris: Ipsa propitiâ, pervenis: et sic in temetipso experiris, quàm meritò dictum sit: Et nomen Virginis MARIA. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Dignitas MARIÆ * annuntiatur ex Nomine. *Psalmi de Dominicâ.*

2. Laudate * in exultatione MARIÆ Nomen, quoniàm suave est.

3. Dulce Nomen * MARIÆ super mel ori meo.

4. Benedicite Nomen MARIÆ Matris Dei, et invocate illud sempèr.

5. Beneplacitum est * Domino in nomine MARIÆ, in quo exaltavit mansuetos in salutem.

CAPITULUM. *Jud.* 13. 23. Benedicta es tu, Filia, à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram: quia hodiè Nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum.

HYMNUS 84. *Parn. urg.*

Gloriosa Dei Matris
Nominis præconia
Exaltemus super sydera
Totis nostris viribus,
Ad salutem nobis datum
Divinâ clementiâ.
Nomen semper meditandum

In valle miseriæ:
Nomen dignè venerandum
Supernorum curiæ:
Nomen mirè formidandum
Effugans dæmonia.

Nomen istud prædicatum
Mellos est auditui:
Nomen i-tud invocatum
Dulce mel est gustui:
Jubilus est cogitatum
Spirituali visui.

Nomen ergò tam beatum
Veneremur cernui:
Sit in corde sic firmatum
Quòd non possit erui:
Ut in cœlis potestatum
Copulemur cœtui.

Sempiterna sit beatæ
Trinitati gloria,
Æqua Patri Filioque
Par decus Parachito:
Unius Trinique Nomen
Laudet universitas. Amen.

℣. Lætabor in Virgine MARIA, alleluia.

℟. Psalmum dicam Nomini ejus, alleluia.

Ad Benedict. *ant.* Benedictum Nomen tuum, MARIA Virgo, per quod illuminavit Deus tenebras sedentium in umbrâ mortis.

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui gloriosam Matrem tuam nominari MARIAM voluisti; concede, quæsumus, ut qui dulce ejusdem MARIÆ nomen imploramus, perpetuum sentiamus tuæ benedictionis effectum. Qui vivis et regnas.

AD PRIMAM.

Ant. Dignitas. *Capitul.* Benedicta. *de Laudib.*

℣. ℟. *br.* Quæ MARIA à Deo nominata fuisti.

CANON.

Ex Decreto S. Rituum Congregat. 23. *Jun.* 1736. *in* Einsidlen. *Talu.* 1028.

398. Festum Sanctissimi Nominis MARIÆ celebrandum est Dominicâ infra Octavam Nativitatis ejusdem. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM.

Egressum est Nomen tuum in gentes propter speciem tuam: quia perfecta eras in decore meo, quem posueram super te: Dicit Dominus Deus.

℟. *br.* Magnificate * MARIAM mecum.—Magnificate. ℣. Et exaltemus Nomen ejus in æternum.—MARIAM.—Gloria.—Magnificate.

℟. Repleatur os meum laude tuâ.

℟. Ut cantem gloriam Nomini tuo.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Bar.* 5. 3.

Deus ostendet splendorem suum in te omni qui sub cœlo est: nominabitur enim Nomen tuum à Deo in sempiternum.

℟. *br.* Repleatur os meum * Laude tuâ.—Repleatur. ℣. Ut cantem gloriam Nomini tuo:—Laude.—Gloria.—Repleatur.

℣. Lætabor et exultabo in te.

℟. Psalmum dicam Nomini tuo.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Isai.* 62. 2.

Vocabitur tibi Nomen novum, quod os Domini nominabit, et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.

℟. *br.* Lætabor * et exultabo in te.—Lætabor. ℣. Psalmum dicam Nomini tuo.—Et exult.—Gloria.—Lætabor.

℣. Sit Nomen MARIÆ benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

IN II. VESP.

Ant. 1. In omni ore quasi mel

indulcorabitur memoria Nominis ejus. *Psalm. ut in* 2. *Vesp. Sol.*

2. O quam excellens et sublime est hoc Nomen gloriosissimum MARIA!

3. Tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari, quin recrees affectum diligentium te.

4. In ore mel, in aure mellos, in corde jubilus Nomen dulcissimum MARIÆ.

5. Ipsum invoca, ipsum genibus flexis inclama, ipsum exora ut MARIA sit tibi MARIA.

Capit. de Laudib.

HYMNUS 85. *Apud Marrac.*

MARIÆ sceptro floret clementia,
Quo et regante lenit judicia,
Puniendis dat gratis gaudia,
Et dum jubet silet clementia.

Piam Matrem te rei sentiunt:
Se labentes in te reficiunt:
Te dolentes ardenter sitiunt,
Et amantes ad cœlum saliunt.

Nomen tuum saginat viscera,
Et expressum pigmentat æra,
Cor confortat, et fugat funera,
Umbras delet et donat sydera.

Ense sacro vibrati Nominis,
Cedunt hostes vi fracti fulminis
Pius tremente ad Nomen Virginis
Quàm favillæ fragore turbinis.

Dulce Nomen velis dulcescere,
Et his, rogo, labris illabere,
Ut te suam securus legere,
Cum cor coget mors ingemiscere.

Amen.

℣. Annuntiaverunt cœli Nomen MARIÆ.

℟. Et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Ad Magnif. *ant.* MARIA Virgo omnium oculis gratiosa: nominatum est Nomen gloriæ ejus usque ad extremum terræ.

Oratio de Laudibus.

DIE IX. SEPT.

DE II. DIE INFRA OCTAV.

Semidupiex.

Lect. 1. *Noct. de Feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentin. *Conc.* 2. *in Nativ. B. M. V.*

LECTIO 4.

O Virgo, in tuo Natali mundum illuminasti, cœlos lætificasti, infernum exterruisti, lapsos sublevasti, infirmos et tristes in salutem et lætitiam erexisti. Dicite, obsecro, ô Astrologi sapientes, qui cœlestia contemplamini: Dicite nobis, ô prophetæ, quænam puella ista erit, quæ talis et tam clara prodit in orbem? Annuntiate nobis ejus Nativitatem. Tu, ℟. Ne timeas.

LECTIO 5.

O prophela regalis! Dicito, quid tibi videtur de hâc tuâ filiâ? Quænam puella ista erit? Erit, inquit, firmamentum in terrâ, superextolletur super libanum fructus ejus, et florebunt. scilicet ejus meritis ditabitur Ecclesia, sicut fœnum terræ. Dic quoque tu, Isaias, quid sentis de hâc Virgine? Qualis erit ista Virgo? Super omnem, inquit, gloriam protectio. Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et abscessionem à turbine, et à pluviâ. Id est, justorum erit custodia, et peccatorum suffugium. Tu. ℟. Fundatur.

LECTIO 6.

Ita est, ô Virgo, in omnibus tempestatibus, et pluviis, et adversitatibus, si pestis, si bellum, si fames, si tribulatio, omnes ad te currimus. Tu nostra protectio, tu nostrum unicum remedium subsidium et asillum. Sicut pulli volatilibus desupèr milvi ad gallinæ alas accurrunt, ita nos sub velamento alarum tuarum abscondimur. Ne-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS ARCHIVO HISTÓRICO ® FONDO ANTIGUO BIBLIOTECA PONTIFICIA

simus aliud refugium, nisi tu. Tu sola es unica spes nostra, in quâ confidimus. Tu sola patrona nostra, ad quam omnes aspicimus. Tu. ℣. Fundamenta.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 7.

Liber generationis JESU-Christi, Filii David, filii Abraham. Et relq. Homilia S. Antonini Ep. Florentini. *De Natiu. B. V. c.* 5. 9. 2.

Notandum quòd beata MARIA est liber generationis habens in se quadruplicem generationem. Prima est naturalis, quâ, ut Mater vera, ex suis sanguinibus purissimis genuit Christum Filium suum. Secunda est spiritualis, quâ, ut Mater spiritualis, genuit Joannem Baptistam modo speciali, non solùm levans eum de terrâ sed etiàm et magis quandò ut de sacro fonte Spiritu Sancto et aquâ gratiæ baptizatus est Joannes in utero, sanctificatus ad vocem Virginis, quando salutavit Elizabeth. Tu. ℣. Viis.

LECTIO 8.

Tertia est adoptiva, quandò moriente Filio Imperator ipse in throno crucis manens rescripto suo et edicto adoptavit sibi Joannem Evangelistam in filium, dicens: Ecce filius tuus, et ecce Mater tua. Quarta generatio sua est generalis, et educativa, quâ, scilicet bonos generat, ut pia Mater, et nutrit meritis et exemplis. Ego Mater pulchræ dilectionis, et sanctæ spei. Tu.

℣. Quæ est ista.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Syracusanæ à Miraculis. *Octav. Cajet. in appendice ad SS. Siculos.*

Templum est Syracusis in Sicilià beatæ Virgini sub titulo à Miraculis dicatum, quod à Syracusano populo, magnâ grassante pestilentiâ, constructum est anno millesimo quingentesimo, quo tempore eo in loco, ubi nunc templum, horreum fuit, ad cujus latus Imago Deiparæ in pariete depicta erat. Cum gravis igitur pestis urbem premeret, quàm plurimi ad eam Imaginem magnâ fide accedentes liberati sunt à pestiferâ contagione. Quapropter omnes commoti tantis beneficiis, collectâ pecuniâ Templum erectum fuit, quod à miraculorum multitudine nomen à miraculis accepit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Episcopo. *Spec. B. V. Lect.* 2.

399. Apostolus ait: omnes nascimur filii iræ: O quàm immunis ab isto væ nascentium fuit sanctissima Nativitas MARIÆ, quæ non solùm ab originali culpâ, sed etiàm à fomitis miseriâ, in quantum ad peccatum ductivus erat, sic liberata creditur per sanctificationem in utero, ut nunquàm ad peccatum inclinata fuerit in hoc mundo. Tu.

Vesperæ dicuntur in dieb. infra Octav. ut in 2. *Vesper. Nativitatis cum psalm. de ferid.*

DIE X. SEPT.

B. M. V. DE MONTE-SERRATO.

Duplex.

Omnia ut in die Nativitat. præter sequentia.

Oratio.

Humilitatem nostram, quæsumus Domine, propitius respice; ut qui beatissimam Virginem MARIAM in Monte-Serrato colimus, ad perfectionis montem ascendere valeamus. Per Dominum.

Lectiones 1. *Noct. ferid.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Historiâ Montis-Serrati.

Ex antiquâ traditione fertur eamdem Deiparæ percelebrem Imaginem, quæ hodiè in Montis-Serrati templo colitur, tempore quo Hispania sub Romanorum et Gothorum jugo tenebatur, Barcinonis in veneratione fuisse usque ad Sarracenorum invassionem, quandò, ne in horum prædam veniret, in profundâ prædicti Montis concavitate fuit abscondita. Posteà autem versus noni-sæculi finem per cœleste lumen singulis sabbatis de cœlo in eum locum delapsum, quibusdam Infantulis nocte super greges custodiam agentibus revelata fuit; quo prodigio cognito ab Episcopo Manresæ, una cum clero, et populo illùc se contulit, ut per se ipsum veritatem exploraret. Tu. ℣. Ne timeas.

LECTIO 5.

Devotissima Beatæ Virginis Imago inventa fuit in quedam inaccessibili speco, nimiâ fragrantiâ perfusso, tota ingenti lumine fulgens, omninòque inoffensa. Deindè in eum situm, in quo nunc est cœnobium fuit deducta, ubi et sacellum ipsi struxerunt. Comes autem Barcinonensis ad majorem Deiparæ obsequium monasterium Virginum ibi fundavit. Sed comes Borellus unum post ferè sæculum, ad Sancti Petri puellarum monialibus revocatis, undè et assumptæ fuerant, ad Montem Serratum è Ripu-vilensi Abbatiâ Benedictinos Monachos, maximis privilegiis, ingentibus que donis eis collatis, accersivit. Tu. ℣. Fundatur.

LECTIO 6.

Ab ipso igitur inventionis tempore maximus semper fuit cultus eo in monte Deiparæ tributus. Undequaquè ad eam confluebant peregrini, ex iisque plurimi erant reges ac remotarum provinciarum principes. Illic perennis laus Divæ Virgini deferebatur tùm per monachos, tùm per Heremitas, tum per conversos frates, tùm quoquè per infantulos ipsi oblatos, qui omnes velut quator communitates distinctas efformantes, alternatim singuli suo in tempore illam collaudabant. Hujus Templi opes olim erant ingentissimæ, sed Galli milites initio hujus sæculi à fundamentis igne et ferro omnia vastarunt. Nunc verò antiquo cultui iterum restitutum cum Imaginis repositione, non exiguus fit ad Virginem eo loco invisendam peregrinorum accursus. Tu.

℣. Fundamenta.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 3. 1.

In illo tempore: Videns JESUS turbis ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valentini.

Concion. 3. *in Dom.* 3. *advent.*

Quandò aliquis perditus est in deserto, remedium unicum est, ascendere in montem altum, et allà voce clamare, et vocare, si forte vocem ejus quis audiat. Sed quis altior mons quàm Virgo MARIA? Hæc supra verticem montium, id est Angelorum exaltata est, dicente Prophetâ: Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium (*Lectio* 8). Hic mons de quo dicitur per prophetam: Emitte, Domine, agnum Dominatorem terræ de petrâ deserti, id est, de sinu Paterno, ad mon-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tem Filiæ Sion, id est, ad Virginem. Mons certè evangelatus, multiplici gratiâ, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Tu.

℣. Vitis.

LECTIO 8.

Quid ergò Virgo sacrata...? Memento quoniàm scriptum est: et erit in die illâ stillabunt montes dulcedinem, colles fluent lacte, et per omnes rivos Judæ ibunt aquæ, et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. De te igitur monte pinguissimo stillet afflictis dulcedo misericordiæ, postulantibus lac gratiæ, peccatorum oculis decurrant rivum lacrymarum aquæ. Tu. ℣. Quæ est.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Coloniensis ad Indulgentias. *Gumpenb. Imag.* 283.

Coloniæ in colliculo non procùl à templo Sanctæ Ursulæ situm est templum Beatæ Virginis ad indulgentias, cujus initia tribunum cuidam nobili viro, qui cum Jerosolymam peregrinus viseret, in viâ conjectus est in vincula, ubi invocatam meruit videre Deiparam, et ab eâ vinculis exui. Cum autem ille ad hoc sacellum veluti votivum donum afferret, vidit ibidem Virginis imaginem eâ quâ apparuit in carcere formâ in pariete impressâ, quam non humanâ, sed ipsius Virginis manu elaboratam Colonienses credunt. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Ave MARIA, Serrati-Montis incola, Decus Hesperiæ, Barcinonis gloria, ostium pacis, porta sacrorum liminum, perquam transeunt ad vitam Dei famuli.

Orat ut supr.

CANON.

Ex Alejandro Papâ Septimo. *Const.* 34. Exponè nobis. §. 2. *an.* 1655. *Tom. VI. part. 4. p.* 44.

400. Privilegia et gratias Monasterio Beatæ Virginis MARIÆ de Monte-Serrato, et Confraternitati sub invocatione ejusdem Beatæ MARIÆ Virginis in eo canonicè institutæ à diversis Romanis Pontificibus concessa... apostolicâ auctoritate tenore præsentium approbamus et confirmamus. Tu.

Vesper. ut in 2. Vesp. Natiu. Orat. ut in Laudib.

DIE XI SEPT.

DE IV. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

Lection 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis. *Homilia 2. super Missus.*

LECTIO 4.

Lætare pater Adam, sed magis tu ô Eva mater exulta: qui sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores: et quod infelicius priùs peremptores, quàm parentes. Ambo, inquam, consolamini super filiâ et tali filiâ, sed illa amplius de quâ malum ortum est priùs, cujus opprobrium in omnes pertransiit mulieres. Instat namque tempus, quo jam tollatur opprobium, nec habeat vir quid causetur adversus feminam: qui utique dum se impudenter excusare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est dicens: Mulier, quàm dedisti mihi, dedit mihi de ligno et comedi. Tu. ℣. Ne timeas.

LECTIO 5.

Properè curre Eva ad MARIAM, curre mater ad filiam: filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobium auferat: ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per feminam, jam non erigitur nisi per feminam. Quid dicebas, ô Adam? Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno et comedi. Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas, quàm deleas culpam. Verum tamen sapientia vincit malitiam, cum occasionem veniæ, quam à te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis invenit. Tu. ℣. Fundatur.

LECTIO 6.

Redditur nempè femina pro feminâ prudens pro fatuâ, humilis pro superbâ quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, et pro venenoso cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructûs æterni. Multa ergò iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, et dic: Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, et comedi: et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me. Tu. ℣. Fund.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum

LECTIO 7. c. 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi, filii David, filii Abraham. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. *Hom. 2. in Matthæum.*

Non erat mos apud Hebræos generationum catalogum per feminas texere. Ut ergò et morem custodiret, neve in ipso statim principio videretur antiquia destruere, et nobis Virginem certius indicaret: parentes ejus relicens atque majores, de JOSEPH generatione non tacuit. Tu. ℣. Vitis.

LECTIO 8.

Sive enim hæc fecisset in Virgine, novitatis non effugisset invidiam: sive JOSEPH reliquisset, non agnosceremus ex quâ tribu Virgo subsisteret. Ut ergò et nos discerneremus, quæ esset MARIA, vel undè, et consuetudo legis permaneret immobilis, generationum catalogum usque ad sponsum ejus perduxit, ac de domo illum David esse monstravit. Tu. ℣. Quæ est.

LECTIO 9.

Commemoratio S. MARIÆ Ravenosæ.

Octav. Cajet. ad Sanct. Siculos.

Quo tempore Comes Rogerius Siciliam à Sarracenorum jugo eripere conabatur, id traditur evenisse anno millesimo octogesimo, quod pictum adhuc visitur in templo Sanctæ MARIÆ Ravenosæ. Cum urbem Sarracenam acriter Rogerius oppugnaret, præ aquarum penuriâ universus exercitus laborabat: qua propter Deiparam pius Comes enixè precatus est, ut siti vexatis copiis benigna opitularetur. Nec frustra, nam eo in loco, quo ipsa Virgo, prædixerat Rogerio, erupit aquæ fons paululùm effosâ terrâ, et totus exercitus fuit sublevatus. Posteà, capto oppido, Comes in tanti beneficii monimentum perpetuum Templum sanctissimæ Virgini erexit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Divo Thomâ Aquinate. 3. *p. q.* 27. *art.* 1. *Sed contrs.*

401. Ecclesia celebrat Nativitatem Beatæ Virginis, non autem celebratur Festum in Ecclesiâ nisi pro aliquo sancto: ergò Beata Virgo in suâ Nativitate fuit sancta. Tu.

Vesperæ ut in 2. Vesp. Nat.

DIE XII. SEPT.

B. V. MARIÆ A NAZARETH.

Duplex.

Non prop. ut in die Nativ. Lect. 1. *Noct. de Fer.*

IN H. NOCT.

LECTIO 3.

Gumpenberg. Imag. 205.

Non procùl à Pederneira urbe in Lusitaniâ à multis jam sæculis summâ religione colitur Beatæ Virginis effigies, cui nomen à Nazareth, quòd ex illa quondam urbe sævientis Iconomacorum persecutione à quodam Syriaco Monacho in Hispaniam delata sit, et in cœnobio cauliano collocata. Diù honores suos accepit usque ad invasionem Hispaniæ à Mauris: tunc enim Romanus Monachus, ea imagine assumptâ, occidentem versus fieri arripuit, et Pederneiram pervenit, ubi in Sciano monte, excitato sacello, eam abscondidit. Tu. ℣. Ne timeas.

LECTIO 5.

Latuit Sanctæ Deiparæ effigies usque ad Alphonsi primi tempora, quo regnante in Lusitaniâ, Fuasius Roupinus Virginis sacellum squalore obsitum, et sylvis circum horrentibus absconditum invenit, dum cervos per avia, deviaque persequeretur. Tunc, eo jubente, sacellum purgatum est, ut apud vicinos in honoribus esset, et frequentibus peregrinis celebre crevit religio, et miris modis aucta est, postquàm Deiparæ placuit inaudito miraculo, quo ipsum Fuasium à morte liberavit, celebrare locum. Tu.

℣. Fundatur.

LECTIO 6.

Ad hujus miraculi memoriam Fuasius Roupinus sacellum extruxit priore nobilius, quod stetit usque dum Rex Ferdinandus anno millesimo trecentesimo septuagesimo septimo justæ magnitudinis templum curaret. Hodiè adhuc augustior sanctæ sedes imminis est: quæ est è ligno nec sesqui pedem excedit, colore subfusco, facie venustissimâ, et divinam quamdam modestiam præferente: JESULUM in gremio habet. Non sine miraculo est, quod cum tot sæculis duret, integra tamen et illæsa ad hæc usque tempora perseveret. Hodiè dum miraculis claret, et peregrinantium affluxu celebris est. Tu.

℣. Fundamenta.

Homilia Miraris quod Nazar, *ut in Duplicib. pro temp. Prægratian.*

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. M. de Sclavonia.

Gumpenberg. Imag. 208.

Corigliamum Calabriæ oppidum est, ad mare situm. Ibi quidam, cui Antonius nomen, vidit nocte non multis passibus à littore Virginem sedentem in throno, eamque audivit se alloquentem in hâc formâ. Ego sum Deipara de Sclavonia, et volo mihi fieri imaginem in hanc formam, ut vides, et imagini templum extrui. Profuit Calabris negleeta Antonii pietas: siquidem et iteratâ apparitione fraudum suspiciones excusæ, et Antonio plus temporis datum, quo visam imaginem melius memoriæ commendaret. Itaque Archiepiscopo Rassavensi re omni quàm fidelissimè narratâ, datum est principium imagini, dictante Antonio, nec multò post templo suâ fundamenta jacta sunt. Tu. Te Matrem.

Vesperæ ut in 2. *Vesper Nativ.*

DIE XIII. SEPT.

DE VI. DIE INFRA OCTAVAM.

Semiduplex.

Lectio 1. *Noct. de fer. Relig. ut in die Nat.*

IN H. NOCT.

Sermo S. Joannis Damasceni.

Oratio 1. *in Nativ. B. M. V.*

LECTIO 4.

Hodiè sterilitatis portæ aperiuntur divinaque porta Virginalis procedit, ex quâ et per quam, qui est super omnia Deus in orbem terræ corporali modo est ingressurus, ut Pauli arcanorum auditoris verba usurpem. Hodiè virga de radice Jesse orta est, ex quâ mundo flos divinè subsistens ascendet. Hodiè in terrâ ex terrenâ naturâ cœlum, ille condidit, qui olim ex aquis firmamentum compegerat, et in altum extulerat. Ac sanè cœlum istud longè illo divinius est, ac stupendum magis. Nam qui solem in illo condidit, ex hoc ipse justitiæ sol oriturus est. Tu.

℣. Ne timeas.

LECTIO 5.

Hodiè porta illa ad Orientem posita extructa est, per quam Christus ingredietur, et erit clausa porta, in quâ Christus ostium ovium, cujus nomen oriens, per quem accessum ad Patrem luminis principium habuimus. Hodiè perfluunt auræ totius orbis gaudii præmuntiæ. Lætentur cœli desuper, terraque infrà exultet, mundi mare commoveatur. In hoc enim concha gignitur, quæ cœlitùs ex divino fulgetro in utero habebit, parietque pretiosissimam margaritam Christum: ex quâ rex gloriæ carnis purpurâ vestitus, ad captivos veniens, demissionem prædicabit. Tu.

℣. Fundatur.

LECTIO 6.

Exultet natura: agna enim in lucem editur, ex quâ pastor ovem induet, ac veteris mortalitatis tunicas lacerabit. Choreas agat virginitas, quoniàm, ut loquitur Isaias, nata Virgo est, quæ habebit in utero, parietque filium, cujus nomen vocabitur Emmanuel, hoc est, Nobiscum Deus. Lætare Anna sterilis, quæ non paris: erumpe, et clama, quæ non parturis. Exulta Joachim, quoniam ex filiâ tuâ puer natus est nobis, et filius datus est nobis, ex vocabitur nomen ejus, magni consilii, salutis universi mundi, angelus, Deus fortis. Tu.

℣. Fundamenta.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO. 7. *c.* 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi, filii David, filii Abraham. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Expos. in Lucæ Ev. libr. 3.

Cum autem JOSEPH magis quàm MARIÆ generatio describatur, cum MARIA de Spiritu Sancto generaverit Christum, et JOSEPH à generatione Domini videatur alienus, dubitare possemus, nisi consuetudo nos instrueret scripturarum, quæ semper viri originem quærit. Sic enim habes: Phares fuit Judæ principis tribus. Hic generavit Hesrom. Hesrom autem genuit Aram. Tu. ℣. Vitis.

LECTIO 8.

Noli mirari, quòd JOSEPH origo descripta est. Etenim secundum carnem natus, usum debuit sequi carnis, et qui in sæculum venit, sæculi debuit more describi, maximè cum in JOSEPH originæ, origo sit MARIÆ. Nam cum vir justus fuerit JOSEPH, utique ex tribu suâ accepit uxorem, nec potuit justus facere contra id, quod præscriptum est. Tu. ℣. Quæst.

LECTIO 9.

Commemoratio Sanctæ MARLÆ in Trivio.

Spinelli Tract. in Deip.

Sub hâc die Romæ fit dedicatio Sanctæ MARLÆ in Trivio, sic dicta à tribus præcipuis, quæ illinc cocunt viis. Dicitur etiam Sancta MARIA in synodo, ab aliquâ forsasse Synodo illic antiquitùs celebratâ. Hoc templum à Gregorio decimo tertio sacro ordini Crucigerorum assignatum est. In quâdam templi hujus pariete memorabile sanè visitur exstissum in lapide monumentum pœnitentiæ ob admissum scelus peractæ à Belisario Justiniani duce. Nam cum sanctum Sylverium Pontificem in exilium misisset, facti postmodum pœnituit, et erigendam in urbe Ecclesiam inde curavit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex S. Bernardo Abbate.

Epistola 173. ad Canon. Lugdn.

102. Fuit procul dubio Mater Domini ante sancta quàm nata. Nec fallit omninò sancta Ecclesia sanctum reputans ipsum Nativitatis ejus diem, et omni anno cum exultatione universæ terræ votiva celebritate suscipiens. Tu.

DIE XIV. SEPT.

DIVA VIRGO HALLENSIS.

Duplex.

Vesperæ ut in 2. Vesp. Not. Psalm. de festâ.

Lect. 1. Noct. de fer. Reliqua ut in die Nativ. Sed si transferatur officium fit de comm. pro tempor.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Justus Lips. in dicd Virgine Hallensi.

Hallis in Hannoniâ tertio à Bruxellâ milliari Diva Virgo maximè colitur. Est enim templum in eo oppido, foro imminens, eleganti satis opere: cujus ala ingredientibus sinistra sacellum habet et aram, ac super aram statuam Deiparæ. Sacellum modicum est, ornatum à donariis et tabulis votivis habet, religionem à se, et nescio, quomodò ingredientes ea tangit. Concursus huc olim et nunc, undique etiam à longinquis locis, et quam latè propè modum christiani dines se tendunt. Tu.

℣. Quem me, quove loci esse dicam? Tene ergò divam cerno? *Te fruor, et datur ora tueri, quæ totiès mihi contemplarier ardor.* ℣. Pro quâ luce toi olim vovi ego vota.—Te fruor.

LECTIO 5.

In eâ Virginis statuâ observatur aliquid mirî videri, quæ haud magna bipedalis circiter et è puro et medicato ligno toi sæcula perseverat, immunis adhuc ab exitiali peste, et ab incendiis, quæ urbecula illa aliquoties sensit, cum illa diva et se, et templum suum omni vicino foro, et juxta ipsam ædem ardentibus defendit. Annales quoque referunt aliquoties oppidum illud, nec sinu nec opere munitum, tentatum ab hoste, vel clam et fraudibus, vel palam et machinis, et tutelâ præsidioque ejus stetisse invictum. Tu.

℟. Sacram prono ad aram flecto corpus, et ipsam consecro mentem. *Suscipe et tibi deditum ò admitte clientem.* ℣. Quæ magni genus es Dei, cui Deus ipse imputat genus et suam inscribit sibi Matrem.—Suscipe.

LECTIO 6.

Origo autem sanctissimæ Imaginis, quæ illic colitur, hæc est: Sophia filia Divæ Elizabethæ Hungariæ, fertur à Matre aliquot statuas

Beatæ Virginis accepisse, exquibus tres dedit Mathildi sorori Henrici ducis mariti sui, quæ jam moritura dispartivit, et locis suis quamque assignavit. Unam Gravescendæ Hollandæ veteris oppido: alteram Halermi asservandam in sacrario Carmelitarum: tertiam denique hanc Hallis Hannoniæ collocari voluit. Hoc evenit anno millessimo, ducentisimo sexagesimo septimo, quo Mathildis illa obiit. Tu.

℟. Qui verbo omnia condidit, *Is se se in gremium tuum Verbum condidit, et tuâ editus alvo est.* ℣. O mirum! Stupet hæc humus, et stupet æther.—Is.—Gloria.—Is.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 21.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. *In Joan. c.* 2. *Hom.* 20. *circa finem.*

Cum audieris mulierem illam dicentem: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti: deindè Dominum respondentem: Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud, eâ sententiâ dictum existima, non quòd Matrem negligeret, sed nihil ei utilitatis matris nomen allaturum ostenderet, nisi bonitate et fide præsaret. *Lect.* 8. Quòd si MARIÆ nihil sine virtute maternâ charitas erat profutura, longè minùs nobis patris fratris, matris, filii bonitas, nisi aliquid nostrum afferamus. Tu. ℟. Vitis.

LECTIO 8.

In nullo namque alio, nisi in solis suis ipsius virtutibus post divinam gratiam de salute cuipiam sperandum est. *Lect.* 9. Nam si id profuturum erat per se MARIÆ, profuisset etiàm Judæis, quorum consanguineus erat Christus secundum carnem, profuisset civilati, in quâ natus est, profuisset fratribus. Atqui duam fratres rerum suarum curam habuerunt, nihil eis propinquitatis nomen profuit, sed cum reliquo mundo damnati erant. Tu. ℟. Quæ est ista.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Perpiniacensis de Corrego. *Camos l.* 8. *c.* 2.

Perpinianense Sancti Joannis templum Sacellum Deiparæ sacrum habet sub titulo de Corrego, seu vulgariter de Corrachs, à loco, ubi, uti fertur, ejus Imago inventa fuit jam ante Caroli magni tempora; nam in per antiquo codice de ipso hæc verba leguntur: De novo ædificavit Ecclesiam de Corrego, vel Correvo sub invocatione Sanctæ MARIÆ... Et ibi fundavit Monasterium Monachorum nigrorum Sancti Benedicti. Quæ Ecclesia auctoritate Sergii secundi Papæ ab Archimico Abbate conserata fuit anno octingentesimo quadragesimo quarto. Tu.

DIE XV. SEPT.

OCTAVA NATIVITATIS B. M. V.

Duplex majus.

Vesperæ ut in 1. Vesper. Nativit.

Oratio.

Famulis tuis, quæsumus, Domine, cœlestis gratiæ munus impertire; ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Nativitatis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

AD MATUTIN.

HIMNUS 86.

O cuncta verbo continens
Altissimi virtus Patris,
Quàm lapsibus suavi tèr
Nostris medellam provides!

Te carne nostrâ vestiens
Alvum subisti Virginis,
Ut innocens pro noxiis
Te sponte mortì traderes.

Quam tu tibi delegeras
Matrem creando prævenis,
Cunctisque complens gratiis
Dignam facis te Filio.

Aurorâ qualis lucida
Primum præit solis jubar:
Sic Virgo te JESU suo
Splendore signat proximum.

Doxol. de mf. oct.

Lect. 1. Noct. ut in die Nativ.

Dominus possedit.

IN II. NOCT.

Sermo S. Andreæ Cretensis.

Oratio 1. in Nativitat. B. M. V.

LECTIO 4.

Natalitia celebritas est hodiè, ac generis reformatio. Jàm enim Virgo nascitur, lactatur, ac formatur, omnium sæculorum Deo Mater inupta præparatur: idque nobis ex Davide, cum David spiritualem indixit concentum: ut illa quidem suam, ut Dei Matris divino munere concessam proponat Nativitatem; hinc generis ostendat felicitatem, Deique cum hominibus novam maximè, atque decentem cognationem. Tu. ℣. Ne timeas.

LECTIO 5.

Nunc ergò chorus ducat hodiè probâ omnis ac grata anima: naturaque creata universa ad sui ipsius renovationis et reformationis gaudia convocet. Una hodiè cœlestium, terrestriumque sit communis festivitas, pariterque quidquid inferi, supernique mundi est, diem solemnem agat. Hodiè namque Creatoris omnium creatum delubrum exædificatum fuit: ac creatura divinum Creatori novâ decentique ratione præparatur hospitium. Tu. ℣. Fundatur.

LECTIO 6.

Hodiè natura priùs é terrâ orta Deitatem primò accepit, pulvisque ad supremum gloriæ apicem excurrere contendit. Hodiè ex nobis nostri loco, Adamus primitias Deo offerens, MARIAM primitias facit, totiusque conspersionis ante subacta massa, ad generis reformationem per eam, in panes formatur. Hodiè magnus virginitatis retegitur sinus, inviolatumque veræ incorruptionis margaritum, ecclesia ut sponsa induitur. Tu. ℣. Fundamenta.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c. 1. 1.*

Liber generationis JESU-Christi, filii David, filii Abraham. Et reliq.

Homilia S. Brunonis Presbyteri.

In Natiy. B. M. V.

Audivimus in lectione evangelicâ, de quâ gente, de quâ tribu, de quâ stirpe beatissima Virgo MARIA originem duxerit; de quâ ipse Dominus et Salvator noster secundum carnem factus est, et verus homo inter homines conversatus est. Et valdè quidem ad rem pertinebit, ut Evangelista hanc lineam Christi generationis tàm longam composuerit, et ordinaret, qualenùs sciamus non solùm ex Patribus Dominus natus sit, verum etiàm undè morlem, et undè vitam habeamus. Tu. ℣. Vitis.

LECTIO 8.

Primum hujus lineæ caput est Adam, secundum verò Christus. Hæc linea incipit ab Evâ, et desinit

in MARIÀ. Cum enim ab eâ usque ad ipsam linea extendatur, in ipsâ tandem ille hamus ligatus et incarnatus est, per quem captus est ille Leviatam, serpens antiquus, qui est diabolus, et Satanas, ut qui per feminam in regnum intravit, per feminam de regno extraheretur. Tu. ℣. Quæ est.

LECTIO 9.

Considera modò quantas gratias debeamus beatissimæ Dei Genitrici. Considera quantis laudibus eam extollere et prædicare debeamus: si tamen digni simus quorum laudes inter omnes creaturas pulcherrima suscipere dignetur; cujus humilitate et sapientiâ hic tantus hostis captus et ligatus et de regno, quod tanto tempore injustè possederat, ejectus est. Ipsam igitur laudemus, ipsam prædicemus, simùlque ei dicamus: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 87. *Brev. Carduceus.*

O Virgo, quanta nuptias
Mundo gementi gaudia,
Dum te creantis Filii
Mater futura nasceris!

Infans supernæ prævio
Dono corruscas gratiâ:
Et quot decet refulgeas,
Tot ex repleta dotibus.

Venturus in te Spiritus
Sedem sibi se consecrat,
Et dignitatis inserit
Mox nuntiandæ germina.

Virtus potens Altissimi
Suo fovet te numine,
Quo roborata verticem
Anguis dolosi conteris.

Clemens ab ortu dexterâ
Nos liberali protege,
Et nasciturò pectora
Fac consecremus Filio.

Doxol. de Octavâ.

CANON.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

22. *Jun.* 1736. *in Eusidien.— Tolu.* 1029.

103. Quandò dies octava Nativitatis Beatæ MARIÆ Virginis incidat in Dominicàm in quâ celebrari debet Festum Sanctissimi Nominis ejusdem, nulla fit commemoratio Nativitatis. Tu.

Cum 2. Vesper.

QUAT. TEMPORA SEPTEMB.

quæ sunt feriâ IV, VI. et Sabb. quæ sequuntur diem decimam quartam Septembr.

Si his diebus occurrat aliquod festum ft de eo, cum commemoratione feriæ, recitando Evangel. cum Homil. feriæ occurentis loco nonæ Lectionis.

Si nullum occurat festum nov. Lection, officium fit, ut in feriis cum Sequent. Homilia.

FER. IV. QUATUOR TEMP.

Simplex.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 1. 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi.

Homilia 6. in Lucam.

Licet ergò castellum aliàs malum significet, et illud de quo dictum est: fie in castellum, ubi et quod additur, quod contra vos est, planè manifestat, quid significet: tamen hoc castellum in quod intravit JESUS singularem intemeratam Virginem ejusdem JESU Genitricem, salvâ Scripturarum regulâ, per similitudinem accipimus. Castellum enim dicitur quælibet turris,

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et murus in circuitu ejus. Quæ duo sese invicèm defendunt, ita ut hostes per muros abarce, et per arcem à muris arceantur. Tu. ℣. Dilexisti. *p.* 65.

LECTIO 2.

Hujusmodi castello non incongruè Virgo MARIA assimilatur, quam virginitas mentis et corporis, quasi murus ita undiquè vallavit, ut nullus unquàm ad eam esset accessus, nec sensus ejus aliquâ corrumperentur illecebrâ. Et quia virginitatem, cum libido non possit, solet impugnare superbia, est in eâdem Virgine turris humilitatis, quæ à muro virginitatis omnem repellit superbiam. Tu.

℣. Filiæ Tyri. *p.* 65.

LECTIO 3.

Et quia humilitatem, cum superbia non possit, solet impugnare libido, murus virginitatis à turre humilitatis omnem repellit libidinem. Itaque hæc duo, murus videlicet Virginitatis, et turris humilitatis ab alterutro muniuntur, ut nunquàm in humili Virgine fuerit nec superba virginitas, nec inquinata humilitas; sed sempèr in eâ permanserit, et humilis virginitas, et virginalis humilitas. Tu. ℣. Omnis. *p.* 65.

Preces ad Laud.

Oratio.

Deus mœrentium consolator, et in te sperantium salus, da nobis Beatæ MARIÆ sempèr Virginis interventu peccata nostra deplorare, et gratiæ tuæ indulgentiam invenire. Per Domin.

Hæc oratio dicitur ad Laudes et Horas tantùm. Vesperæ dicuntur ut in festivali Officio cum Oratione Dominicæ præcedentis.

FERIA VI. QUATUOR TEMP.

Simplex.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus et soror Matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 85. *in Joanne.*

Ipse crucifixus Matrem suam discipulo commendat, ut nos doceat ad extremum usque halitum, parentum curam præcipuam esse gerendam. Quandò igitur Mater intempestivè accessit, dicit: quid mihi et tibi est mulier. Hic verò magnum exhibet amorem, et discipulo, quem diligebat, ipsam commendat. Tu. ℣. Diffusa est. *p.* 65.

LECTIO 2.

Matrem verò commendans dicit: Ecce filius tuus. O quantum honorem discipulo collatum! Cum enim ipse jam abiret, ipsam discipulo curandam tradit. Quia enim credibile erat ipsam, utpote Matrem dolere, et patrocinium quærere, jure illam discipulo tradit, dicens: ecce Mater tua. Hæc porrò dicebat, et ipsos mutuo conjungens amore: quod cum intelligeret discipulus, ipsam in sua accepit. Tu. ℣. Sicut cedrus. *p.* 65.

LECTIO 3.

Cur autem nullam aliam memoravit mulierem, licet alia quoquè astaret? Ut nos doceret plùs tribuendum matribus esse: ut enim parentes, cum spiritualia impediunt, nec cognoscendi quidem sunt: sic cum non ea cohibent, omne debitum est ipsis præstandum, et aliis sunt anteponendi, quia nos genuerunt, educarunt, milleque mulla subierunt. Sic Marcionis impudentiam reprimit. Si enim secundum carnem natus non esset, nec matrem

haberet, cur tantam de illâ solâ gerit curam? Tu. ℣. Specie tuâ. *p.* 65. *Preces ad Laudes.*

Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui in protectione beatæ et gloriosæ sempèr Virginis MARIÆ confidimus, nulla neque in vitâ, neque in mortis horâ hostis tentamenta timeamus. Per Dominum.

Vesperæ ut in feriali Offic. cum Oratione Domin. præcedentis.

SABBATO QUATUOR TEMP.

Simplex.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 1. *c.* 1. 1.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Damasceni.

De ortodoxâ fide, lib. 3. *c.* 12.

Ipsummet Verbum factum est caro, ut conceptum quidem de Virgine fuerit, Deus verò prodierit cum assumptâ naturâ, quam deificarat, simùl ac producta est. Exindè tria pariter unà contingerunt, nimirùm, quòd assumpta sit, quòd extiterit, quòd deificata à Verbo fuerat. Tu. ℣. Dilexisti. *p.* 65.

LECTIO 2.

Hinc fit, ut Virgo Sancta Dei Genitrix tum intelligitur, tum appelletur, non modò propter naturam Verbi, sed etiàm ob humanitatem deitate donatam, stupendo miraculo patratis simul horum et conceptione et existentiâ. Verbi quidem conceptione, carnis verò existentiâ in ipso Verbo. Tu. ℣. Filiæ Tyri. *p.* 65.

LECTIO 3.

Ipsa namque Dei Genitrix supra naturæ leges rerum omnium ficlori subministrabat, undè ipse quoquè fingeretur, universorumque conditori Deo, ut assumptam humanitatem Deitate donans, homo ipse fieret, cum interim unio, quæ unita sunt, talia servaret, qualia unita essent, hoc est non divinitatem solùm, sed etiàm Christi humanitatem: nec illud solùm, quod supra nos, sed id quod nostrum est. Tu. ℣. Omnis. *p.* 65.

Preces ad Laudes.

Oratio.

Concede nos, quæsumus Domine, Sanctissimæ Genitricis tuæ intercessione muniri, ut quam in nostris necessitatibus assidùè invocamus, apud tuam clementiam propitiam invenire possimus. Qui vivis.

Vesperæ ut in Sabbat. Oratio de sequenti Dominicâ.

DIE XVI. SEPT.

In festivitatibus temporis Infantiæ quæ non fuerint propria, dicuntur ut in Communi de eodem tempore, nisi aliter notetur.

B. V. M. DESERTORUM.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui beatissimam Virginem MARIAM dulcissimo titulo Matris Desertorum nos venerari tribuisti ejusque intercessione tantam gratiam conferre dignatus es, ut nullus ad ejus præsidium confugiens fuerit derelictus, concede nobis famulis tuis, ut sub tantæ Matris protectione constituti, nunquàm à tuâ bonitate deseramur.

Per Dominum nostrum.

Lectiones I. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Chrysog., Balinghem et aliis. Valentiæ Edetanorum celeberrima miraculis extat Deiparæ Imago sub

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

duplici titulo Sanctorum Innocentium et Deserlorum, quæ ab hominibus cœpta, ab angelis anno millesimo quadringentesimo decimo sexto perfecta depictaque creditur. Priùs in Xenodochio locata, posteà in Metrapolitanum templum fuit deducta, ubi in permagnifico Sacello ingenti cultu afficitur. Tu.

℣. Benedictus.

LECTIO 5.

De hâc beatissimæ Virginis Imagine illud refertur planè prodigiosum: cum quis sumergitur, vel cum quis circa civitatem trucidatur, audiuntur in armario, quo illa sacrata Imago clauditur, certi ictus. Eadem miraculosè prodere consuevit locum homicidii, et quo loco sit cadaver. Tu. ℟. Dic ergò.

LECTIO 6.

Illud quoquè stupendum contingit. Cum quidam ob perpetratum homicidium ducerelur ad supplicium, in itinere prostravit se in genua coram Sacello in quo Imago illa asservabatur, enixè Deiparam rogans, ne se in tanto periculo constitutum desereret. Vix verba finieral, cum Imago conclusa, ex armario responsum clementiæ, quinque ictibus, qui ab universo populo auditi sunt, reddidit. Pro tanto beneficio reus ille gratias acturus Dei Matri, genua dum flectit, iteratò quinque alii ictus, uli anteà, in signum confirmatæ clementiæ exauditi sunt. ℣. Pulchra.

Homilia de Comm. 2. loco.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Vineto.

Camòs libr. 2. c. 15.

Uno ab oppido Sitges milliario in Diœcesi Barchinonensi magnificum extat templum, in quo Divæ Virginis Icon, sub titulo de Vineto, eo quod in vineâ primùm à quodam servo Mahumetano, et posteà ab ipso servo et ejus domino simùl inventa, ut fertur, fuerit, mirificè colitur. Eo in loco semper Deipara exorabilis oppidanis se præbuit, tum in publicis tum in privatis ærumnis, et præcipuè in maris periculis, ut ex appensis è muro tabellis satis apparet. Imago ad duos pedes alta lignea est: sedens sinistro genu puerum sustinet, qui dextrâ manu benedicit, et lævâ pomulum servat. Tu.

Vesp. à capit. sequentis.

DIE XVII. SEPT.

D. V. MATRITENS. DE ATOCHA.

Duplex.

Oratio.

Omnipotens et misericors Deus, qui hanc Sanctissimæ Genitricis Filii tui Imaginem mirabilibus signis venerabilem nobis esse voluisti: concede propitius, ut ejusdem Beatissimæ Virginis MARIÆ patrocinio vitam et incolumitatem consequamur. Per eumdem.

AD MATUTIN.

HYMNUS 88. *Petr. Canis.*

Virgo vetustis edita regibus
Regina cœli, diva potens soli,
Marisque sydus æstuosi,
Alma parens hominisque Dei.
Pias tuorum respice lacrymas,
Benigna Virgo, votaque supplicum
Audi precesque, ó christianæ,
Gloria præsidiumque gentis.
Ad te malignis confugit hostibus
Vexata: duris fracta laboribus,
Frementis et mundi procellis
Obruta; præcipitesque casus
Tot passa, vitæ totque pericula
Te clamat, unam nomine te vocat:
Ades vocata, nec clientes
Muneribus vacuos remittis.
Æterna summo gloria sit Patri

Natoque necnon Spiritui Deo
Numenque tres unum futuris
Posteritas colatus que sæcls. Amen.

Lection. 1. Noct. de ferid.

IN II. NOCT.

Ex Histor. B. V. de Atocha.

LECT. 4.

Sanctæ Deiparæ Imago de Atocha, priùs ab Antiochiâ dicta, quæ Matriti colitur, et divi Lucæ opus, et à Divo Petro accepta creditur, ac in Sacello, ubi nunc exurgit ejus magnificum templum, à Matritensibus locata. Ex tunc ab Hispanis semper accepit magnos honores, præsertim Gothorum tempore, ut ex Divo Hildephonso liquet. In Sarracenorum vastatione inter ingentes circumjectas ruinas Ipsa stetit, veluti certum salutis et recuperandæ libertatis signum. Gratianus Ramirez, ipsâ invocatâ, cum paucis innumeros Mauros devicit, et templum ingressus grates Virgini acturus, sponsam et filias priùs occissas, resurrectas invenisse, et deindè sacram Iconem solemni pompâ per urbem detulisse, fertur. Quod etiàm fecit Ramirus secundus, postquàm Matritum ad arabibus iterùm captum, recuperavit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Alphonsus Sextus Deiparam de Atocha Matritensium Patronam, toto acclamante populo, nuncupavit. Carolus primus è Sacello extruxit Templum, cui cœnobium Patribus Dominicanis adjunxit, quod opus ejus filius perfecit. Philippus Tertius sub suo regio jure omnia hujus Virginis accipere constituit, quæ ut sibi propria succedentes Reges semper reputarunt, et maximè Ferdinandus Septimus qui è Galiis redux, anno millesimo octingentesimo decimo quarto, hæc jura et recognovit et renovavit. Elizabetha tandèm quanti hanc Divam faciat, cultu qui per ipsam Deiparæ eo in templo tribuitur, muneribus verè regiis, quæ ipsi incessantèr offert, frequentibus invisionibus, quibus eam salutat, pluribusque aliis quotidiè mirabili pietate ostendit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Miraculorum à Deiparâ per hanc ejus Imaginem patratorum universus orbis fidelis testis apparet, nam Hispanorum copiæ, ipsâ ducce, per quatuor mundi plagas, vel ab hostibus salvæ evaserunt, vel ad victoriam veloci pede cucurrerunt. Indè est, quòd et ovantia eorum signa, et capta ex adversariis vexilla in de Atocha Fano ex muris gloriosè pendent. Matritensis verò urbs præsertim hujus Virginis opem millies experta est, per ipsam evadens libera et à pestiferâ lue, et ab imminentibus ægrotationibus, et à plurimis aliis gravissimis cladibus, quibus miserè affecta non rarò fuit. Undè devotio erga eam et populi accursus ad hoc Beatæ Virginis templum quotidiè cresci:, Pontificibus Romanis hunc cultum approbantibus, et thesauros Ecclesiæ illud visitantibus aparientibus. Patribus Dominicanis ex eo cœnobio expulsis, Presbyteri seculares eorum locum, Reginæ gratiâ et pietate, obtinent. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Procli Ep. Cyzisi.

Habit. in Conc. Constantin.—Conc.

Ephes. p. 1. *c.* 1. *Concil. T. V. p.* 13.

Sacra Deipara MARIA in unum nos coegit. Hæc illibatæ virginitatis purus ille thesaurus, decusque et ornamentum: hæc spiritualis secundi Adami paradisus: hæc unitarum inter se naturarum officina: hæc salutaris reconciliationis panegyris: hæc thalamus, in quo Verbum humanam carnem sibi desponsavit: hæc animalæ naturæ rubus, quem divini partus ignis non combussit: hæc verè levis illa nubes quæ super cherubim sedentem in corpore suo gestavit. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Hæc vellus mundissimum cœlesti pluviâ madens, ex quo Pastor ovem induit: hæc ancilla est et Mater, Virgo et cœlum: hæc sola pons est, per quem Deus ad hominem descendit. *Lect.* 9. Hæc admirandæ illius æconomiæ tela, in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius unionis tunica confecta est, cujus quidem textor extitit Spiritus Sanctus; nectrix virtus ex alto obumbrans; lana vetusta Adami pellis, trama inpolluta Virginis caro, radius tectorius immensa gestantis gratia, artifex Verbum per auditum illapsum. Quis vidit, quis audivit talia? Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Malharcensis de Fonte. *Gumpenb.* 139.

Inter Babiloniam et Heliopolim medio ferè loco est hortus balsami, qui irrigatur à fonte parvo, sed ubere, in quo fama est Deiparam JESUM Filium sæpè lotum. Est et ibidem lapis superquem dicitur siccasse pannos, et Sacellum eo ædificatum loco quo aliquantisper Deipara habitavit. Sarraceni nunc illius Sacelli domini, habent eam in veneratione, et lampadem accendunt. Altare quod est inibi, Deiparam exhibet ab antiquo. Beneficia de manu Virginis etiàm hodiè eo in loco recipiuntur. Tu.

Te Matrem.

Ad Bened. ant. Reges terræ venient ad te curvi, et adorabunt vestigia pedum tuorum.

CANON.

Ex Innocentio Papâ Duodecimo. *Const.* Pius orth. *An.* 1692.—*Bull. Rom. T.* 9. *p.* 258.

404. Ut die Sabbati Sancti singulis annis post absolutam Missam solemnem in Capellâ Regiâ Sanctæ MARIÆ de Atocha Oppidi Matritensis, tres Missæ tantùm juxta antiquam et memorabilem consuetudinem... celebrari possint, concedimus. Tu.

Vesper. à Capil. sequent.

DIE XVIII. SEPT.

PUDICITIÆ B. MARIÆ V.

Duplex.

Non propria de Communi.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, humilitatis gratiam pectoribus nostris, quæsumus, infunde, ut qui Pudicitiam intemeratæ Virginis recolimus, in actibus nostris tibi placere valeamus. Per Dominum.

AD MATUTIN.

HYMNUS 89. *J. Commiri.*

Virgo, cui par est nihil, aut secundum:
Omne quam terræ latus experitur
Unicè lenem: placidas pudico
Corpore mentes
Fac tui, nexu scelerum soluti,
Ut gerant: molles nec eis cupido
Igne succendat vefito medullas,
Iraque tristis.
Da dies labi sine labe puros;
Da poli sternens iter, ad beatos

Filii amplexus, et amœna lucis
Tendere regna.
Patris ac Nati recinendo laudes,
Mutuum linguæ celebrent amorem:
Omnis et mundi plaga tres in uno
Numine adoret. Amen.

Lection. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *Concio* 1. *in festo Ann. B. M. V.*

LECTIO 4.

Quæ cum audisset turbata est in sermone ejus. Ad primum autem aspectum Angeli turbata est valdè, vultusque ejus palluit præ timore. Ecce pudicitiam, ecce verecundiam. Nihil pavidius, nihil timidius virginibus castis, utpote quæ pretiosum in vase fictili sciunt se possidere thesaurum. MARIA ad Angeli aspectum erubuit, ut vos Virgines virorum fugiatis consortium. Nolo Virginem loquacem, nolo urbanam, nolo facetam; sed verecundam, taciturn, timidam, et quæ inspicere virum, aut alloqui erubescat. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Sed nunc cætera prosequamur: plurima dixerat Angelus, longo verborum ambitu suam plenè legationem expresserat, necdùm à Virgine verbum auditur. Attendite modestiam, considerate silentium. Quàm decora taciturnitas in feminâ! Quid in Virgine pulchrius quàm loquendi modestia? Non interrupit loquentem, non præcipitat responsionem; sed velox ad audiendum, tarda ad loquendum: prius patientèr audit, et post modum sapientèr respondet. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Longas Angelo concessit inducias, sibi autem respondendi brevissimas methodos destinavit. Neque prima silentium rumpit, quum de pudore fieri sermonem agnovit. Sola hæc sollicitudo MARIÆ potuit superare silentium. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniàm virum non cognosco? O miram pudicitiæ curam! O inæstimabilem castitatis amorem! Mater Dei ab Angelo pronuntiatur, pro suâ virginitate sollicitabatur. Deum habitura est Filium, et de suo pudore quæstionem facit; neque tanto pignore puritatis damna compensat. Tanta erat in eâ puritatis sanctimoniæ dilectio. Tu.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 29.

In illo tempore: Cum audisset MARIA Angelum, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et reliqua.

Homilia S. Antonini Ep. Florentini. *In Salutat Angel. c.* 18. §. 7.

Ista turbatio fuit quidam timor. Undè dicit ibi glossa: ex verecundiâ pavet. Et alia ibi Glossa: trepidare Virginum est, et ad omnes viri affatus timere. Timor autem secundum Joannem Damascenum, reperitur in verecundiâ, quæ est timor in magnâ imaginatione, et in stupore, qui est timor ex inconsuetâ imaginatione. Tu. ℣.

Bened. Cujus pudicitiam.

LECTIO 8.

Et erubescentia quidem, seu verecundia, seu pudor, quod idem est, dicit Joannes Damascenus, quòd est optima passio, et præcipuè in juvenibus et mulieribus, quia per hanc à multis se abstinent. Undè Ecclesiasticus: gratia super gratiam mulier sancta et pudorata. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Cum ergò beata MARIA nullius boni caruerit, ergò et hoc scilicet verecundiam, quæ in se bona est, habuit. Non autem habuit erubescentiam, in quantum erubescentia

dicitur timor de turpi, quia nihil turpe, id est, vitiosum sciebat esse in se. Sed in quantum est timor de re magnâ et inconsuetâ, quæ magis propriè dici debet admiratio vel stupor. Magna erat, et insuetata tanta laudatio in salutatione. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Hieronymo Presbytero.

Ad Paul. et Eustoch. c. 17.

505. Nunquàm Beata Virgo MARIA sine pudoris sui custode processit, et ideo si placet vobis talis ac tanta Virgo, placeat et opus virtutis, cujus vita omnium est disciplina, cujus mores institutа sunt Ecclesiarum, quæ præcellit cunctos, supereminet universis. Tu.

DIE XIX SEPT.

B. V. DE GARAZONIA.

Semiduplex.

Lection. 1. *Noct. Feriæ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Genonas ad ann. 1320.

Beata Virgo Deipara sub titulo de Garazoniâ in Provinciâ Bigorrensi diœcesis Auxitanæ colitur. Puella duodecim annorum pascebat oves patris sui, cum apparens ei Deipara, jussit ut patrem pergeret, dicereique ei, ut cives Montisleonis monerét (una enim leucâ à loco illo distabat), quatenus Ecclesiam ad honorem beatæ Virginis construerent in loco, ubi apparuerat. Puella intrepidè respondit se profecturam esse, dummodò ipsa vellet gregis sui habere curam necnon sæculum suum, et panem intùs positum servare. Promisit beata Virgo. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Puella autem pergens ad Patrem, nuntiat quæ viderat, et audierat. Qui cum esset simplex, nullâ interpositâ morâ, ivit ad consules, qui primùm eum duriter adjecerunt. Ille redit ad filiam, narratque omnia quæ acciderunt, quæ etiàm pergens ad locum, retulit Beatæ Virgini patris responsum. Sed à Deipara iterum eamdem visionem nuntiare jussa, prius accessit ad sæculum, ut indè extraheret panem, ut deferret patri, et loco panis nigerrimi invenit panem unum albissimum, quem gestiens præ gaudio detulit patri, pater verò consulibus. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Cum autem miraculum hoc per urbem divulgatum, venisset ad aures Parrochi, monuit cives, ut crederent visioni, nec honorem sibi à beatâ Virgine oblatum refugerent. Quarè processionaliter ad locum pergentes, plantaverunt crucem, deindè ex piorum eleemosinis sacellum ædificatum fuit. Post modum successu temporis insignis accrevit Ecclesia, in quâ tot et tanta sunt patrata miracula circa ægrotos, ut populus, corrupto vocabulo, eam appellaverit Beatam Virginem Garazoniæ, seu Curationis. Tu. ℟.

Homilia de comm. 3. *Loco.*

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Vinovo.

Gumpemb. Imag. 446.

Vinovi in Sabaudiâ inventa fuit à quadam rustico venustissima Deiparæ Imago, quæ decretâ pompâ templo parrochiali illata est. Sed (ut solet Virgo) postero die eodem in loco reperta, iterùm ac tertiò in templum transportata, iterùm ac tertiò reperta, satis docuit agrum sibi placere præ vico. Itaque sanctissimæ Iconi sacellum ædificatum

est, quod hodiè curant Patres Carmelitani. Miracula ibi non sunt infrequentia. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequent.

DIE XX SEPT.

SEPTEM DOLORUM B. M. V.

Duplex 2. *Classis.*

IN I. VESPER.

Antiph. 1. O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus. *Psalmi ut in* 1. *vesper. solemnitat.*

2. Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.

3. Cor meum conturbatum est in me, et defecit in dolore virtus mea.

4. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.

5. Gemitus Matris tuæ noli oblivisci, ut perficiatur tibi gratia et benedictio.

CAPITULUM. *Jerem.* 8. 21.

Super contritione Filiæ populi mei contritus sum, et conturbatus, stupor obtinuit me.

HYMNUS 90. *Brev. Roman.*

Summe Deus clementiæ,
Septem Dolores Virginis
Plagasque JESU Filii
Fac rité nos revolvere.

Nobis salutem conferant
Deiparæ tot lacrymæ,
Quibus lavare sufficis
Totius orbis crimina.

Sit quinque JESU vulnerum
Amara contemplatio;
Sint et dolores Virginis
Æterna cruciis gaudia.

Æternus hoc donet Pater
Redemit ut quos Filius
Planctus MARIÆ Virginis
Ad summa ducat gaudia. Amen.

Hæc Doxol. dicitur in hymnis hujus festivitat.

℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat. ant. Audierunt, quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me: subversum est cor meum in me meipsâ, quia amaritudine plena sum. *Oratio de Laud. Complet. de Dominicâ.*

AD MATUTIN.

Invitator. Septem Dolores beatissimæ Virginis recolentes: Christum ejus Filium pro nobis in cruce mortuum, venite adoremus.

HYMNUS 91. *Br. Carm.*

Lacrymæ Matris profluunt,
Cordis erumpunt gemitus,
Dum Crucis orbis Conditor
Suspensus est patibulo.

Dum tot tuetur vulnera,
Rivos fluentis sanguinis,
Fossumque pectus lanceâ
Suo crucem fert pectore.

Doloris ensem sentiunt
Piæ Parentis viscera,
Cum JESUS diré moritur,
Pro reis factus hostia.

Illi tantùm compatitur,
Quòd secum ferè moritur:
Nullus dolor amarior
Nam nulla proles carior.

O MARIA, Mater pia,
Spes unica fidelium,
Tuâ prece mellifluâ
Natum redde propitium.

Æternus hoc donet Pater, &c.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Vide, Domine, quoniàm tribulor: conturbatus est venter meus. *Psalmi de Dom. p.* 2.

2. Positus est hic in signum, cui contradicetur.

3. Animam tuam, Virgo sacrata, doloris gladius pertransivit.

℣. Regina Martyrum, ora pro nobis.

℟. Quæ juxta crucem JESU constitisti.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De Lamentatione Jeremiæ Prophet.

LECTIO 1. *c.* 1. 2.

Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus: omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici.... O vos omnes, qui transitis per viam attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. Tu.

℟. Simeon vir justus et timoratus dixit ad MARIAM: * Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit. ℣. Ne me vocetis pulchram, sed amaram, quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens.—Tuam.

LECTIO 2. *v.* 20.

Vide, Domine, quoniàm tribulor, conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in me metipsâ quoniam amaritudine plena sum: foris interfecit gladius, et domi mors similis est. Audierunt, quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me: omnes inimici mei audierunt malum meum: lætati sunt, quoniàm tu fecisti: adduxisti diem consolationis, et fient similes mei. Tu.

℟. Surge, et accipe puerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum: * Et esto ibi usque dum dicam tibi. ℣. Vocavi filium meum ex Ægypto, ut veniat salus in Israel.—Et esto.

LECTIO 3. 2. 13

Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? Cui exequabo te, et consolabor te, Virgo, filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?.... Plauserunt supra te manibus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Jerusalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris: gaudium universæ terræ. Tu.

℟. Fili, quid fecisti nobis sic? * Ecce Pater tuus, et ego dolentes quærebamus te. ℣. Quid est, quod me quærebatis? In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.—Ecce.—Gloria.—Fili.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Surge, et accipe puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum.

2. Repulsa est à pace anima mea, et oblita sum bonorum.

3. Recens natus è collo Matris pendens cum ipsâ Matre fugere conatur.

℣. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.

℟. Inter ubera mea commorabitur.

Sermo S. Bernardini Senensis. *Serm. de Nom. Mariæ art.* 3. *c.* 4

LECTIO 4.

Multùm siquidem dolet mater, quandò audit morte terribili filium suum mori: sed maximè cruciatur, quandò ante oculos suos videt filium suum vulnerari, atque occidi Quanto ergò dolore Virgo benedicta cruciabatur, quandò videbat Filium suum morientem tantâ confusione, et cruciatu, et ante oculos suos? At magna consolatio est matri, quandò assistit filio morienti, et in aliquo potest subvenire illi. Sed beata Virgo in nullo potest subvenire Filio suo. Audiebat corpus ejus vulneribus lacerari, nec poterat ejus vulnera alligare, et aliquod remedium adhibere. Tu.

℟. JESUM bajulantem sibi crucem * Sequebatur beata Virgo MARIA, quæ plangebat valdè, et lamentabatur eum. ℣. JESU, Fili mi, Fili mi JESU, quis mihi tribuat, ut moriar pro te.—Sequebatur.

LECTIO 5.

Cernebat corpus illius cruentatum, nec poterat linteo abstergere et providere. Considerabat ipsum malè tenere caput, et illud non poterat sustentare. Conspiciebat eum in cruce flentem, et lacrymas ejus tergere non valebat. Prospiciebat sanguinem ejus in terram fluentem, et illum recoligere non poterat. Contemplabatur ipsam animam expirantem, et illum non poterat osculari et amplexari. Proindè dicere poterat. Mulier infelix nimis ego sum! Quandò igitur Virgo MARIA hæc omnia perspexit, et apud se de omnibus istis contulit, nunquid non summam amaritudinem habuit. Tu.

℟. Postquam venerunt in locum qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eam: * Stabat autem juxta crucem JESU Mater ejus MARIA. ℣. Plange eum, Domina, et dole super eum, sicut doleri solet Mater in morte unigeniti sui.—Stabat.

LECTIO 6.

Verè igitur amarum mare MARIA, in quo tot fluctus, et flumina amarissima intraverunt. Singula quidem circumstantia passionis quasi flumen singulum est doloris, et per consequens amaritudinis. Propterea ad eam meritò dici potest illud Threnorum: magna velut mare contritio tua. Et hoc mare per impatientiam non redundabat, sed omnia ista flumina in se per sustinentiam absorbebat. Sicut mysticè scriptum est: omnia flumina intrant in mare, id est, in MARIAM, et mare non redundat, scilicet per impatientiam: redundat tamen in nos per eam mare largitatis divinæ, quia de plenitudine ejus accepimus omnes in præsenti gratiam, et in futuro gloriam. Tu.

℟. Joseph ab Arimathæa * Petiit corpus JESU, quod de cruce depositum in suo complexu Mater excepit. ℣. Dolens Sunamitis sinu et genibus suis sustinuit mortuum Filium.—Petiit.—Gloria.—Joseph.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Remansit puer JESUS in Jerusalem, et non cognoverunt Parentes ejus.

2. Indica mihi, ubi cubes, ubi pascas in meridiè, ne vagari incipiam.

3. Noctes insomnes ducebat Virgo in lacrymis, et solicita quærebat reperire Filium.

℣. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.

℟. Dum dicitur mihi quotidiè, ubi est Deus tuus?

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi.

De Excell. Beatæ Virg. c. 5.

Cum ad ipsam Christi passionem ventum fuisset, et ipse crucifixus hinc ipsam Matrem suam, hinc Discipulum quem diligebat propè stantes intuitus esset, ne Matrem penitùs orbatam relinqueret, ei præsentem Discipulum suo loco in Filium surrogavit: Mulier, inquit, ecce filius tuus. O commutatio! pro æterno, et incomutabili Deo parum et corruptibilem hominem: pro naturali et unico Filio servum accepit in filium. Tu.

℟. Quis tibi sensus fuit, ò Mater dolorum! * Dum Joseph Filium sindone involvit, et posuit eum in monumento. ℣. Considerate, et vide-

te, si est dolor, sicut dolor meus. —Dum.

Benedictio. Cujus Dolores recolimus.

LECTIO 8.

O Domina, quæ precor in te sibi succedebant, cum tam inæstimabilem commutationem ab ipso, quem super omnia diligebas, tibi fieri audiebas? Verè pertransivit animam tuam gladius doloris, qui tibi amarior fuit omnibus cujusvis passionis corporeæ. quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus martyrum leve fuit, aut potius nihil comparatione tuæ passionis, quæ nimium sui immensitate transfixit cuncta penetralia tua, utique benignissimi cordis intima. Tu.

℣. In toto corde tuo gemitus Matris tuæ ne obliviscaris, * Ut perficiatur propitiatio, et benedictio.

℣. Ave princeps generosa, martyrumque prima rosa, virginumque lilium.—Ut.—Gloria.—Ut.

LECTIO 9.

Et utiquè, pia Domina, non crediderim te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vitæ, spiritus consolationis, spiritus scilicet dulcissimi Filii tui, pro quo moriente conquerebaris, tantopere torquebaris, te confortaret, te consolaretur, te intùs doceret, non esse mortem cum absumentem, sed magis triumphum omnia ei subjicientem, quod in ipso fieri coram moribundo videbas. Mortuus est tamen, et ab oculis tuis te expectante sepulchro reclusus. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

Et per Horas Antiphonæ.

1. Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel. *Psalmi de Domin. p.* 7.

2. Fuge in Ægyptum, * et esto ibi usque dum dicam tibi.

3. Ecce pater tuus * et ego dolentes quærebamus te.

4. Exivit JESUS bajulans sibi crucem, in eum qui dicitur calvariæ locum.

5. Et inclinato capite * tradidit Spiritum.

CAPITULUM. *Jerem.* 8. 21. Super contritione Filiæ populi mei contritus sum, et contristatus, stupor obtinuit me.

HYMNUS 92. *Br. Carm.*

Mentes pungant fidelium
Dolores et suspiria,
Matris Christi dum viscera
Pœnâ torquentur asperâ.

Dum stat crucis sub stipite,
Videns pendentem Filium,
Præ spiritus angustiâ
Est liquefacta penitùs.

Exors viri quæ concipit,
Expers doloris peperit,
Mœrens dolores pertulit,
Quos pariens non senserat.

Hoc ille justus Simeon
In spiritu prædixerat,
Amplexibus dum parvulum
Fovens piis adstringeret.

Auxit dolores Filii
Matris dolor, ut anxiæ
Matris dolor doloribus
Sic ingravesceit Filii.

Qui MARIAM diligitis
Vos, ejus et suspiria
Et gemitus recolite
Et dira Christi vulnera.

Æternus hoc donet Pater,
Redemit, ut quos Filius
Planctus MARIÆ Virginis
Ad summa ducat gaudia. Amen.

℣. MARIA Virgo, per virtutem tot dolorum.

℟. Fac nos gaudere in regno cœlorum.

Ad Benedict. *ant.* Unus militum lanceâ latus Christi aperuit, et cor

immaculatum Virginis dirè pertransivit.

Oremus. *Oratio.*

Deus in cujus passione secundum Simeonis prophetiam dulcissimam animam gloriosæ Virginis et Matris MARIÆ doloris gladius pertransivit: concede propitius, ut qui dolores ejus venerando recolimus passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui vivis.

AD PRIMAM.

Ant. Ecce positus. *Capitul.* Super contr. *de Laudibus.*

℣. ℟. *br.* Quæ septem Dolorum gladiis transverberata fuisti.

CANON.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

18. *Sept.* 1814. *Man. Eccl. n.* 435.

406. Ad preces serenissimi Caroli Emmanuelis Sardiniæ Regis statuitur, ut Dominicâ tertiâ Septembris celebretur in Ecclesiâ universali alterum Festum Dolorum Beatæ MARIÆ Virginis sub ritu duplici majori. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Thren.* 1. 16. Ego plorans, et oculus meus deducens aquas: quia longè factus est à me consolator convertens animam meam.

℟. *br.* Dolor meus * Super dolorem.—Dolor.

℣. In me cor meum mœrens.—Super.—Gloria.—Dolor.

℣. Ne avertas aurem tuam,

℟. A singultu meo et clamoribus.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Jerem.* 31. 16. Quiescat vox tua à ploratu, et oculi tui à lacrymis: quia est merces operi tuo, ait Dominus.

℟. *br.* Recedite à me, * Amarè flebo. Recedite. ℣. Nolite incumbere, ut consolemini me.—Amarè.—Gloria.—Recedite.

℣. Quis dabit capiti meo aquam.

℟. Et oculis meis fontem lacrymarum.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Thren.* 2. 18. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, et noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

℟. *br.* Oppressit * Me dolor. ℣. Oppressit.—Et facies mea intumuit à fletu.—Me.—Gloria.—Oppres.

℣. O vos omnes, qui transitis per viam.

℟. Attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Animam tuam gladius pertransivit, quandò crudelis lanceâ Filio jam mortuo latus aperuit. *Psalmi ut in* 2 *Vesp. Solemn.*

2. Sicut non fuit amor, sicut amor ejus; ita non fuit dolor similis dolori ejus.

3. Quem olim pariendo non habuit, milliès geminatum Filio moriente dolorem sustinuit.

4. Tantus fuit dolor Virginis, ut si in omnes creaturas, quæ pati possunt, divideretur, omnes subitò interirent.

5. O mater! tecum pati labores, tecum mori desidero, septem tuos Dolores dum plango, dum considero.

Capitulum de Laudib.

HYMNUS 93. *Mærkel.*

MARIA septem tangitur
Pectus tuum mucronibus,
Sed mille pœnis angitur,
Et mille punctionibus.

Quæ Simeon præsagiens!
O! quæ doloris spicula!
Quæ figit infans vagiens
Inter fugæ pericula!

Quandò tibi non cernitur
Tribus diebus pusio;
Quandò crucis substernitur,
Quæ plaga, quæ confusio!
Ejus cruenta passio,
Ejus tibi suspendium,
Amoris est compassio,
Doloris est incendium.
Cordis tui languoribus
Exangue corpus stringitur;
Et fletuum liquoribus
Lapis sepulchri tingitur.
O Virgo Mater unica
Vitalis instar muneris,
Cordi meo communica
Tanti doloris æneris.
Et tu beata Trinitas
Fac, ut fruar favoribus,
Quos indidit Divinitas
Matris meæ doloribus. Amen.

℣. Sit nobis vita mors Filii Dei Patris.

℟. Prece devotâ suæ piissimæ Matris.

Ad Magnificat. *ant.* Virgo Mater Christi, quæ juxta crucem invicto animo adstitisti, præparata mori cum Filio, Deum redde nobis tuis precibus placatum.

DIE XXI. SEPT.

B. M. V. DE REMEDIO.

Duplex.

Oratio.

Omnipotens Sempiterne Deus, qui per beatissimam Virginem MARIAM remedium omnibus malis apposuisti: concede propitius, ut qui eam sub titulo de remedio colimus, ab omnibus semper eruamur adversis. Per Dom.

Lection. 1. *Noct. de Scripturâ.*

IN II. NOCT.

Ex Verbis Idiotæ viri sanctissimi in contemplatione de B. V. M.

LECTIO 4. *c.* 4.

Inter omnia opera æterni Opificis, post operationem illam, quâ naturæ nostræ unitus est Filius tuus, speciale opus fuisti, ò beatissima Virgo MARIA. Qui ad hoc te fecit, ut quod de primo opificio fuerat deformatam, per te reformaretur. Hic enim summus Opifex primò condiderat angelicam naturam, quæ in parte ceciderat, et humanam, quæ corrupta erat: et corpoream inferiorem, quæ peccato hominis fuerat deterior effecta. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Sed ad hæc omnia fecit te Deus, Virgo MARIA Sanctissimam, ut ex tuo super benedicto fructu angèlica natura repararetur, humana renovaretur, inferior à servitute liberaretur. Ædificavit ergò Angelis te reginam; hominibus medicinam; creaturæ inferiori libertatem. Ideo dicitur: sapientia ædificavit sibi domum, id est, te Virginem MARIAM; ut in te habitaret per humanæ naturæ assumptionem. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Et non solùm tibi ipsi soli te fecit; sed te Angelis dedit in instaurationem, hominibus et nostræ naturæ in reparationem, inferiori creaturæ in liberationem, sibi in matrem, dæmonibus in hostem, detentis in limbo in ereptionem. Nam in principio, cum ceciderant angeli, natura erat corrupta, Deus offensus, et diabolus victor. Sed per te, ò super benedicta Virgo MARIA, innocentia reparatur, vita angelica reducitur, Deus homini pacificatur, et unitur, diabolus vincitur, et conteritur, quia de te scribitur: ipsa conteret caput tuum. Tu. ℟. *Homil. de Comm. pro duplicibus.*

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Acrenâ.

Gumpenberg. Atlas Marian. Imag. 456.

Acrenæ in Hannoniâ Deiparæ sacra Imago colitur, quæ è quercu est, tres pedes alta. Sedet Mater et JESULUM in gremio gestat. Claresceré hæc statua cœpit, primùm pro lapsione turris, quandò inter acervos lapidum et rudera dejecta mollis illæsa omninò reperta est Imago. Alterum quod hæc ipsa statua è naribus pròdigiosissimum sanguinem emiserit, nunquàm audito miraculo, qui in lipsanarium collectus, multis deindè etiàm remedium fuit. Exindè jam ab iliis temporibus ad hunc usque diem in ejus altare concursus, et miraculorum patratio. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Alexandro Papâ Septimo. *Const* 55. Exponi nobis, *an* 1655. *Tom.* VI *p.* 4. *pag.* 66. 107. Privilegia, gratias et indulta Confraternitatis Beatæ Virginis de Remedio nuncupatæ à Prædecessoribus nostris concessa... apostolicâ auctoritate tenore præsentium approbamus, et confirmamus. Tu.

Cum 2. *vesper.*

DIE XXII. SEPT.

D. V. VALENCENENSIS DE BONA SPE.

Semiduplex.

Lect. prim. Noct. de Feriâ.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Gumpenb. Imago 156.

Non longè ab urbe Hannoniæ Valencenis situm est templum beatæ Virginis de Bonâ spe, concursu peregrinorum et miraculis celebre. Tantæ pietati hæc fuit origo anno millesimo sexentesimo vigesimo quinto. Non habentes studentes è societate JESU, ut alibi, ullam ambulationem, quæ ad sacellum quodpiam Deiparæ duceret, de loco consilium ineunt, quo Virgo à deambulantibus post hac visitaretur, maximè postquàm unus statuam produxit Fovensi parem. Sed non diù quærentibus quercus objecta oculis est, ad quam per amplam perveniebatur planitiem. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Illi igitur, decurso protinus campo, locum in quercu statuæ parant, ablato cum ramentis cortice, tum è comportatis arborum viciarum habitationem construunt, sacello non absimilem, tum etiàm et candelas sanctæ imagini accendunt, et nonnulla, quæ secum attulerunt, ornamenta addunt; et quia magna sperabant, Matrem bonæ spei terque quaterque inclamant, laboremque dimidii diei precationibus Virgini gratis concludunt. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Accrescente deindè in Virginem cultu, jucundum fuit Duci Arschotano suo in cespite hæc fieri. Templum itaque suo ære (quanquàm et urbs de suo dedit) molitus est, mole non grandi, sed quod deindè Carmelitanorum cœnobio auctum est. Nocuerunt non parùm loco bella superi: inimica (et præcipuè Gallicana revolutio, quæ ferè omninò Sacellum destruxit). Constat sibi tamen adhuc cum famâ miraculorum sacer locus. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO. 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abb.

In meditat. super Salve Regin.

Sub tuo regimine, Domina, volo de cætero militare. Me totaliter dominationi tuæ committo, ut plenariè me regas, nihil meæ insipientiæ dimittens de meo regimine. Quidquid enim mihi demisseris, noveris misserimè destruendum. Sed cum plenus sim miseriâ à vertice usque ad pedum plantas, et putrefactus, fœtorem gravem et horrorem quomodò dignaberis regere tam nobilis creatura? Quia tu es Regina misericordiæ. Et qui sunt misericordiæ subditi nisi miseri? Multum es sollicita de miseris, hos in tuos filios adopta, hos regere, Domina, voluisti: et ideò Regina misericordiæ vocaris. Tu. ℣.

LECTIO 8.

O Domina, quæ rapis corda hominum dulcore, nonne cor meum, Domina, rapuisti? Ubi quæso posuisti illud, ut ipsum valeam invenire? O raptrix cordium! quandò mihi restitues cor meum? Quare sic corda simplicium rapis? Quare violentiam facis amicis? Numquid ipsum semper vis tenere? Cum illud postulo, nihil arrides: et statim tuâ dulcedine consopitus quiesco. Cum in me reversus iterum illud postulo, me complecteris dulcissima, et statim inebrior tui amore: tunc cor meum non discerno à tuo, nec aliud scio petere nisi tuum. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Sed ex quo est cor meum tuo dulcore sic inebriatum, guberna illud cum tuo, et in sanguine agni conserva, et in latere Filii colloca: tunc assequar quod intendo, et possidebo quod spero, quia tu es Spes nostra. Sperent ergò in te, qui noverunt nomen tuum, quoniàm non derelinquisti quærentes te, Domina. Certè qui sperant in te, multabant fortitudinem: assument pennas ut aquilæ, volabunt et non deficient. Quis non sperabit in te, qui etiàm adjuvas desperatos? Non dubito, quod si ad te venerimus, habebimus quod volemus. In te ergò speret, qui desperat: qui deficit ad te currat. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequent.

DIE XXIII. SEPT.

B. M. V. SUB TITULO STELLÆ MARIS.

Duplex.

Ad Vesp. ad Laud. et ad Prim. dicitur sequens

CAPITULUM. *Ecc.* 50. 6.

Quasi stella matutina in medio nebulæ et quasi luna plena in diebus suis lucet.

HYMNUS 94. *Clairè.*

Ave Maris Stella,
Summi Regis aula,
Dicta Dei Mater
Manens Virgo semper.
Sumens illud Ave
Pignus sortis novæ,
Imple pacis omen
Mutans Evæ nomen.
Solve culpæ vincla,
Longè fac pericla,
Mala procùl arce
Bona cuncta posce.
Esto nobis Mater,
Quibus Christus Frater,
Pro nobis dignatus
Tuus esse natus.
Virgo singularis,
Dulcis fons amoris,
Nos culpis solutos
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Gere nostri curam,
Cœlo fac donemur,
Tecum fac lætemur.
Patri sit et Nato
Cum Spiritu Sancto
Unum laudis munus

Tribus honor unus. Amen.

Ad Magnif. ant. Ipsa est præclara et eximia stella super hoc mare magnum et spatiosum sublimata, micans meritis, illustrans exemplis.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosissimam Filii tui Matrem super hujus mundi spatiosum mare velut Stellam fulgidam sublimasti: præsta quæsumus, ut ipsam fideliter sequentes ad æternum paradisi portum perducamur. Per eundem Domin.

AD MATUTIN.

HYMNUS 95. *Joan. Houdem.*

Respiret naufragus in mundi pelago:
Tranquilat pelagum MARIA naufrago:
Hoc mare turbidum nautis elucidat,
Per hanc fit lucidum, quod Eva turbidat.
Trans fretum navigat fretus remigio,
Securo remigat nauta navigio,
Si navis frangitur, hoc est confugium:
Ad hanc si fugitur, non fit naufragium.
Ad hanc qui pungitur respectans anguium,
Ultrà non angitur viru pungentium:
Ad hanc si respicit, qui mari mergitur,
Per hanc emerserit, ab hâc respicitur.
O Sydus oriens, ut solem parias,
O Solem pariens, per quem tu radias:
O Mater Numinis, quod servis superat,
O Mater Hominis qui ventis imperat.
Nos apud Filium reos consilia,
Reis consilium da regis filia,
Ut trahat homines ad se dux Virginum,
Clamat ad Virginem gemens cor hominum. Amen.

Lection. 1. *Noct. ut in Domin. X. Infantiæ. p.* 67.

IN II. NOCT.

Sermo S. Antonini Arch. Florentini.

Sermo in Epiph. Dom. §. 2.

LECTIO 4.

Orietur Stella ex Jacob, id est, Virgo MARIA ex illo Patriarchâ, et populo Judæorum ab eo originem habente. Et qualis sit ista Stella, seu cui similis declarat Ecclesia ad ejus venerationem sæpè decantans: avè maris Stella. Stella autem maris ideò maris stella dicitur, quia dirigit navigantes per mare aspicientes ad eam, et sine ductu ejus de facili homines submergerentur. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Ex hâc autem Stellâ radius ad nos diffunditur misericordiæ et bonitatis. Bonum, ut dicit Dionyssius, est suipsius diffusivum, et communicativum, et quia ipsa super omnes creaturas bona, ideò bonitatem suæ misericordiæ, et beneficiorum ad nos effundit. Ad hanc igitur Stellam oportet aspicere, et effectum bonitatis ejus et misericordiæ humiliter implorare. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Undè Fulbertus in Sermone. Oportet omnes Christicolas per mare hujus sæculi navigantes attendere ad stellam maris. Hoc si quis ageret, non jactabitur vanæ gloriæ vento, nec tribulationum scopulis allidetur, nec scyllea voluptatum voragine absorbebitur, sed ad portum salutis tutus perveniet. Ipsa enim humilima, ipsa patiens, ipsa virgo purissima, ut imitemur ejus vestigia, et percipiamus ejus misericordiæ suffragia. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventuræ Ep. *Specul. beatæ V. Lect.* 3.

Considerandum est, quod MARIA interpretatur Stella maris. Hoc optimè convenit MARIÆ, quæ gerit officium Stellæ marinæ. Legitur enim et verum est, nautarum mos est, ut cum in aliquam terram navigare disponunt, unum sydus eligunt, cujus signo luce radiante, in eam, quam desiderant, partem, possunt sine errore adduci. Tale certè officium est Stellæ nostræ MARIÆ, quæ navigantes per mare mundi in navi innocentiæ, vel pœnitentiæ dirigit ad littus cœlestis patriæ. Tu, *ꝑ*.

LECTIO 8.

Propter hoc benè Innocentius ait sic: Quibus auxiliis possunt naves inter tot pericula pertransire usque ad littus patriæ? Certè, inquit, per duo, scilicet per lignum, et stellam: idest, per fidem crucis, et per virtutem lucis, quam peperit nobis MARIA maris Stella. (*Lect.* 9.) Benè autem MARIA Stellæ maris comparatur propter puritatem, propter radiositatem, et propter utilitatem. MARIA enim est Stella purissima, Stella radiosissima, et Stella utilissima. MARIA est Stella purissima, purissimè vivendo: MARIA est Stella radiosissima, radium æternum pariendo: Et MARIA est Stella utilissima, ad littus patriæ dirigendo. Tu, *ꝑ*.

LECTIO 9.

Commemoratio B. Virginis Vulneratæ.

Gumpenberg. imag. 589.

In oppido Montani in Germaniâ inferiori quidam hæreticus ausus est Deiparæ sacram statuam ferire. E vulnere, ut solet, mox sanguis erupit. Factus indè catholicorum accursus supplicum et vota ferentium, speranliumque quoquè Deiparam Virginem, ubi sparsisset sanguinem, sparsuramquoquè beneficia. Neque spe suâ frustrati abiere, siquidem admodùm sacro, et miraculoso sanguine quàm plurimi cæci, surdi, claudi, et qui aliis vitiis et morbis laborarunt, sanati sunt. Tu, Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 96. *L. Massorilli.*

Da Parens plebi veniam petenti,
Gaudium mœstis, miseris juvamen,
Naufragis portum, medicamen ægris,
Præmia justis.

Dum peragramus fragili carinâ
Hoc fretum crebis resonans procellis,
Dirige ad tutos Cynosura fulgens
Carbasa portus.

Non timet scyllæ rabiem cruentam,
Non minas torvæ metuit charybdis,
Salva sed transit vada salsa puppis
Te duce nostrâ.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Ad Benedict. *ant.* Ipsa est Stella præfulgens, cujus splendor universum orbem illuminat, et calefaciens magis mentes, quàm corpora, fovet virtutes et excoquit vitia.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXIV. SEPT.

B. M. V. DE MERCEDE.

Duplex majus.

In utrisque Vesper. in Laud. et Prim. dicitur sequens

CAPITULUM. *Isai.* 61. 1.

Spiritus Domini super me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem.

HYMNUS 97. *Ex offic. ord. de Merc.*

Dei Mater Virgo,
Absque casu stella,
Pulchra tanquàm luna,
Utque Sol electa.

Nostras audi preces
Tu, quæ captivorum
Miserata questus,
Conteris catenas.

O ter fausta dies,
Quæ conspectu tuo
Sedulum pro votis
Recreasti Petrum!

O nimis profundus
Charitatis ardor!
Sic à culpâ solve
Quos à jugo solvis.

Agit iste grates
Ordo, quem benignâ
Voce demonstrasti
Consecrandam tibi.

Tu, divinâ Parens
Gnatos reple zelo,
Ut corde sequamur,
Ore quod vovemus.

Et laus, qui simplex,
Personisque trinus,
Contulit MARIAM.
Nobis in Parentem. Amen.

Ad. Magnific. *Ant.* Audite, confines Sion: adduxit enim mihi Deus luctum magnum: vidi enim captivitatem populi mei, filiorum, et filiarum mearum.

Oratio.

Deus qui per gloriosissimam filii tui Matrem ad liberandos Christi fideles à potestate paganorum, novâ Ecclesiam tuam prole amplificare dignatus es: præsta, quæsumus, ut quam piè veneramur tanti operis Institutricem, ejus pariter meritis et intercessione à peccatis omnibus, et à captivitate dæmonis liberemur. Per eumdem.

AD MATUTINUM.

Idcitator. Laudemus Deum nostrum * In veneratione Beatæ Virginis MARIÆ de Mercede.

HYMNUS 98. *Ex offic. Ord. de Merc.*

Electa proles maximam
Tuam Parentem dicito:
Per quam fideles eximis
Ab impiorum nexibus.

Videndo Mater optima
Gementium discrimina,
Tribus revelat testibus
Istum pietatis ordinem.

Dignatur indè sumere
Viris ab istis unicum,
Qui à servitute proximum
Se mancipando vindicet.

Captivitatis vincula
Soluta sunt per Virginem:
Ejus sub aras gloriam
Gentes redemptæ plaudite.

Par est, alumni, gratias
Honoris illi pendere,
Quæ nos jubet pro fratribus
Nodos subire barbaros.

Sit laus Patri cum Filio
Qui nos redemit perditos,
Tibique, Sancte Spiritus,
Laus sit per omne sæculum. Amen.

IN I. NOCT.

De Baruch Propheta.

LECTIO 1. *c.* 4. 9.

Audite confines Sion, adduxit enim mihi Deus luctum magnum: vidi enim captivitatem populi mei, filiorum meorum, et filiarum quam superduxit illis Æternus. Nutrivi enim illos cum jucunditate: dimisi autem illos cum fletu et luctu. Nemo gaudeat super me viduam et desolatam: à multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
GENERAL DE BIBLIOTECAS

quia declinaverunt à lege Dei. Tu.

℣. Animæquior esto populus Dei, memorabilis Israel: * Venundati estis gentibus non in perditionem. ℣. Beata Virgo MARIA liberabit te in fortitudine brachii sui.—Venundati.

LECTIO 2.

Adduxit enim super illos gentem de longinquo, gentem improbam, et alterius linguæ: qui non sunt reverîti senem, neque puerorum miserti sunt, et abduxerunt dilectos viduæ, et à filiis unicam desolaverunt. Ego autem quid possum adjuvare vos? Qui enim adduxit super vos mala, ipse vos eripiet de manibus inimicorum vestrorum. Tu.

℟. Dilecti mei ambulaverunt vias asperas: ducti sunt enim ut grex direptus ab inimicis: * Animæquiores estote filii, et proclamate ad Dominum. ℣. Spiritus Domini super me, ut prædicem captivis redemptionem—Animæquiores.

LECTIO 3.

Animæquiores estote filii, et clamate ad Dominum, et eripiet vos de manu principum inimicorum. Ego enim speravi in æternum salutem vestram: et venit mihi gaudium à sancto super misericordiâ, quæ veniet vobis ab æterno salutari nostro. Emisi enim vos cum luctu, et ploratu: reducet autem vos mihi Dominus cum gaudio et jucunditate in sempiternum. Tu.

℟. Exierunt abs le pedibus ducti filii tui ab inimicis: * Adducet autem illos Dominus ad te portatos in honore sicut filios regis. ℣. Venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos.—Adducet. —Gloria.—Adduc.

IN II. NOCT.

Ex Brev. Roman. sub. hâc. die.

LECTIO 4.

Quo tempore major feliciorque Hispaniarum pars diro Sarracenorum opprimebatur jugo, innumerique fideles sub immani servitute, maximo cum periculo Christianæ fidei abjurandæ, amittendæ que salutis æternæ, infeliciter detinebantur, beatissima cælorum Regina tot tantisque beniguiter occurrens malis, nimiam charitatem suam in iis redimendis ostendit. Nam Sancto Petro Nolasco::: ipsamet beatissima Virgo serenâ fronte se conspiciendam dedit, et acceptissimum sibi ac unigenito suo Filio fore dixit, si suum in honorem instituretur ordo religiosorum, quibus cura incumberet captivos è turcarum tyrannide liberandi.... Tu.

℟. Exurge Jerusalem, et vide collectos filios tuos, * In verbo sancto gaudentes Dei memoriâ. ℣. In converlendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. —In verbo.

LECTIO 5.

Eâ ipsâ nocte eadem Virgo Sanctissima beato Raymundo de Peguafort, et Jacobo, Aragoniæ regi apparuit, idipsum de religiosis instituendis admonens, suadensque, ut opem pro constructione tanti operis ferent. Petrus autem statim ad Raymundi pedes, qui ipsi erat à sacris confessionibus advolans, ei rem omnem aperit, quem etiàm cœlitùs instructum reperit, ejusque directioni se humillimè subjecit. At superveniens Jacobus Rex, quam et ipse acceperat à beatissimâ Virgine revelationem, exsequi statuit. Unde collatis inter se consiliis, et consentientibus animis, in honorem ejusdem Virginis Matris ordinem instituere aggresi sunt sub invocatione Sanctæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum. Tu.

℟. Euntes in captivitatem ibant et flebant mittentes semina sua: * Verientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

℣. Converte, Domina, captivitatem nostram, sicut torrens in austro.—Venientes.

LECTIO 3.

Die igitur decimâ augusti anno Domini millesimo ducentesimo decimo octavo, rex idem Jacobus eam Institutionem jam pridèm ab iisdem sanctis viris conceptam exequi statuit, sodalibus quarto voto adstrictis manendi in pignus sub paganorum potestate, si pro Christianorum liberatione opus fuerit. Quibus rex ipse arma sua regia in pectore deferre concessit, et à Gregorio nono illud tam præcellentis erga proximum caritatis Institutum et Religionem confirmari curavit. Sed et ipse Deus per Virginem Matrem incrementum dedit, ut talis institutio celeriùs ac feliciùs totum per orbem divulgaretur..... Ut autem tanti beneficii et Institutionis debitæ Deo et Virgini Matri referantur gratiæ, Sedes apostolica hanc peculiarem Festivitatem celebrari, et officium reciiari indulsit, cum alia ferè innumera eidem ordini privilegia pariter contulisset. Tu.

℟. Etiamsi abducti fueritis ad extrema terræ, * Indè ego congregabò vos, et reducam in locum quem elegi. ℣. Salva nos, Domina nostra, Virgo MARIA, et congrega nos de nationibus.—Indè.—Gloria. —Indè.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et soror Matris ejus, Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia D. Thomæ Arch. Valentini.

Concio de Rogation.

Naturalis infantium mos est, quotiès ab aliquo læduntur, ad matres suas statim fugere, et sub earum palio se abscondere, ab eisque favorem et præsidium implorare. Infantes sumus in hâc vitâ et parvuli, omnia perturbant nos, omnia nos consternat et deterrent, et sæpè more puerorum formidamus timore, ubi non est timor. (*Lect* 8.) Si qua ergò tribulatio, si qua præssura, si perturbatio, aut pavor occurrit, statim ad Virginem sacram omnes fugiamus. Illa unicum præsidium nostrum, unicum refugium, unicum solatium nostrum. Tu.

℟. Esto Redemptrix nostra, Virgo sacrata, ab infernalis servitutis jugo, * Atque tuâ virtute disolve catenas peccatorum nostrorum. ℣. Da nobis libertatis gratiam contra dæmonis jura.—Atque.

LECTIO 8.

Quia ad te, Virgo, clamamus, ad te suspiramus exules filii Evæ, gementes et flentes. Eja ergò advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Leva in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. (*Lect.* 9.) Omnes favorem tuum requirimus, omnes favorem tuum imploramus. Tu es refugium nostrum à tribulatione, quæ circumdedit nos: exultatio nostra, erue nos à circumdantibus nos. Filii parvuli ac timidi ad te confugimus. Monstra te esse Matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit esse tuus. O virgo, si tu nos despicis, quis nos respiciet? Si tu nos projicis, quis nos defendet? Si tu abjicis, ad quem ibimus? ad quem

respiciemus? ad quem confugiemus? Tu.

℟. Beata, es, MARIA, Dei genitrix, Patrona, et auxiliatrix nostra: * Cujus nutu hæc tua ad fidelium redemptionem instituta est Religio. ℣. Tuâ sanctâ intercessione adjuva nos, Virgo immaculata.—Cujus. —Gloria.—Cujus.

LECTIO 9.

Commemoratio B. Virginis de Najara.

Gumpenb. Imag. 589.

Sub annum millesimum quadragesimum octavum Garcia Navarræ Rex instituit ordinem Equestrem beatæ MARIÆ de Lilio. Origo hujus Ordinis est Imago Deiparæ quæ apud Najaram anno prædicto reperta est, quæ ex lilio albo progrediebatur, Filiumque JESUM gestabat in ulnis. Hæc Deiparæ Imago primum miraculum in ipso Rege operata est, siquidem æger Rex, ut primùm templum vovit eo loco struendum, ubi hæc Imago inventa erat, convaluit, votique reus templum magnificum extruxit, et ordinem hunc militarem instituit. Tu. Te Matrem.

Ad Laud. et ad Prim. Capit. Spiritus Domini, *ut in* 1. *Vesp.*

CANON.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

18 *Febr.* 1696.—*Talu.* 1438.

408. Extenditur ad Ecclesiam universalem Festum Beatæ MARIÆ Virginis de Mercede celebrandum die vigesimâ quartâ Septembris sub ritu duplici de præcepto cum oratione propriâ ac lectionibus secundi Nocturni. Tu.

HIMNUS 99. *De offic. ord. de Merc.*

Gaude propago candida,
Quam Mater alma Numinis
Perfectionis ultimum
Oplare jussit verticem.

Haud illa major caritas,
Quam pro salute proximi
Vitam suam profundere
Divina dixit veritas.

Est morte pejor servitus,
Quæ à barbaris impenditur:
Istam subire Virgini
Jurata nos cogit fides.

O vera Christe caritas,
Incende amore pectora,
Dissolve cordis vincula
Rumpens catenas tartari.

Da servitutem liberam
Omnes tibi persolvere,
Matrique sacratos tuæ
Vitam beatam ducere.

Sit laus Patri cum Filio
Qui nos redemit perditos,
Tibique, Sancte Spiritus,
Laus sit per omne sæculorum. Am.

Ad Benedict. ant. Domina et Mater Dei Israel visitavit et fecit redemptionem captivorum, et erexit cornu salutis nostræ.

In II. Vesper. Capitul. et Hymn. ut in I.

Ad Magnif. ant. Sicut viderunt captivitatem vestram vicini Sion, sic videbunt salutem vestram, quæ supervenit vobis cum honore magno.

DIE XXVI. SEPT.

DIVÆ VIRG. ANNICIENSIS.

Duplex.

Ad Magn. ant. Ni caveas crimen, caveas contingere limen: nam Regina poli vult sine sorde coli.

Lect. 1. *Noct. de fer.*

IN II. NOCT.

LECTIO 8.

Gumpenberg. atl. mar. imag. 9.

Templum beatæ Virginis Anniciensis per cursum cervi super nivem miraculosè delapsam designatum, anno ducentesimo vigesimo primo ædificatum fuit. Creditur quoquè ab angelis dedicatum; nam Sancto Evodio Episcopo, et Sancto Sartorio Romam Annicio ituris pro licentiâ dedicationis faciendæ, vixque quartam leucæ partem urbe Annicio egressis, obvii fuere venerabiles duo senes, qui se delegatos à Calixto Summo Pontifice ajebant, jussosque utrique nunciare Templum Deiparæ jam ab angelis accepisse suam consecrationem. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Beatæ Virginis Statua, quæ ibi colitur ex antiquâ traditione à Jeremiâ Prophetâ Ægyptiis relicta creditur, qui eam diù in adytis et templis religiosè custodiam, posteà ad musæa Regum Ptolomæorum transtulerunt, et ut credibile est, è musæis templis Christianorum importata, sæculis aliquot cultum, quem merebatur, accepit. Dum tandem excisâ cum templis Christi fide, iterùm vel abjecta, vel abscondita inter paganos sæculis aliquot latetet, expectaretque Sancti Ludovici Regis Galliæ, cui destinabatur, in illas terras cum exercitu adventum, cui pro spolio et tam periculosi itineris præsidio esset. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Qui Rex anno millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio ex Oriente redux, ad Annicium cum statuâ ingressus, Numini pro reditu utcumque felici gratias egit, statimque in templo religiosè deposuit. Priùs in eâ Basilicâ colebatur alia Virginis statua manu alterâ puerum JESUM, alterâ sceptrum tenentis, in cujus locum, ubi hæc successit, anctum unâ cum cultu etiàm templum est, ita ut hodiè inter thesauros, et cimelia Galliæ habeatur. Tu.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 46.

In illo tempore; Cum audisset MARIA salutationem Elizabeth, exclamavit dicens: Magnificat anima mea Dominum. Et reliqua.

Homilia S. Antiochi Monachi.

Homilia 21 *de Virginitate.*

Ex quo tempore Dominus noster JESUS-Christus Dei Filius suâ solius erga nos benignitate ex utero voluit Sanctæ et intemeratæ Deiparæ sempèr Virginis MARIÆ suo nos adventu inclarescere, simùlque vires sugessit quibus obluctemur Diabolo: facilè deinceps sit virtutem perficere virginitatis, modo is ex animo velit, ut ardua sit functio virtutis istius: sed et quæ bonis toto pectore Deum diligentibus per repromissionem reposita sunt, nulli obscurum longè esse præstantiora. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Nulli tamen possibile ad tantæ virtutis pertingere fastigium nisi præsidio juvetur et erga Deum charitatis, et animi de se quam modestissimè sentientis juxta testimonium Deiparæ, omni laudum genere celeberrimæ, nulli obnoxiæ vitio, sed gloriâ omni dignissimæ in hunc modum emodulantis: Magnificat anima mea Dominum, et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo: cum enim per hanc sabindicet suam erga Deum charitatem. (*Lect.* 9.). Mox addit: quia respexit humilitatem ancillæ suæ: Rursùs: deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles: et quæ ordine sequuntur. His igitur explicatum reor, quia per summam humilitatem, et erga Deum charitatem plena cum esset gratiæ,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

promeruit sibi vestem pertexere virginitatis, nullâ rugâ decolorem, nulli obnoxiam reatui. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Commemoratio S. MARLÆ ad Campum Martium.

Spinelli de festis et templis Deip.

Sancta MARIA ad Campum martium, qui à Marte, cui olim dicatus erat, nomen duxit: Huic templo adjunctum est cœnobium monialium ordinis sancti Benedicti, quæ ex Græciâ cum multis Sanctorum reliquiis venientes; quòd earum Cameli Reliquias deferentes ad hoc Deiparæ templum constitissent, nec progredi possent, hoc in loco sedem posuerunt. Inter alia quæ secum detulerant, erat Imago Deiparæ à Sancto Lucâ depicta, quæ aliquandò post frabis proximæ incendium inventa est ad quemdam puteum ab igne intacta, et in ære suspensa. Tu. Te Matrem.

Vesperæ à Capit de sequenti.

DIE XXVII. SEPT.

D. V. ARCHIDONENSIS DE GRATIA.

Duplex.

Lect. 1 *Noct. de Feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Gumpenberg. Imag. 209.

Archidona oppidum est Ducum Ossunensium in Hispaniâ, duobus leucis Antiquariâ urbe distans. Ibi in castello, quod montis verticem occupat, Deiparæ Imago servatur. Rudis pannus colores etiam servat, ac si vel hodiè pictor ultimam imposuisset manum. Quod si vivacissimorum colorum pars quæpiam decidat, reponi novos recusat: avelluntur namque et sponte suâ defluunt. Altitudo sacræ Iconis duorum pedum est. Ipsa Deipara scamno insidens puerum tenet, puer aviculam unâ, alterâ manu pirum. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Origo ex antiquis monumentis hæc est. Postquàm, ejectis mauris, Archidona in manus Christianorum concessit, præsidium urbi impositum est è militibus Christianis. Quâdam die ecce præ foribus urbis Eques adest, fulgentissimis armis, et sculi loco hanc Archidonæ Imaginem ferebat: ad templum properat, sacerdotem evocat, eique scutum suum tradit, jubetque in altari collocatum; post hæc appellarunt Dominam nostram de gratiâ. Demùm rediens pleno cursu, undè venerat, ex oculis omnium evanuit. Imaginem à Sancto Lucâ depictam, et à Sancto Jacobo Apostolo allatam credidere hactenùs Hispani. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Festo assumptæ Virginis exponitur populorum conspectui. Quis porrò concursum memoret? Quis miracula? Anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, eâdem die et horâ, quâ pugna ad Naupactum et victoria pro Christianis contra Turcas stetit, Duce Joanne Austriaco, sudare hæc sancta Imago visa est. Quondàm lues pestifera Antiquariæ viginti millia hominum unico trimestri abstulit, idemque in aliis urbibus Archidonæ vicinis fecit, nullo tamen Archidonensis urbis damno, quam indemnem præteriit. Tu. ℟.

NI III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 28.

In illo tempore: Ingressus Angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratiâ plena. Et reliqua.

Homilia S. Petri Ep. et Martyris. *Ex libr. de fide.—Conc. Ephes. p.* 2. *act.* 1.

Evangelista vera prædicat, dum ait: Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Tum videlicet cum Angelus Virginem salutavit dicens: ave gratiâ plena Dominus tecum est. Nam illa Gabrielis salutatio Deum Verbum in utero Virginis natum et carnem factum insinuat. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Deus autem Verbum citra viri commercium, Dei, qui quidvis effecre potest, voluntate, in virginis utero incarnatum est, viri operatione aut præsentiâ minimè requisitâ. Dei namque virtus Virginem per Spiritûs Sancti adventum obumbrans, viro efficacius operata est. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Tallensis.

Gumbenb. imag. 471.

Diva Virgo Tallensis colitur in Hungariâ duobus leucis à Possonio. Dicitur reperta ad radicem montis juxta fontem, quem vulgò sacrum vocant. Accursus ad hanc statuam est assiduus ex omni parte Hungariæ. Bibunt ex fonte quicumque morbo ægri, et sanitati restituuntur tam multi, ut, quia pro re habeatur ordinariâ, et consuetâ, miraculi loco amplius non habeatur. Fertur, imminente graviore malo, sudare Virginis facies: et ante mortem Ferdinandi secundi sudasse est observatum à pluribus omni exceptione majoribus testibus. Tu. Te Matrem.

Vesp. de sequent.

DIE XXVIII. SEPT.

MISERICORDIÆ B. M. V.

Duplex majus.

Ad Magnif. *ant.* Misericordia ejus à progenie in progenies diligentibus illam.

Oratio.

Deus, qui beatissimam Virginem MARIAM Misericordiæ Matrem esse voluisti: concede propitius, ut qui opem ejus jugitèr imploramus, apud te misericordiam invenire possimus. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

Invitator. Laudemus Deum nostrum * In misericordiâ sanctissimæ Virginis MARIÆ.

Lectiones 1. *Noct. de Comm. temp. Infantiæ.*

℟. 1. Semèl locutus est Deus; duo hæc audivi: * Quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia. ℣. Potestate Domino remanente, cessit quodammodò misericordiæ partem Virgini MARLÆ.—Quia.

℟. 2. Nunquid potest mulier oblivisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? * Sic beatissima Virgo erga omnes miseros. ℣. Sicut Mater naturalitèr ad misericordiam super prole suâ movetur. Sic.

℟. 3. Adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ * Ut misericordiam consequamur in tempore oportuno. ℣. Manus et oculos nostros extollimus ad te, Mater misericordiæ, in cunctis angustiis nostris.—Ut.—Gloria.—Ut.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis. *Serm.* 4. *in Assumpt. B. V.*

LECTIO 4.

Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui, in cæteris virtutibus congaudemus tibi, sed in hâc potiùs nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur; sed

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

misericordia miseris sapit dulciùs, misericordiam amplectimur cariùs, recordamur sæpiùs, crebiùs invocamus. Hæc est enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Tu.

℣. Quomodò potueris, ita esto misericors, * Omnibus misericordiam te implorantibus præstando. ℣. Si multum tibi fuerit, quia gratiâ plena es Domina cœli et terræ, abundanter tribue.—Omnibus.

LECTIO 5.

Quis ergò misericordiæ tuæ, ô Benedicta, longitudinem, et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque ad diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum; et tuâ quoque misericordiâ plena sit omnis terra. Sic et sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris, et in umbrâ mortis obtinuit redemptionem. Tu.

℣. Quis poterit comprehendere quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum misericordiæ beatæ Virginis MARIÆ? Misericordiæ ejus non est numerus. ℣. Miserere nostri, Domina, quæ Mater misericordiæ nuncuparis, Misericor.

LECTIO 6.

Per te enim cœlum repletum infernus evacuatus est: instauratæ ruinæ cœlestis Jerusalem: expectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima et pissima charitas et affectu compatiendi, et subveniendi abundat effectu: æquè locuples in utroque. Ad hunc igitur fontem sitibunda properat anima nostra. Ad hunc misericordiæ cumulum totâ sollicitudine miseria nostra recurrat. Tu.

℣. Mirifica, Domina, misericordias tuas super nos, * Quemadmodùm speravimus in te. ℣. Misericordias tuas, Domina, in æternum decantabimus.—Quemad.—Glor.—Quem.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c. 6. 36.*

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis. Estote ergò misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Et reliqua.

Homilia B. Dionysii Carthusiani. *Libr. 3 de Præcon. B. V. art. 15. Apud Chrisog. Mund. mar. p. 201.*

Præterea, ut constat, nil Deo similius, nil vicinius Deo unquàm MARIA. Deo verò proprium est misereri semper, et parcere. In hoc igitur Deum vehementissimè singulariterque imitatur MARIA. Implesti enim, obedientissima Dei ancilla, magis autem, ac mirabilius Mater ejus benedicta atque virginea, Creatoris tui voluntatem, qui ait: misericordiam volo, et non sacrificium. Tu.

℣. Nullus est ita abjectus à Deo, nisi fuerit omninò maledictus, * Qui si me invocaverit, non revertatur ad Deum, et non inveniat misericordiam. ℣. Idcò miser erit, qui ad misericordiam, cum possit, non accedit.—Qui.

Bened. Cujus Misericordiam.

LECTIO 8.

Denique Filii tui documentum perfecisti, qui dixit: estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est. Enim verò instar liquidi elementi, vasisque fluidissimo liquore repleti, quòd quacumque ex parte motum, mox se diffundit, atque communicat, tu utique, MARIA, misericordiâ miserationibusque exuberas. Nempè prece pulsata repentè succurris, omnibus quoquè te exaudibilem ac propitiabilem exhibes. Tu.

℣. Nihil austerum in eâ, nihil terribile, tota suavis est: * Omnibus offerens lac et lanam. ℣. Lex clementiæ in linguâ ejus.—Omnibus.—Gloria.—Omnibus.

LECTIO 9.

Non illatas recordaris injurias; sed velut sol iste lucens omnibus indifferentèr secundum uniuscujusque capacitatem claritatis suæ radios influit, sic tu benignissima, nimiumque amplectenda MARIA, bonis et malis, gratis, et ingratis, justis et injustis exorabilis es atque compatiens. Multos demùm prævenis, salvas, et ditas, universorum preces, ac necessitates amplissimo, maternoque susc ipis atque amplecteris sinu. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. ant. Quoniàm misericordia tua magna est super me, eruisti animam meam ex inferno inferiori.

℣. ℟. *br. ad Prim.* Quæ Mater misericordiæ nuncuparis.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Episcopo. *Spec. B. V. Lect. 9.*

109. Solatium divinæ misericordiæ est MARIA Mater misericordiæ, in quo omnes inveniunt solatia misericordiæ: nam sicut misericordissimum Dominum, ita misericordissimam Dominam habemus. Tu.

Ad Magnif. ant. Misericordia tua rigat universum Domina, in salutari tuo vivifica me.

DIE XXIX. SEPT.

B. M. V. DE CANDELARIA.

Semiduplex.

Lect. prim. Noct. de Fer.

IN II. NOCT.

Gumpemb. Imag. 6.

LECTIO 4.

Statua Deiparæ, quæ de Candelariâ nomen habet, in saxi cujuspiam cavernâ à gentilibus in Insulâ Teneriffe in Regno Cilensi reperta est, priusquàm ullus Christianorum illùc adveniret. Cum igitur gregem pascerent duo insulani propè cavernam, territus recessit grex ad præsentiam Statuæ beatæ Virginis. Pastorum unus ratus puellam esse vivam, lapide eam petiit, sed manus repentè obtorpuit, etiàm brachio toto rigente. Sed et socius immotam miratus puellam, tentat cultro digitum abscindere, sed et ipse quoquè fuit percussus. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Ad Regem de Guimar hæc prodigia relata sunt, qui Sanctam Statuam, miraculo recuperatæ sanitatis à pastoribus, cum ad Statuam majori reverentiâ attigerent, motus, ipse cum præcipuis aulicorum in aulam deportavit, et paulò post in cryptam aliquam decore excavatam, ut majori cultu prosequeretur. Plùs tamen Angeli eam honorarunt, nam concentus cœlestes à barbaris circa statuam auditi, et visi supplicantium ordines fulgentibus candelis per maris crepidinem nunquàm visis cæremoniis accedere. Nonnunquàm sunt inventa candelarum fragmenta, quandoque etiàm fumigantiâ, tanquàm tunc primùm extincta. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Fuit autem, cum Gentiles inter patriæ suæ miranda Hispano, quem primùm navis advexerat, ostenderent, hanc Imaginem, maximè ille obstupuit tam venusti operis statuam videns, docuitque barbaros eam flexo poplite, erectisque in cœlum manibus coli velle, sensurosque ip-

BIBLIOTECA CENTRAL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sos obsequii sui non pœnitendos fructus, si dicerent: Ave MARIA. Fecerunt hoc incolæ, et cum Patres Societatis JESU illùc pervenissent, jam paratos ad fidem invenerunt gentis animos, et in Deiparam pios. Undè hæc Statua miraculis et hodiè clarissima, insulam totam Mariophilis gratam, acceptamque reddit. Tu ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, exclamens vocem quædam mulier de turbâ dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua. Homilia S. Cyrilli Archiep. Jerosolym. *Cathecheseos* 12. *n.* 26.

Illis, qui ex circumcisione sunt, ita ocurras rogando: utrum difficilius sit sterilem anum suetis jam defectam parere, an Virginem in ætatis flore generare? Sterilis erat Sara, et postquàm multiebra desierunt, præter naturam peperit: Igitur si sterilem generare præter naturam est, hoc quoquè præter naturam, Virginem MARIAM fieri. Aut ergò utrumque simul rejice, aut utrumque admittito. Idem enim Deus et illud fecit, et hoc mollius est. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Illos itaque in hunc modum percunctare. Eva ab initio de quo nata est? Quæ Mater illam sine Matre feminam concepit? Ait autem Scriptura, quod ex Adæ costa effecta est. Ergòne Eva ex virili latere sine Matre nata fuerit; puer verò ex Virginis utero absque operâ viri nasci non possit. ? (*Lect.* 9). Reddendæ viris gratiæ obnoxium erat femineum genus, Eva namque ex Adam nata fuerat, non ex Matre concepta, sed ex viro solo tanquàm partu edita: reddidit ergò MARIA hujus gratiæ debitum, cum non ex viro, sed ex se solâ incontaminatè de Spiritu Sancto per virtutem Dei genuit. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Senensis in Colle.

Gump. Imag. 313.

Miraculosa Virginis Imago specialiter colitur Senis in Italiâ, ex eo tempore, quo quædam mulieres eam viderunt facie turbatâ. Hinc populi clamor, et lacrymæ, non sine interturbatione Officii divini, quod tunc canebatur. Itaquè qui sacrificiæ præerat, accurrit, et arrepto velo lecturus totam Sanctam Iconem altare ascendit per scalas, sed per easdem ita decidit. Hinc vota, hinc miracula, quæ et mutationem vultûs probabant, et Leonem X. permovebant, ut Bullâ autenticâ eam declararet miraculosam. Edita quoquè sunt miracula, quæ à Sancto Officio ritè fuerunt approbata. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequent.

DIE XXX. SEPT.

SS. OCULORUM B. M. V.

Duplex majus.

Ad Magnif. *ant.* Oculi ejus pulchriores vino, et dentes ejus lacte candidiores.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in veneratione sanctissimorum Oculorum Beatæ MARIÆ Virginis gloriamur, ad æternam mereamur pervenire lætitiam. Per Dominum.

IN I. NOCT.

Lection. de Scriptur. ut in Dom. III. post Pascham. p. 212.

℣. Collum tuum sicut turris eburnea, * Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in portâ filiæ

multitudinis. ℟. Quàm pulchra, et quàm decora es, carissima in deliciis.—Oculi.

℣. Ad te clamamus exules filii Evæ, ad te suspiramus * Gementes, et flentes in hâc lachrimarum valle. ℟. Eja ergò, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte.—Gementes.

℣. Benedicti sint oculi tui splendidissimi, * Quos digneris convertere super nos peccatores. ℟. Illumina, Domina, oculos tus super nos.—Quos.—Gloria.—Quos.

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *Serm.* 3. *in Assump. B. V.*

LECTIO 4.

Qualis fuit oculorum ejus pulchritudo, et venustas aspectûs, quæ regem majestatis solo intuitu vulneravit? Undè ait: vulnerasti cor meum, Sorór mea Sponsa, in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui. Et quasi non valens aspectam pulchritudinem sustinere, vulneratus clamat: averte oculos tuos à me: ipsi me avolare fecerunt. Undè avolare? nisi à sinu Dei Patris in uterum Virginis Matris? Tu.

℣. Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, * Quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima. ℟. Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis.—Quæ.

LECTIO 5.

Et iterùm: ò quàm pulchra es, amica mea, ò quàm pulchra es! Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecùs latet. Quoties oculorum repetit pulchritudinem, quoties visûs decorem exagerat, ut in illis se maximè captum, et delectatum ostendat! Verè pulchra, et bis pulchra: pulchra facie, pulchrior fide, pulchra in corpore, pulchra in mente, pulchra interiori gaudio, pulchra exteriori obsequio, pulchra cum gignitur, pulchra cum genuit, pulchra in Ægypti exilio, pulchra in cœlesti regno. Tu.

℣. Pulchra es, amica mea, suavis et decora, sicut Jerusalem: * Terribilis, ut castrorum acies ordinata. ℟. Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.—Terribilis.

LECTIO 6.

Oculi tui columbarum. Propter quid columbarum? Columbæ, cum in terrâ pascuntur, oculos in terrâ non figunt, sed raptim videntes granum, statim visum in cœlum attollunt. Tales sunt MARIÆ oculi, cujus obtutus raptim terrena transiens, cœlestia frequentiùs perlustrabat. Sic enim Filii sui et Sponsi JOSEPH ministerio incumbebat, ut cœlestia semper intueri non desisteret. Columbinos oculos MARIA habet: corvinos habent, de quibus scriptum est: oculos ejus statuerunt declinare in terram. Tu.

℣. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es: * Oculi tui columbarum.

℟. Favus distillans labia tua, mel et lac sub linguâ tuâ.—Oculi tui.—Gloria.—Oculi.

Homil. de Comm. pro Duplic. majoribus.

℣. 7. O pulcherrima pulchritudo pulchritudinum. * O Dei Genitrix pulchrorum omnium summum ornamentum. ℟. O quàm pulchra es, amica mea: Oculi tui columbarum.—O Dei.

℣. 8. Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa, * Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. ℟. Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.—Vulnerasti.—Gloria.—Vulnerasti.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

LECTIO 9.

Commemoratio B. Virginis de Carquerà.

Gumpenb. Imag. 602.

Beatæ Virginis de Cuarquerà statua unà cum templo reperta est infra terram. Nam cum Rex Alphonsus infans in lucem prodiret, distortis fœde cruribus, nec quidquàm bellicorum spirituum in eo appareret, ob hunc corporis turpem defectum ejus præfectus Monisius Deiparæ pro rege suo orationes fudit et lacrymas. Illa per somnum ei apparens jussit terram fodere, dum templum, et in templo statuam reperiret, hisque aris, priùs decenter mundatis, infanet miserum regem. Quo facto regi quàm primùm pedum naturalis usus concessus, et omnis deformitas ablata. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Oculi tui, Domina, sint super nos, ut misereris nostri.

Ad Magnif. *ant.* Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.

FESTA OCTOBRIS.

DOMINICA I. OCTOBRIS.

SS. ROSARII B. MARIÆ V.

Duplex majus.

IN I. VESPER.

Ant. 1. Missus est Angelus Gabriel ad MARIAM Virginem desponsatam JOSEPH.

2. Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione, ut salutaret Elizabeth.

3. Peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio.

4. Postquam consummati sunt dies purgationis MARIÆ, tulerunt JESUM in Jerusalem, ut sisterent eum Domino.

5. Post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum.

CAPITULUM. *Eccl.* 24. 17.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio Rosæ in Jericho.

HYMNUS 100. *Ex Offic. Ordin.*

Cœlestis aulæ nuntius *Prædic.*
Arcana pandens Numinis,
Plenam salutat gratiâ
Dei Parentem Virginem.

Virgo propinquam sanguine
Matrem Joannis visitat,
Qui clausus alvo gestiens
Adesse Christum nuntiat.

Verbum, quod ante sæcula
E mente Patris prodiit,
E Matris alvo Virginis
Mortalis infans nascitur.

Templo puellus sistitur,
Legique paret Legifer,
Hic se Redemptor paupere
Pretio redemptus immolat.

Quem jam dolebat perditum
Mox læta Mater invenit,
Ignota doctis mentibus
Edisserentem Filium.

Sit Trinitati gloria,
Quæ sacra per mysteria
Orantibus det gratiam,
Quâ consequamur gloriam. Amen.

Hæc Doxol. dicitur ad omnes horas.

℣. Ave MARIA, gratiâ plena.
℟. Dominus tecum.

Ad Magnif. *ant.* Videntes eam filiæ Sion versantem in floribus rosarum, et liliis convallium beatissimam prædicaverunt, et reginæ laudaverunt eam.

Oratio de Laudibus.

AD MATUTIN.

Invitator. Laudemus Deum nostrum * In solemnitate sanctissimi Rosarii Beatæ MARIÆ Virginis.

HYMNUS 101. *Ex brev. Ord.*

Te gestientem gaudiis, *Prædic.*
Te sauciam doloribus,
Te jugi amictam gloriâ
O Virgo Mater, pangimus.

Ave redundans gaudio,
Dum concipis, dum visitas,
Et edis, offers, invenis,
Mater beata, Filium.

Ave dolens, et intimo
In corde agonem, verbera,
Spinas crucemque Filii
Perpessa princeps Martyrum.

Ave in triumphis Filii,
In ignibus Paraclíti,
In regni honore et lumine,
Regina fulgens gloriâ.

Venite, gentes, carpite
Ex his rosas mysteriis,
Et pulchri amoris inclitæ
Matri coronas nectite.

Sit Trinitati... Quæ...

IN I. NOCT.

Ant. 1. Concipies et paries Filium, et vocabis nomen ejus Emmanuel.

2. Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.

3. Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. *c.* 39. 17.

In voce dicit: obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Quasi libanus odorem suavitatis habete. Florete flores, quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiâ, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Tu.

℟. Impleti sunt dies MARIÆ, ut pareret, * Et peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit in præsepio. ℣. Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.—Et pep.

LECTIO 2.

Date nomini ejus magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, et in canticis labiorum, et citharis, et sic dicetis in confessione: Opera Domini universa bona valdè. In verbo ejus stetit aqua sicut congeries: et in sermone oris illius, sicut exceptoria aquarum. Quoniàm in præcepto ipsius placor fit, et non est minoratio in salute ipsius. Tu.

℟. Postquam impleti sunt dies purgationis MARIÆ secundum legem Moysi, * Tulerunt JESUM in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. ℣. Et ut darent hostiam, par turturum, aut duos pullos columbarum.—Tulerunt.

LECTIO 3.

Opera omnis carnis coram illo, et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. A sæculo usque in sæculum respicit, et nihil est mirabile in conspectu ejus. Non est dicere: quid est hoc? aud quid est istud? Omnia enim in tempore suo quærentur. Benedictio illius quasi fluvius inundavit. Tu.

℟. Invenerunt JESUM parentes ejus in templo sedentem in medio Doctorum: * Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentiâ, et responsis ejus. ℣. Et dixit Mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic?—Stupebant.—Gloria.—Stupebant.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Procidit JESUS in faciem suam orans et dicens: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

LECTIO 9.

Commemoratio B. Virginis de Carquerà.

Gumpenb. Imag. 602.

Beatæ Virginis de Cuarquerà statua unà cum templo reperta est infra terram. Nam cum Rex Alphonsus infans in lucem prodiret, distortis fœde cruribus, nec quidquàm bellicorum spirituum in eo appareret, ob hunc corporis turpem defectum ejus præfectus Monisius Deiparæ pro rege suo orationes fudit et lacrymas. Illa per somnum ei apparens jussit terram fodere, dum templum, et in templo statuam reperiret, hisque aris, priùs decenter mundatis, infanet miserum regem. Quo facto regi quàm primùm pedum naturalis usus concessus, et omnis deformitas ablata. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Oculi tui, Domina, sint super nos, ut misereris nostri.

Ad Magnif. *ant.* Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.

FESTA OCTOBRIS.

DOMINICA I. OCTOBRIS.

SS. ROSARII B. MARIÆ V.

Duplex majus.

IN I. VESPER.

Ant. 1. Missus est Angelus Gabriel ad MARIAM Virginem desponsatam JOSEPH.

2. Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione, ut salutaret Elizabeth.

3. Peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio.

4. Postquam consummati sunt dies purgationis MARIÆ, tulerunt JESUM in Jerusalem, ut sisterent eum Domino.

5. Post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum.

CAPITULUM. *Eccl.* 24. 17.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio Rosæ in Jericho.

HYMNUS 100. *Ex Offic. Ordin.*

Cœlestis aulæ nuntius *Prædic.*
Arcana pandens Numinis,
Plenam salutat gratiâ
Dei Parentem Virginem.

Virgo propinquam sanguine
Matrem Joannis visitat,
Qui clausus alvo gestiens
Adesse Christum nuntiat.

Verbum, quod ante sæcula
E mente Patris prodiit,
E Matris alvo Virginis
Mortalis infans nascitur.

Templo puellus sistitur,
Legique paret Legifer,
Hic se Redemptor paupere
Pretio redemptus immolat.

Quem jam dolebat perditum
Mox læta Mater invenit,
Ignota doctis mentibus
Edisserentem Filium.

Sit Trinitati gloria,
Quæ sacra per mysteria
Orantibus det gratiam,
Quâ consequamur gloriam. Amen.

Hæc Doxol. dicitur ad omnes horas.

℣. Ave MARIA, gratiâ plena.
℟. Dominus tecum.

Ad Magnif. *ant.* Videntes eam filiæ Sion versantem in floribus rosarum, et liliis convallium beatissimam prædicaverunt, et reginæ laudaverunt eam.

Oratio de Laudibus.

AD MATUTIN.

Invitator. Laudemus Deum nostrum * In solemnitate sanctissimi Rosarii Beatæ MARIÆ Virginis.

HYMNUS 101. *Ex brev. Ord.*

Te gestientem gaudiis, *Prædic.*
Te sauciam doloribus,
Te jugi amictam gloriâ
O Virgo Mater, pangimus.

Ave redundans gaudio,
Dum concipis, dum visitas,
Et edis, offers, invenis,
Mater beata, Filium.

Ave dolens, et intimo
In corde agonem, verbera,
Spinas crucemque Filii
Perpessa princeps Martyrum.

Ave in triumphis Filii,
In ignibus Paraclíti,
In regni honore et lumine,
Regina fulgens gloriâ.

Venite, gentes, carpite
Ex his rosas mysteriis,
Et pulchri amoris inclitæ
Matri coronas nectite.

Sit Trinitati... Quæ...

IN I. NOCT.

Ant. 1. Concipies et paries Filium, et vocabis nomen ejus Emmanuel.

2. Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.

3. Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. *c.* 39. 17.

In voce dicit: obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Quasi libanus odorem suavitatis habete. Florete flores, quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiâ, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Tu.

℟. Impleti sunt dies MARIÆ, ut pareret, * Et peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit in præsepio. ℣. Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.—Et pep.

LECTIO 2.

Date nomini ejus magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, et in canticis labiorum, et citharis, et sic dicetis in confessione: Opera Domini universa bona valdè. In verbo ejus stetit aqua sicut congeries: et in sermone oris illius, sicut exceptoria aquarum. Quoniàm in præcepto ipsius placor fit, et non est minoratio in salute ipsius. Tu.

℟. Postquam impleti sunt dies purgationis MARIÆ secundum legem Moysi, * Tulerunt JESUM in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. ℣. Et ut darent hostiam, par turturum, aut duos pullos columbarum.—Tulerunt.

LECTIO 3.

Opera omnis carnis coram illo, et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. A sæculo usque in sæculum respicit, et nihil est mirabile in conspectu ejus. Non est dicere: quid est hoc? aud quid est istud? Omnia enim in tempore suo quærentur. Benedictio illius quasi fluvius inundavit. Tu.

℟. Invenerunt JESUM parentes ejus in templo sedentem in medio Doctorum: * Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentiâ, et responsis ejus. ℣. Et dixit Mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic?—Stupebant.—Gloria.—Stupebant.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Procidit JESUS in faciem suam orans et dicens: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

3. JESUM autem flagellatum tradidit Judæis Pilatus, ut crucifigeretur.

℣. Ego autem in flagellà paratus sum.

℟. Et dolor meus in conspectu meo semper.

LECTIO 4.

Ex Brev. Ord. Prædicator.

Cum Albigensium hæresis sacrosanctæ Matris Dei dignitati potissimùm infesta, in regione Tolosatium impiè grassaretur, beatissimus Pater Dominicus, qui eo tempore Prædicatorum ordinis fundamenta jecit, in eam hæresim debellandam totus incumbens, ob idque beatissimam Virginem assiduis precibus interpellans, ab ipsâ monetur, ut Rosarium omni mentis fervore prædicet, velut singulare ad everiendas hæreses, et odia extinguenda præsidium. Cœpit ergò deinceps incredibili cum animarum fructu saluberrimum Rosarii institutum per beatum Dominicum promulgari: quem ejus auctorem fuisse, Leo decimus, Pius quintus, Gregorius decimustertius, et Sixtus quintus apostolicis diplomatibus profitentur. Tu.

℟. Plectentes milites coronam de spinis, posuerunt super caput JESU, et arundinem in dexterâ ejus: * Et genuflexo ante eum, illudebant ei. ℣. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus.—Et genuflexo.

LECTIO 5.

Est autem Rosarium, sive Psalterium, sacra quædam formula precandi Deum in honorem beatæ MARIÆ: quâ per quindecim salutationis Angelicæ decades, interjectâ singulis oratione dominicâ, quindecim præcipua redemptionis humanæ mysteria piis meditationibus percensentur. Inter innumeros porrò ejus fructus meritò navalis ea victoria celebratur, quam anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo die septimâ octobris, quæ Dominica fuit, ad Naupactum Achaici sinûs de Turcarum classe longè potentiori christiani Principes reportarunt. Nam cum eo die sodalitates Rosarii solitas preces, ac processiones haberent, eàs, piè creditum est, pro christianâ classe plurimùm profuisse. Tu.

℟. Cum ducerent JESUM ad crucifigendum, * Sequebatur illum multa turba populi, et mulierum, quæ plangebant, et lamentabantur eum. ℣. Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros.—Sequebatur.

LECTIO 6.

Ex Brev. Rom. Lect. 3. in med.

Quod quidem cum etiàm Gregorius tertiusdecimus testatus esset, ut pro tam singulari beneficio beatæ Virgini sub appellatione Rosarii perennes gratiæ ubique terrarum haberentur, in Ecclesiis omnibus, in quibus altare Rosarii foret primâ quâque Octobris Dominicâ Officium ritu duplici majori perpetuò celebrandum indixit, quod Clemens undecimus posteà eâdem die, eodemque ritu ad Ecclesiam universam extendit. Alii quoque Pontifices Rosarium recitantibus, ejusdemque Rosarii sodalitatibus indulgentias penè innumeras concessere. Tu.

℟. Postquàm venerunt in locum, qui dicitur calvariæ, ibi crucifixerunt JESUM, * Stabat autem juxta crucem JESU Mater ejus. ℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertransivit.—Stabat.—Gloria.—Stabat.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Lætare, Virgo Mater, alleluia. Surrexit Christus de sepulchro, alleluia.

2. Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ, alleluia.

3. Spiritus Domini replevit orbem terrarum alleluia.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, alleluia.

℟. Et renovabis faciem terræ, alleluia.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua. Homilia S. Gregorii Neocœsariensis Ep.

In Annuntiat. B. V. M.

Angelus Dei jussa in se recipiens, et exequi volens, Virginem adit, et clarâ eam voce compellavit, dicens, Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Non ampliùs diabolus erit contra te: namque anteà ubi hostis ille vulnus inflixit, illic primùm nunc medicus salutis medicamentum adhibet. Undè mors prodiit, indè vita sibi ingressum paravit. Per mulierem mala fluxerunt, et per mulierem bona emanant. Tu.

℟. Sumite psalterium jucundum in insigni die solemnitatis vestræ: * Et exultate Virgini adjutrici nostræ. ℣. Assumpta est MARIA in cœlum, gaudeat exercitus Angelorum.—Et.

LECTIO 8.

Ave gratiâ plena, ne, quòd mulier damnationis extiterit, erubescas; Judicis nam et Redemptoris Mater eris. Ave immaculata viduati orbis sponsa simùl et mater. Ave, quæ in tuo utero matris Evæ mortem demersisti. Ave animatum Dei templum. Ave cœli et terræ æquivalens dignumque domicilium. Ave naturæ illius incomprehensibilis capacissimum receptaculum. Tu.

℟. Gloriâ et honore coronasti Matrem tuam, Domine, * Et constituisti eam super omnia opera manuum tuarum. ℣. Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso.—Et.—Gloria.—Et.

LECTIO 9.

Dicitur unà cum Octav. Lect. si fiat aliqua Comm.

Cumque hæc ita se habeant, adest per eam ægrotantibus medicus, in tenebris sedentibus Sol justitiæ, cunctis verò tempestate jactatis anchora portusque tutissimus. Inimicis et Deo amicis servis Dominus natus est, pacisque vinculum factus, captivis liberatio. Ipse enim est pax nostra. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

1. Factus JESUS in agoniâ prolixiùs orabat Patrem.

2. Ego in flagella paratus sum: et verecundia mea contra me est.

3. Dum Christus spinis coronatur, Virgo MARIA dirè torquetur.

4. Bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur calvariæ locum.

5. Crucifixerunt eum, et duos latrones, unum à dextris, et alterum à sinistris, medium autem JESUM.

CAPITULUM. *Eccl.* 24. 17.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho.

HYMNUS 102. *Brev. Ords. Præd.*

In monte olivis consito
Redemptor orans procidit,
Mœret, pavescit, deficit,
Sudore manans sanguinis.

A proditore traditus
Raptatur in pœnas Deus,
Durisque vinctus nexibus
Flagris cruentis cæditur.

Intexta acutis sentibus
Corona contumeliæ,
Squalenti amictum purpurâ
Regem coronat gloriæ.

Molis crucem ter arduæ
Sudans, anhelans, concidens,
Ad montis usque verticem
Gestare vi compellitur.

Confixus atro stipite
Inter scelestos innocens,
Orando pro tortoribus
Exsanguis efflat spiritum.

Sit Trinitati gloria,
Quæ sacra per mysteria
Orantibus det gratiam,
Quâ consequantur gloriam. Amen.

℣. Regina sacratissimi Rosarii, ora pro nobis.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Benedict. *ant.* Cum vidisset JESUS Matrem et Discipulum stantem, dixit Matri suæ: mulier ecce filius tuus: et deindè Discipulo: ecce Mater tua.

Oratio.

Deus, cujus Unigenitus per Vitam, Mortem, et Resurrectionem suam, nobis salutis æternæ præmia comparavit, concede, quæsumus, ut hæc mysteria sanctissima beatæ MARIÆ Virginis Rosario recolentes, et imitemur quod continet, et quod promittunt assequamur. Per eumdem Dominum.

AD PRIMAM.

Ant. Nomen tuum * ita Deus magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum.

Capitul. de Laudibus.

℣. ℟. *br.* Regina sacratissimi Rosarii.

CANON.

Ex Gregorio Papâ Decimo Tertio. *Const.* Monet Ap. *an.* 1573.—*B. R. Tom.* 4. *p.* 3. *pag.* 233.

410. Decernimus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus quâlibet primâ die Domicicâ Mensis Octobris per universi orbis partes, in iis videlicet Ecclesiis, in quibus altare vel capella Rosarii fuerit, ab omnibus et singulis Christi fidelibus festum solemne sub nuncupatione Rosarii, sub duplici majori Officio, celebretur et sanctificetur, eâdemque die Officium de Beatissimâ Virgine novem lectionum more ecclesiastico persolvatur et recitetur. Tu.

AD TERTIAM.

Ant. In Domino * gaudebo, et exultabo in JESU Filio meo.

CAPITULUM. *Eccl.* 39. 17.

O baudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.

℟. *br.* Gaudete * In Domino semper.—Gaudete in Domino semper. ℣. Iterùm dico: gaudete.—In Dom.—Gloria.—Gaudete.

℣. Gaudens gaudebo in Domino.

℟. Et exultabit anima mea in Deo meo.

AD SEXTAM.

Ant. Vide Domine, * quoniàm tribulor, quoniàm amaritudine plena sum.

CAPITULUM. *Eccl.* 50. 8.

Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, et quasi thus redolens in diebus æstatis.

℟. *br.* Dolor meus * Super dolorem.—Dolor. ℣. In me cor meum mœrens.—Super.—Glor.—Dolor.

℣. Subversum est cor meum in memetipsâ.

℟. Et amaritudine plena sum.

AD NONAM.

Ant. Tu es gloria mea, * Domine, et exaltans in gloriâ caput meum, alleluia.

CAPITULUM. *Eccle.* 39. 19.

Florete flores, quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiâ, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis.

℟. *br.* Magna est gloria ejus, * Alleluia, alleluia.—Magna. ℣. In salutari suo.—Alelluia.—Glor.—Magna.

℣. Annuntiate inter gentes gloriam ejus, alleluia.

℟. In omnibus populis mirabilia ejus, alleluia.

IN II. VESP.

Ant. 1. Regina cœli lætare, alleluia, quia surrexit Filius tuus, allel.

2. Ascendens Christus in altum, captivum secum duxit cor Virginis immaculatum, alleluia.

3. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui, alleluia.

4. Assumpta est MARIA ad æthereum thalamum, in quo rex regum stellato sedet solio, alleluia.

5. Astitit Regina à dextris Dei in vestitu deaurato, duodecim stellis coronata, alleluia.

Capitul. de Laudibus.

HYMNUS 103. *Ex Brev. ord.*

Jam morte victor obrutâ *Præd.*
Ab inferis Christus redit,
Fractisque culpæ vinculis,
Cœli recludit limina.

Visus satis mortalibus
Ascendit ad cœlestia,
Dextræque Patris assidet
Consors paternæ gloriæ.

Quem jam suis promisserat,
Sanctum daturus Spiritum,
Linguis amoris igneis
Mœstis alumnis implnit.

Soluto carnis pondere,
Ad astra Virgo tollitur:
Excepta cœli jubilo
Et Angelorum canticis.

Bissena cingunt sydera
Almæ Parentis verticem,
Throno propinqua Filii
Cunctis cœatis imperat.

Sit Trinitati gloria, Quæ...

℣. Corona aurea super caput ejus, alleluia.

℟. Expressa signo sanctitatis, et gloriâ honoris, alleluia.

Ad Magnificat. *ant.* Sanctissimam Dei Genitricem veneremur, ut quæ totiès Christi fidelibus, Rosarii precibus exorata, terrenos hostes dedit profligare, ac perdere, infernales paritèr superare concedat, alleluia, alleluia.

DIE I. OCTOBR.

B. M. V. DE NURIA.

Simplex.

Oratio.

Subveniat nobis, Domine, quæsumus, piissima Virgo MARIA Montis Nuriæ. Spes nostra, et sit tecum de necessitatibus nostris sollicita, quæ pro nobis Mater Domini nostri JESU-Christi est effecta. Qui tecum.

Lect. 1. *de Scrip. Feriæ occurr.*

LECTIO 2.

In Monte Nuriâ, in Diœcesi Urgelensi Templum est Deiparæ sacrum, quod ab eo monte nomen accepit. Sanctam Iconem, quæ ibi asservatur, Sanctus Ægidius ejus Eremi cultor veneratus est, et ab eo migraturus, in profundo antro abscondit, ubi delituit, donèc Sanctus Amadæus cœlesti monitu è Dalmatiâ ad Nuriam venit, trecentis et septuaginta delapsis annis, et in Sacello in planitie montis structo, ab eo inventam Imaginem pluribus comitantibus signis collocavit. Hæc de Nuriâ Virgo innumeris miraculis percelebris in totâ Hispaniâ, et in vicinâ Galliâ effecta, ingenti fide-

lium accursu frequentatur; at eo solùm tempore, quo resolutæ nives viam ad eum Montem Mariophilis expeditam relinquunt. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Ceica.

Ex Poiræo, apud Loonher Tom. 2. pag. 191.

In Diœcesi Conimbrensi, non procùl à Monasterio Lorban dicto, Sacellum est Beatæ Virginis sub titulo de Ceica, in grati animi monumentum ob victoriam super Mauros patratam structum ab Abbate Lorbanensis Monasterii Joanne, Avunculo. Alphonsi et Ramirii Regum Legionensium. Sacello addidit parvum Eremitorium, ubi se totum Deo, et Beatæ Virgini consecraret. Tunc curavit sculpi è ligno Statuam Sanctissimæ Virginis; elsi alii asserant eam Imaginem è cœlo eâ formâ missam. Ibi cum aliquot annis sanctè vixisset, mortuus et sepultus est: nec cadaver nulla vi trahi ad Monasterium Lorban potuit. Tu. Te Matrem Dei.

CANON.

Ex Urbano Papâ Octavo.

Const. Considerantes. *Extat in Histor. B. V. de Nuriâ.*

411. Cum, sicut accepimus, in Capellâ Beatæ MARIÆ Virginis de Nuriâ, una Confraternitas instituta existat sub invocatione ejusdem Beatæ MARIÆ.... omnibus ejus Confratribus..... die illorum ingressûs..... in eorum mortis articulo..... necnon etiàm in Festivitate Nativitatis ejusdem Beatæ Virginis..... plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem concedimus. Tu.

Vesp. Sequentis.

DIE II. OCTOBR.

B. M. V. DE SALUTE.

Duplex.

Oratio.

Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosæ Beatæ MARIÆ semper Virginis intercessione à presenti liberari tristitiâ, et æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum.

Lection. de Scrip. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Amadæi Ep. Lausanensis. *Homilia 8. de laudib. B. V.*

LECTIO 4.

Novis triumphis, novâ perditorum ereptione, novis populorum incrementis, exultans beata Virgo gratulatur in Domino, nec contenta partis spoliis, sed humanæ salutis cupida, hoste livido longiùs propulsato, alias atque alias sibi exuvias semper acquirit. Igitur in manu potenti, et brachio excelso, tyrannorum fines aggreditur, inferna sub pedibus suis faciens contremiscere, et principem mortis nimio terrore percussum resistere. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Denique ipsâ jubente, vehementèr evomit prædam, quam cum in ventre malitiæ trajecerat, rejiciens cum dolore quam cum ingenti superbiâ delinebat. Surgunt lapsi: redeunt pœnitentes: peccator videbit et irascetur. Maxilla ejus hamo dominicæ crucis perforata reddit liberos, quos anteà delinuit captivos dentibus suis fremens, et tabescens. Per Matrem Filio, per Virginem reconciliantur Deo, vitæ dati, morti penitùs subtracti. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Desiderium peccatorum peribit, desiderium verò Beatæ MARIÆ perficitur, quandò educuntur quotidiè vinculati de lacu miseriæ, et luto fæcis, ut de peccati ergastulo, et profundo iniquitatis indulgentiæ

dono respirent in auras perennis libertatis. Sic illa colligit dispersos, revocat aversos, eruens eos, qui ducuntur ad mortem, quosque trahi cernit ad supplicia, liberare non cessat. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

CAPITULUM. *c.* 2. 1.

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater JESU ibi. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arhc. Valentini.

Concion. in Domin. 2. post Epih.

Invitata erat Mater JESU ibi: Si tristis consolatur: erat Mater JESU ibi: Si justus lætatur: erat Mater JESU ibi. Si peccator erigitur: erat Mater JESU ibi. Denique, quidquid humano generi tribuitur, non sine illâ datur, ut ait Bernardus. *Lect.* 8. Sed non est otiosa: quid ait? Fili, vinum non habent: hæc ejus vox continua coram Filio suo pro peccatoribus. Fili, vinum gratiæ, devotionis, charitatis non habent. Quid mihi et tibi est mulier? Quid eis debuimus facere, et non fecimus? Non culpa nostra est. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Quid mihi et tibi? Mihi tu super choros angelorum: Quid tibi? O Fili! Mater illorum sum, advocata peccatorum. Non possum eos oblivisci. *Lect.* 9. Audite peccatores: implete hydrias, animas aquâ orationis, meditationis: licet frigida sit, ecce virtus ejus aquam convertet in forte vinum fervoris, et devotionis, quod languentes novas disrumpet, ut profluant in laudes commodas, et effundantur in laudes Dei: Vide quomodò Psalmus: Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. Ecce vinum, quod ore exundat multiplices Dei laudes. Ex abundantiâ enim cordis os loquitur. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. ab Ulmo.

Camòs 1. 3. c. 16.

In parrochiali templo oppidi Palacals Diœcesis Gerundensis colitur Diva Virgo ab Ulmo dicta, quia in hujus nominis arbore inventa fuit antiquo tempore à mutâ puellâ, quæ cum imagine miraculo usum linguæ quoquè invenit. Sancta Icon lignea est; quatuor palmis alta, puerum sinistro brachio sustinet. Priùs in altari principe Sacelli ipsi ædificati locata, anno millesimo sexcentesimo quinto in aliud translata fuit. Solemnitas Assumptionis est ipsi sacra: ingens fit ad eam accursus, votisque particularibus colitur: nec desunt prodigia, ut ex appensis tabellis facilè liquet. Tu.

Te Matrem.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabilis. *die* 8. *Dec.* 1854.

412. Nihil enim timendum, nihilque desperandum, Ipsâ *Virgine* duce, Ipsâ auspice, Ipsâ propitiâ, Ipsâ protegente, quæ maternum sane in nos gerens animum, nostræque salutis negotia tractans, de universo humano genere est sollicita. Tu.

Cum secund. Vesper.

DIE III. OCTOBR.

DIVA VIRGO SCHIEDAMENSIS.

Simplex.

Bonifacius, Hist. Virgin. libr. 2. *c.* 14. LECT. 1.

Schiedami in Hollandiâ beata Virgo MARIA mirificè colitur: hâc autem occasione. Mercator quidam Schiedamum Deiparæ Imaginem in nundinis Antuerpiensibus venditurus attulerat, sed cum nautæ ad sol-

vendum se comparant, nihil movendo, impellandoque proficiunt. Advolant quam plurimi ad rei spectaculum, uti fama percrebuit, stupent immoto navigio, tam multas ardere manus, tantasque machinas, nec quicquam adhiberi. Sed propter Dei Matris illam effigiem fieri tandem suspicati, mercatorem rogant, uti justo acceptoprelio illic relinquant imaginem. Illo assentiente Imago tollitur, et in ædc bealissimi Præcursoris collocatur. Tu. ℟.

LECTIO 2.

Crescit indè amor et pietas popularis. Sodalitas demum instituitur, in eodem loco quotidianæ laudes cum ingenti pietate Deiparæ Virgini celebrantur. Hanc Imaginem Sancta Liduina nondum annum egressa septimum frequentèr invisebat: quod si mater puellæ longiorem fuisse arguisset, ita respondebat: nec molestè feras paulò me tardiùs accessisse: salutavi enim speciosissimam Dominam nostram, et illa mihi blandissimè arrisit. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Commem. S. MARIÆ Liberatricis.

Balingh. Kalend. Marian. die 31. *Decembr.*

Sanctus Sylvester Papa Deiparæ templum, quod cognominatur: Libera nos à pœnis Inferni; erexit, et in ejus arâ multis repositis reliquiis dicavit, quod ab ejus conditore aliquandò vocatur: Templum Sylvestri in lacu. Hoc templum nobilitatum est propter Draconem suo afflatu urbi pestilentissimum, ibi Sancti Sylvestri precibus extinctum. Est autem id templum in foro romano, ubi olim fuit fanum Jovis Satoris. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequent. ut in 1. *Vesp. Infantiæ.*

DIE IV. OCTOBR.

DOMINATIONIS B. M. V.

Duplex.

Lect. 1. *Noct. de Script. Fer.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis. *Serm.* 3. *de Smo. Nomin. Mariæ art.* 1.

LECTIO 4.

Primò quidem Dominatio est vera, quæ nulli prælationi est obnoxia. Sic et beata Virgo: nullius quippè prælationi obnoxia est. Quomodò enim subjiceretur creaturæ, quæ Mater effecta est Creatoris? Immò Mater Domini omnis creaturæ effecta est Domina omnis creaturæ: igitur quia genuit Creatorem, Domina facta est omnis creaturæ. Undè meritò dici potest ad quamlibet creaturam illud Genesis: Revertere ad Dominam tuam, et humiliare sub manu ipsius. Ad literam dicitur ad Agar de Sara. Quippè ipsa est verè Sara, quæ princeps interpretatur: quæ verè genuit Isaac, scilicæt Filium Dei, in cujus semine benedicentur omnes gentes, per quem omnis creaturæ primatum habuit. Proindè hæc vera est: Deo subdita est omnis creatura, et beata Virgo: beatæ Virgini subdita est omnis creatura, et Deus. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Secundò Dominatio est vera, quæ nullius adjutorio, seu auxilio est innixa. Sic et beata Virgo. Cui enim inniteretur, quæ ab æterno Rege Dei Filio sustentatur? Ipsa mysticè est Esther, ad quam exiliit Rex de solio, id est, Dei Filius de cœlo sustentans illam ulnis suis. Esther elevata in populis interpretatur. Et meritò significat Virginem benedictam, Dominam omnium populorum. Prætereà cujus auxilio initeretur Virgo benedicta, nisi su-

per dilectum suum, in quo est omnium consolationum abundantia, omnium bonorum copia, et omnium delectationum et suavitatum affluentia? Tu. ℟.

LECTIO 6.

Tertiò Dominatio nullius est subjectionis indiga. Sic et beata Virgo, ipsa enim habet Filium, in quo sunt omnia. Quia igitur omnia in Filio possidet, quomodò alicujus rei indigere potest? Siquidem bonorum nostrorum non eget. Prætereà omnis indigentia alicujus est, ut, aut id quod non habetur, acquiratur, aut quod habetur, custodiatur. Sed quid non habet hæc Domina mundi, quæ ab Angelo prædicata est gratiâ plena? Quippè omnium bonorum Mater est. Igitur nullius indiget. Cujus etiàm custodiæ indiget, quæ Spiritum Sanctum in se sensit supervenientem, virtutem Altissimi obumbrantem, Filium Dei ex ipsâ nascentem, et post in cœlum ipsam assumentem, et ad ejus dexteram collocantem? Siquidem positus est thronus Matris Regis, quæ sedebat ad dexteram ejus, et mysticè de beatâ Virgine dictum est. Tu.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi.

Tractat. de concept. B. V.

Virginem MARIAM, quæ super omnes mulieres beata hodiè et benedicta colitur, et prædicatur, quam summus et omnipotens Deus in Matrem assumpsit, et universis quæ post se sunt, dominari constituit, cum in dexterâ ipsius unici bealique Filii sui multitudo viderit hominum in regno illo beatitudinis adunatorum consistere: nonne felicem, nonne jucundum, nonne ultrà quàm quivis æstimare queat, statum suum judicabit, in ejus consideratione, et præsentiâ honoratum? Tu. ℟.

Bened. Cujus Dominationem.

LECTIO 8.

Virginem, inquam, de suâ propagine ortam, sibi pro conditione unius naturæ consimilem præ oculis habebunt, Angelis et Archangelis præsidentem: omnia utpotè Reginam omnium cum Filio disponentem, seque dulci affectu amplectentem, sibi de collatâ glorià congaudentem: et fieri potuit ut ad hoc non immensum exultet, non se ineffabili jucunditate glorificationis conjubilent? Tu. ℟.

LECTIO 9.

Et quidem ad hanc dignitatem, nec beatissima Virginum, nec innumerositas hominum electorum nunquàm ascendisset, si Filius Dei ad destructionem peccati Adæ de sinu Patris hominem ex ipsâ Virgine assumpturus non descendisset. Igitur propter peccatores MARIA facta est Mater Dei, quæ ideircò quòd eâ castior, eâ humilior in opere humano nulla potuit reperiri, meritò debuit in tantam excellentiam ab eo quo nihil castius, nihil sanctius, sublimius est nihil, adsci, et in quid excellentius adsci valeret, quàm ut in perpetuâ virginitate permanens Deum de suâ carne carne factum generaret? Hanc excellentiam contulit Deus Virgini MARIÆ, eo quod illam pudicitiâ cordis et corporis sibi præ omni creaturâ intellexit adhærere. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex S. Bernardino Senensi. T. 2. §. 51.—*Apud Ligor. c.* 1.

413. Hæc autem Virgo in illo consensu meruit primatum orbis, dominium mundi, sceptrum Regni super omnes creaturas. Tu.

Cum 2. Vesper.

DIE VI. OCTOBR.

DEDICATION. S. M. DE PACE.

Duplex.

Omnia ut in comm. Dedication. Lect. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Bolingh. sub die 12. aug. in Calend. Mar.

Romæ in Ecclesiâ Sanctæ MARIÆ de pace celebratur anniversaria dies ejus dedicationis. Hujus templi erigendi hæc fuit occasio. Erat eodem loco anteà parrochialis Ecclesia Sancti Andreæ, et in ejus porticu Imago Deiparæ in pariete extra Ecclesiam. Ante hanc dum aleatores ludunt, unus ob amissas pecunias horrendè blasphemat beatam Virginem: posteà taxilos in Imaginem jacit, et arrepto pugione eam in pectore, in collo, in genâ dextrâ, et in mente vulnerat, undè statim recens sanguis exiliit. Indè famâ miraculi sparsâ, ingens fit hominum ad Imaginem accursus: succedunt miracula, undè quæ priùs Sancti Andreæ Ecclesia dicebatur, dicta est Sancta MARIA de miraculis. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Porrò cum tota propè Italia bellorum moribus quateretur, et ipsa Roma à Calabriæ duce obsideretur, Sixtus quartus ad dictam Imaginem accedens, vovit: Si Deus per beatissimæ Virginis MARIÆ intercessionem pacem Italiæ daret, se templum sub titulo Dei Genitricis erecturum. Quare voti compos factus, et urbe liberatâ in solo veteri Ecclesiæ Sancti Andreæ ad honorem Virginis MARIÆ templum ædificavit. Dictam etiàm Imaginem in illud transtulit, et loco decentissimo super aram maximam collocavit. Tu. ℟.

LECTIO 6.

At quod morte præventus non absolvit, Innocentius perfecit, et majoris aræ ornamentum marmoreum elegantissimè sculptum, et deauratum, in quo Imago prædicta continebatur, addidit. Monasterium canonicorum Regularium ibidem cardinalis Caraffa ædificavit. Gaspar Rivaldus civis Romanus non solum sacellum regio opere adjunxit, sed et cum lapidibus preliosis, tùm venustissimis picturis exornavit, et in novam Aram magnificentissimam, insumptis plusquàm quindecim millibus aureorum, Imaginem transferri curavit. Tu. ℟.

Homil. de comm. Dedicat. pro Duplicib.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Ransperganæ.

Gumpenberg. im. 618.

Ranspergæ in Germaniâ Inferiori perantiqua Deiparæ statua est, sanè miraculosa: nam et pictura id è muro edocet obsessos hic à spiritibus malignis liberatos, et mortuos resuscitatos fuisse. Languentem pietatem iterum suscitavit, qui anno millesimo sexcentesimo decimo octavo picturas evanidas renovavit, fecitque, ut simùl etiàm antiqua pietas rediret, et Deiparæ favor. Tu. Te Matrem.

Vesperæ à capit. de sequent. ut in 1. Vesp. Inf.

DIE VII. OCTOBR.

COMMEM. B. M. V. DE VICTORIA.

Duplex.

Lect. 1. Noct. de Fer.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Anni millesimi quingentesimi septuagesimi primi septimâ Octobris die, quâ Sanctissimi Rosarii sodalitates per universum orbem consuetas supplicationes peragerent, statutasque preces de more funderent, comissum est navale prælium ad Naupactum, Sancto Pio quinto Pontifice, qui eodem momento, quo Christiani Turcarum classem propè deleverant, de nostrorum victoriâ, quæ precibus sodalium sanctissimi Rosarii haud immeritò refertur accepta, monitus est. Tu. ℟.

LECTIO 5.

In eo igitur prælio fidelium exercitus Summi Pontificis Sancti Pii quinti, ac catholici Hispaniarum Regis Philippi secundi, nec non Venetorum Reipublicæ fœdere coactus, tanto impetu contra Turcarum gentes irruit, ut gloriosam ac cunctis sæculis memorabilem de ipsis ad Echinadas insulas, captis hostium triremibus centum et octoginta, cæteris dissipatis, victoriam reportavit. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Ob tam ergò insignem victoriam Sanctus Pius quintus jussit quotannis Sanctæ MARIÆ de Victoriâ Commemorationem fieri, ut habetur in Martyrologio Romano ad hanc diem his verbis; Eodem die Commemoratio Sanctæ MARIÆ de Victoriâ, quam Pius quintus, Pontifex maximus ob insignem victoriam à Christianis bello navali, ejusdem Dei Genitricis auxilio hâc ipsâ die de Turcis reportatam quotannis fieri instituit. Tu. ℟.

Homilia de comm. pro Duplicibus.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Budanæ in Silvis.

Gumpenb. Imag. 163.

Non longè à Budâ in Lithuaniâ in templo Sancti Francisci mediis in silvis (undè nomen habet) colitur Imago Sanctissimæ Deiparæ, quam Clemens Octavus Romanus Pontifex dono dedit cuidam Palatino, Miscensi, cui nomen Joannes Pax, ab hæresi ad fidem catholicam converso. Ad eam accurrit tota Lithuania, et alba Rusia propter ingentem famam miraculorum, sibi complacente Deiparâ eam invocantibus copiosa dona impertiri. Tu.

Te Matrem.

Vesperæ sequentis.

DIE VIII. OCTOBR.

ENCÆNIA

OMNIUM ECCLESIARUM B. M. V.

Duplex primæ Classis cum Octavâ.

IN I. VESPER.

Ant. 1. O Israel, quàm magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus. *Psalm. ut in* 1. *Vesp. Solemn.*

2. Propter domum Domini Dei nostri quæsivi bona tibi.

3. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

4. In domo meâ omnis qui petit, accipit, qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur.

5. Ecce ego sto ad ostium et pulso, aperi mihi Mater mea, et exaudi me.

℣. CAPITULUM. 2. *Paral.* 20. 9. Stabimus coram domo hâc in conspectu tuo, et clamabimus ad te in tribulationibus nostris, et exaudies, salvosque facies.

℟. Audite, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum: Bonas facite vias vestras, et nolite facere domum Matris vestræ domum negotiationis. ℣. O quàm metuendus est locus iste! Verè non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.—Bonas.—Glor.—Audite.

In diebus infra octav. omittitur.

HYMNUS 104.

Lætis terra sonet plausibus; huic Dei
Mater Virgo datur: munereque nova
Se rerum facies protinùs exerit;
Mundo pax redit aurea.
Hæc est illa domus, quâ Deus Advena
In terris habitat, digna Deo domus,
Templum grande sibi quod propriâ manu
Summus condidit Artifex.
Aureis arca vetus fulserit undiquè
Scintillans radiis: hæc vacuas decent
Umbras: interior Numinis ipsius
Arcam nobilitas decet.
Non hic manna latet, legifer, aut lapis,
Non ramus sterilis; flos viget hic ferax
Virtutum: sacer hic panis, homo Deus;
Hic legis residet dator.
Sit laus summa Patri, summaque Filio
Amborum sit idem Spiritui decus,
Arcanis habilem, qui thalamum modis,
Christo præparat Hospiti. Amen.

℣. Locus iste sanctus est.

℟. Domus orationis vocabitur.

Ad Magnif. *ant.* Erit Nomen meum in domo hâc, in quâ invocatum est, cunctis diebus.

Oratio de Laud. Complet. de Dominicâ.

AD MATUTIN.

Invitatorium. Domum MARIÆ decet sanctitudo: * Christum ejus Filium adoremus in eâ.

HYMNUS 105. *S. Aurel. Prud.*

Exteri necnon et urbis
Huc colonus advenit:
Fama nam terras in omnes
Præcucurrit proditrix:
Hinc Patronam esse mundi
Quam precantes ambiant.

Nemo puras hic rogando
Frustrà congessit preces:
Lætus hinc tersis revertit
Supplicator fletibus,
Omne quod justum poposcit
Impetratum sentiens.

Laus tibi per omne tempus
Trinitas indifferens:
Laus, honor virtusque summa
Singularis gloriæ,
Quæ Deum te sæculorum
Personent per sæculum. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Quicumque oraverit * in loco isto, exaudi illum de cœlis, Virgo MARIA, et propitiare. *Ps.* 14. Domina quis. *p.* 5.

2. Exaudi * de habitaculo tuo, et fac cuncta, pro quibus invocata fueris. *Ps.* 29. Exaltabo te. *p.* 26.

3. Gloria Domini implevit Domum MARIÆ, venite invocemus nomen ejus. *Ps.* 37. Domina, ne in. *p.* 28.

℣. Beati, qui habitant in domo tuâ.

℟. In sæcula sæculorum laudabunt te.

De libro tertio Regum.

LECTIO 1. *c.* 8. 1.

Tunc congregati sunt omnes majores natu Israel cum principibus tribuum, et duces familiarum filiorum Israel, ad regem Salomonem in Jerusalem, ut deferrent arcam fœderis Domini de civitate David, id est, de Sion. Convenitque ad regem Salomonem universus Israel in mense Ethanim, in solemni die, ipse est mensis septimus. Venerunt-que cuncti senes de Israel, et tulerunt arcam Sacerdotes, et portaverunt arcam Domini, et tabernaculum fœderis, et omnia vasa Sanctuarii, quæ erant in tabernaculo: et ferebant ea sacerdotes et Levitæ. Tu. ℟.

℟. Fecerunt filii Israel, Sacerdotes et Levitæ Dedicationem domûs Dei in gaudio, . Et obtulerunt in dedicationem domus Dei victimas Domino. ℣. Et fecerunt solemnitatem septem diebus in lætitiâ, quoniàm lætificaverat eos Dominus. —Et obtulerunt.

LECTIO 2.

Rex autem Salomon, et omnis multitudo Israel, quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, et immolabat oves et boves absque æstimatione et numero. Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in sanctum sanctorum, subter alas cherubim. Siquidem cherubim expandebant alas super locum arcæ, et protegebant arcam et vectes ejus desuper. Tu.

℟. Respice ad orationem nostram, et ad preces nostras, quæ Mater misericordiæ nuncuparis, * Ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die. ℣. Audi, Domina, hymnum et orationem, quam oramus coram te hodiè.—Ut sint.

LECTIO 3. *c.* 10.

Factum est autem cum exissent Sacerdotes de Sanctuario, nebula implevit domum Domini, et non poterant Sacerdotes stare et ministrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini. Tunc ait Salomon: Dominus dixit, ut habitaret in nebulâ. Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum. Convertitque Rex faciem suam, et benedixit omni Ecclesiæ Israel: omnis enim Ecclesia Israel stabat. Tu.

℟. Fecit Salomon festivitatem celebrem, et omnis Israel cum eo, * Coram Domino Deo nostro septem diebus, et in die octavâ dimisit populos. ℣. Benedictus Dominus Deus, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificaret domum Domini.—Coram.—Glor.—Fecit Salomon. *In diebus infra Octav.* Coram.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Sanctificavit * Dominus Domum Genitricis suæ, et habitabit in eâ. *Psalm.* 43. Domina, aurib. *p.* 29.

2. Orate in loco isto, * quia Nomen MARIÆ invocatum est super domum hanc. *Psalm.* 50. Miserere mei. *p.* 31.

3. Replebimur * in bonis domûs tuæ: sanctum est templum tuum. *Psalm.* 55. Miserere mei..... quon. *p.* 32.

℣. Gloria et divitiæ in domo ejus.

℟. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Sermo S. Germani Arch. Constantinopolitani. *Apud Surium die* 31. *Augusti.*

LECTIO 4.

Si Virgo appellata est civitas animata Regis Christi, meritò illius quoquè templum sanctissimum, cujus dedicationem hodiè celebramus, et est et nominatur civitas gloriosa. Civitas non terrestri et mortali Regi in civium numerum adscribens eos, qui parent ejus ditioni, sed cœlesti qui transmittit ad vitam æternam, et præbet regnum suum iis, qui ipsum sequuntur.

℟. Fecerunt Judæi dedicationem altaris octo diebus, * Et obtulerunt holocausta cum lætitiâ, et sacrificium salutaris et laudis. ℣. Et facta est lætitiâ in populo magna valdè, et aversum est opprobium gentium.—Et obtulerunt.

LECTIO 5.

Encæniorum autem nomen, id est, Dedicationis, ô Reverendi auditores, ne recentèr factis ædificiis, et

modò coagmentatis constructionibus existimetis solùm continere, sed eam etiàm, quæ in Spiritu fit, renovationem significare, per quam homo noster internus, cum vetus et lacerum peccati exuerit indumentum, novum pietatis induens vivit in vitæ novitate. Illis enim delectatur Virgo ab omni penitùs maculâ aliena, qui virtutibus et secundum Deum vitâ pro instituto renovantur. Sic cœlæ cœlis fruamur Encæniis. Tu.

℟. Et ornaverunt faciem templi coronis aureis, et scutulis: * Et dedicaverunt portas et pastophoria, et imposuerunt eis januas. ℣. Confitemini Dominæ nostræ, et invocate eam in domo sanctâ suâ.—Et dedicaverunt.

LECTIO 6.

Et tanquàm ad ipsam præsentem, et omnia videntem accessuri; ita ad venerandum ejus templum accedentes, omnia componamus, et omnia mutemus in id, quod est melius, actionem et contemplationem. Nihil sit nostro die indignum. Non ingressus pedis, non risus dentium, ut dicitur, non vestis ornatus tendat ad indecorum. Quid dico? Ipsas quoquè componamus cogitationes, et incessu eas esse Deo dignas ostendamus. Hæc autem omnia præcedat etiàm misericordia, quâ Deus colitur, ut mente, animâ, et corpore Encæniorum intemeratæ Dei secundum carnem Matris diem novo modo celebremus. Tu.

℟. Venite, ascendamus hodiè in montem Domini, ingrediamur Domum Genitricis Dei * Ad invocandum nomen sanctum suum. ℣. Elegit et sanctificavit locum istum in sempiternum.—Ad invoc.—Gloria.—Venite. *In diebus infra Octav.* Ad invoc.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Introibimus * in tabernaculum ejus, et adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. *Ps.* 84. Benedixisti. *p.* 39.

2. Aperi, Domina, * oculos tuos super domum istam, ut exaudias preces populi tui. *Psalm.* 126. Nisi Domina. *p.* 47.

3. Aprehendam te, * et ducam te in domum Matris meæ. *Ps.* 127. Beati omes. *p.* 47.

℣. Domus mea. ℟. Domus orationis vocabitur.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 10. *v.* 22.

In illo tempore: Facta sunt Encænia in Jerosolymis, et hiems erat. Et reliqua.

Homilia D. Euthymii Monachi.

Apud Surium. die 31. *August.*

Dum itaque animas et corpora per virtutes quæ reprehendi non possunt, et Deo dignæ sunt, nos omnes abluerimus, ita accedamus ad ejus divinum et suscipiendum, et quod supra cœlesti loco non est inferius, Templum, in quod quicumque, ut videt, ingrediatur, tanquàm in cœlo quodam modo perpetuos, et indeficientes cultus, et glorificationis facit cum timore, et cordis exultatione, maximè autem hodiè. Tu.

℟. Exaudi, Domina, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, * Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. ℣. Respice, Domina, de excelso cœlorum habitáculo tuo.—Dum.

LECTIO 8.

Et quis non hodiè accurrit ad hanc longè clarissimam, et illustrissimam ornatissimi, et à Deo conditi templi Dedicationem? Dedicatur hodiè Templum Dei Matris, quod est pulcherrimum et luminosissimum, et cœlo potest æquiparari. Hodiè dedicatur templum maximè benedictæ Dei Filiæ in quo Angelorum exercitus assiduè ministrant. Tu.

℟. Quàm dilecta tabernacula tua, Domina Virtutum! * Concupiscit et deficit anima mea in atriis tuis. ℣. Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniàm elegi eam.—Concupiscit. *In dieb. infr. Oct. hoc* ℟. *omittitur.*

LECTIO 9.

Hodiè celebrantur Encænia nostræ Intemeratæ. Et quis est ex viris terrigenis, et ea quæ sunt Dei scientibus, non exilierit, et non præclarè supra nivem dealbatus fuerit, et animo et moribus mutato? Ita enim in his erimus sine periculo, si maximo cum metu, et tremore, et spirituali exultatione in id ingrediamur. Tu.

℟. Audite, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum: * Bonas facite vias vestras, et nolite facere domum Matris vestræ domum negotiationis. ℣. O quàm metuendus est locus iste! verè non est hic aliud, nisi domus Dei et porta cœli.—Bonas.—Gloria.—Audite. *In diebus infra octav.* Bonas. Te Matrem.

AD LAUDES.

Et per Horas antiphonæ.

Ant. 1. Apertum est * templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus. *Psalmi de Domin.*

2. Ecce apertum est * templum tabernaculi testimonii: introibimus, et invocabimùs Nomen Matris Dei.

3. Introibo * in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor Nomini tuo.

4. Venite hodiè * ad Sanctuarium Domini, quod Deus sanctificavit in æternum.

5. Hæc domus mea, * hic locus soliì mei, hic locus vestigiorum meorum.

V. CAPITULUM. 2. *Parali.* 20. 9. Stabimus coram domo hâc in conspectu tuo et clamibus ad te in tribulationibus nostris, et exaudies, salvosque facies.

HIMNUS 106.

Diva, te nostris, Mater, ò precamur
Annuas vultu studiis sereno,
Plena sic nobis ferat ut dicatum
Gaudia templum.

Da metus omnes procùl hinc recedant,
Sint dies læti, placidæque noctes:
Tuamque gratam omnibus clementiam
Filiis effunde.

Hæc dies templi referens recentis
Misticos ritus, Deo templa mole
Nos struat viva, superisque tandèm
Arcibus aptet.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

℣. Introibo in domum tuam.
℟. Reddam tibi vota mea.

Ad Benedict. *ant.* Vidi, * et ecce implevit gloria Domini domum Domini, Spiritus Sanctus supervenit in eam, et virtus Altissimi obumbravit illi: et cecidi in faciem meam.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, effunde super nos Spiritûs Sancti dona cœlestia, ut qui sacrosancta Encænia beatissimæ Virginis MARIÆ Ecclesiarum recolimus, tuæ divinæ habitationis templa fieri mereamur in terris, et tuæ gloriæ in æternum in cœlis. Per Dominum..... in unitate ejusdem.

AD PRIMAM.

Ant. Apertum est. *Capit.* Stabimus. *de Laudibus.*

℣. ℟. *br.* Quæ domus Dei effecta fuisti. *Dicitur per Oct.*

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Ezech.* 43. 5.

Elevavit me Spiritus, et introduxit me in atrium interius: et ecce repleta erat glorià Domini domus.

℟. *br.* Majestas Domini * Ingressa est templum.—Majestas. ℣. Per viam portæ orientalis.—Ingressa. —Gloria.—Majestas.

℣. Sapientia ædificavit sibi domum.

℟. Excidit columnas septem.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Ezech.* 43. 7.

Fili hominis, locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habitabo in medio filiorum Israel in æternum.

℟. *br.* Sapientia ædificavit * Sibi domum.—Sapientia. ℣. Excidit columnas septem.—Sibi.—Gloria.—Sapientia.

℣. Hæc est domus Domini.

℟. Domus orationis et obsecrationis.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Ezech.* 43. 12.

Ista est lex domus in summitate montis: omnis finis ejus in circuitu, sanctorum est: hæc est ergò lex domûs.

℟. *br.* Hæc est * Domus Domini. —Hæc. ℣. Domus orationis et obsecrationis. —Domus.—Gloria.—Hæc.

℣. Locus iste sanctus est. ℟. Dei ædificatio est.

IN II. VESPERIS.

Ant. 1. Beati * qui habitant in domo tuâ, Virgo MARIA, in sæcula sæculorum laudabunt te. *Ps. ut in* 2. *Vesper. solemnit.*

2. Quia melior * est dies una in atriis tuis super millia in tabernaculis peccatorum.

3. Hæc requies * mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniàm elegi eam.

4. Quàm dilecta * tabernacula tua: quàm amabilia tentoria requietionis tuæ!

5. Concupiscit * et deficit anima mea in atria tua, Domina.

CAPITULUM. 2. *Par.* 20. 9.

Stabimus coram domo hâc in conspectu tuo, et clamabimus ad te in tribulationibus nostris, et exaudies, salvosque facies.

℟. *Ut in* 1. *Vesperis.*

HYMNUS 107. *Ex Just. Lipsio et Guarin.*

Diva, quæ gentes hominum salutis
Exules partu recreas beato:
Astraque pandis, veterumque mutas
Fata parentum.

Annue: en sacro tibi fumat ara
Ture, quod felix lacrymat sabæis
Arbor, et multus tibi flagrat ignis
Divite templo.

Corrige incurvos, vitiisque fractos:
Claudimus gressu, invalidi atque scambi,
Semilam virtutis inire lenti:
Fac properemus.

Tu malis fessos releva, et favente,
Pacis indulge recreemur aurâ:
Tunc tibi laudes, Diva, dicet omnis
Sexus et ætas.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

℣. Replebimur in bonis domûs tuæ.

℟. Sanctum est templum tuum.

Ad Magnific. *ant.* Tu exaudies * de cœlo, ut sciant omnes populi nomen tuum, et cognoscant, quia invocatum est super domum hanc.

Completor. de Dominicâ.

In diebus infra Octavam, nisi aliter notetur Officium fit ut in die Encænior. cum Psalm. de feriâ.

DIE IX. OCTOBR.

DIVÆ V. NUCERINÆ.

Duplex.

Omnia ut in die Encænior. Lect. 1· *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Gumpenberg. Imag. 206.

Vallis Nuceria est Sola et Albino montibus media in regno Neapolitano. Ibi vixit quædam mulier, cui beata Virgo benignè apparuit et dixit: Ego sum Regina omnium, et locus hic totus meus est: simulque extensis latè brachiis locum designavit. Ipsa evigilans somnium marito narravit, et tacere quàm primùm jubetur. Post biennium ad eandem mulierem Angelus missus fuit in somnis, quem tres ignes in eodem loco excitantem, et thus injicientem vidit, quin etiàm loquentem audivit. Et in virgulâ fumi mutatus in cœlum abiit. Tu.

℟. Hàc ad cœlum itur: hæ sunt orationes sanctorum: * Hic porta cœli patet, orantibus hic Dei aures inclinantur ad preces. ℣. Audivi vocem angeli Dei dicentem mihi. —Hic.

LECTIO 5.

Femina visis, jussisque territa, tacuit sanè, sed viro, ne iterum tacere juberetur. At verò quos inveniebat passim omnibus, et hæc quæ nunc vidit, et illa, quæ olim edixerat, enarrabat. Et fidem invenit apud plurimos, ita ut confestim populus ad locum ivit. Erat ibi quercus annosa, quæ evulsa cum radicibus suis arbor non nisi cisternæ veteris ostium ostendit. Ita populus somnio mulieris deceptus rediit. Tu.

℟. Dic populo, ut fodiat, et latentis sacrarii indicia inveniet: * Siquidem evadere vellet, quæ illi mala è cœlo imminet. ℣. Hic locus sanctus est: dic populo ut fodiat. —Siquidem.

LECTIO 6.

Sed hoc ubi Deiparæ questa est mulier, iterùm apparens, gemmam de annulo, quem digito gestabat exustiens, in fidei pignus dat, jubetque quærere locum. Et sanè alterâ die invenit, egestâ terrâ, antiqui templi rudera, in quo et lampadum fragmenta, aliaque posteà inventa sunt. Reperta quoquè est Deiparæ Imago, posteà Altari principi inserta, unà cum plurimis Sanctorum Reliquiis, inter quas erant venerandi capilli Beatæ Virginis, de cingulo ejus, de vestimentis ejus, et quædam ampulla vitrea plena de lacte ipsius Virginis. Tu.

℟. Ecce ego ipsa dabo tibi signum: * Gemmam de annulo meo tibi dono in fidei pignus. ℣. Hic locus totus meus est: dic populo, ut fodiat.—Gemmam.—Gloria.—Gemmam.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 13. 45.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Et reliqua.

Homilia Sancti Antonini Arch. Florentini.

Sermo in Natiy. B. V.

Iste negociator est ipsemet Dei Filius, qui abiit, angelos in cœlo relinquendo, id est, non assumendo naturam eorum, omnia sua vendi-

BIBLIOTECA CENTRAL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dit, dum cum humanâ naturâ commutavit divinitatem suam, et nos ei humanitatem nostram: tunc enim omnia bona sua acquisita sunt nobis cum illâ, cum ipse specialiter assumpsit istam preliosam margaritam, id est, Virginem MARIAM Sponsam. Tu. ℣. Exaudi Dom.

LECTIO 8.

Hæc enim ad modum margaritæ genita est intra concham, id est, uterum Annæ humilis Matris suæ ex cœlesti rore, id est divinâ gratiâ et virtute, quia Anna sterilis erat dealbata, et sanctificata. *Lect.* 9. Talis margarita pretiosa reputatur, scilicet, pulchra, candida et clara. Pulchra mente per puritatem, candida in corpore per castitatem, clara in opere per sanctitatem. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! Tu. ℣. Audite qui.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Insulâ.

Gumpenb. Atlas mar. imag. 311. Non procùl Vicentiâ in Italiâ Villa est, quæ Insulæ nomen habet, in quâ perantiqua et miraculosa Virginis effigies veneratur in quodam templo. Statua est lapidea, et Deipara JESUM pectori appressum brachio tenet. Constat templum hoc anno millesimo trecentesimo sexto jam extitisse, et cum à militibus post duos sæculos spoliatum, et incensum fuerit, statua ipsa lapidea, vidente populo, acerbissimè flevit, et oculos clausit. Finito bello restauratum est templum, et unà cum templo pietas, quæ etiàm nunc durat. Tu. Te Matrem.

Vesperæ ut in 2. *Vesper. Encænior.*

DIE X. OCTOBR.

DE III. DIE INFRA OCT. ENCÆN.

Semiduplex.

Lection. 1. *Noct. de feriâ.*

In secund. Noct. leguntur Lectiones ut in Convent. Dedicat. Si Salomon cum *Israel. Responsoria verò ut in die Encænior.*

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 10. 22.

In illo tempore: Facta sunt Encænia in Jerosolymis, et hyems erat. Et reliqua.

Homilia D. Euthimii Monachi.

Apud Surium die 31. *Augusti.*

Hodiè templum dedicatur hujus gloriosæ Dei Matris, in quod ab Oriente et Occidente, à Septentrione et mari omnes ardenter et fideliter confluunt, et spirituales cultus cum timore peragunt, et Deum ex corde non cessant glorificare à mediâ nocte, atque adeò perpetuo et alacri animo assimilati Archangelis. Tu. ℣. Exaudi.

LECTIO 8.

Hodiè dedicatur templum Regis Christi Matris, in quo omnis scriptura à Deo inspirata, et utilis legitur ad utilitatem animarum innumerabilium. Etenim ex quovis christianissimo ordine in id magno studio confluunt, Pontifices et Reges, Principes et magistratus, divites et pauperes, immatura ætas et piarum feminarum caterva. Tu. ℣. Audite qui.

LECTIO 9.

Commemoratio B. Virginis Trocensis.

Gumpenb. Imag. 187.

Imago Beatæ Virginis, quæ in civitate Trocensi in aræ minore templi majoris colitur, jam à temporibus Alexandri Vitaldi magni Ducis miraculosa est. Tantus hodiè concursus est, ut integræ propè civitates totius ferè Lithuaniæ

pro festis Deiparæ à milliaribus polonicis quatuordecim supplicantium ritu effundantur ad hunc locum visendum. Undè patet, quòd non solùm ab ortu usque ad occasum, sed etiàm à meridie ad ultimum usque Septentrionem laudabile esse Nomen MARIÆ. Tu. Te Matrem.

Vesperæ ut in 2. *Vesper. Encænior.*

DIE XI. OCTOBR.

DIVÆ V. TINDARITANÆ.

Semiduplex.

Lect. 1 *Noct. de Feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Octav. Cajetan de effigieb. Siculis.

In Siciliâ juxta antiquam arcem Tyndaritanam templum extat, in quo antiquissimum Virginis Simulacrum ex marmore magnâ, ut par est, colitur observantiâ. Traditio est olim (nihil de tempore liquet) cum navigium, quo sanctissimum Simulacrum advehebatur, Siciliam cum legeret, sub ipso Tyndaritano monte constitisse; cumque ultrà progredi neutiquàm posset, et jam faventibus ventis ab aliâ regi virtute clarè appareret; nautæ, impellente animos cœlesti Numine, Statuam Virginis è navigio deponunt, et ad proximum templum in colle collocant. Tu. ℣. Fecerunt.

LECTIO 5.

Eâ in re contingit, ut in loco, quo primùm effigies constituta fuit, ibi illius vestigium imprimeretur, quod quidem in marmoreâ tabellâ unius palmi adhuc ibi observatur, reliquæ memoriam servat. At vero navis, deposito Virginis Simulacri onere, reversisque nautis felicissimo cursu portum tenuit: tantùm videlicet Regina cœlorum hanc sibi expetebat sedem, tantam ex suâ Siciliâ voluptatem capiebat, ut in eâ, etiàm cum vi præter rerum ac naturæ ordinem habitare quodammodò vellet, et illi maximè coli ab omnibus, ubi tanta idololatriæ superstitio prius floruerat. Tu.

℣. Et ornaverunt.

LECTIO 6.

Primùm in templi latere sita fuit statua, deindè sacellum fabricatum fuit, magnumque, fama est, in eâ translatione miraculum fuisse, nam cum in novum sacellum translata esset vespere, manè in primâ sede, ubi primùm fuit posita, invenieba-tur. Quarè solemni supplicatione iterata translatio est, et mirum sanè prodigium, nam ubi eâ pompâ in novo sacello collocata fuit, non amplius ex eo mota, ibique beneficia omnibus elargitur. Tu. ℣. Venite.

NI III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO. 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: beatus venter qui tè portavit. Et reliqua.

Homilia S. Epiphanii Episcopi.

De Laudibus B. M. V.

Quid dicam? et quid proloquar? quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto cunctis superior existit: naturâ formosior est ipsis Cherubim, Seraphim, et omni exercitu Angelico: cui prædicando cœlestis ac terrena lingua minimè sufficit, imo verò nec angelorum. Etenim ipsi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt: non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt. Tu.

℣. Exaudi.

LECTIO 8.

Lætabuntur verò Angeli, tanquàm ipsi dumtaxat Deum haberent, qui-

bus Sanctissima Virgo superior facta, Deum habitantem in cœlis concepit in terrâ, ut hâc ratione exercitus Angelorum traheret in terram, et versaretur cum hominibus. Ipsa est enim cœli et terræ mediatrix, quæ unionem naturalitèr peregit. Tu. ℣. Audite, qui.

LECTIO 9.

Commemoratio B. Virginis de Almudenâ.

Gumpenb. imag. 619.

Matritenses in obsidione Mauro-rum, ne Statua Sanctæ MARIÆ de Almudenâ in ludibrium Sarracenorum remaneret, eam intra muros urbis absconderant. Porrò locus per traditionem nepotibus non erat ignotus: diverse tamen et multæ erant sententiæ, nemine non affirmante intra mœnia hunc thesaurum latere, et omnibus, quâ muri parte lateret, ignorantibus. Quapropter suasu piorum supplicatio instituta est, quâ Virgo rogabatur, dignaretur Iconem suam detegere. Sed eccè pars muri concidit, detegitur Sancta Imago, et incredibili lætitiâ suo templo restituitur. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequent.

DIE XII. OCT.

COMM. B. V. M. DE COLUMNA.

Duplex majus.

IN I. VESPER.

Antiphonæ ut in 2. Vesper. Encæniorum. Psalm. de ferid.

CAPITULUM. 2. *Esdr.* 9. 19.

Columna nubis non recessit ab eis per diem, ut duceret eos in viam, et columna ignis per noctem, ut ostenderet eis iter, per quod ingrederentur.

HYMNUS 108. *Marc. Maxim.*

O Cæsaraugustæ decus,
Et dulce patrocinium,
Gentis Ioeræ columen
Templum columnæ immobilis.
Quæ diceris plùs omnibus
Sacris Iberis sedibus
Jerusalem mirabilis,
Domus pudicæ Virginis.
Te præ solis cubiculis
Elegit ipsa Genitrix,
Quæ gessit almo in utero
Magni Tonantis Filium.
Hæc nam Jacobo Apostolo
Et suo consanguineo
Ædem jubet confiecre
Cunctis manentem sæculis.
O grandis apparitio,
Jacobo facta primitùs
Anno nono tricesimo
Natalis almi Domini!
Doxologia de Tempore.

℣. Ignis ardentem columnam.

℟. Ducem habuerunt ignoiæ viæ.

Ad Magnif. ant. Elegi, et sanctificavi locum istum meâ præsentiâ, ut sit ibi nomen meum, et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.

Oratio de Laudib.

AD MATUTIN.

Invitatorium. Memoriam MARIÆ cum laudibus celebremus: * Et nomen ejus cum exultatione.

HYMNUS 109. *Ex offic. prop.*

Jubilo dulci canimus MARIAM,
Flumen æternæ pietatis, undè
Hauriunt omnes, quibus ardet alto
Pectore virtus.
Cujus est primo fidei sub ortu
Noster expertus populus favorem,
Cum per Hispanas miserisset oras
Stemma salutis.
Longa quod plausu cecinit vetustas,
Quod Patres olim coluere festum,
Prædicent sanctè, celebrentque gratâ
Mente nepotes.
Fertur, ut quondam monitus Jacobus

Cæsaraugustæ posuisse templum,
Nostras sic ædes nitidas MARIÆ
Corde dicemus.
Virginis laudes celebrans Iberus
Civis exultet, memor et receptæ
Gratiæ, festo redeunte, vota
Debita solvat.
Sit decus summum tibi, Christe, Mater
Pura quem Virgo generavit, æquâ
Laude dicatur, Pater, ac perenni
Spiritus ævo. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Columnam ducem habuimus ignotæ viæ, et solem sine lesurâ boni hospitii præstitisti.

2. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.

3. Sapientia ædificavit sibi domum, et mensam suam proposuit.

℣. Beati, qui habitant in domo tuâ.

℟. In sæcula sæculorum laudabunt te.

De libro Exodi.

LECTIO 1. c. 13. 17.

Cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est: reputans ne forlè pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et revertierentur in Ægyptum. Sed circumduxit per viam deserti, quæ est juxta mare rubrum, et armati ascenderunt filii Israel de terrâ Ægypti. Tu.

℟. Vidi speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum: * Cujus inestimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus. ℣. Et vidi eam, quasi columnam fumi de civitate conscendere.—Cujus.

LECTIO 2. v. 20.

Profectique de Socoth castramentati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis. Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columnâ nubis, et per noctem in columnâ ignis, ut dux esset itineris utroque tempore. Nunquàm defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem. Tu.

℟. Beatissima Virgo Sancto Jacobo Apostolo ad Iberi fluminis ripam oranti apparuit: * Ibique, ut sacellum extrueret, eidem injunxit. ℣. Ecce locus signatus, et honori Deiparæ deputatus.—Ibique.

LECTIO 3. c. 14. 19.

Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos: et cum eo paritèr columna nubis, priora dimittens, post tergum. Stetit inter castra Ægyptiorum et castra Israel: et erat nubes tenebrosa, et illuminans noctem, ita ut ad se invicèm toto noctis tempore accedere non valerent. Tu.

℟. Jacobus Apostolus ædiculam extruxit, * Quæ antiquâ populorum religione, et maximâ frequentiâ celebratur. ℣. Auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis.—Quæ.—Gloria.—Quæ.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Tulit Jacob lapidem unum, et vocavit nomen illius: lapis adjutorii.

2. O quàm metuendus est locus iste! verè non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.

3. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem, probatum, pretiosum.

℣. Gloria et divitiæ in domo ejus.

℟. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

LECTIO 4.

Ex Offic. proprio B. V. M. de Columnâ.

Ut pia et antiqua traditio habet, cum beatus Jacobus Apostolus, major nuncupatus, divino consilio Hi-

BIBLIOTECA CENTRAL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

spaniam appulisset, et aliquandiù Cæsaraugustæ substitisset, ipsi cum aliquot discipulis noctu ad Iberi fluminis ripam oranti beata Virgo, dum adhuc in humanis ageret, apparuit, ibique ut sacellum extrueret, injunxit. Tu.

℟. Hæc est domus Domini firmitèr ædificata, Ecclesia Dei vivi: * Columna fidei, et firmamentum veritatis. ℣. Verè non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli.—Columna.

LECTIO 5.

Quare cùm nihil cunctatus Apostolus, discipulis opem ferentibus, ædiculam Deo in ipsius Virginis honorem dicavit. Huic autem procedentibus sæculis, amplius et augustius templum accessit, quod è Simulacro Deiparæ Pilæ è marmore superstante, atque ibidem maximâ totius Regni pietate ac frequentiâ venerato, à Columnâ olim acceptum nomen, hisce quoquè temporibus retinet. Tu.

℟. Ad Simulacrum Virginis de Columnâ piè venerandum populi de longinquo veniunt: * Vota sua humili corde offerunt, et uberes gratias à Deo impetrant.

℣. Leva in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.—Vota.

LECTIO 6.

Utque debitus Deo cultus, ac fervens jam erga Virginem populorum devotio uberius in diem incrementum accipiat, Clemens XII. Pontifex maximus per universas regi catholico subjectas ditiones ejusdem Commemorationis officium die duodecimâ Octobris celebrari indulsit. Et novissimè Summus Pontifex Pius septimus hanc festivitatem ad ritum primæ classis cum octavâ elevavit, officium quoquè proprium in eâ recitari posse concessit, sed pro toto regno Aragoniæ tantùm. Tu.

℟. Statuit Dominus super petram pedes meos, et in petrâ exaltavit me: * Et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos. ℣. Fundamenta æterna supra columnam solidam.—Et.—Gloria.—Et.

IN III. NOCT.

Ant. 2. Dedit nobis Dominus civitatem munitam et columnam ferream.

2. Dum anxiaretur cor meum, in petrâ exaltavit me.

3. En ego stabo ibi coram te super petram, et exibit ex eâ aqua, ut bibat omnis populus.

℣. Domus meæ. ℟. Domus orationis vocabitur.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et soror Matris ejus, Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Epiphanii Episcopi.

Contra Hæres. hæres. 78.

In ipsâ consummatione, quandò Salvator in cruce pendebat, velut habet Evangelium secundum Joannem: conversus, inquit, vidit Discipulum, quem diligebat Dominus, et dixit ipsi de MARIA: Ecce Mater tua: et eidem dicit: Ecce Filius tuus. Si verò fuissent filii MARIÆ, et si fuisset ipsi vir, quâ ratione tradidisset ipsam Joanni, et Joannem MARIÆ! Quâ vero ratione non potius Petro tradidit? Quâ ratione non Andreæ Matthæoque, ac Bartholomæo? Et manifestum est, quod Joanni propter Virginitatem. Tu.

℟. Insigni beneficio peculiarem sui obtinendi Patrocinii fiduciam clementissima Virgo nobis concessit: * Quæ hunc locum elegit, in quo preces undiquè confluentium

exciperet. ℣. Filii tui de longè venient, et filiæ tuæ de latere surgent. —Quæ.

LECTIO 8.

Ecce enim Mater: quanquàm non esset Mater ipsius Joannis secundum carnem: sed ut ostenderet ipsam Matrem esse principem Virginitatis: quoniàm ex ipsâ vita erat. Et Joanni, quanquàm secundum carnem alieno existenti dicebat, ut doceret honorare propriam suam Matrem, quoniàm verè secundum carnem ex ipsâ Dominus ipse genitus est, et ne quis putet, rem ipsam esse apparientiam, et non veritatem. Tu.

℟. Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam, * Per diem in columnâ nubis, et per noctem in columnâ ignis. ℣. Nunquàm defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem.—Per diem.—Glor.—Per.

LECTIO 9.

Si enim non fuisset verè ipsius Mater, quæ secundum carnem peperit ipsum, non sanè curam habuisset, ut semper Virginem commendaret, quæ mater quidem facta est propter dispensationem, impollula autem erat propter honorem ejus ipsum et vas admirabile. Dicit autem Evangelium: Et ab illâ die accepit ipsam ad seipsum. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

Et per Horas Antiphonæ.

1. Sapientia * ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.

2. Ego in altissimis * habitavi, et thronus meus in columnâ nubis.

3. Columna nubis * omnes operiens, columna ignis omnes illuminans.

4. Fundata est * domus Domini secus decursum aquarum, et flumina non obruent illam.

5. Fundabo te * in saphiris, ponam jaspidem propugnacula tua.

CAPITULUM. 2. *Esdr.* 9. 19. Columna nubis non recessit ab eis per diem, ut duceret eos in viam, et columna ignis per noctem, ut ostenderet eis iter, per quod ingrederentur.

HYMNUS 110. *Ex offic. prop.*

Grata Virgini MARIÆ,
Præsidi dulcissimæ;
Gaudeat sublime donum
Concinens Hispania,
Occupet nec ulla mentes
Impudens oblivio.

Virgo stans super columnam
Fulget æde maximâ,
Excubantes hinc et indè
Lampades pulcherrimæ,
Nocte certatim dieque
Dulce lumen offerunt.

Quæ patres cœpere primi
Tecta cultu simplici,
Posteri majore sumptu
Promoventes extruunt:
Prisca pauperias placebat,
Nec novus mos displicet.

Nempe devotas ad aras
Supplices se conferunt,
E remotis dona terris
Consecrantur ædibus,
Spargit undè Virgo clemens
Gratias uberrimas.

Sit tibi virtus, decusque
Christe nate Virgine,
Sit Patri laus et Datori
Gratiarum Flamini,
Una jugitèr canatur
In tribus divinitas. Amen.

℣. Introibo in domum tuam. ℟. Reddam tibi vota mea.

Ad Bened. *ant.* Sanctificavit Dominus tabernaculum suum: benedicta gloria Deiparæ de loco sancto suo.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per gloriosissimam Filii tui Ma-

trem cœleste præsidium nobis mirabiliter præparasti; concede propitius, ut, quam peculiari titulo de Columnâ piâ devotione veneramur, ejus perpetuo protegamur auxilio. Per eundem Dominum.

Ad horas antiph. et orat. de Laudib. cætera ut in die Encæn.

CANON.

Ex Calixto Papâ Tertio.

In Bull. Universis Chi. fidelibus 9. *Kalend. Octobr. an.* 1456. *apud Murillo Tract.* 1. *c.* 3. *p.* 18.

414. Christi fideles magnâ devotione ac veneratione Imaginem Beatæ MARIÆ, et ejus Filii in quâdam Capellâ ejusdem Ecclesiæ (quæ de mandato Beatæ MARIÆ per Bealum Jacobum fabricata, et camera angelica Dei Genitricis de Pitari nuncupata et appellata extitit) colunt et veneranlur, ac cum maximâ devotione visitare non cessant. Tu.

In 2. Vesper. antiph. ut in 2. Vesp. Encæn. Capitul. Hymn. et ℣. ut in Laudibus.

Ad Magnif. *ant.* Respice de cœlo et vide, et visita vineam istam, quam plantavit dextera tua, et perfice eam.

DIE XIII. OCT.

DE VI. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

Lect. 1. *Noct. de fer.*

IN III. NOCT.

Sermo Divi Euthymii Monachi.

Apud Surium die 31 *Aug.*

LECTIO 4.

Sed quis tnæ gloriæ loquetur magnalia, ò intemerata! Hodiè dedicatur Templum Sponsæ expertis nuptiarum Patris, qui non potest comprehendi, in quo chori piorum et doctorum virorum ordine assistentes, et indoctis non parvam præbentes utilitatem, summam accipiunt remunerationem. Qui enim abducit, inquit, indignum ab indigno, erit tanquàm os meum. Tu. ℟. Fecerunt.

LECTIO 5.

Hodiè dedicatur templum purum, et integrum gloriosæ Dei Filiæ, in quod etiàm si, qui sunt in montibus et speluncis cursu venientes, ex bonâ famâ ossa, ut dicit Scriptura, pinguefaciente, amore amorem assumunt, et læti domum vadunt, semper Virginis MARIÆ summum templum honorantes. Tu. ℟. Et ornaverunt..

LECTIO 6.

Hodiè templum dedicatur illius castissimæ templis omnibus superius, in quo plurimi ex iis, qui sunt polluti peccatis gravissimis redeunt ad pietatem, et summam puritatem, et sunt æquales angelis. Hodiè dedicatur templum patrocinii et defensionis Christianorum, in quo ii etiàm, qui optimè vivunt, reddùntur formosiores, et luce lucem accipiunt, exornati humilitate, qui Christum imitantur. Tu. ℟. Venite.

Homilia ut in die Encæniorum.

LECTIO 9.

Commemoratio B. Virginis de Monte Viridi.

Gumpenb. Imag. 317.

Grumi in Apuliâ pervetusta Deiparæ Imago colitur à Monte Viridi dicta, quæ pluribus sæculis extra oppidi mœnia in trivio cum jactassel incognita, hodiè piorum liberalitate templum habet peramplum, et venustum. Hujus Imaginis Sanctissimæ fama tanta per totam Apuliam percrebuit, et adeò crebis beneficiis clientes suos prosequitur, ut undequaquè ad novas gratias impetrandas à cœli Reginâ

illùc confluant non vicini modò, sed etiàm longè dissiti, nec his tantùm temporibus, sed jam olim, quod ex perantiquiis codicibus habetur. Tu. Te Matrem.

Vesperæ ut in 2. Vesp. Encænior.

DIE XIV. OCT.

B. M. V. AB ARCU.

Duplex.

Omma ut in die Encæniorum. Extra Oct. ut in Com. Inf.

IN I. NOCT.

De libro Genesis.

LECTIO 1. *c.* 9. 8.

Dixit Deus ad Noe et ad filios ejus cum eo: Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos: et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum, tàm in volucribus, quàm in jumentis et pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arcâ, et universis bestiis terræ, statuam pactum meum vobiscum, et nequaquàm ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram. Tu. ℟. Fecerunt filii.

LECTIO 2.

Dixitque Deus: hoc signum fœderis, quod do inter me et vos, et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me, et inter terram. Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus: et recordabor fœderis mei vobiscum, et cum omni anima vivente, quæ carnem vegetat: et non erunt ultrà aquæ diluvii ad delendum universam carnem. Tu. ℟. Respice.

LECTIO 3.

Eritque arcus in nubibus, et videbo illum, et recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum et omnem animam viventem universæ carnis quæ est super terram. Dixitque Deus ad Noe: Hoc erit signum fœderis, quod constitui inter me et omnem carnem super terram. Tu. ℟. Fecit.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Spinelli in Mar. Deip. c. 20. *n.* 25.

In viâ publicâ propè Sanctam Anastasiam, oppidum Nolanæ Diœcesis in Italiâ, erat angustum, ac tenue sacellum in campestri loco antiquitùs structum, cui nomen vulgò: Sancta MARIA ab Arcu, sic dicta à fornice ad cujus lævam in pariete erat liquidis expressa coloribus Deiparæ Imago puerum JESUM inter brachia gestantis, quæ quamvis olim nullo Clericorum perpetuo servitio coleretur, illustrata certè divinitùs est nobilissimo miraculo, quod finitimos populos ad pietatem, novumque sacelli cultum excitavit. Tu. ℟. Fecerunt.

LECTIO 5.

Cum enim quidam impius jacturam fecisset in ludo, arreptam, quâ indebat, ligneam pilam in Deiparæ depictæ faciem sacrilegâ manu contorsit, ejusque sinistram percussit gennam undè repentè sanguis miraculosè dimanavit, cujus represso fluxu, sanguinei coloris impressa cicatrix divinitùs remansit in facie. Verùm impius percussor eodem in loco in sceleris pœnam judicis sententiâ arbori cum lusoriis instrumentis suspensus interiit. Mulier quædam quoquè, quæ in beatâ Virgine ab Arcu blasphemaverat, ob tantum crimen pedes inarefacti ab ejus cruribus post annum concidernnt distracti, perindè ac si gladio abcissi essent, absque ullo do-

lore, et sanguinis fluxu. Tu. ℣. Et ornaverunt.

LECTIO 6.

Indè est igitur, quòd in eam Deiparæ Imaginem devotio magis magisque excitata est, innumerisque crebescentibus miraculis, ac beneficiis, quæ eo in loco à Deiparâ conferebantur, tantum pietatis exarsit in finitimorum populorum pectoribus erga eandem Virginem ab Arcu, ut omnes accurrerent, suis quique necessitatibus, aut morbis à Deiparâ opem quærerent, et pro suâ facultate votivis donis sacellum cumularent, sacrumque suppellectilem conferrent, et jam lecti visuntur parietes votivarum tabellarum multitudine. Templum structurâ satis amplum, ac nobile est, adjectumque cœnobium ex illustri Prædicatorum familiâ habet. Tu. ℣. Venite, ascendamus.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. *In Matthæi c.* 12. *Homil.* 45 *post initium.*

Una sola et vera, et communis nobilitas atque necessitudo cum Christo est, ut voluntatem Dei facias. Hic propinquitatis modus multò melior est, atque uberior; idcircò cum mulier quædam dixisset. Beatus venter qui te portavit, et ubera, quæ suxisti, non respondit: nullus me portavit venter, nec ulla ipse ubera suxi; sed, Beati qui faciunt voluntatem Patris mei. Vides quemadmodùm nullibi conjunctionem hanc naturæ hominum negat, sed addit semper illam, quæ à virtutibus est. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Non dixit se non habere Matrem, sed indè Matrem quoque suam beatitudinem consecuturam asseruit, si Patris ejus fecerit voluntatem. O admirabilem honorem! O virtutis incredibiles honores! quò ductis benè viventes homines? Quot mulieres sanctissimam illam Virginem beatificarunt? Quot uterum illum admirantur? Quot optarunt tales fuisse matres, et cætera contemnere omnia? Quid igitur prohibet? ℣. Audite qui.

LECTIO 9.

Ecce namque rectam, atque facilem viam nobis proposuit, ut non feminis solùm, verùm etiàm viris ad hunc ordinem pervenire liceat; imò verò etiàm ad majorem: multò enim propinquiores sunt, qui voluntatem ejus faciunt, quàm qui summâ carnis necessitudine conjunguntur. Non ergò simplicitèr propinquitatem illam desidera; verum etiàm viam capesse, magnoque studio cónfice, quæ ad hoc desiderium te perducant. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti ut in 1. *Vesper. Encænior.*

DIE XV. OCTOBR.

OCTAVA ENCÆNIOR.

Duplex majus.

Lectiones 1. *Nocturni ut in die. Psalmi de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Germani Archiepiscopi Constantinopolitani.

Apud Surium Die 31. *Augusti.*

LECTIO 4.

Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei: nobis divinus David cecinit in Spiritu. Revera civitatem, de quâ gloriosa dicta sunt, apertissimè vocans magni regis. Quænam ea est? Existimo eam magnificentissimè, et sine contradictione dicere eam, quæ verè est electa, et omnibus superior, non donorum excellentiâ, et altitudine excitatorum ædificiorum; sed divinarum et sublimium virtutum magnitudine et puritate omnibus antecellentem MARIAM, nulli penitùs culpæ affinem, et castissimam Deiparam. Tu. ℣.

LECTIO 5.

In quâ qui verè est ilex Regum, et Dominus dominantium habitavit: vel potiùs in quâ plenitudo totius Divinitatis habitavit corporalitèr. Hæc verè gloriosa civitas. Hæc Sion, quæ percipitur intelligentiâ. Hanc, ut arbritor, David prædixit divinitùs. Quod si quis ejus quoque domum gloriosam urbem vocaverit, non alienum à vero et honesto dixerit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Si enim ii, quorum nomina in terris celebrata sunt, diuturno tempore nominis memoriam conservant: aliorum autem quorum nec nomina quidem fas esset labiis proferre, columnæ, et templa et simulacra usque in hodiernum diem; et si nomine tantùm, sunt tamen extensa, et ipsi tanquàm superstites resonant in auribus simpliciorum; quid dixerit quispiam de laudatissimâ et gloriosissimâ Virgine, quæ est omni ex parte Intemerata, et nulli culpæ obnoxia? Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 10. 22.

In illo tempore: Facta sunt Encænia in Jerusalem, et hyems erat. Et reliqua.

Homilia D. Euthymi Monachi.

Apud Surium. Die 31. *Augusti.*

Hodiè templum dedicatur laudatissimæ, et ab omni labe alienæ puellæ, in quod quicumque ingreditur, ex desiderio et fide, et ea enuntiat quæ ab eo facta sunt gravitèr, et confitetur se amputaturum ea, quæ sunt molesta, statim, ò miraculum! invenit solutionem, et cordis exultationem. Hodiè templum omni ex parte benedictæ, et venerandæ adolescentulæ, et Prophetarum coronidi est dicatum, in quo eriguntur paralitici, qui non vident, visum recipiunt, et qui horrore ac febri laborant curantur. Est enim semper perennis scaturigo ejus miraculorum. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Hodiè nos quoquè, qui hùc accurrimus, ab innumerabilibus et sibi invicèm succedentibus afflictionibus, et turpissimis improborum hominum maledictis liberati, et tecti sub alis ejus intercessionis, suppeditam rationem et sapientiæ cognitionem desuper à Filio ex eâ nato, per ipsam admittentes, cum loqui jussi fuerimus, sine impedimento clamemus ex corde, clamemus. Ne assiduas preces nostras repudies, ò Intemerata! Defende nos secundum magnam misericordiam tuam. Frange schedulam immensorum nostrorum malorum tuis, quæ nunquàm dormiunt intercessionibus, Optima. Nos ante finem concilia tuo misericordi et justo judici, Filio et Deo. Tu. ℣. Audite, qui.

LECTIO 9.

Commem. B. V. M. de Michelitiâ.

Gumpenb. Imag. 150.

Distat in regno Neapolitano ab urbe Amanleâ mille passibus sancta Imago Deiparæ de Michelitiâ, et in templo non admodùm magno magnis honoribus afficitur à circumjacente Calabriâ. Plures existimant, majores eam appellasse: Michaelis

lætitiam. Advenisse creditur sancta Imago ex Oriente, traduntque delinnisse navem, quantumvis tumentibus velis iturientium in altum: quapropter hic collocatam non alio vo'mutatis signo expectato. Tu.

℣. Te Matrem.

Vesperæ utin 2. Vesp. Encænior.

DIE XVI. OCTOBR.

B. M. V. AD AQUAS-VIVAS.

Simplex.

LECTIO 1.

Carcagente in Diœcesi Valentinâ, jam ab anno millesimo ducentesimo quinquagesimo, ingens tribuitur Deiparæ cultus in ejus Imagine dicta ad Aquas-vivas, quæ tunc temporis miro modo, uti fertur, pio Aratori sub Oliva manifestata, custodiæ Patrum Excalceatorum Sancti Augustini commissa fuit. Ejusmodi verò pietatis sensum, succedentibus annis nec in minimo immunutum, cum sibi fore acceptum, pluribus Beatissima Virgo ostendisset beneficiis, oppidani anno millesimo octingentesimo trigesimo quinto hanc effigiem, ad Parrochiale templum, expulsis è cœnobio Patribus, reportarunt, ibique ei novum sacellum erexerunt in delitiis semper habentes ad Eam quotidiè accedere, vel beneficio impetraturi, vel de acceptis debitas gratias reddituri. Tu.

℣. Hortus conclusus Soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus: ' Emissiones tuæ paradisus. ℣. Fons hortorum puteus aquarum viventium. Emissiones

LECTIO 2.

Quum autem Carcagentani vehementèr cuperent amplìores in dies ecclesiastici cultûs significationes Deiparæ præstare, ac Festum in ipsius honorem die decimâ sextâ octobris agere sub ritu Duplicis primæ Classis cum octavâ; hinc generali oppidi concilio pridie nonas Martii anni millesimi octingentesimi quinquagesimi septimi legitimè convocato, clerus et primores cujusque statûs, et conditionis eidem præsentes tàm per secreta suffragia quàm per acclamationem Beatissimam Virginem MARIAM ad Aquas-vivas in præcipuam oppidi Patronam unanimi consensione elegerunt, ac simùl decreverunt à summo Pontifice supplicibus votis postulare, ut hanc ipsam solemnem electionem supremâ auctoritate suâ confirmare dignaretur. Tu.

℣. Cum elevasset Moyses manum, percutiens virgâ vis silicem, ' Egressæ sunt aquæ larguissimæ, ita ut populus biberet. ℣. Deriventur fontes tui foràs, et aquas vivas tuas in plateas divide: sit ut cataclysmus inundatio tua. —Egressæ. — Gloria. —Egressæ.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Torelloniensis de Rocapebrera.

Non longè à Sancti Felicis de Torello oppido in Diœcesi Vicensi insigne exurgit Deiparæ Sacellum de Rocapebrera, maximè non solùm à vicinis sed etiàm à dissitis populis frequentatum. Anno quarto et quadragesimo supra millesimum Gregorius Sextus indulgentiam plenariam certis diebus cujusque mensis fidelibus illud adeuntibus est elargitus; ex quo ejus antiquitas liquet. Nec in succedentia tempora devotorum pietas decrevit nam novum Sacellum, antiquo ad venientes non capiente, ad finem præteriti sæculi incœptum fuit, decurrentis anno quinto perfectum, et quinquagesimo sexto restauratum ornatumque solâ fidelium pietate et sumptibus. Tu.

Ad Bened. *ant.* Foderunt in ter-

ram, ' et reperuerunt aquam vivam: si quis sitit, veniat ad hunc fontem vitæ, et bibat.

CANON.

Ex S. Rituum Congregatione 12. et 17. *Sept.* 1857.—*Valentinæ.*

412. Sanctissimus Dominus noster Pius Papa Nonus rescriptum sacræ Congregationis approbantis electionem Beatæ MARIÆ Virginis ad Aquas-vivas in patronam præcipuam oppidi Carcagente in Diœcesi Valentinâ, supremâ auctoritate suâ confirmavit, cum omnibus et singulis juribus et privilegiis juxta ecclesiasticas leges præcipuis locorum patronis competentibus. Tu.

Vesperæ sequentis.

DIE XVII. OCTOBR.

MEDIATIONIS B. M. V.

Duplex.

Omnia de Communi Infantiæ.

Oratio.

Exaudi, Domine, preces nostras, ut quibus Beatam MARIAM semper Virginem Advocatam et Mediatricem ad Christum concedis, ipsius suffragantibus meritis, ad vitam, tibi reconciliati, perveniamus æternam. Per eumdem.

Lect. de Scrip. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Sermo in signum. magn.

LECTIO 4.

Solet autem luna non modò deficere um corruptionis, sed et stultitiam mentis, nonnunquàm verò Ecclesiam hujus temporis designare. Illam quidem propter mutabilitatem, hanc sane propter susceptum aliundè splendorem. Utraque verò, ut ita dixerim, luna sub MARIÆ pedibus congruè satis ponitur, alio tamen, atque alio modo. Siquidem stultus, ut luna mutatur: Sapiens autem permanet, ut sol. In sole nimirùm et fervor et splendor stabilis, in lunâ totus splendor, atque is omninò mutabilis, et incertus, qui nunquàm in eodem statu permaneat. Jure ergò MARIA sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinæ sapientiæ, ultra quàm credi velcat, penetravit abyssum; ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Tu.

℣. Opus est mediatore ad Mediatorem Christum: ' Nec alter nobis utilior quàm MARIA: invenitur enim locus eius in hâc reconciliatione. ℣. Advocatum habere vis ad Christum, ad MARIAM recurre. —Nec alter.

LECTIO 5.

Insipientia verò omnis longè sub pedibus ejus, ut penitùs absit hæc ab insipientium mulierum numero, et collegio virginum fatuarum. Imò verò et unicus ille stultus, et totius stultitiæ princeps, qui verè mutatus ut luna sapientiam perdidit in decore suo, sub MARIÆ pedibus conculcatus et contritus miseram patitur servitutem. Nimirùm ipsa est quondam à Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura: cujus planè calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causâ: sola enim contrivit universum hæreticam pravitatem. Tu.

℣. Quid ad MARIAM accedere trepidat humana fragilitas? ' Nihil austerum in eâ, nihil terribile, tota suavis est. ℣. Ipsa est humani generis fidelis advocata.— Nihil.

LECTIO 6.

Jam si Ecclesia lunæ magis intelligenda videtur vocabulo, quod videlicet non ex se splendeat, sed ab eo, qui dicit: Sine me nihil

potestis facere: habes mediatricem, quam tibi paulò ante commendavimus, evidenter expressam. Mulier, inquit, amicta sole, et luna sub pedibus ejus. Amplectamur MARIÆ vestigia, fratres mei, et devotissimâ supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis. Potens est enim. Nempe velius est medium inter rorem et aream, nubes inter solem et lunam, MARIA inter Christum et Ecclesiam. Tu.

℣. Accedamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur in auxilio oportuno. ℟. Quia sic est voluntas ejus, qui omnia voluit nos habere per MARIAM.

℣. Quæramus gratiam, et per MARIAM quæramus. —℟. Quia—Gloria.—Quia.

Homilia de Comm. pro duplicib.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Anteradensis. *Jacobus de Vitriaco apud Spinell. c. 23.*

Anteradensis civitas, sic dicta, quasi ante arum sita, vulgata appellatione hodie Tortosa dicitur. Ibi beatus Petrus Phœnicem circumiens, cum à partibus Jerosolimitanis transiret in Antiochiam, in honorem Divæ Virginis modicam fundavit Ecclesiam, in quâ etiam divina celebravit mysteria: quæ usque hodiè in magno habetur honore, et multorum populorum accessu frequentatur, eo quod beatissima Virgo in illâ multa operatur miracula, et infirmis illùc venientibus grata confert subsidia sanitatum. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Bonifacio Papâ Nono. Const. *Superni benign. an.* 1389. *Bul. R. T. 3. p. 2. p.* 378.

411. Hæc est illa, quæ in suis castis visceribus cæli terræque gestavit Opificem, et sola cunctas hæreses interemit, et pro Christiano populo, ut advocata strenua, et exoratrix pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit. Tu.

Vesperæ à capit. de sequent.

DIE XVIII. OCTOBR.

B. M. V. DE DIVINO AMORE.

Duplex.

Oratio.

Spiritum charitatis, quæsumus, Domine, cordibus nostris infunde, ut qui divini amoris Matrem devotè veneramus, ex totis nostris viribus te sempèr amare possimus. Per Dom.... inunitate ejusdem.

Lection. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis. *Sermo 1. super Salv. Regn.*

LECTIO 4.

Oportet, ut beatam Virginem nobis præsentem esse dicamus, quam præsentem salutamus: et totam animæ nostræ trinitatem in eam dirigamus, quam tam devotissimis precibus exoramus. Agnoscit certè, et diligit diligentes se, et propè est in veritate invocantibus se: præsertim his, quos videt sibi conformes factos in castitate, et humilitate: si tamen charitatem adjecerint, et totam spem suam (post Filium suum) in eâ posuerint, et toto corde quæsierint oantes, et frequentèr dicentes: Subveni, Domina, clamantes ad te jugiter. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Non aspernatur affectum prædulcem, ingens desiderium, inundationem lacrymarum, assiduitatem precum quorumlibet, quamvis peccatorum: si tamen laverint à malitiâ cor, dissolverint colligationes impietatis, et solverint fasciculos deprimentes, dimiserint, qui fracti sunt, liberos, et omne onus deripuerint. Data est ei potestas in cœlo et in terrâ, quæ posse potestas est, et in manibus ejus vita, et spiritus nostri: et oculi omnium Christianorum in eam sperant, et ipsa dat eis escam gratiæ, quâ plena est, in tempore opportuno. Levemus ergò fratres cor nostrum cum manibus ad eam, et appropinquemus ei passibus amoris, immolantes ei hostiam laudis, reddentes ei vota nostra de die in diem, de horâ in horam, dicentes: Salve, Regina Misericordiæ. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Origo fontium et fluminum mare: virtutum auctrix, et scientiarum scientia sanctarum MARIA: quia sicut sol universa cœli lumina præcellit prærogativâ claritatis eximiæ, sic ipsa totam rationalem creaturam (post Filium) præcellit splendore virtutis ac scientiæ. Ad eam non incongruè pertinere dicimus, quod scriptum est, quàm bona Domina Israel, his, qui recto sunt corde? Qui recto corde et rectè in omnibus consentiunt, his advocata nostra, solâ bonitate suâ agente, præsentiæ suæ tantam plerumque copiam exhibet, et quàm sit orabilis, exhibitione impertitæ gratiæ docet, ut innovati spiritu proclament per consolationem experientiæ: Salve Regina misericordiæ. Tu. ℟.

Homilia de Comm. pro Duplicib. cum sequent. ℣℣.

℟. 7. In charitate perpetuâ dilexi vos: Testis est mihi Deus, quomodò cupiam vos in visceribus Christi: ℣. Mater divini amoris, inflamma cor nostrum amore Dei. —Testis.

℟. 8. Ego diligentes me diligo: Et in viis justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. ℣. Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis et sanctæ spei.—Et in viis. —Gloria. Et in viis.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Affligemiensis. *Ex menologio Cisterciensi ad diem 18. Octobr.*

In Belgio commemoratio Beatæ Virginis MARIÆ, quandò per os Imaginis Affligemiensis presente Monachorum cœtu et copiosâ populi multitudine Sanctum Benardum, postquàm ipse in discessu ab illo monasterio ante Divæ Virginis iconem transiens, extra se raptus divini amoris impetu, ei dulcitèr dixerit: Ave MARIA: cunctis audientibus, clarâ et distinctâ voce salutavit dicens: Salve Bernarde: quod et in antiquis cœnobii illius annalibus expressum reperitur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Tomâ Arch. Valentino. *Conc. 4. in Assumpt. B. V.*

412. Quis, obsecro, ardores et æstus animi tui plusquàm seraphicos exprimat...? Quis ignem illum ardentissimæ charitatis in visceribus tuis accendem, quo in eum qui talem ac tantam te fecerat, ut in suam Matrem eligeret, incessanter ardebas, enarrabi? Verè si optimum et maximè necessarium charitas est, in hoc non solùm homines, sed et angelicos spiritus superasti. Tu.

Cum secund. vesper.

DIE XIX. OCT.

SANCTA MARIA NOVA.

Simplex.

LECTIO 1.

Spinelli de festis et temp. Deip. Sancta MARIA Nova est in foro Romano, ubi olim solis et lunæ fanum propè ruinas templi pacis à Vespesiano magnificentissimè structi. Ea Deiparæ Ecclesia adjunctum habet cœnobium Patrum Congregationis Montis Oliveti, in cujus hortis extant vestigia ædicularum Isidis et Serapidis: cumque anteà diceretur sancta MARIA vetus, post modum à Joanne septimo Pontifice annum Domini circiter septingentissimum quintum restituta, et exornata, exindè nova appellata est. Tu. ℣.

LECTIO 2.

In ejus summo altari Imago Deiparæ à Sancto Lucâ coloribus expressa, à Troade hùc delata piè colitur, quæ, cum templum hoc, Honorio tertio Pontifice, conflagrasset, nihil ex incendio est passa. Gregorius quintus Pontifex annum circiter nongentissimum nonagesimum quintum multa corpora sanctorum Martyrum ibi recondidit sed ante idem altare sub ferreâ crate corpus Sanctæ Franciscæ Romanæ specialiter veneratur. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Commemoratio Beatæ Virginis de Fonte-calido.

Camòs De effigieb. Cathal. Libr. I. cap. 7.

Unâ ab urbe Gandesæ leucâ, in Dertusensi Diœcesi, in profundâ planitie altis circumvallatâ montibus, situm est sacellum Beatæ Virginis de Fonte-calido nuncupatæ, eo quod propè fluentum ferventis aquæ Imago, quæ illic colitur, miraculosè fuerit inventa à quodam Pastore. Hujus autem prodigii à Gandesanis acceptâ notitiâ, solemni supplicatione statutam Deiparæ in Parrochialem Ecclesiam deduxere, sed alterâ die ad eundem locum ipsa reversa, propèque fontem iterum inventa fuit: quam ob causam illic ipsi sacellum ædificarunt, quod posteà grandiores ornatioresque formas accepit, ex quo Diva Virgo hodiè usque ipsam colentibus sua dona dispensare liberalissimè sibi complacet. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XX. OCTOBR.

PURITATIS B. M. V.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Infantiæ præter sequent.

IN I. VESPER.

HYMNUS 111. *Apud Marracc.*

Cum laudes canimus Virginis inclytæ,
Tergamus maculas pectoris interim:
A nobis vitium protinùs exulet,
Et virtus vigeat mentibus insita.
Cœlesti Domino grata fit Hostia,
Omnique penitùs crimine libera:
Offertur manibus, cordeque candidis
Et nihil ulterius turpe reciprocat.
Et tu, quam colimus, Virgo pulcherrima,
Ut cœlo placeant vota præcantium:
Hìc nos propitio lumine respice,
Et coram Domino jugiter adjuva.
Trino sit gloria perpetua Numini,
Et Patri et Genito cuncta creantibus,
Cum Sancto simili fordere Spiritu,
Quia una est deitas, una potentia.
Amen.

Ad Magnif. *ant.* Nihil inquinatum in eâ incurrit: candor est lucis æternæ, et speculum sine maculâ.

Oratio de Laudib.

AD MATUTIN.

Invitator. Puritatem Deiparæ celebrantes, * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

HYMNUS 112. *Brev. Rom.*

O Stella Jacob fulgida,
O Solis instar splendida,
Aurora, quâ nihil purius
Refulgit inter sydera.
Stellis amictæ candidis
Tibi catervæ cœlitum
Plaudunt, sacræque virgines
Laudes perennes concinunt.
Quin obsequentes offerunt
Ligustra et alba lilia:
Candor sed horum vincitur
Candore casti pectoris.
Nostra Angelorum laudibus
Abjecta tellus assonans
Ad astra voces efferat,
Et Virginis præconia.

Doxologia de tempore.

Lectiones et Respons. in 1. *Noct. de Comm. Infantiæ.*

IN II. NOCT.

Ex libro Sancti Ambrosii Ep. de Virginibus.

Libr. 2. LECTIO 4.

Sit vobis tanquàm in imagine descripta virginitas, vitaque beatæ MARIÆ, de quâ, velut in speculo, relucet species castitatis, et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tenquàm in exemplari magisteria expressa prohitalis, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius eâ, quam splendor elegit? Quid castius eâ, quæ corpus sine corporis contagione generavit? Tu. ℣.

℣. Beatissima Virgo MARIA, hortus conclusus, fons signatus, Regina Angelorum, Domina mundi: * Per quam Deus descendit in terras, ut homines ascendere mererentur ad cœlos. ℣. Ad te clamamus, exules filii Evæ: recordare nostri, Sanctissima Virgo. Per.

LECTIO 5.

De cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solùm corpore, sed etiàm mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens; intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita, non hominem, sed Deum quærere, nullum lædere, benè velle omnibus, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Tu.

℣. Beata MARIA tantæ extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur. * Deus quam elegerat, creavit; de quâ crearetur elegit. ℣. Ipsa est stella ex Jacob, cujus radius universum orbem illuminat, —Deus.

Ex S. Petro Chrysologo.

Serm. 143. LECTIO 4.

Hæc dedit cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam, Gratiam, quam delulit Angelus, accepit Virgo, salutem sæculis reddiura. Verè benedicta Virgo, quæ et virginitatis possidet decus, et Matris dignitatem: verè benedicta, quæ et superni conceptus meruit gratiam, et servavit integritatis coronam. Verè benedicta, quæ et divini germinis suscepit gloriam, et regina extitit totius castitatis. Tu.

℣. Beata Dei Genitrix MARIA, templum Domini sacrarium Spiritûs Sancti, * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro JESU-Christo. ℣. Genuisti qui te fecit, et in æternum permanens Virgo.—Sola.—Gloria.—Sola.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus

Gabriel à Deo, in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Damasceni.

Homilia 1. *in Annuntiat.*

Adam Creatori suo de progenie suâ templum ædificavit, in quo tectus habitaret, et quod redimeret, MARIAM Virginem, pretiosam, benedictam, sanctam, puriorem naturæ Adæ partem, et humanæ stirpis reginam: puram, quâ nulla usquam corpore invenietur in omni genere humano; sanctam, quâ nulla inter creaturas futura est intellectuales, quoad animam sanctior; gloriam Israeliticæ gentis, et stirpis davidicæ lumen. Tu. ℟.

Benedict. Cujus Puritatem.

LECTIO 8.

Hæc illa est, cujus puritatis pulchritudinem concupivit Rex cœlestis, misitque ad eam ministrum suum Gabrielem, ut ipsam salutatione lætitiæ compellaret, certio reniue faceret, esse se à Creatore electam, dicendo: Ave gratiâ plena: Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Et quomodo benedicta non esset et gratiâ plena, cum quâ creaturarum Dominus fuit copulando sibi ex eâ templum quo opem generis ipsius afferret. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Quamobrem omnes simul accurramus, senes et adolescentes, ætate graves ac juniores, omne agmen et genus prævenientes ad honorandum Dominam nostram, ac nostræ naturæ Reginam, laudes prædicantes puritatis ejus decorem, perpetuam ejus virginitatem reverentes: altitudinem denique sanctitatis ejus honorantes, dicamus: O gloria filiorum, matrum decus! O Genitricem viro incognitam! O miraculum, quo missi Prophetæ perculsi sunt, et cujus gloria Angelos sanctos superat. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 113. *Brev. Roman.*

Præclara custos Virginum,
Intacta Mater Numinis,
Cælestis aulæ janua,
Spes nostra, cœli gaudium.

Inter rubeta lilium,
Columba formosissima,
Virga è radice germinans
Nostro medelam vulneri.

Turris draconi impervia,
Amica stella naufragis,
Tuere nos à fraudibus,
Tuâque luce dirige.

Erroris umbras discute,
Syrtes dolosas amove,
Fluctus tot inter devios
Tutam reclude semitam.

Doxologia de Tempore.

Ad Benedict. *ant.* Sicut lilium inter spinas, sic purissima MARIA inter filias: tota pulchra est, et sine maculâ.

Oratio.

Da, quæsumus, Omnipotens æterne Deus, ut immaculatæ Virginis MARIÆ Puritatem festivâ celebritate venerantes, ejus intercessione purificatis mentibus tibi placere valeamus. Per Dominum.

CANON.

Ex D. Anselmo Episcopo.

De concept. Virg. c. 18.

413. Decebat, ut Christi Conceptio de Matre purissimâ fieret, ut eâ puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium, quem de corde suo æqualem sibi genuit, ita dare disponebat, ut esset unus atque idem Dei et hominis filius. Tu.

In secund. Vesper. omnia de Communi.

DIE XXI. OCTOBR.

LIBERTATIS B. V. M. IN SUA INFANTIA.

Duplex.

Lection. 1. *Noct. de Feriâ occurrenti.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis. *De concept. B. V. artic.* 1. *cap.* 2.

LECTIO 4.

Nec miretur quisquam, si Mater Dei ante debitam ætatem habuit usum liberi arbitrii, et fulserit tanto lumine rationis, cum et plerique alii sancti in pueritiâ eorum ante debitam ætatem habuerunt virtutem, gratiam, atque lumen. Tu.

℟. Quidquid aliis licet paucissimis est concessum, * Non est credendum gloriosæ Virgini fuisse denegatum. ℣. Puella eram ingeniosa, et sortita sum animam bonam. —Non est.

LECTIO 5.

De virtute in Sancto Nicolao reperitur exemplum, qui in quartâ et sextâ feriis semel tantùm sugebat mammas. Et de gratiâ in Sancto Benedicto exemplum patet, qui in pueritiâ cœpit miraculis coruscare. De lumine verò in Sancto Joanne clarissimè probatur. Undè Ambrosius ait: verè Joannes novit Christum non naturâ sed gratiâ. Et super Lucam etiàm ait idem: Nec enim ullam sensit infantiæ ætatem, qui supra naturam, supra ætatem in utero situs Matris à mensurâ cœpit ætatis perfectæ plenitudinis Christi. Tu.

℟. Unam nec maculam natura reliquit in illâ. * Ad caput à pedibus transvolat iste decor. ℣. Tota pulchra est, et sine ullâ maculâ.—Ad caput.

LECTIO 6.

Hæc siquidem nullo modo essent vera, si infantilitas corporalis impedisset usum liberum rationis. Si igitur de beato Joanne talia credenda sunt; quanta etiàm majora de virgine Matre Christi sentire necesse est? Tu.

℟. O puella gratiâ æquanda nullis! * Quæ sola vincis cœlitum omnes ordines. ℣. Tot tibi sunt dotes, Virgo, quot sydera cœlo.—Quæ. —Gloria.—Quæ.

Homil. de Comm. Inf. pro Duplicibus.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Virdunensis de Miraculis.

Gumpenbr. Imag. 528.

Virduni in templo Cathedrali Deiparæ effigies est cœlestibus nobilitata prodigiis, quæ ad latus aræ principis visitur draconem pedibus conculcans. A Sancto Pacronio quinto Virdunensi Episcopo post Concilium Chalcedonense, cui cum aliis ducentis viginti octo Episcopis interfuit, accepta creditur, quæ tantis iamque numerosis miraculis effulsit, ut decimo tertio Kalendas Novembris institutus sit festus dies, nomine Commemorationis miraculorum quæ Beata Virgo in eâ Ecclesiâ ad hanc statuam perpetravit. Tu. Te Matrem.

Cum secundis Vesper.

DIE XXII. OCTOBR.

D. V. AGATHYRSANÆ.

Semiduplex.

Lection. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Octav. Cajetan. de effigieb. ciculis.

Anno millesimo quingentesimo nonagesimo octavo, undecimo Kalendas Novembris, in eo colle, qui ex

orientali plagâ imminet Agathyrso (nunc Orlandi caput appellatur), Divûs Conou civis oppidi Nasi apparuit, et intuentibus turris, quæ ibi ad oram maritimam tutandum est, speculatoribus, cum ipse instar fulguris turrim circumdedisset, Imagunculam Sanctissimæ Virginis mirâ specie, et humanâ augustiore ibi deposuit. Ab iis Nasum delatam effigiem domi suæ excepit jurisperitus Antonius Piccolas, cujus filiam jam à medicis destitutam in pristinam valetudinem restituit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

At cum nollet Sanctissima Imago ibi diutiùs commorari, terremotibus oppidum agitare cœptum, quare perturbatis omnibus, Comes Nasi præcepit, ut imago Virginis iis qui in turri ad Agathyrsum degebant, rursùs redderetur, ubi primùm à Divo Conone collocata fuerat. Igitur ex Antonii ædibus domum Petri Iberti translata fuit, ubi Iberti patrem ex gravi lapsu sanum reddidit, ut indè in priorem locum referretur. Posteà adhuc fuit in Sancti Petri templum delata, ut ibi publicè colerétur; sed cum nec quiesceret terremotus, oppidani ad pristinam sedem ad Agathyrsum Simulacrum Virginis retulerunt. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Novo etiàm prodigio divina Mater suam ostendit voluntatem ibi commorandi, nam nono Kalendas Aprilis, et sequenti die visus est Divus Conon turrim illam circumlustrare, et ad vergens in aquilonem latus tres lapides reliquisse, perindè atque locum, in quo vellet sanctissima Deipara residere, templum ipsum signare voluissel. Quare comes Nasi ibidèm proprio sumptu templum ædificavit, et indè Messanensis Archiepiscopi auctoritate solemni pompâ oppidi Archipresbyter cum clero eo duxit sanctæ MARIÆ Imagunculam. Statua unius palmi est, et omnibus cæleste opus apparet. Tu. ℣.

Homil. de comm. pro Semiduplicib.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Ariensis de Capellâ. *Gump. Imag.* 672.

Ariæ in Germaniâ inferiori templum est magnificum, quod non nisi Sacellum nomen habet. Origo hæc est. Arienses majores Deiparæ Sacellum erexerunt in suburbio: crevit suburbium opibus, opes pro cultu Ipsâ rependente, ita ut ex eo facta pars urbis cæteris non inæqualis, muroque clausum suburbium, colonos vocavit cives. Juribus vero civium jam gloriantes, ne Deipara tantæ gratiæ auctrix, minus haberet, fecere è sacello templum hoc, quod hodiè videtur magnificum. Porrò in rei memoriam vocatur Beatæ Virginis de Capellâ. Tu. Te Matrem.

Cum 2. Vesperis.

DIE XXIV. OCTOBR.

SEPTEM DONORUM P. M. V.

Duplex majus.

In 1. Vesp. ant. et Capit. de Laudib. Hymn. et ℣. de Comm.

Ad Magnif. *ant.* Spiritus Domini super me, et suis septem donis replevit me.

Orat. de Laudibus.

AD MATUTINUM.

Invitator. Spiritum Sanctum in corde Beatæ Virginis MARIÆ: * Vente, adoremus.

IN I. NOCT.

Lection. 1. Noct. ut in Dom. III. adv. p. 105.

℟. 1. Venit in me Spiritus sapientiæ, et requievit in me, et replevit me, * Et sedes sapientiæ facta sum. ℣. Sapientia ædificavit sibi Domum, excidit columnas septem. —Et.

℟. 2. Venit in me Spiritus intellectûs, et de omnibus erudivit me: * A mari enim abundat cogitatio ejus, et consilium illius ab abysso multa. ℣. Disciplina intellectûs replevit illam. A mari.

℟. 3. Spiritus consilii super me, et ego habito in consilio: * Quia meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. ℣. Cor boni consilii statue tecum.—Quia.—Gloria.—Quia.

IN II. NOCT.

Sermo S. Antonini Arch. Florentini. *De B. Virgine c.* 88.

LECTIO 4.

Ave gratiâ plena: gratiâ scilicet donorum septem Spiritûs Sancti, quæ dicitur gratia septiformis, secundum illud, quod canit Ecclesia: Tu septiformis munere. Et Zacharias: exæquavit gratiam scilicet donorum, et gratiæ virtutum. Tantum enim quis habet de donorum perfectione, quantum de perfectione virtutum. Tu.

℟. Mulierem fortem quis inveniet? Procùl et de ultimis finibus pretium ejus: * Fortitudo et decor indumentum ejus. ℣. Spiritus fortitudinis super me, eo quod in Matrem Dei elegit me.—Fortitudo.

LECTIO 5.

Gratia autem donorum realitèr differt à gratiâ sacramentali, et virtuali. Et ipsa etiàm dona differunt ab invicem realitèr. Dona faciunt hominem de facili moveri ad opera excellentiora quàm virtutes infusæ ex quodam impetu Spiritûs moventis, ut ferventius ac perfectiùs agat, quæ omnia abundantissimè fecerunt in Beatâ MARIA. Et ideò: ave gratiâ plena septiformi. Tu.

℟. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, * Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. ℣. In thesauris sapientiæ intellectus et scientiæ religiositas.—Et hoc.

LECTIO 6.

Sed videtur, quod in eâ non fuerint: nam dicit Beatus Gregorius in moralibus, quod sapientiæ opponitur insipientia: intellectui hebetudo: consilio, temeritas: fortitudini, præcipitatio: timori, remissio: scientiæ, ignorantia: pietati, credulitas. Ex quibus patet quòd in viatoribus dona sunt cum permixtione ad contraria, et cum pugnâ: sed in beatissimâ MARIA non fuit pugna ad vitia contraria donis: ergò non habuit, sed quasi per modum patriæ, idest, sine pugnâ, et ad alios usus, sed cum merito. Tu.

℟. Spiritus pietatis super me, et requievit in me, * Et facta sum pulcra inter mulieres. ℣. Pietas ad omnia utilis est.—Et.—Gloria.—Et.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 35.

In illo tempore: Dixit Angelus MARIÆ: Spiritus Sanctus superveniet in te. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homil. 4. super Missus.

Superiùs dicta est fuisse gratiâ plena, et nunc quomodò dicitur: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi? Nunquid potuit repleri gratiâ, et necdùm habere Spiritum Sanctum, cum ipse sit dator gratiarum? Si autem jam Spiritus Sanctus in eâ erat, quomodò adhuc tanquàm novitèr superventurus repromittitur? An fortè ideo non dixit simplicitèr,

veniet in te, sed addidit super, quia et priùs quidem in eâ fuit per multam gratiam, sed nunc supervenire nuntiatur propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effusurus erat super illam? Tu.

℣. Beatus vir, qui semper est pavidus: * Quia initium sapientiæ est timor Domini. ℣. Et replevit me Spiritus timoris Domini.—Quia.

LECTIO 8.

At verò cum plena jam sit, illud amplius quomodò capere poterit? Si autem plus aliquid capere potest, quomodò et antea plena fuisse intelligenda est? An prior quidem gratia tantùm repleverat mentem, sequens verò etiàm ventrem perfundere debeat, quatenùs scilicet plenitudo divinitatis, quæ ante in illâ, sicut et in multis sanctorum spiritualiter habitabat, etiàm sicut in nullo sanctorum corporaliter in ipsâ habitare incipiat? Ait itaque: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Tu. ℟. Invenisti, MARIA, gratiam apud Deum: * Spiritus Sanctus superveniet in te, et suis septem Donis replebit animam tuam. ℣. In me gratia omnis viæ et veritatis: in me omnis spes vitæ et virtutis.—Spiritus.—Gloria.—Spiritus.

LECTIO 9.

Quid est: virtus Altissimi obumbrabit tibi? Qui potest capere capiat. Quis enim exceptâ fortasse illâ, quæ hoc sola in se felicissimè meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis virgineis sese visceribus infuderit, et ut inaccessibilem accedere ad se ferre potuisset, de portiunculâ ejusdem corporis, cui se animalè contemperavit, reliquæ massæ umbraculum fecerit? Et fortassè propter hoc maximè dictum est: obumbrabit tibi, quia res nimirum in sacramento erat, et quod sola per se Trinitas in solâ, et cum solâ Virgine voluit operari, soli datum est nosce, cui solum datum est experiri. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Implevit * eam Dominus Spiritu Dei, sapientiâ, et intelligentiâ, et scientiâ?

2. Meum est * consilium, et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo.

3. Mirabilis * facta est scientia tua ex me.

4. Pietas ad omnia utilis est.

5. Ad quem * respiciam nisi ad pauperculum, et contritum corde, et pavéntem sermones meos.

CAPITELUM. *Isai.* 11. 2.

Et requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiæ et intellectûs, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini.

Ad Benedict. *ant.* Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Oratio.

Purifica, quæsumus, Domine, per infusionem Sancti Spiritûs cogitationes cordis nostri, ut qui septem dona, quibus Beatam Virginem MARIAM replevisti, veneratione recolimus; eorum participes effecti, ad æterna gaudia perducamur. Per Dominum... ejusdem Spir.

Capit. Primæ de Laudib.

℣. ℟. *br.* Quæ septem donis Spiritûs Sancti repleta fuisti.

CANON.

Ex Paulo Diacono Aquileiensi.

An. 770.—*Serm.* 2. *de assumpt. apud Maracc.*

414. Domus virginalis septem Spiritûs Sancti dona, Sapientiæ, Intellectûs, Consilii, Fortitudinis, Scientiæ, Pietatis, atque Timoris Domini ditata. Tu.

In 2. *Vesper. Antiph. et Cap. de Laud. Hyan. de Comm.*

Ad Magnific. *ant.* Dona Dei sunt sine pœnitentiâ: Spiritus Sanctus contulit ea MARIÆ, ut de Spiritu Sancto viveret, quæ de eodem Spiritu conceperat.

DIE XXV. OCTOB.

DEDICATIO ECCL. TOLETANÆ.

Duplex.

Officium fit ut in Comm. Dedicationis.

Lection. 1. *Noct. de Feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex officio proprio Eccl. Toletanæ.

Inter loca sacra, quæ in Hispaniâ ab ipsis Gothorum Regum temporibus magnam venerationem habuerunt, templum est in primis Toletanum, quod Beatissima Virgo MARIA, Sancto Hildephonso Pontifice, suâ præsentiâ illustrare dignata est. Itaque ut idem Hildephonsus de hoc ipso templo loquens ait: coram timentibus, iniquis atque justis habetur locus terribilis, omnique veneratione sublimis. Cujus templi gloria Sarracenorum Hispaniam invadentium impetu oppressa est, donec Alphonso sexto rege, à barbarorum manibus regiâ urbe receptâ, Bernardus Archiepiscopus, depulsis vanæ superstitionis tenebris, templum hoc Christianæ Religionis splendori restituit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Multis deindè præsentibus Episcopis, et infinitâ propemodum multitudine, octavo kalendas Novembris, Deo in honorem præcipuè beatæ Virginis MARIÆ, solemni ritu, et maximâ celebritate dedicavit: multasque insignes Sanctorum reliquias in summo altari collocavit: quarum hodiè in sacro ærario reconditarum præsentiâ Toletanus populus, ac beneficiis lætatur. Ferdinandus demùm tertius Ecclesiam vetustam, quæ mesquitæ formam adhuc relinebat, demoliri constituit, et novam eodem ipso in loco ædificare aggressus est, hortatore Roderico Toletano, atque adjutore, qui unà cum rege primum fundamenti lapidem collocavit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Crevit posteà mirificè populorum pietate amplitudo Toletani hujus templi, quod singulari in Beatam MARIAM studio fidelium votis locupletatum est. Quo circa quod esset ab ipsâ Sanctissimâ Virgine consecratum, multi reges illud maximis muneribus ornarunt, et in eo sibi, suisque locum sepulturæ delegerunt. Et quandò in Mauros movebant, numine in primis hoc in templo placato, et Beatâ MARIA propitiâ, sæpè in bellum, profecti sunt: et regium signum ac militaria vexilla sacris precationibus ibidem benedicta in fidei hostes extulerunt: ex omnibusque Hispaniæ provinciis co religionis et voti causâ ipsi reges, et plurimi mortales ventitarunt, introeuntes in tabernaculum Dominæ, et adorantes in loco, ubi steterunt pedes ejus. Tu. ℣.

Homilia de Comun. ut in Duplic.

LECTIO 9.

Commem. B. Virginis de Dumo.

Gumpenb. Imag. 464.

Beatæ Virginis de Dumo, quia in

Dumeto à quodam pastore indicio fulgoris cœlestis inventa, dicta, colitur Eboræ in Lusitaniâ. Primùm in quâdam turri colebatur, sed concursus peregrinorum fecit, ut Eborencis Episcopus ex sacello, quod eâ in turri obtinebat, faceret magnæ molis templum pietatis capax. Alphonsus quintus, cum Arzillam urbem in Africâ obsideret, argenteum equum et equitem vovit, si urbe potiretur. Captâ urbe votivum munus obtulit, quodpaulò post, inconsulto rege, præpositus cœnobii liquavit in pecuniam ad usus templi meliores. Tu. Te Matrem.

Vesper. à cap. de seq. de Com. Infant.

DIE XXVI.

HUMILITATIS B. M. V.

Duplex.

Ad Magnif. *ant.* Quia respexit humilitatem ancillæ suæ Dominus, beatam me dicent omnes generationes.

Oratio.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui respiciens humilitatem Beatæ Virginis MARIÆ, eam super omnes choros angelorum sublimasti; concede propitius, ut ipsius imitatione humilitatem sectantes, in cœlesti regno exaltari mereamur. Per Dominum.

Lection. 1. *Noct. de Feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Laurentii Justiniani Ep. *De ligno vitæ tract.* 12. *c.* 2.

LECTIO 4.

Non solùm in unâ vitâ Christi JESU relucet excelsa virtus humilitatis, sed etiàm in sanctis omnibus, qui ipsius Domini imitatores exiterunt, et præcipuè in Salvatoris mundi Genitrice, sicut eadem testatur dicens: quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce quàm humilis, quàm vilia de se sensit, et totum divinæ gratiæ tribuit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Judicio suo monstravit se humilem, sed respectu supernæ gratiæ sublimem, ut quod natura in primis parentibus per superbiam perdiderat, per ipsius humilitatem acciperet. Ideoque Verbum Patris per humilitatis suæ meritum carnis substantiam, quam sibi uniret assumpsit, et tunc ad eam, quàm priùs abjeceral, naturam sublimandam per misericordiam respexit. Et quoniàm quod erat, humilitèr recognovit dicendo se ancillam, sublimitèr quod non erat, Mater esse promeruit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Nam ipsa beata Virgo non à Filio suo Domino nostro cœlos didicit fabricare, non angelos creare, non mirabilia, et divinitatis insignia perpetrare, sed se humiliare, cæteraque documenta virtutum intra humilitatis custodiam aggregare. Undè et in se solam humilitatem respexisse fatetur Dominum, quæ custos est cæterarum virtutum. Collocaverat enim in tuto stationis portu sublimia meritorum suorum exercitia, et ideò est divinitùs sic illustrata. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 34.

In illo tempore: Dixit MARIA ad Angelum: Quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco? Et reliq.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Sermon. 4. de Assumpt. B. V.

Immobile propositum Virginitatis, quod nec Angelo filium promittente aliquatenùs titubavit. Quomodò, inquit, fiet istud? Neque enim eo modo, quo fieri solet in cæteris.

Virum penitùs non cognosco, nec filii desiderio, nec spe prolis. Quanta verò, et quàm pretiosa humilitatis virtus cum tantâ puritate, cum innocentiâ tantâ, cum conscientiâ prorsùs absque delicto, imo cum tantæ gratiæ plenitudine? Tu. ℣.

Bened. Cujus humilitatem.

LECTIO 8.

Undè tibi humilitas, et tanta humilitas, ò Beata? Digna planè quam respiceret Dominus, cujus decorem concupiscerel rex, cujus odore suavissimo ab æterno illo paterni sinùs attraheretur accubitu. Vide enim quàm manifestè sibi concinant Virginis nostræ canticum et nuptiale carmen: nimirum cujus uterus sponsi thalamus fuit. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Audi MARIAM in Evangelio: Respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ: audi eandem in Epithalaphio: cum esset Rex, inquit, in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Nardus quippè herba humilis est, et pectus purgat; ut manifestum sit humilitatem nardi nomine dessignarè, cujus odor et decor invenerit gratiam apud Deum. Tu. Te Matrem.

Ad Bened. *ant.* Quomodo fiet istud? Ne timeas MARIA, quoniàm Dominus respexit humilitatem suam.

CANON.

Ex D. Augustino Episcopo.

Serm. 35. *de SS.*—*Ap. D. Bonæ. S. p. c.* 15.

413. O verè beata Humilitas MARIÆ, quæ Dominum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, et hominum animas ab inferis liberavit. Tu.

Cum secund. Vesper.

Ad Magnif. *ant.* Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

DIE XXVII. OCTOBR.

B. M. V. DE FONTE SALUTIS.

Simplex.

Oratio. Ex Missâ antiq.

Deus cujus antiqua populi in deserto sitientis miracula Dei Genitricis et Virginis interventu nostris sæculis mirabilitèr renovari conspicimus, ipsâ pro nobis precante, ut sicut per eam ostenso nunc Fonte Salutis languores corporum resolvisti, hoc in animarum salutem perficias, quod in utroque miraculo renovasti. Per eund.

LECTIO 1.

Camòs libr. 4. *c.* 6.

In oppido Traiguera in regno Valentino anno millesimo quadringentesimo quarto sequens miraculum contigit. Duo opiliones fratres, quorum alter muto-surdus, cum gregem suum in profundam et siccam vallem duxissent, ingenti siti laborabant. At caprâ indice surdomutus intra vepres fontem invenit, ad eum citò currit, et dum bibit, in aquâ Deiparæ effigiem conspicit, statimque cœpit et audire et loqui; nam fratrem suum nomine vocat, prodigium enarrat, ad fontem ducit, et iterùm cum ipso eandem Virginis imaginem infra aquam observat. Deindè ambo fratres ad oppidum pergunt, et rem publicè convicinis enuntiant. Tu.

℣. Nostris istæc sæculis renovas miracula, * Linguæ solvens vincula. ℣. Surdum fecit audire, et mutum loqui Virgo MARIA. Linguæ.

LECTIO 8.

Oppidani videntes et surdum audire et mutum loqui, vix quod videbant et audiebant credere poterant. Ex communi consilio solemnis supplicatio ordinatur, et pastoribus ducibus ad vallem et ad fontem dirigitur, ubi juxta relata sacra

Icon inventa fuit. Eam maximâ reverentiâ digniores acceperunt, ad oppidum adduxerunt, et in altari principe ecclesiæ collocarunt. Sed de nocte ad suum vallem reversa est, et ibidèm iterùm reperta fuit. Undè cognitâ Deiparæ voluntate, prope fontem templum extruxerunt et in eo sacra Imago reposita, celebrior novis miraculis et fidelium frequentiâ evasit. Tu.

℟. Maxima mysteria eununtias, Mater Dei præexcelsa: * Dic nobis, quare fugis, ò fons sacræ salutis. ℣. Piâ querimoniâ, cum iterùm Divam invenisset, populus clamabat. Dic nob.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. de Castello. *Camòs l. 8. c. 5.*

Propè Surredam Diœcesis Elnensis oppidum in excelso monte sacellum Deiparæ circa quoddam castellum, à quo nomen accepit, exurgit, et in eo sacra illius Imago, quæ lignea est, et ferè sex palmis alta, impensè colitur. Etsi omninò certum non sit, tamen inventa creditur, nam eo in loco profundum spelæum visitur, quod interiùs aliquam sacelli formam retinet. Non exiguus fit ad hanc sacram Virginis effigiem accursus fidelium quos maximè ad se tum miraculis, tum beneficiis trahit. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de ferid.

DIE XXVIII. OCTOBR.

B. V. M. DE CONSTANTINOPOLI.

Simplex.

LECTIO 1.

Gumpenberg. imag. 577.

Inter alias Deiparæ Statuas, quæ Neapoli cultum accipiunt, una est, quæ titulum habet de Constantinopoli, fortè ex Græcâ picturâ. Cultus autem, quem hodiè habet, initium indè est, quod cum anno millesimo quingentesimo vigesimo nono, urbs gravi peste afflligeretur integro biennio, Deipara urbis sibi devotæ jamque sexaginta mille funeribus deformatæ sit recordata. Tu. ℟.

LECTIO 2.

Itaque simplici mulierculæ apparens testata est, pestem peccatis promeritam nondùm cessaturam, nisi ipsa precibus apud Filium impetrarel: impetraturam autem, si eo in loco, quem digito porrecto monstrabat, magistratus eruere terram juberet, inventuro suam Imaginem, per cujus cultum finem pestiferæ luis promittebat: et si quidem templum extrueretur, secuțitatem à peste toti urbi per multos annos etiàm pollicebatur. Mulier illa fidem invenit, et urbs, inventâ imagine, templo quamprimùm fundamenta dedit. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Fresnedensis de Gratiâ.

Gumpenberg. imag. 647.

Pastorcula in montibus Fresnedæ vicinis, in Aragoniâ, Imaginem Divæ Virginis invenit, et domum ad parentes eam detulit. Sed Imago desiderans propriam et meliorem, rediit eo, undè fuit asportata, quam altero die puella ibidem reperit. Hæc Fresnedæ incolis puella dixit, qui ad locum turbatim advolarunt, et nullo pesilo miraculo Sacellum construxere, quod post aliquot annos Patribus Paulinis cessit, qui tamen propter loci asperitatem sanctam Imaginem jam non repugnantem Fresnedam ad suum conventum detulere. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequent. ut in 1. *Vesp. Infantiæ.*

DIE XXIX. OCTOBR.

RELIGIONIS B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Corda nostra, omnipotens Deus, Spiritus Sanctus perfectè possideat, qui Sanctissimæ Filii tui Matris cor immaculatum in templum toti beatissimæ Trinitati dicavit. Per eumdem... in unitate ejusdem.

Lection. 1. *Noct. de Ferid.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Spinelli in Deipar. cap. 21. *p.* 278.

Virtutis Religionis (quæ hominem in divinum ordinat cultum) insigne exemplar Deipara omnibus dedit, præcipuè cum tertio suæ ætatis anno ad templum præsentata, et à parentum divulsa gremio, divino obsequio mancipata est: ibique infantiæ, ac pueritiæ ætatem spiritualibus rebus vacans, in sanctis sanctorum traduxit religiosis-imè: quâ in re dum relictâ parentum domo, à sæculari strepitu alicna, in templo uni Deo vacat, vitæ etiàm religiosæ specimen quoddam nobis exhibuit, ubi castitatem, paupertatem, et obedientiam, quæ ad tria Religionis vota spectant, sanctissimè coluit. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Nec minus ejus in Deum Religio atque pietas enituit in sollicitâ Christi Dei et hominis educatione et obsequiis erga eumdem usque ad ejus crucem, cui forti animo præsens astitit, exhibitis: quam sollicitudinem satis præ se tulit, cum Filium duodenum, qui, eâ inscià, in templo remanserat, dolens in Jerusalem reversa triduo diligentèr quæsivit, et tandèm lætà invenit. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Legis item divinæ servandæ in iis quoquè ad quæ minimè tenebatur, fuit studiosissima: purificationis legem sponlè subibit, templum quotannis ex Nazareth cum Filio statutis in lege temporibus, non sine longi itineris labore adire solebat, quamvis eâ lege mulieres minimè tenebantur. Quod si Religionis virtus in templorum constructione, ac dedicatione, et in oblationibus elucet, quanta fuit Virginis Religio, quæ animam et corpus suum templum Spiritui Sancto dicavit? Quæ Filium suum in die Purificationis Deo Patri oblationem gratissimam juxta ac dignissimam obtulit? Hùc etiàm referri posset oblationis ejus sublimitas atque præstantia. Tu. ℟. *Homilia de Comm. pro Duplicib. Ben.* 8. Cujus Religionem col.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Turosellanæ.

Gump. Idea Atlan. Mariam. p. 82.

Beata Virgo Turosellana præter hodierna miracula jam olim se duobus portentis insignem fecit. Nam cum templum ædificaretur, pecunia, ut fit, defecit, et cum hâc consilium, quia moram non dabant esurientes opere. Delit MARIA, nam à templi auctore marsupium repertum est cum pecuniis quantum solvendis operis sufficeret. Deindè cum Episcopus templum Virgini dedicaturus advenisset, in urbem remigrare divinâ voce jussus est, ædiculam, quæ jam à superis consecrationem acepisset, suâ opus non habere. Quo die etiàm contra pestem Virgini Immaculatæ conceptum est votum, eo pestifera lues cessavit; hinc Virginis imaginem supra tres urbis portas posuere Carcasonenses. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Tomâ Arch. Valentino. *Conc.* 1. *in Ann. B. V. n.* 2.

416. MARIAM Angelus inve-

nit interiori domûs cubiculo reclusam, libros sacros legentem, Scripturæ secreta rimantem, suasque Domino preces spiritu ferventissimo dedicantem. Hæc erat opus MARIÆ, hæc vita, hoc otium, hoc officium: in hoc tota ejus vita expendebatur, in hoc diès noctesque insomnes ducebat. Tu.

Vesperæ à capit. de sequenti.

DIE XXX. OCTOBR.

B. M. V. DE SUBSIDIO.

Duplex.

Lection. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Anselmi Episcopi.

Tract. de concept. B. V. inter ejus opera.

LECTIO 4.

Et tu, Domina, ad cujus subsidium nos mittit dilectissimus Filius tuus, quid dicis nobis? Forsan, Domina, ut sub alarum suarum confugiamus. Benè: at licet misericordiam, sicut decet, grataniter amplectemur, tamen justitiam ejus non parum formidamus. Ne igitur quærentibus misericordiam obtendat justitiam suam, precamur, adesto nobis, et age causam nostram pro nobis. Ipse namque magni consilii summus angelus consuluit nobis venire ad te. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Certè peccatores nos esse cognoscimus, et damnari meremur, ut justè quidem non negamus. Sed æquè justum esse profitemur, et voluntatem ipsius facial, qui voluntati suæ in cunctis quæ agit, concordare non detrectat. Et quis unquàm voluntati illius magis concors extitit, quam tu, cujus subsistentia ab implelione voluntatis ejus nunquàm otiosa fuit? Velis itaque solummodò, Domina, ut ille justissimus judex nobis misereatur: profectò justum erit, nullâ ratione obsistente, ut velle tuum perficiatur. Noli ergò propter misericordiam, cujus Mater esse probaris, nobis deese: quia velle tuum non postponet in salute nostrâ, qui, ut salvemur, factus est per te frater noster. Tu. ℣.

LECTIO 6.

O mira generatio conditoris! O immensa consolatio peccatoris! O Domina, si Filius tuus est factus per te frater noster; nonne et tu per illum facta es Mater nostra? Hoc enim jam mortem pro nobis subiturus in cruce dixit Joanni, nec aliud quàm in naturâ suæ conditionis habenti: Ecce, inquiens, Mater tua. O peccator homo, gaude et exulta: non est enim undè desperes, non est quod formides: quid quid judicabitur de te, totum pendet ex sententiâ fratris et matris tuæ. Ne ergò avertas aurem cordis tui à consilio illorum. Judex tuus, videlicet frater tuus docuit te fugere ad subsidium Matris suæ; et ipsa cadem mater tua monuit te protectioni alarum Filii sui fideliter inhærere, seque tibi, ne ejus justitiâ gravareris, non negabit affuturam Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 28.

In illo tempore: Ingressus Angelus ad MARIAM dixit: Ave gratiâ plena, *Dominus* tecum. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Serm. 2. super Salv. Reg.—Inter ejus opera.

Revertere per eam, quæ tibi specialiter infusa est in plenitudine gratiæ, prærogativam tuam, ut intueamur te, non talem, qualem

desiderant angeli prospicere dicentes: tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te: sed intueamur te largientem beneficia, conferentem remedia, medentem contritis corde, ponentem fortitudinem lugentibus in Sion, dantem coronam pro cinere, oleum pro luctu, palium laudis pro spiritu mœroris. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Nec mediocris visio ista piam te, et deprecabilem expiriri, mœrentiumque suspiria munere gratiæ consolari. Sonet hæc vox tua in auribus nostris: vox hæc tua dulcis, et hæc facies tua decora. *Lectio* 9. Nam in illo decore te videre, quo induit te Dominus fortitudine et præcinxit te, non est hujus temporis vitæ nostræ, vitiorum fætore sordentis. Stolâ immortalitatis te indutam videre, Domina, indigni sumus: ostende faciem miserationum tuarum, et salvi erimus. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Vergiensis de Querali.

Camòs lib. 9. c. 11. de Eff. Cattal.

Propriè Tanagriam Vergnium ad radicem Pirineorum Sacellum est Deiparæ sacrum vulgò de Queralt, seu Rupe excelso dictum, pluribus jam abhinc sæculis structum, in quo ejusdem Sanctissimæ Virginis Imago à bubulco quodam ibidèm, bobe indice, ut fertur, ter inventa, quia ad domum bis ab ipso asportata, bis ipsa ad eumdem locum est reversa, maximè colitur. Hæc sacra effigies, quæ sedens puerum ulnis sustinet, et lævo pede exiguum bobem calcat, tota lignea et duobus cum dimidio palmis alta est: ingentibusque fulgentem signis, ingens fit ad eam populorum accursus, cultusque ei tribulus quotidiè summoperè crescit. Tu. Te Matrem.

Cum secundis Vesperis.

DIE XXXI. OCTOBR.

VIGIL. OMNIUM FESTIV. B. M. V.

Simplex.

Omnia ut in Offic. feriali.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Petri Damiani Ep.

In Natali Domini.

Exultate, fratres, in Domino, quia de Dominâ illâ sermo succedit, quæ singularem in cordibus vestris vendicat principatum, quæ est ad cujus nomen humiliter inclinatis, cujus horis reverenter assistitis, cujus memoriam jugiter frequentatis. Hæc est, quæ vestris affectibus suaviter indulcescit, quia magna multitudo dulcedinis ejus. Spiritus enim ejus super mel dulcis, in quàm dulcis Dominus cum omni suâ dulcedine supervenit. Tu. ℣. *de feriâ occurr.*

LECTIO 2.

Cum enim fecerit Deus omnia opera sua valdè bona, hic melius fecit, consecrans in eâ sibi reclinatorium aureum, ut post tumultus Angelorum et hominum, et reclinaret et requiem inveniret. Hoc est quod natura miratur, reveretur Angelus, veretur homo, stupet cœlum, contremiscit terra, infernus exhorret. In hujus utero majestas Altissimi mirabiliter liquefacta est, sicut adipe et pinguedine replevit terras, infudit cœlos, terra respersit. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Hic exinanivit semelipsum excelsus et immensus, mensuram bonam, et confertam, et coagitatam mittens in sinum vestrum. Hic divinis manibus unctus oleo lætitiæ, et sicut altare in signum pontificii consecratus, de altari hoc ad aliare crucis asceadens, proprio cruore lanquàm alterius generis oleo perfusus, jam non consecratus, sed consecrans, totum corpus machinæ mundialis largiore liquamine consecravit. Fatiscat ergò mœror, tristitia fugat, eliminetur dolor, rancor abscedat, ut liceat vacare et videre cum Moyse visionem hanc grandem, qualiter Deus in hoc ventre concipiatur, decipiatur diabolus, recipiatur perditum, indebitum accipiatur. Tu. ℟.

Ad laudes preces.

Oratio.

Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut cujus præveniinus solemnitatem, Sanctissimi Filii tui Mater et devotionem nobis augeat et salutem. Per eumdem Dominum.

CANON.

Ex Concilio Æthamensi.

Ann. 1009. *can.* 15.—*Concil.* 24. *p.* 246.

417. Sanctæ MARIÆ summum Festum omnes cautiùs honorantes primùm jejunio, et deinceps celebritate. Tu.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE 1. NOVEM.

SOLEMNITAS OMNIUM FESTIVITATUM B. M. V.

Dupl. 1. *Class. cum Octav.*

IN I. VESPER.

Ant. 1. Tota pulchra es, MARIA, et macula originalis non est in te. *Psalm. de Solemnitatib.*

2. Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo.

3. O MARIA! Nomen tuum sempèr in desiderio animæ meæ.

4. Ducam eam in solitudinem templi, et loquar ad cor ejus.

5. Dilectus meus mihi, et ego illi: inter ubera mea commorabitur.

CAPITULUM. *Apoc.* 12. 1. Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.

℟. Gaudeamus omnes in Domino, Recollectionem omnium Festivitatum Beatissimæ Virginis MARIÆ celebrantes, ' De cujus solemnitate gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei. ℣. Laudate Dominam nostram omnes gentes: glorificate eam omnes populi.—De cujus.—Gloria.—Gaudeamus. *Infra octav. non dicit. in Vesp.*

HYMNUS 114. *Parnas. Virgin.*

Ave cujus Conceptio,
Solemni plena gaudio,
Cælestia, terrestria
Novâ replet lætitiâ.

Ave cujus Nativitas
Nostra fuit solemnitas,
Ut lucifer, lux oriens
Verum solem præveniens.

Ave pia humilitas,
Sine viro fœcundiias,
Cujus Annuntiatio
Nostra fuit redemptio.

Ave vera virginitas,
Immaculata castitas,
Cujus Purificatio
Nostra fuit purgatio.

Ave præclara omnibus
Angelicis virtutibus,
Cujus fuit Assumptio
Nostra glorificatio.

Ave cujus festivitas
Perennis cœlo colitur,
Cujusque festa omnia

Terris hodiè recolimus.

Dozologia de Tempore.

℣. Festivitas festivitatem est hodiè Sanctæ MARIÆ Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat ecclesias.

Ad Magnific. *ant.* Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat JOSEPH, et nomen Virginis MARIA.

Orat. de Laudib. Cmplet de Dom.

AD MATUTIN.

Invitator. Solemnitatem omnium Festivitatum Beatæ MARIÆ Virginis celebrantes: ' Christum ejus Filium adoremus Dominum.

HYMNUS 115. *Parn. Virginal.*

Gaude redempta, plebsque cœlicola,
Festa MARIÆ jubila
Voce, mente tripudia,
Cantica psalle.

Nube depulsâ Angelus
Nuntiat ortum auroræ,
Lucifer splendet,
Genitrix exurgit datura solem.

Ad quam desuper per Archangelum
Mittitur salus hominis:
Pergit ad annum puella
Gravida, obsecutura.

Virgo pudica manus attolit
Prolem ad aram:
Præmia cœli supremi
Recipit virgula fumi.

Gloriam trinæ monadi canamus
Corde devoto, Patri et Nato,
Necnon Paraclito
Omne per ævum. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Exurgens MARIA ' abiit in montana cum festinatione, ut salutaret Elizabeth.

Psalm. de Dominicâ.

2. Undè hoc mihi, ' ut Mater Domini mei veniat ad me.

3. Magnificat ' anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo meo.

℣. Christo canamus gloriam, alleluia.

℟. In hâc solemnitate præcelsæ Virginis MARIÆ, alleluia.

De libro Apocalypsis B. Joannis Ap.

LECTIO 1. *c.* 11. 12.

Et apertum est templum Dei in cœlo et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, et facta sunt fulgura, et voces, et terræmotus, et grando magna. Et signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim: et in utero habens clamabat parturiens, et cruciabatur, ut pariat. Tu.

℟. Dixit Elias ad puerum suum: ascende, et prospice contra mare: ' Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari. ℣. Nubes illa nunquàm fuit in tenebris, sed semper in luce.—Ecce.

LECTIO 2.

Et visum est aliud signum in cœlo: et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, et cornua decem: et in capitibus ejus diademata septem: et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram: et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virgâ ferreâ: et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus. Tu.

℟. Vitis uberrima ex Annâ pullulavit, uvaque suavissima effluit: ' Potum nectaris terrigenis fundens in vitam ætternam. ℣. Gaudete in Domino Deo vestro, quia germinavit desertum, sterilis protulit fructum suum.—Potum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
BIBLIOTECA CENTRAL

LECTIO 3.

Hic exinanivit semelipsum excelsus et immensus, mensuram bonam, et confertam, et coagitatam mittens in sinum vestrum. Hic divinis manibus unctus oleo lætitiæ, et sicut altare in signum pontificii consecratus, de altari hoc ad aliare crucis asceadens, proprio cruore lanquàm alterius generis oleo perfusus, jam non consecratus, sed consecrans, totum corpus machinæ mundialis largiore liquamine consecravit. Fatiscat ergò mœror, tristitia fugat, eliminetur dolor, rancor abscedat, ut liceat vacare et videre cum Moyse visionem hanc grandem, qualiter Deus in hoc ventre concipiatur, decipiatur diabolus, recipiatur perditum, indebitum accipiatur. Tu. ℟.

Ad laudes preces.

Oratio.

Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut cujus præveniinus solemnitatem, Sanctissimi Filii tui Mater et devotionem nobis augeat et salutem. Per eumdem Dominum.

CANON.

Ex Concilio Æthamensi.

Ann. 1009. *can.* 15.—*Concil.* 24. *p.* 246.

417. Sanctæ MARIÆ summum Festum omnes cautiùs honorantes primùm jejunio, et deinceps celebritate. Tu.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE 1. NOVEM.

SOLEMNITAS OMNIUM FESTIVITATUM B. M. V.

Dupl. 1. *Class. cum Octav.*

IN I. VESPER.

Ant. 1. Tota pulchra es, MARIA, et macula originalis non est in te. *Psalm. de Solemnitatib.*

2. Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo.

3. O MARIA! Nomen tuum sempèr in desiderio animæ meæ.

4. Ducam eam in solitudinem templi, et loquar ad cor ejus.

5. Dilectus meus mihi, et ego illi: inter ubera mea commorabitur.

CAPITULUM. *Apoc.* 12. 1. Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.

℟. Gaudeamus omnes in Domino, Recollectionem omnium Festivitatum Beatissimæ Virginis MARIÆ celebrantes, ' De cujus solemnitate gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei. ℣. Laudate Dominam nostram omnes gentes: glorificate eam omnes populi.—De cujus.—Gloria.—Gaudeamus. *Infra octav. non dicit. in Vesp.*

HYMNUS 114. *Parnas. Virgin.*

Ave cujus Conceptio,
Solemni plena gaudio,
Cælestia, terrestria
Novâ replet lætitiâ.

Ave cujus Nativitas
Nostra fuit solemnitas,
Ut lucifer, lux oriens
Verum solem præveniens.

Ave pia humilitas,
Sine viro fœcundiias,
Cujus Annuntiatio
Nostra fuit redemptio.

Ave vera virginitas,
Immaculata castitas,
Cujus Purificatio
Nostra fuit purgatio.

Ave præclara omnibus
Angelicis virtutibus,
Cujus fuit Assumptio
Nostra glorificatio.

Ave cujus festivitas
Perennis cœlo colitur,
Cujusque festa omnia

Terris hodiè recolimus.

Dozologia de Tempore.

℣. Festivitas festivitatem est hodiè Sanctæ MARIÆ Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat ecclesias.

Ad Magnific. *ant.* Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat JOSEPH, et nomen Virginis MARIA.

Orat. de Laudib. Cmplet de Dom.

AD MATUTIN.

Invitator. Solemnitatem omnium Festivitatum Beatæ MARIÆ Virginis celebrantes: ' Christum ejus Filium adoremus Dominum.

HYMNUS 115. *Parn. Virginal.*

Gaude redempta, plebsque cœlicola,
Festa MARIÆ jubila
Voce, mente tripudia,
Cantica psalle.

Nube depulsâ Angelus
Nuntiat ortum auroræ,
Lucifer splendet,
Genitrix exurgit datura solem.

Ad quam desuper per Archangelum
Mittitur salus hominis:
Pergit ad annum puella
Gravida, obsecutura.

Virgo pudica manus attolit
Prolem ad aram:
Præmia cœli supremi
Recipit virgula fumi.

Gloriam trinæ monadi canamus
Corde devoto, Patri et Nato,
Necnon Paraclito
Omne per ævum. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Exurgens MARIA ' abiit in montana cum festinatione, ut salutaret Elizabeth.

Psalm. de Dominicâ.

2. Undè hoc mihi, ' ut Mater Domini mei veniat ad me.

3. Magnificat ' anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo meo.

℣. Christo canamus gloriam, alleluia.

℟. In hâc solemnitate præcelsæ Virginis MARIÆ, alleluia.

De libro Apocalypsis B. Joannis Ap.

LECTIO 1. *c.* 11. 12.

Et apertum est templum Dei in cœlo et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, et facta sunt fulgura, et voces, et terræmotus, et grando magna. Et signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim: et in utero habens clamabat parturiens, et cruciabatur, ut pariat. Tu.

℟. Dixit Elias ad puerum suum: ascende, et prospice contra mare: ' Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari. ℣. Nubes illa nunquàm fuit in tenebris, sed semper in luce.—Ecce.

LECTIO 2.

Et visum est aliud signum in cœlo: et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, et cornua decem: et in capitibus ejus diademata septem: et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram: et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virgâ ferreâ: et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus. Tu.

℟. Vitis uberrima ex Annâ pullulavit, uvaque suavissima effluit: ' Potum nectaris terrigenis fundens in vitam ætternam. ℣. Gaudete in Domino Deo vestro, quia germinavit desertum, sterilis protulit fructum suum.—Potum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
BIBLIOTECA CENTRAL

LECTIO 3.

Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. Et factum est prælium magnum in cœlo: Michael et Angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli ejus: et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et Satanas, qui seducit universum orbem: et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt. Tu.

℟. Ad templum adducitur Virgo, ac deindè in domo Dei plantata, * Atque per Spiritum saginata instar olivæ fructiferæ virtutum omnium domicilium efficitur. ℣. Virgo erat hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum germina, et odoramenta virtutum.—Atque.—Gloria.—Ad. *In dieb. infr. oct.* Atque.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Desponsata est * Mater JESU MARIA JOSEPH et inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.

2. JOSEPH, * accipe puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum.

3. Accipe puerum * et Matrem ejus et vade in terram Israel.

℣. Viderunt eam filiæ Sion.

℟. Et beatissimam prædicaverunt.

Sermo S. Methodii Ep. et Martyris.

De Simon. et Ann. Orat.

LECTIO 3.

Sanctorum omnium per omnes generationes spiritualibus narrationibus fastisque prodigiosis valere jussis, ad te festi hujus convivii velut clavem, ò florenti sempèr habenda memoriâ, dirigo. Benedicta tu, prorsùs benedicta, omnibusque desiderabilis. In benedictionibus Domini nomen tuum, divinâ gratiâ plenissimum, ac summè Deo gratiosum, Dei Mater, quæque tuo ipso splendore fidelibus lumen præferas. Tu circumscriptio, ut ita dicam, ejus, qui est incircumscribilis: radix floris speciosissimi: mater plasmatoris, alloris nutrix: ejus complexio qui omnia complecti habet: portans eum, qui verbo omnia portat: porta, per quam Deus in carne ocitur: forceps carbonis illius purgatorii: sinus exiguus immensi omnium sinus. Tu.

℟. Beata es, Virgo MARIA, quæ Dominum portasti creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo. ℣. Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.—Genuisti.

LECTIO 5.

Tu vellus roris illius incomprehensibilis: haeus ille Bethleem desiderii David: vitæ susceptor, ex quo poculum immortalitatis scaturivit, propitiatorium, ex quo Deus formâ humanâ generi humano innotuit: vestis sine maculâ ejus qui induit lumen sicut vestimentum. Tu nullius indigenti Deo, carnem, quam non habebat fœnerata es, quâ tandem Omnipotens ille, quod decreverat fieri, homo esset. Quid hoc splendidius? Quid hoc sublimius? Qui cœlum et terram implet, cujus ditionis sunt res omnes, tui indigus efficitur: quippè Deo fœnerata es carnem, quam non habebat. Tu potentem illum decora corporis armaturâ induisti: quâ et is mihi redditus est oculis adspectabilis; ipseque ut liberè intuiturus possim accedere, accepi: quâ etiàm omnia mali illius ignita tela, extingui habent. Tu.

℟. Beata Virgo, cujus viscera intacta permanent post partum, * Nobis peperit Salvatorem sæculorum. Beata, quæ credidit, quoniàm perfecta sunt omnia, quæ dicta sunt ei à Domino.—Nobis.

LECTIO 6.

Euge, euge, Dei Mater, ancillaque. Euge, cui ille omnium creditor, debitor sit. Nam qui dixit: honora patrem tuum, et matrem tuam; longè potiùs talibus ipse adcenseri volens gratiam, propriamque ipse legem in eam servaverit, quæ ultro assumptam ipsi Nativitatem ministravit, quamque sine patre, velut sine viro, matrem inscripsit, confirmavitque: divino quodam decore, et supra hominem glorificaverit. Ita verò hæc habebunt? habebunt ita: neque enim quæ offerimus cantica, inutilem tantum ornatum, ò sacratissimum admirabilissimumque Dei habitaculum, habent... sed veritatem quandam perspicuam. Tu.

℟. Cum inducerent puerum JESUM Parentes ejus, et facerent secundum consuetudinem legis pro eo, * Simeon accepit eum in ulnas suas. ℣. MARIA autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.—Simeon.—Gloria.—Cum. *In dieb. infr. oct.* Simeon.

NI III. NOCT.

Ant. 1. Omnis gloria * filiæ regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate.

2. Factus est * in corde meo ignis exæstuans, et deficio amore ferre non sustinens.

3. Secundùm multitudinem * dolorum meorum consolationes Dei lætificaverunt animam meam.

℣. In me gratia omnis viæ et veritatis.

℟. In me omnis spes vitæ et virtutis.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 5. 1.

In illo tempore: Videns JESUS turbas, ascendit in montem, et cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

In Exposit. super libros Regum.

An non mons sublimis MARIA, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, usque ad solium Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippè in vertice montium fuit, quia altitudo MARIÆ supra omnes sanctos refulsit. Nam sicut mons altitudinem, ita domus designat habitationem. Tu.

℟. Gloriosa et felix Virgo MARIA, mirantibus cœlestis curiæ ordinibus, at ætereum pervenit thalamum: * Et sedet ad dexteram Filii sui. ℣. Ascendit Christus super cœlos, et præparavit suæ sanctissimæ Matri immortalitatis locum.—Et.

Benedict. Cujus solemnitates recolimus. *Dicit. per Oct.*

LECTIO 8.

Mons quippè et domus aptè dicitur, quæ dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei Unigenito, in quo recumberet, sacrum præparavit uterum. Nam mons in vertice montium MARIA non fieret, si supra Angelorum altitudinem hanc divina fœcunditas non levaret. Et domus Domini non fieret, si in ejus ventre per assumtam humanitatem Verbi divinitas non jaceret. Tu.

℟. Glorià et honore coronasti

Matrem tuam Domine; * Et constituisti eam super opera manum tuarum. ℣. Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso.—Et constituisti. *Hoc omittitur in dieb. infr. Oct.*

LECTIO 9.

De hujus montis fructu David Deo exultans ait. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum. Terra quippe fructum suum dedit, quia quem Virgo peperit, non concepit maritali opere, sed Sancti Spiritûs obumbratione. Hinc eidem regi et prophetæ à Domino dicitur. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Hinc Isaias ait; erit fructus terræ sublimis. Nam quem Virgo genuit, non solùm homo sanctus fuit, sed etiàm potens Deus. Tu.

℟. Gaudeamus omnes in Domino, Recollectionem omnium Festivitatum Beatissimæ Virginis MARLÆ celebrantes, * De cujus Solemnitate gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei. ℣. Laudate Dominam nostram omnes gentes: glorificate eam omnes populi. De.—Gloria.—Gaudeam. *In dieb. infra oct.* De. Te Matrem Dei.

AD LAUDES

et per Horas antiph.

1. Sit hodiè * plena nostra exultatio in hâc solemnitate omnium Festivitatum Sanctissimæ Dei Genitricis MARLÆ. *Ps. de Dominicâ.*

2. Gloriosæ Virginis * MARLÆ solemnitates omnes unâ solemnitate celebremus, alleluia.

3. Laudemus * Deum nostrum in hâc dignissimâ solemnitate Genitricis Dei MARLÆ.

4. Benedicta sis, * ò summi Regis Filia, quæ odore præis cuncta lilia.

5. Omnis Spiritus * hodiè laudet et superexaltet Dominam nostram.

CAPITULUM. *Ap.* 12. 1.

Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.

HYMNUS 116. *Ex offic. antiquo.*

Gaude visceribus, Mater, in intimis:
Felix ecclesia, quæ sacra replicas
Sancta Festa MARLÆ:
Plaudant astra, solum, mare.
Cujus magnifica est generatio,
Cujus vita sacris claruit actibus,
Cujus finis honorem
Summum fine tenet sine.
Quæ virgo peperit, virgoque permanet,
Lactabil propriis uberibus Deum,
Portantemque gerebat
Unis prona trementibus.
Felix multiplici laude Puerpera,
Regis porta sui clausa perennitèr
Mundi stella fluentis,
Floris virgula regia.
Te nunc suppliciter Sancta Theotocos,
Regis perpetui sponsaque, poscimus,
Ut nos sempèr ubiquè
Miti munere protegas.
Sanctis obtineas, Virgo, precantibus
Pacis præsidium dulce diutinæ,
Nobis atque beatis
Regni dona perennia.
Præsta, summe Pater, Patris et unice.
Amborumque simùl Spiritus annue,
Qui regnans Deus unus
Omni tempore sæculi. Amen.

℣. Posuisti, Domine, super caput ejus.

℟. Coronam de lapide prelioso.

Ad Benedict. *ant.* Solemnitatem * hodiernam perpetuæ Virginis Genitricis Dei MARLÆ cum gaudio celebremus, quâ celsitudo throni processit, alleluia.

Oratio.

Deus, qui nos Beatæ et gloriosæ Virginis MARLÆ gaudia et solemnitates recolentes lætificas, concede nobis, sic laudibus ejus et servitio dignè insistere, ut eam in necessitate et angustiâ, et præcipuè in horâ mortis præsentem et auxiliatricem sentiamus, et te post mortem per ipsam, et cum ipsâ gaudere mercamur in cœlis. Per Dominum nostrum.

AD PRIMAM.

Ant. Sit hodiè. *Capit.* Signum magn. *de Laudib.*

℣. ℟. *br.* Quæ tantâ solemnitate nos lætificas.

Et dicitur per octav.

CANON.

Ex Concilio Ænhamensi. *ann.* 1009. *can.* 15. *ex alio versione.*

418. Genitricis Domini nostri almæ videlicet MARLÆ Festa solemnia primò cum jejuniis, et posteà cum suavisonâ melodiarum cantinelâ honorificè ab omnibus celebrentur solemniter. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Ap.* 14. 14.

Vidi, et ecce nubem candidam: et super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream.

℟. *br.* Specie tuâ * Et pulchritudine tuâ.—Specie. ℣. Intende, prosperè procede, et regna.—Et.—Glor.—Specie.

℣. Ista est speciosa.

℟. Inter filias Jerusalem.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Ap.* 21. 2. *et* 11.

Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam.... habentem claritatem Dei: et lumen ejus simile lapidi jaspidis, sicut crystallum.

℟. *br.* Viderunt eam * Filiæ Sion.—Vider. ℣. Et beatissimam prædicaverunt.—Filiæ.—Gloria.—Viderunt.

℣. Hæc est urbs perfecti decoris.

℟. Gaudium universæ terræ.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Ap.* 20. 23.

Et civitas non eget sole, neque lunâ, ut luceant in eâ: nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus.

℟. *br.* Vidi cœlum novum, * Et terram novam.—Vidi. ℣. Primum cœlum, et prima terra abiit.—Et.—Gloria.—Vidi. ℣. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. ℟. Et habitabit cum eis.

IN II. VESPERIS.

Ant. 1. Solemnitas * Solemnitatum est hodiè Sanctæ MARLÆ Virginis: exultemus et lætemur in eâ. *Psalmi ut in* 2. *Vesp. Solemnit.*

2. Solemnitatem * Dei Genitricis solicitè celebremus ut ipsa intercedat pro nobis ad Dominum.

3. Offerentes munera, * et adolentes odorem suavitatis Domino, celebremus tantam Beatæ Virginis Festivitatem.

4. Hâc die * nobis sanctâ et venerabili omnia Festa Reginæ nostræ corde et animo recolimus.

5. Gaudeamus, * et exultemus, demus gloriam Deo in hâc die solemnitatis nostræ.

CAPITULUM. *Ap.* 2. 1.

Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.

℟. Gaudeamus. *Ut in* 1. *Vesp. hâc die tantùm.*

HYMNUS 117.

Alma Christi Mater,

Virginumque summa,
Quâ nihil supremus
Majus orbis ambit.
Nesciens primævam
Protoplasti labem,
Tota cœli donis
Compta Nympha fulges.
Ante sæcla natum
Mente summi Patris,
Virgo pura gignis
Rore cœli fœta.
Tu polorum Regem,
Qui pugillo gestat,
Aura, pontum, terras
Ventre casto claudis.
Cuncta complectentem
Virgo stringis ulnis,
Te ferentem portas,
Educas alentem.
Sit laus Deo Patri
Summo Christo decus
Spiritui Sancto
Tribus honor unus. Amen.

℣. Reginæ sanctorum omnium, alleluia.

℟. Laudem dicite ei omnes servi ejus, alleluia.

Ad Magnif. *ant.* Quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Oratio de Laudibus.

In diebus infra oct. Offic. etiàm in festis, fit ut in die præter ea quæ assignantur propria.

DIE II. NOVEMB.

DE II. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De libro tertio Regum.

LECTIO 1. *c.* 18. *v.* 42.

Et ait Elias ad Achab: ascende, comede, et bibe: quia sonus multæ pluviæ est. Ascendit Achab, ut comederet, et biberet: Elias autem ascendit ad verticem Carmeli, et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, et dixit ad puerum suum: ascende, et prospice contra mare. Tu. ℟.

LECTIO 2.

Qui cum ascendisset, et contemplatus esset, ait: non est quidquam. Et rursùm ait illi: revertere septem vicibus. In septimâ autem vice, ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Qui ait: ascende, et dic Achab: junge currum tuum, et descende, ne occupet te pluvia. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Cumque se verteret hùc atque illùc, ecce cœli contenebrati sunt, et nubes et ventus, et facta est pluvia grandis. Ascendens itaque Achab abiit in Jezrahel: et manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrahel. Tu. ℟.

IN II. NOCT.

De Institutione Monachorum D. Joannis Ep. Jerosolymitani. *Cap.* 32. *In Bibliot. max. PP.*

LECTIO 4.

Per hoc namque, quod ille puer Eliæ vidit de mari nubeculam parvam oriri, revelavit Deus Eliæ, quòd quædam Infantula, scilicet Beata MARIA, per nubeculam significata, et instar illius nubeculæ per humilitatem parva, nasceretur de humanâ naturâ peccatrice, designatâ per mare. Quæ Infantula jam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sorde, quemadmodùm nubecula illa fuit de mari amaro sine tamen aliquâ amaritudine. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Licet namque nubecula illa esset originaliter ejusdem naturæ cum mari: alterius tamen fuit qualitatis, alteriusque proprietatis. Mare quippè ponderosum est, et amarum; sed nubecula illa levis fuit, et dulcis. Sic quàm in quolibet alio homine, natura humana instar maris sit in suâ origine, ita amaritudine peccatorum et vitiorum pondere pressa, ut fateri cogatur: iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Beatam MARIAM de hoc mari, id est, naturâ humanâ, aliter fuit orta, quia in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum; sed instar illius nubeculæ fuit levis per immunitatem peccatorum, et dulcis per plenitudinem charismatum. Ipsa enim suo ortu fuit nubes illa, de quâ per Moysen figuratè est scriptum. Ecce gloria Domini apparuit in nube. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 5. 1.

In illo tempore: Videns JESUS turbas, ascendit in montem, et cum sedisset accesserunt ad eum Discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia B. Alberti Magni, Ep.

In Bibliâ Mariannâ.

Beati pauperes, quos non necessitas, sed fides et devotio pauperes facit, ut contemptis omnibus Deo vivant. Talis autem contemptus omnium rerum in beatâ Virgine in summo fuit, ita ut Beata MARIA paupertatem spiritûs habuit excellentiùs omni homine præter Christum: qui cum ipse præcellat omnes dignitate, et æqualem aliis habuerit paupertatem, excellit omnibus improportionabiliter paupertate. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Beati mites. Istam mititatem et mansuetudinem præter Christum excellentissimè habuit. Mitis est, qui malis moribus dominatur, quod ipsa perfectissimè fecit. Ejus enim dominium de malis moribus fuit sine pugnâ, omnium aliorum cum pugnâ. Mansuetus non irritat, nec irritatur: cogitat enim nulli nocere, et omnibus in summo prodesse. Hoc ipsa perfectissimè implevit. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Astigiensis de Valle.

Gump. Imag. 237.

Astigi, vulgo Ecija, novem leucis Hispali distat paucis passibus extra urbem ad ripam fluvii singulis templum est, et in eo statua Deiparæ, quæ à Valle nomen accepit: Antiqua hic pietas est; nam Sanctæ Florentinæ Virginis cœnobium stetisse hic ferunt tempore Gothorum, cui Statua hæc dono donata à fratre suo Sancto Fulgentio fuit, et ab illis temporibus hoc in loco culta. Imago puerum JESUM brachio gestat, et à Divo Gregorio Papâ Sancto Fulgentio Episcopo Astigiano dono missa dicitur. Vix dici potest quantus urbis affectus sit erga hanc Iconem. Siccitas, pestis, fames, bellum, ubi ingruunt, hùc curritur: hic remedium postulatur, et semper invenitur. Tu.

Vesperi ut in 2. *Vesp. ritu Duplici.*

DIE III. NOVEMB.

IMPECCABILITATIS B. M. V.

Duplex.

Omnia ut in die 1. *Nov. Lect.* 1. *Noct. de Ferid occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *In Dom.* 1. *Quadrag. Conc.* 3.

LECTIO 4.

Inter alias excellentias Virginis una

BIBLIOTECA CENTRAL UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

præcipua est, non peccasse, nec fuisse tentatam. Aliæ animæ quantumcumque sanctæ senserunt aliquem fomitem peccati. Miratur Psalmista. Venite, inquit, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ. Nonne mirum, ut ait Propheta, quòd in terris non sunt bella? Richardus in libro de Emmanuele dicit, de terrâ Virgine, de quâ veritas orta est, intelligi debet. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Addamus igitur ad hoc, quod, ut ait Pater Augustinus: MARIA non solùm non peccavit, sed nec cogitavit peccare. Quid dico, cogitavit? Imò nec peccatum cogitare potuit. Nullo impulsu vel levissimo, nulla tentatione impulsa ad cogitandum vel minimum peccatum. Unde hoc? Adjuvabit eam Deus vultu suo, præsentiâ suâ, favore suo circumdedit. Et ideò Deus in medio ejus non commovebitur. In centro cordis fixus, non solùm recessit per mortale, sed nec tantillum mutata est per veniale. Nihil cogitavit, nihil fecit Virgo, quod oculos tantæ majestatis offenderet. Domino ipso eam in omnibus dirigente. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Sed dicet aliquis: nunquid non fuisset major gloria Virgini fuisse impugnatam et vicisse? Nam ubi non est pugna, ibi non est victoria. Ubi non est victoria, nec corona est nec gloria. Respondet Albertus Magnus. Quod quandò bellum cessat propter excessivam virtutem bellatoris, tunc supremum victoriæ genus est non impugnari. Exemplum de duobus principibus, quorum unum nemo præsumit, nec audet invadere, quoniàm bellicosissimus est. Alterum verò præsumit, licet vincat. Sic Virgo omninò super omnes excellens, quam neque dæmon ausus est invadere. Imò audito ejus nomine terretur. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 19. 25.

In illo tempore: Dixit JESUS turbis Judæorum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Aquinatis.

Opusc. 3. *Comp. Theolog. c.* 224.

Quia Beata Virgo MARIA Mater Dei facta est, de Spiritu Sancto concipiens, decuit, ut excellentissimâ puritate mundaretur, per quàm congrueret tanto Filio. Et ideò credendum est eam ab omni labe actualis peccati immunem fuisse, non tantùm mortalis, sed etiàm venialis, quod nulli Sanctorum convenire potest post Christum. Tu. ℣.

Beued. Cujus impeccabilitatem.

LECTIO 8.

Et quia veniale peccatum interdùm ex suprepitione contingit, ex hoc scilicet, quod aliquis inordinatus concupiscentiæ motus insurgit, aut alterius passionis præveniens rationem, ratione cujus primi moti dicuntur esse peccata, consequens est, quòd Beata Virgo MARIA nunquàm peccavit venialiter, eoquod inordinatos motus passionis non sensit. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Miraculo.

Camòs. hbr. 9. *c.* 3.

In Diœcesi Coelsonensi percelebre exurgit Divæ Virginis Templum sub titulo de Miraculo in grati animi erga ipsam ob salutem acceptam monumentum structum. Cum igitur oppidus Riner, pestiferâ lue gravaretur, duobus pueris die tertiâ Augusti anni millesimi quadringentesimi quinquagesimi octavi, se conspiciendam sub formâ venu-

stissimæ puellæ Deipara præbuit, eisque injunxit, ut oppidanis nuntiarent, quòd si iram Dei vellent effugere ad eum se toto corde converterent. Quod cum fecissent, luesque omninò extincta fuisset, acceptâ ab episcopo Urgellensi, Patriarchâ Alexandrino licentiâ, Templum illud de Miraculo à fundamentis erexerunt in ipso apparitionis loco, ubi etiàm nunc plurima patrantur prodigia, ut ex innumeris tabellis ibi appensis satis liquet. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Concilio Tridentino.

Ses. 6. *de Justific. can.* 23.

419. Si quis hominem semèl justificatum dixerit... posse in totâ vitâ peccata omnia, etiàm venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beatâ Virgine tenet Ecclesia: anathema sit. Tu.

Vesperæ ut in secund. Diei.

DIE IV. NOV.

DE IV. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De Baruch Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 3. 24.

O Israel, quàm magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! Magnus est, et non habet finem; excelsus et immensus. Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, staturâ magnâ, scientes bellum. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ invenuerunt: propterèà perierunt. Et quoniàm non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. Quis ascendit in cœlum, et accepit eam, et eduxit eam de nubibus? Quis transfretavit mare, et invenit illam? et attulit illam super aurum electum? Tu. ℣.

LECTIO 3.

Non est qui possit scire vias ejus, neque qui exquirat semitas ejus: sed qui scit universa, novit eam, et adinvenit eam prudentiâ suâ: qui præparavit terram in æterno tempore et replevit eam pecudibus, et quadrupedibus: qui emittit lumen et vadit: et vocavit illud, et obedivit illi in timore. Tu. ℣.

IN II. NOCT.

Sermo S. Methodii Ep. et Martyris.

Orat de Simeone et Anud.

LECTIO 4.

Deficiet nos tempus, futurasque postmodum generationes, si te Matrem Regis sæculorum dignis eloquiis voluerimus prædicare: ut quodam loco erudiens, quàm sis incomprehensibilis, inclytus Propheta ait: Quàm magna domus Domini et ingens locus possessionis ejus! Magnus est et non habet finem, sublimis atque immensus. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Planè enim, planè propheticum oraculum, verissimusque hic sermo Dei magnificentiâ illâ tuâ, et majestate procedit: nam et sola, eorum, quæ sunt Dei, partem cum Deo habere meruisti: quæ sola Deum ex Deo Patre, unigenè ac sempiternè genitum, carne genueris. Ita veracitèr sentiunt, qui sinceram fidem amplectuntur. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Salve in æternum indesinens nostra lætitia, Dei genitrix Virgo: ad te enim rursùs accurro. Tu nobis lucis initium, tu medium, tu finis: pretiosissima regni margarita; verè totius viclimæ adeps: anima-

tum panis illius vitæ altare. Salve dilectionis Dei thesaure: salve Filii in genus humanum propensionis illius, ac ejus humanitatis fons: salve Spiritûs Sancti mons inumbrate. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 3. 1.

In illo tempore: Videns JESUS turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia B. Alberti Magni, Ep.

In Biblia Mariana.

Beati qui lugent. Qui luctus post Christum excellentissimè fuit in Beatâ Virgine. Item servitia, quanto minùs debita, tantò magis grata; sed luctus Beatæ MARIÆ Virginis nullo modo fuit debitus debito necessitatis, sed tantummodò debito charitatis; ergò sicut luctus ejus aliis est improportionabilis, ita consolatio ejus aliis etiam fuit improportionabilis. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Beati misericordes, quoniàm ipsi misericordiam consequentur. Cum autem misericordia sit dare, dimittere, et Beata Virgo plus omnibus dedit, et super omnes plus dimisit: ergò super omnes beatudinem misericordiæ accepit. Ambrosius: misericordia est nullum in miseriâ relinquere, et nullum miserum facere: quod in summo est in Beatâ Virgine; ergò in summo habet beatudinem misericordiæ. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Beati mundo corde, quoniàm ipsi Deum videbunt. Sed hi, ut dicit Glossa, mundo corde sunt, quos non arguit conscientia peccatorum: sed hoc in Beatâ Virgine fuit in summo: ergò habuit munditiam cordis in summo. Tu. Te Matrem.

Vesper. ut in 2. Vesper. Dei.

DIE V. NOV.

B. M. V. DE QUERCU.

Semiduplex.

Lect. 1. Noct. de Fer.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Balaygh. kalend. mar. die 26. Mart. ex Bzovio.

Quidam Baptista Clavarius Viterbensis vineam habebat propè civitatem, cui ab injuriis cœli tuendæ Imaginem Divæ Virginis in regulâ depictam in vastissimâ Quercu ejusdem vineæ appendit. Ea Imago pependit ibi annos circitèr quadraginta, donec anno millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo Dei Mater se quibusdam piis mulieribus in quiete ostendit, et monuit, ut viam ad Quercum aperirent, imaginem adirent, aramque ibi ædificare curarent, futuram sibi scaturiginem omnium gratiarum ab ejus invocatione. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Conscio Episcopo loci, atque arâ erectâ, et sacrificio peracto cœpere mox miracula, indè eorum fama, indè confluere mortales; indè structum pone arborem sacellum: indè demùm non diu post Ecclesia amplissima, quæ et sacellum et tectum tegeret ædificata, et Sancti Dominici Fratribus unà cum cœnobio attributa, ubi ad hanc usque diem innumera fiunt miracula. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Sermo S. Andhelmi Episcopi.

Libro de Virginitate. c. 22.

En Beata MARIA Virgo perpetua, hortus conclusus, fons signatus, virgula radicis, gemmula floris, aurora solis, nurus patris, genitrix et germana Filii, simùlque sponsa, ac felix vernacula, sanctarum socrus animarum, supernorum Regina civium, columba inter sexaginta reginas, et bis quadragenas pellices propter perenne puritatis privilegium, obsidem sæculi, Monarcam mundi, Rectorem poli, Redemptorem soli, Archangelo pronuntiante, Paracleto obumbrante, præcordiis tripudiantibus, felicitèr suscipere meruit. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Epiphanii Episcopi.

De Laudib. B. M. V.

O Beata Virgo, columba pura, et sponsa cœlestis MARIA, cœlum, templum, et thronus divinitatis, quæ coruscantem in cœlo et in terrâ solem habes Christum: nubes lucida, quæ fulgur de cœlo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum. Nubes cœlestis, quæ tonitruum Spiritûs Sancti in scipsâ reconditum deduxit in mundum, et imbrem Spiritûs Sancti in universam terram ad producendum fidei fructum demisit. Tu. ℣.

LECTIO 8.

O Virgo pura Sancta Mater Domini, beata Sponsa Trinitatis individuæ, beata tu inter mulieres, quæ Deum et hominem omnium Creatorem velut Infantem in terrâ peperisti. *Lect.* 9. Beata tu inter mulieres, quæ sola in terris Deum cœlestem concepisti. Beata tu inter mulieres, cujus ubera suxit is qui alit universa. Sancta MARIA, Virgo Deipara, beata tu inter mulieres, quæ nunc genuisti eum, qui olim in paradiso formavit Adam è luto. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Barrensis de Consolatione.

Gumpenb. 459.

In Suburbio urbis Barrensis in Germaniâ inferiori sacellum Deiparæ est, Statuâ et beneficiis impetratis insigne. Conditor sacelli hujus fuit Joannes Naveronius, vir equestris ordinis, et pius sub annum millesimum quingentesimum decimum quintum. Struendi sacellum occasionem dedit marè, in quo cum omnia proximam viro intentarent mortem, ad Deiparam conversus sacellum vovit se conditurum in plurimorum solatium, si ipse hic loci inter varia mortis pericula à Virgine opem nanciscerelur. Vix factum ab eo votum est, quàm primùm detonuere venti, componique fluctus cœpti sunt, navisque læta turgentibus velis ad portum properavit. Tu. Te Matrem.

Vesper de sequenti.

DIE VI. NOVEMB.

D. V. DERTUSENSIS DE CINGULO

Duplex majus.

IN I. VESPER.

Non propria ut in 2. Vesp. Omnium festiv. die 1. Nov.

HIMNUS 118. *Salla.*

Exulta in Domino, fida age Civitas Dertusa, eximio conscia pignore,
Mirâ, queis MARIÆ sorte beatior
Distinguaris amoribus.
Fortunata quidem nox, tibi propriis
Sanctum quâ manibus textile tradidit,
Cingens se, Strophium Virgo Puerpera,
Regem nixa theandricum!

Nox plùs, quàm rutilans, clara, meridies,
Dignata æthereo cernere vertice
Delapsam Dominam, cœlipotentibus
Turmis rite obeuntibus!
Queis bino veluti cincta satellite,
Dextro Clavigero, lævo at apostolo,
Gentes qui docuit, plùs micat, ignibus
Sicut luna minoribus.
Sic descendit ovans, prisca quæ Iberia,
Queis te prosequitur concita amoribus
Excelsi Genitrix, ut tibi conferat
Sacri munera Cinguli.
Sit Patri ingenito gloria Numini,
Æternùm genito gloria Filio
Utriusque sacro sæcula Flamini
Sit laus æqua per omnia.
Amen.

℣. Omnes auxilium per Cingula Virginis optant.

℟. Auxiliumque tenent per Cingula Virginis omnes.

Ad Magnific. *ant.* Beata Virgo MARIA sereno vultu noctis umbras eliminans apparuit, Cingulumque sacrum in pignus suæ tutelæ dedit Ecclesiæ Cathedrali Dertusensi.

Oratio.

Deus, qui Ecclesiam Dertusensem Beatissimæ Virginis MARIÆ visitatione et Cingulo decorasti: ejus nobis intercessione concede, ut cingulo fidei et puritatis accincti, à cunctis peccatorum nexibus eruamur. Per Dominum.

AD MATUT.

Invitator. Laudemus Deum nostrum * In veneratione Sanctissimi Cinguli Beatæ MARIÆ Virginis.

HYMNUS 119. *Salla.*

Contestes memorant rem sibi creditam
Christi Mysta pius, Major et audiens
Quinis è monachis invigilantibus
Sacris jugitèr ædibus,
Felices nimiùm! quippè probabiles
Reginæ angelicæ quos daret, inclytis
Ut visa expediant, qualia Cingula,
Dertusensibus incolis.
Felices itidèm! scilicet admodùm
Priscis consimiles Patribus accitis
Divinè rutilo monti Ilabirio
Christi cum tribus asseclis.
Hi, pars colloquium, pars venerabilis
JESU sunt meriti dia tuerier
Solares radios ora vibrantia,
Necnòn lexta nivalia.
Solis justitiæ quale refulserat
Thabor mons nitidis illius aureæ
Eûs effluviis urbis Iberiæ
Templum tale reniduit.
Hic, instar Moisis, vatis et Heliæ
Soleris labiis, instar et Asseclùm
Ipsius placidâ luce fruentium
Et picto nive tegmine;
Reginæ specie, quæ beat angelos,
Alter, colloquiis dulce sonantibus
Alter, pennigeris cœtibus indius,
Faustâ sorte potitus est.
Sit Patri ingenito gloria Numini,
Æternùm genito gloria Filio,
Utriusque sacro sæcula Flamini
Sit laus æqua per omnia.
Amen.

IN I. NOCT.

Lection 1. *Noct. de Comm. Reliqua ut in die* 1. *Nov.*

℟. 1. Angelicis comitata choris, socialaque Petro, Pauloque eximiis; culmina bina poli, * Cingulum Virgo Parens præstanti munere donat. ℣. Dertusæ templo pignus amoris adest.—Cingulum.

℟. 2. O Cingulum, quod iis, qui ad te confugiunt, inâ virtute præcingis, * Tribue nobis lumborum mortificationem ad vitia, et animi fortitudinem ad virtutum operationem. ℣. Sit justitia cingulum lumborum, et fides cinctorium renum nostrorum.—Tribue.

℟. 3. O Cingulum, quod nostræ naturæ imbecillitatem astringis, et roboras! * Conforta nos contra inimicos nostros. ℣. Tàm qui sub aspectu cadunt, quàm qui non cadunt hostes impedi.—Conforta.—Gloria.—Conforta.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Brev. Rom. ann. 1507. *et ex novo officio proposito.*

Dertusæ in Hispaniâ Tarraconensi anno millesimo centesimo septuagesimo octavo quidam Presbyter pius et probus surgens in noctis dimidio ut in Ecclesiâ majori, prout erat solitus, interesset, contigit semèl, ut cum ad januas Ecclesiæ pervenisset, solemne officium celebrari audivit, cum de feriâ solummodò esset celebrandum, et januas apertas invenit. Stans igitur ad limen, ingentem intuitus est claritatem, et sanctos Dei Angelos in vestibus albis per choros hinc inde stantes, accensos cereos albos habentes; quos tremens cum cerneret, invitatus fuit, ut cereum quoquè acciperet, et ductus ad altare, ad cujus latus vidit mulierem speciosam valdè, ornatam, sedentem in solio, cui aderant stantes ad latera duo viri, Sanctus Petrus nempè à dextris, et Sanctus Paulus à sinistris. Tu.

℣. Propositum est nobis hodiè ad venerandum insigne Sanctissimæ Deiparæ Cingulum * Quod ipsa in pignus sui amoris hominibus tradidit. ℣. Cingulum sanctus illo antiquo, quod de bysso retortâ, hyacinto, purpurâ, ac vermiculo histincto, arte plumariâ erat.—Quod.

LECTIO 5.

Beata Virgo Presbyterum intuens, eum accersivit, et dixit ei: quoniàm in honorem Filii mei et meum hæc Ecclesia est constructa, et vobis dertusensibus cura est me plurimè venerari, ideò, quia diligo vos solvens cingulum, quo præcingor, à me fabricatum, super altare illud pono, et vobis trado, ut hoc in pignus amoris mei et memoriam habeatis. Et tu hæc omnia urbis Episcopo, Clero, et populo reserabis, et hæc dicens solvit et posuit super altare Cingulum. Dixit quoquè ei Virgo: ecce monachum majorem habes hujus visionis contestem, qui est in choro, et omnia cernit, ideò illis vos duo hæc omnia et singula referetis. Visio, his dictis, evanuit. Tu.

℟. O Cingulum, quod immaculatissimum corpus involvisti, et amplexum es: * Circumda nos, et defende nos contra hostes nostros. ℣. Præcinge nos, Domina, Virgo MARIA cingulo puritatis tuæ.—Circumda.

LECTIO 6.

Presbyter autem ingressus domum (cum se post visionem in cœmeterio invenisset) visa in corde suo conferebat. Sed statim sonum campanæ ad matutinum audivit, et ad Ecclesiam festinus pergens, in illam ocyus introit, et cum Monacho majore accedens ad altare, Cingulum ibi à Beatâ Virgine positum invenit. Expleto Officio Canonicis et Clericis omnia Presbyter, et Monachus propalarunt; et manè facto omnis Clerus et populus convenerunt, ac post solemnem supplicationem per urbem Cingulum in sacrario Ecclesiæ reconditum fuit, quod hodiè adhuc summâ religione colitur. Tu.

℟. O Cingulum, quo præcincta fuit laudatissima Deipara: * Ecclesiæ decus, et totius populi Christiani solatium! ℣. Cingulum, quo

impiissimum Draconem Mater nostra suffocavit.—Ecclesiæ.—Gloria.—Ecclesiæ.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua. Homilia S. Thomæ Arch. Valentini. *Concion.* 1. *de Assumpt. B. V. M.* Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Cananæo. Et quo prelio vendidit? O bone Deus! quo prelio vendidit telam istam? Quid pro illâ tunicâ datum est ei? Quis nominare valebit? Quis audebit enarrare? Quis cogitare sufficiet? Omnium gratiarum plenitudo, omnium virtutum et bonorum plena possessio, cœlestiumque gemmarum et margaritarum inæstimabilis thesaurus datus est ei. Tu.

℟. O Cingulum, illam Ezechielis portam clausam ligatam tenens, nulliquè per eam nisi soli Domino transitum permittens, * Circumda nos, et custodi nos in ævum. ℣. O Cingulum, veritatis, castitatis, et virtutis Virginis, quam præcinxisti, argumentum. Circumda.

Bened. Cujus Cingulum colimus.

LECTIO 8.

Vestita est ab eo gloriâ et decore, cœlorum, terrarumque Regina constituta est, et in ministerium data est illi omnis creatura, quæ sub Deo est. Ecce Sindonis pretium, ecce quanti tela vendita est. Sed ad quid? Ut videlicet indè fieret Cingulum Cananæo. O pulcherrimum Cananæum, divino splendore ædutum, et virgineo Cingulo cinctum, qui immutabilis manens, formâ Dei non amissâ, in hominis formam veluti mutatus apparuit. Tu.

℟. O pretiosum verè, ac præclarissimum Cingulum, quod ejus constrinxisti corpus, * Quæ Emmanuelem utero geslavit. ℣. O Cingulum pignus certissimum amoris Matris Dei erga nos.—Quæ.—Gloria.—Quæ.

LECTIO 9.

Habebat ab initio Cananæus hic amplissimas vestes à Patre, solo Cingulo indigebat, quo immensos illos, exuberantesque sinus amplissimorum vestimentorum colligeret ad currendam viam, sicut scriptum est: Dominus regnavit, decorem indutus est, induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se. Ecce vestes, ecce Cingulum. Vestes à Patre, Cingulum à Matre. Vestes ab æterno, Cingulum ex tempore. O quales vestes, decor et fortitudo! Sicut et alibi scriptum est: fortitudo et decor indumentum ejus. Tu. Te Matrem,

AD LAUDES.

HYMNUS 120. *Salla.*

Orans nam Monachus muta silentia
Per noctis resonis pronus in exedris
Sacratis cuneum cœlitùs atriis
En accedere constupet.
Justam quam vocitant, janua panditur:
Alati pueri luce micantia
Intrantes vario, strataque et ambium
Replent flore et aromate.
Infrat post acies ordine cæteræ:
Munit se madidus flumine lustrico
Signo quisque crucis more fidelium;
Consistuntque bifariam.
Albescunt niveis corpora amictibus:
Gestatur manibus cereus ignifer:
Excelsæ Triadi cantio clerico
Ritu personat invicèm.
Sit Patri ingenito gloria Numini,
Æternum genito gloria Filio,
Utriusque sacro sæcula Flamini

Sit laus æqua per omnia. Amen.

Ad Benedict. *ant.* Et erit justitia Cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.

CANON.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

3. *Aug.* 1726. *Dertusens.*

420. Sacra Rituum Congregatio ad enixas Epicopi et Capituli Ecclesiæ Dertusensis preces, Lectiones secundi Nocturni ex Sermone Sancti Tomæ de Villanovâ concione primâ de Assumptione Virginis approbavit et pro secundâ Dominicâ Octobris in festo Beatæ MARIÆ Virginis de Cingulo cum Officio ut in die ad Nives sub ritu Duplici primæ Clasis in civitate et Diœcesi prædictâ in posterum recitari posse indulsit. Tu.

IN II. VESPER.

Ut in die 1. *Nov. præter sequent.*

HYMNUS 121. *Salla.*

Nox Regina subit duplici Apostolo
Unâ cum socio, lumina vinciens,
Nato consimilis corpus in alterum
Quum mutavit imaginem.
Signâculum digito quæ crucis imprimens
Lustralis lapidi fontis, et osculans
(Visu flex animum!) jam prece mysticâ
Sanctum consecrat amplius.
Ex quo se fluvio, pollice tesserâ
Signat christiadum: tum sedet igneo
Augusta in solio: flamine cœlico
Domum Presbyter advolat.
Speclans qui altonitus talia, stantibus
Accitu angelico jungitur alteri
Alis ex choricis: quem vocat imperans
Divis ipsa hierarchiis.
Quæ, missis aliis, en Ego propriis
Texta, inquit, manibus, Cingula, quæ exuo,
Dertusæ tribuo, quâ valet, optimæ
Mecum, pignora gratiæ.
Hæc est quam meritò jure imitamine
Patrum concelebras, cœlica Fascia
Augustis hodiè ritibus, admodùm.
Urbs Dertusa imitabilis.
Sit Patri ingenito, *ut in Laudibus.*

Ad Magnif. *ant.* Hoc Cingulum, quo præcingor, vobis trado in pignus mei amoris.

DIE VII. NOV.

DE VII. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De Ezechiele Prophetâ.

LECTIO. 1. *c.* 17. 1.

Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, propone ænigma, et narra parabolam ad Domum Israel. Et dices: Hæc dicit Dominus Deus: aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri. Summitatem frondium ejus avulsit: et transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum posuit illam. Tu.

℣. Dixit Et.

LECTIO 2.

Et tulit de semine terræ, et posuit illud in terrâ pro semine, ut firmaret radicem super aquas multas: in superficie posuit illud. Cumque germinasset, crevit in vineam latiorem humili statură, respicientibus ramis ejus ad eam: et radices ejus sub illâ erant. Facta est ergo vinea, et fructificavit in palmites, et emisit propagines. Tu.

℣. Vitis.

LECTIO 3.

Et facta est aquila altera gran-

dis, magnis alis, multisque plumis: et ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam, palmites suos extendit ad illam, ut irrigaret eam de areolis germinis sui. In terrâ bonâ super aquas multas plantata est: ut faciat frondes, et portet fructum, ut sit in vineam grandem. Tu. ℣. Ad Templ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *Concion. 5. In assumpt. B. V.*

LECTIO 4.

Aquila est Virgo, quoniàm lucem illam solis inaccesibilem sola super omnes puras creaturas visu penetrat. Et, sicut aquila, avium regina, ità Virgo, Spirituum Domina. Ista aquila ad æthera altiùs volat, et ex alto prædam, id est, animam peccatoris conspicit, quam rapit ad cœlestia unguis suæ charitatis. Magnarum alarum, Nempe, quia totum Domini tabernaculum, idest, Ecclesiam habet protegere sub alis. Longo membrorum ductu. Audi, quàm longo: ab infimo peccatore usquè ad supremum Angelum, imò usque ad Dominum Angelorum. Non est, qui de istâ Virginis largitate non accipiat: peccator veniam, justus gratiam, Angelus gloriam, Deus carnem. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Plena plumis et varietate. Plumas carni inhærentes, virtutes, quas ipsa acquisivit in vitâ, intelligo. Varietatem desuper nitentem, donorum et gratiarum splendorem varium sibi de cœlo collatum perpendo. Splendens igitur virtutibus, fulgens donis. Venit ad Libanum. De Libano venit ad Libanum: de Libano puritatis ad Libanum claritatis: de Libano innocentiæ ad Libanum gloriæ. Et altiùs volans in Libano, conscendit altissimam cedrum. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Et tulit medullam cedri. Quia divinitatis arcana, et intimas divitias, et gloriam, ipsa super omnes creaturas penetrat. Cujus gloriæ et beatitudinis respectu, quasi superficialis videtur omnis aliorum sanctorum gloria. Ipsa enim intimiùs pascitur ex adipe frumenti: ipsa intimiùs beatificatur, et in cellam vinariam amoris et fruitionis Dei multò interiùs est à Deo Rege cœlesti introducta. Vides, quantùm interest inter gloriam Virginis et aliorum? Vides, quantò altiùs est sublimata aquila ista grandis? Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 5. 1.

In illo tempore: Videns JESUS turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia B. Alberti Magni, Ep. *In Bibliâ Mariand.*

Beati pacifici, quoniàm filii Dei vocabuntur. Glossa. Dum lex carnis repugnat legi mentis, non modo altero, sed nec hoc modo possumus esse pacifici. Ergò super omnes pacifica existebat, in quâ caro adversus spiritum non rebellavit. Et sic ipsa beatitudinem summæ pacis possidebat, et possidet. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Hic agitur de persecutione illâ, quæ est martyrium, cui debetur laureola. Undè Bernardus: longè enim plusquàm Martyrem prædicamus, in quâ nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio D. V. Flixiensis de Remedio.

Camòs de Imag. Cathal. Libr. 4. c. 8.

Tribus à Flixiensi oppido ad sinistram Iberi milliaribus, perpulchrum visitur Deiparæ templum, etsi supter ingentem rupem semi absconsum, quòd anno millesimo sexcentesimo ædificatum, ab impiorum malitiâ hoc ipso sæculo dirutum, iterùm reparatum ac ferè de novo structum hisce annis magno circumstantium populorum plausu fuit. Statua Deiparæ, quæ illic cultu afficitur, lapidea est: et dicitur de Remedio, non tantùm, quia ipsam invocantium malis, præcipuè febribus laborantium remedium apponat, sed etiàm, quia sorte missâ super diversa nomina cecidit sors super hoc titulo de Remedio. Ad illam miraculorum famâ, non exiguus fit fidelium accursus. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequent. ut in 1. Vesp. Omn. Festivit.

DIE VIII. NOVEMBR.

OCTAVA OMNIUM FESTIV.

Duplex majus.

AD MATUTIN.

HYMNUS 122. *Caryophil.*

Virgo Beata nascitur,
Beata Sponso traditur,
Beata mox enititur
Beata cœlo redditur.

Mens est beata dotibus,
Caro carens est sordibus,
Venter beatus germine,
Fœcundus absque semine.

Ergò vocandam gentibus,
Sese beatam dixerat:
Nos ventre fœtum dicimus
Sedem beatitudinis.

Doxologia de Tempore.

IN I. NOCT.

De libro Apocalypsi Beati Joannis Apostol.

LECTIO 1. *c.* 21. 9.

Et venit unus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, et locutus est mecum dicens: Veni, et ostendam tibi sponsam uxorem Agni, et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem, descendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei, et lumen ejus simili lapidi pretioso, tanquàm lapidi jaspidis, sicut christallum. Et habebat murum magnum et altum, habentem portas duodecim: et in portis angelos duodecim, et nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Ab oriente portæ tres: et ab aquilone portæ tres: et ab austro portæ tres: et ab occasu portæ tres. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni. Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur civitatem, et portas ejus, et murum. Et civitas in quadro posita est, et longitudo ejus tanta est, quanta latitudo. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Et mensus est civitatem de arundine aureâ per stadia duodecim millia: et longitudo, et altitudo, et latitudo ejus æqualia sunt. Et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensurâ hominis, quæ est angeli. Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide: ipsa verò civitas aurum mundum simile vitro mundo. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Tu ℣.

BIBLIOTECA CENTRAL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni, Ep. in libro de Laudibus B. Virginis. *Libr.* 11. *c.* 1.

LECTIO 4.

MARIA dicitur civitas Jerusalem, nam Jerusalem interpretatur pacifica, visio pacis, timor perfectus, vel timebit perfectè: et hoc totum convenit MARIÆ. Fuit enim pacifica, quia genuit pacem nostram, quæ Christus est: Ipsa enim fecit utraque unum. Quia Deum univit homini, et hominem Deo in unitate personæ unius, cœlum terræ, ima summis contra triplicem guerram, quam fecerat Eva. Item visio pacis: quia pacem illam vidit in humanâ carne de quâ Simeon: viderunt oculi mei salutare tuum. Item timor perfectus, et timens perfectè, quia timore reverentiæ, qui sanctus est, et permanet in sæculum sæculi, semper timuit Deum. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Dicit ergò: Vidi per intellectum civitatem sanctam MARIAM, ut dictum est. Novam, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem, sicut res humilitata novitas appellatur. Vel ideò novam quia ab ea ablata est omnis vetustas peccati et culpæ in sanctificatione, gratiæ impletione, Spiritûs Sancti superventione, Filii Dei conceptione, sed non pœnæ, donec assumpta est in cœlum. Descendentem de cœlo: quia ibi erat Christus fundamentum suum: Vel descendentem de cœlo per gratiæ infusionem. Vel descendentem de cœlo post gloriam suæ maternitatis, et post tot gratiarum receptionem sub manu Domini tantùm se humiliantem. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Sequitur: à Deo paratam omnimodâ virtute et bonâ operatione, qui fecit ei magna. Sicut sponsam ornatam viri sui Christi, scilicet, vel ipsius Patris, cujus est Sponsa, et Filii Mater. Vel ornatam viro suo, id est, secundum quod decet virum suum: ornatam passivè, quasi non à se, sed à Deo. Civitas in quadro posita est, cujus quadratura fuit fides, spes, charitas, et operatio bona, quia, ut dicit Glossa, hæc civitas robusta fide, longanimis spe, ampla charitate, efficax operatione. Et longitudo ejus, id est, fides, tanta est, quanta et latitudo, id est, charitas: quia quantùm credidit, tantùm amavit. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 5. 1.

In illo tempore: videns JESUS turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia Sancti Antonini Arch. Florentini.

De B. Virgin. c. 24. §. 1.

Pauperes spiritu sunt, quos non necessitas, sed fides et devotio beatos fecit, ut contemptis omnibus Domino vivant. Importatergò abdicationem rerum. Hæc autem abdicatio fuit in summo in beatâ MARIA. Nam hæc abdicatio fit duobus modis, scilicet, per rerum subjectionem, et per rerum omnimodam abjectionem. Sed magna est paupertas per rerum subjectionem: major per rerum abjectionem; maxima autem, quæ est ex utriusque composita, de quâ dicit Apostolus: Nihil habentes, et omnia possidentes. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Hoc autem non potuit esse, nisi in beatâ MARIA omnimodè et perfectè, et propriè. Omnes alii si res subjecerunt, et si retinuerunt, non abjecerunt, quia tantùm procuratores, et fructuarii, et non domini fuerunt. Beata autem Mater Dei Virgo existens, et Regina cœli, jus et dominium et usufructûs possessionem habebat in rebus Filii sui. Undè et benè potuit relinquere, et omnia possidere: relinquere quantùm ad usum et fructum; possidere quantùm ad proprietatem et jus dominii: et sic beatissima Virgo potuit habere perfectissimam paupertatem. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commem. B. Virginis Berchanæ.

Gumpenb. Imag. 170.

In templo parrochiali Berchæ propè Mechliniam ab antiquo colitur Deiparæ Statua miraculosa, ita quod etiàm inter infantes usus sit, ut afflictis dicant: quære solatium in Bercho, id est, apud hanc Deiparæ statuam. Et quanquàm hic pluribus malis reperiatur remedium, præcipuè tamen herniæ malo Deipara propitia est. Certè hic curari fama est exemplis testata, fidemque faciunt pendentes è muro fasciæ magno numero. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis.

11. *Mart.* 1820. *Mazarien. Man. Eccl.* 362.

121. Occurrente commemoratione octavæ omnium Sanctorum, et Beatæ MARIÆ Virginis, si festum Beatæ Virginis sit ritûs Duplicis primæ classis, præcedit, si verò sit duplex secundæ Classis, hunc præcedit octava Omnium Sanctorum, utpotè primæ Classis. Tu.

Cum 2. *Vesper. ut in die.*

DIE X. NOVEMBR.

MIRACULORUM B. MARIÆ V. SUESSONEN.

Simplex.

LECTIO 1.

Ex Brev. Suesson. sub die 22. *Aug.*

Virgo Dei Mater ab Ecclesiâ Dei Sponsa, cultu etsi non divino, quoniàm Creatore longè minor; peculiari tamen, quoniàm cæteris creaturis major, omni ævo habita est. Quali apud Gallos honore colatur, cum dicata illi passim singulis regni civitatibus templa satis probant, tum præcipuè loquitur solemnè perennis obsequii sacramentum, quo se et sua christianissimi Reges ejus imperio devinxere. Nempe, ut ubicumque subditos habeant, habeat illa cultores; ne se satis regnaturos rati, nisi et cum illis, et per illos simul regnaverit. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Urbes verò inter cæteras, quæ hujus sanctione cultu et præsidio uberiore gaudet, eminet Suessonum civitas, apud quam sub nomine, et in honorem Virginis Deiparæ exurgit templi moles ipsi propè ævo, regum ab ipso imperii exordio curis et impensis extructa, votis deindè ac muneribus amplificata, temporum vetustate, minùs quam pietate fidelium commendabilis, nulloque hæreticorum, ubi cætera furori suo devovere, violata vesligio. Templum illud Virgini sacrum tot à Deo illustratum miraculis testantur annales civitatis, ut illorum vivax memoria cives inter peculiari festo quotannis renovetur. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Commemoratio B. Virginis in Monte Celio.

Gumpeng. Imag. 141.

Romæ in monte Celio quædam

Beatæ Virginis Imago colitur, et jam à tempore Sancti Gregorii magni celebritate suâ multas alias præcedit. Creditur enim Sanctum Gregorium transeuntem allocuta, non sine amicâ increpatione, quòd eam sine consuetâ salutatione præterirel. Credibile est, jam ante Sancti Gregorii tempora in honore fuisse : anno jubilæi millessimo sexcentesimo vigesimo quinto Cardinalis Salviati Sacellum hoc suo ære struxit Tu. Te Matrem.

Vesper. de sequent. ut in Comm. Dedication.

DIE XI. NOV.

DEDICATIONIS S. M. IN TRANSPONTINA.

Semiduplex.

Lect. 1. *Noct. de Fer. occurrenti.*

IN II NOCT.

LECTIO 4.

Spinelli de fest. et templ. Deip.

Sanctæ MARIÆ in Transpontinâ sacri ordinis Carmelitarum extruendi templi, cujus dedicationis anniversarium hodiernâ die celebratur, occasio hæc fuit: Cum propè molem Adriani, quæ nunc arx dicitur Sancti Angeli, templum hoc Deiparæ, transpontem, undè nomen traxerat, situm, atque ad muniendam arcem posteà dirutum esset, voluntate Summi Pontificis, anno millessimo quingentesimo sexto, hoc in loco aliud templum est excitatum. Tu. ℣.

LECTIO 5.

In hoc verò novum templum ex antiquo illo Sanctorum reliquiæ, et præsertim devotissima Deiparæ Imago, unâ cum ejusdem templi nomine sunt translata: Imago verò in summo altari est collocata, ubi non exiguâ populi affluentiâ, nec exiguo devotionis affectu colitur Titulum cardinalis à Sixto quinto hoc marianum templum accepit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Ex Canone S. Thedori Studitæ. *Con.* 5. 7. *et* 8. *In Bibl. maxim. PP. tom.* 2. *infine.*

Sancta Dei Genitrix, Mater et Virgo hymnis celebranda et glorificanda, libera nos ab omnibus delictis, qui tuum immaculatum partum veneramur: nullum enim aliud habemus præsidium præter te, ò Dei sponsa. O Domina Dei Genitrix, tu sola existis Christianorum pons securus, et fidelium gloria atque refugium, à periculis cunctis omnes adjuvans atque liberans. Instar lucernarii auro exornati te veneramus, Sancta Dei Genitrix, quæ lumen intellectuale mundo peperisti, et tenebrosam nebulam dissipasti. Tu. ℣.

In III. Noct. Hom. ut in Semiduplic. Comm. Dedicat.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Divinâ Providentiâ.

Ex monumentis.

Romæ in Barnabitarum Ecclesiâ Sanctorum Blasii et Caroli maximè diva Virgo colitur sub titulo Matris Divinæ Providentiæ jam ab anno millesimo septingentesimo trigesimo quarto, quo collocata fuit in quo nunc veneratur sacello, ubi summi Pontificis Gregorii Decimisexti auctoritate stabilita fuit Beatæ Virginis auxiliatricis Archiconfraternitas, quæ priùs initium in Bavariâ acceperat, et posteà per universum mundum cum ingenti fidelium solatio propagata conspicitur. Tu. Te Matrem

CANON.

Ex Pio Papâ Quarto.

Bul. Romanum decet. 119. §. 3. *ann.* 1563. *Tom. Bul. IV. part.* 2. *pag.* 244.

422. Conventum Beatæ MARIÆ Transpontinæ nuncupatæ, ordinis ejusdem Sanctæ MARIÆ de Monte Carmelo, qui in civitate Leoninâ olim constructum reperitur, et quem pro fortificatione..... solo æquari expedit cum suis..... ad civitatem Piam auctoritate et tenore præsentium transferimus. Tu.

Vesperæ de sequent. ut in Com. Inf.

DIE XII. NOVEMB.

PATROCINII B. M. V.

Duplex majus.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sub Patrocinium Sanctissimæ Genitricis tuæ fiduciali ér confugimus, ab omnibus mentis et corporis, ipsâ intercedente, eruamur adversis. Per eumdem Dom.

AD MATUTIN.

HYMNUS 123. *Masor. Fulgin.*

Diva, te totus veneratur orbis,
Te colunt omnes populi Patronam
Grata reddentes Domino sacrarum
Munia laudum.
Namque miraclis variis coruscas
Æteris celsâ residens in arce
Et piâ voces humiles precantum
Suscipis aure.
Te senes curvi, juvenes virentes,
Divites pingues, humiles egeni,
Subditi servi, Domini potentes,
Diva, precantur.
Te rogant gentes lacrymis profusis,
Dum Pater sævum excidium minatur,
Ampla delubris manibus ferentes
Munera plenis.
Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Lection. 1. *Noct. de Comm. Inf.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Germani Arch. Constantinop. *Apud Surium die* 31. *Aug.*

LECTIO 4.

Quis, ò Deipara, post tuum Filium ita generis humani curam gerit, sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis tam citò præveniens nos ab irruentibus liberat tentationibus? Quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? Quis ea, quæ corrigi non possunt, adeò repugnando excusat? Tu enim cum habeas maternam apud tuum Filium fiduciam et potentiam, nos qui sumus condemnati, et non audemus intueri ad cœli altitudinem, tuis interpellationibus, et intercessionibus, ei effecis familiares, et das salutem, et ab æterno liberas supplicio. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Quamobrem is, qui afflgitur, ad te confugit: qui injuriâ afficitur, ad te accurrit: qui est rebus asperis, et adversis implicatus, tuum invocat auxilium. Omnia tua sunt admirabilia, ò Deipara. Omnia supra naturam. Omnia ingentia, et aliorum vires superantia. Propterea et Patrocinium tuum majus est, quàm ut intelligentiâ comprehendi possit. Homines enim ipsos olim rejectos, expulsos, expugnatosque tuo partu reconciliasti; domesticos effecisti, filios et hæredes. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Tu quotidiè peccatorum pelago fluctuantibus hominibus adjutricem manum extendens, eripis à fluctuatione. Tu nequissimi hostis contra servos tuos invasiones solâ

tui Nominis invocatione sanctissimâ repellens, tutos et incolumes servas. Tu implorantes te homines ab omni necessitate ex omnigenis tentationibus opportunè liberas. Quamobrem ad templum tuum stadiosè accurrimus, in quo cum stamus, in cœlo ipso stare nos credimus. In quo te celebrantes, in Angelorum choro versantes nos existimamus. Et quodnam genus hominum talis gloriæ divitias assecutum est? Talem opem, tale Patrocinium possidet, quale Christianorum natio in te habet? Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 19, 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et Soror Matris ejus, Maria Cleophæ, et Maria Magdalenæ. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In deprecat. et laude ad glor. V. M.

Mentem et oculos pariter cum manibus ad te, Regina Mundi, attollimus, et coram tuæ celsitudinis gloriâ genuflectimus, cervicem inclinamus, et plenis suspiriis ad te preces in cœlum transmittimus. Tu altitudo cœli, beatos oculos tuos, quibus incomprehensibilem gloriam illam lucis æternæ cum desiderio semper intueris, ad tuos supplices in hanc mundi miseriam projectos, de alto inclinare non despicias. Et ecce coram tremendo judice peccatores assistimus, cujus manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos. Et quis avertet eam? Nemo. Domina, tam idoneus ut gladio Domini manum pro nobis objiciat, ut tu Dei amantissima, per quam primùm in terris suscepimus misericordiam de manu Domini. Tu. ℟.

Bened. Ad cujus Patrocinium confugimus, ipsa.

LECTIO 8.

Aperi itaque, tu Mater misericordiæ benignissimi cordis tui januam suspiriosis precibus filiorum Adam. Ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis umbraculum confugimus à facie formidinis fortitudinis Dei. Ad te, Domina mea, stillant oculi nostri; te devotionis clamore valido obsecramus, ut Filii tui Domini nostri iram, quam gravitèr peccando succendimus, erga nos mitiges; ejusque gratiam à quâ ingrati excidimus, nobis tua concilict: cujus livore sanati sumus, ejus iterùm medellam deposcimus, quia putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices nostræ, et non est in nobis sanitas. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Attende, Domina, et vide dolores vulnerum animarum nostrarum, qui tibi revelavimus causam nostram cum fiduciâ. Te enim inæstimabilis benignitatis feminam et venerandam Matrem esse cognoscimus ex eo, quod tu mundum hunc immundum et lubricum, impolluto calle transisti, et adhuc inter peccatores degens, tantâ ante Deum sanctitate fœcundaris, ut sola solio regis immediate approximare meruerit. Tu peccatorem quantumlibet fœtidum non horres, non despicis, si ad te suspiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit. Tu illum à desperationis barathro pia manu retrahis, spei medicamen aspiras, foves, non despicis quousque horrendo judici miserum reconcilies. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 124.

Clara ponti Stella,
Virgo, nominaris
Naviganti portum
Luce tuâ monstrans.
Præpotens humanæ
Tu PATRONA gentis,
Judicemque justum
Voce gratâ placas.
Justa jam vibrantem
Tela siste dextram,
Sontibusque culpas
Posce condonari.
Sit laus summa Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

CANON.

Ex Alexandro Papâ Septimo.

Const. 122. Præclara. *an.* 1656.— *Tom. VI. p. 4. pag.* 131.

423. Dilectis Filiis, Clero etiàm Regulari Regnorum Hispaniæ, ut aliquâ die Dominicâ Mensis Novembris per ordinarium loci designandâ annis singulis Festum Patrocinii Beatæ MARIÆ Virginis cum officio Duplici..... nec non cum Missâ..... celebrare licitè possint et valeant, auctoritate apostolicâ tenore præsentium concedimus et indulgemus. Tu.

Cum 2. Vesper.

DIE XIII. NOVEMBR.

EXCELLENTISS. DIGNITATIS B. MARIÆ V.

Duplex.

Oratio.

Majestatem tuam, Omnipotens Deus, supplices deprecamur, ut qui exultantibus animis, beatissimæ sempèrque Virginis MARIÆ excellentissimam dignitatem celebrare gaudemus, ejus gloriosis precibus et meritis, ab instantibus malis, et à morte perpetuâ liberemur. Per Dominum.

Lect. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

Sermo Ven. Thomæ à Kempis.

Serm. 25. *ad Novit.*

LECTIO 4.

Ut aliquantulùm vobis innotescat excellentissima Dignitas beatissimæ Virginis MARIÆ, audite pauca de plurimis donis, et privilegiis ejus, quibus Deus eam benedixit et exaltavit præ omnibus Sanctis Angelis et Archangelis in cœlis, et præ cunctis hominibus in terris. Hæc est Virgo Sacratissima, et Mater Dei carissima, de quâ canitur in Sanctâ Ecclesiâ per totum orbem terrarum latè diffusâ: exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Recogitate ergò diligentèr antiqua sanctorum Patriarcharum gesta, de quorum stirpe orta est Mater Dei MARIA, tanquàm rosa inter spinas. Sicut enim olim per multos Sanctos viros, Patriarchas, per judices et reges, per sacerdotes et levitas, per doctores, et scribas, signis et figuris prænuntiatus est Christus Dei Filius ex Virgine pro mundi redemptione nasciturus, et in cruce passurus; ita convenientèr satis et sapientèr ordinatione divinâ præfigurata, et præcognita est beatissima et gloriosissima Virgo MARIA per sacras illius temporis Virgines, per illustres feminas, et per cæteras honestas matronas, in castitate viventes, atque ob pudicitiæ custodiam cum puellis suis in domibus, et cameris ab aspectibus vivorum inclusas. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Hæc est reverà attestatione sacrarum Scripturarum, omnium virginum Virgo prudentissima, omnium puellarum speciosissima, omnium matronarum honestissima, omnium

domicellarum venustissima, omnium reginarum regina nobilissima, in quâ omnis decor virginalis, omnis virtus moralis, omnis speculatio theologalis, omnis devotio affectualis, omnis operatio viuluris, omnis perfectio sanctitatis pariter conveniunt, inhabitant, et perfectissimè elucent: quæ nec ante se similem, nec post se æqualem habet, nec habebit. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi filii David, filii Abraham. Et réliq. Homilia S. Anselmi Episcopi.

Tractat. de Concept. B. V. M.

Poterat Deus de massâ peccatrice naturam humanam ab omni labe peccati immunem facere, undè in unam personam sui susciperet, ut homo integer esset, et divinitatis suæ nihil imminueret. Prædestinata fuit, et præordinata in hoc opus mirabile, et omnibus operibus Dei præstans, et inenarrabile, MARIA, scilicet illa magni maris nobilissima stella, hocest, totius sæculi illustratio, et omnium in tempestatibus diversorum casuum titubantium indeficiens levamen et consolatio, nec non ab æternæ mortis interitu paventium, ac sub ejus præsidium confugentium tutum juvamen atque redemptio. Tu. ℣.

Bened. Cujus dignitatem colimus.

LECTIO 8.

Te igitur, Domina, quam in tantum culmen prædestinavit, et extulit divina potentia, quam tot prærogativis dotavit cuncta disponens Dei sapientia, quam sibi Matrem elegit ad mundo subveniendum, ipsa omnium salvandorum ineffabilis misericordia: crediderim ne quæso, te morte peccati quæ per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum in tuo conceptu potuisse occupare?... *Lect.* 9. Tu namque ante omnem creaturam præordinata fuisti, ut omnium feminarum carissima Deum ipsum verum hominem ex tuâ carne procreares, ut omnibus post tuum Filium Regina cœlorum effecta gloriosa regnares, ut perditæ recuperationis adytum, et vitæ perennis emolumentum præpararet. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Castilvedrensis. *Spinell. p.* 700. *Camòs libr.* 6. *c.* 13. *et alii.*

Non longè ab Oliana, in Cathalaunia, extat templum Deiparæ Castilvedrensis, seu Castellepresis, in alto loco positum, ad quod singulis annis in mense martio (seu juxta alios in Septembris mense, et in adventu) diebus Sabbati ex insulâ fluminis tria lumina cerulei coloris olim ascendebant, et Ecclesiam per fenestras ingressa lampades accendebant. Quæ res admirabilis à populis illius regionis, et viris fidedignis affirmatur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Episc. *Spect. B. V. Lect.* 10.

424. Mater Domini, Mater et Virgo, Mater est dignissima. Ipsa est Mater, quæ tali Filio est decentissima. Ipsa Mater est, cui talis Filius decentissimus fuit. Ipsa est, quâ majorem Deus facere non posset. Majorem mundum posset facere Deus, majus cœlum posset facere Deus: majorem Matrem, quàm Matrem Dei non posset facere Deus. Tu.

Vesper. à Capit. de sequent.

DIE XIV. NOVEMB.

PASENICARUM B. M. V.

Duplex.

Lect. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Niceta, apud Gononum ad 1123.

Joannes Comnenus, cum annum quintum in imperio ageret, ope Dei Genitricis MARIÆ de barbaris Scythis trans Istrum habitantibus, et ingenti agmine Thraciam invadentibus victoriam obtinuit. Cum enim Romanæ Phalanges, urgentibus hostibus, et audaciùs se inferentibus laborarent, Imaginem Dei Genitricis cum gemitu Imperator intuens, lacrymas bellicis sudoribus calidiores fundebat, neque ad id frustrâ. Statim cœlesti robore armatus scythicam aciem profligat, quemadmodùm olim Moyses extensione manuum Amalecitarum turmas dissipavit. Tu.

℣. Bene Beata Dei Genitrix se velut palmam in Cades exaltatam gloriatur. * Quia spiritualibus et corporalibus hostibus potenter subactis, diademate victoriæ eam Deus coronavit. ℣. Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Quia.

LECTIO 5.

Assumptis igitur armigeris, qui clypeis oblongis, et prominentibus galeis instar muri inexpugnabilis muniuntur, cum Scythis congreditur. Qui cum dissolutâ curruum serie ad manus venirent, in turpem versi fugam, à Romanis alacriter persequentibus cæduntur, et innumerabiles capiuntur. Hâc de Scythis partâ victoriâ, Joannes vota Deo persolvit. Non multò post aliis per eumdem Imperatorem victoris obtentis ope pariter Deiparæ in rei gestæ monumentum festum instituit quod Pasenicarum dicitur, id est, omnium victoriarum, et ipsi Virgini unicæ victrici religiosum paravit triumphum. Tu.

℣. Te decet, te præter omnes Virgo palma nobilis, * Mille te decent coronæ, et militares laureæ. ℣. Civibus, quæ liberasti, cum tuis cunctum genus. Mille.

LECTIO 6.

Byzantium igitur reversus, triumphum indicit, et currum argento interpunctum compingi jubet, opus admirabile, et gemmis pretiosissimis ornatum. Cum dies supplicationis adesset, omnis generis tapetes auro et purpurâ intexti vicos exornabant, nec deerant Christi et sanctorum Imagines ad vivum expressæ. Quadrigæ à quotuor equis nive candidioribus trahebantur. Imperator verò non conscendit, sed Dei Genitricis Imaginem in eo collocavit. Habenas viris potentissimis moderandas, et cognatis suis curum moderandum dedit. Ipse crucem manu gestans antecessit et Dei sapientiæ templum ingressus, atque in conspectu omnis populi ob successus gratiis Deo actis, in palatium abiit. Tu.

℣. Mecum honor et laudes, et æto gloria vultu: et decus et niveis victoria concolor alis. * Me cinctus lauro perducit ad astra triumphus. ℣. Mille te decent coronæ et militares laureæ, Me. Glor. Me.

Homil. de Comm. pro duplicib. Vesper. à cap. de seq. ut in Comm. Dedicat.

DIE XV. NOVEMB.

DEDICAT. S. M. TRANSTYBERIM.

Duplex.

Lection. 1. *Noct. de fer. occur. cæter. de comm. Dedicat.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Spinelli. tract. de fest. Deip.

Romæ Dedicatio Sanctæ MARIÆ Transtyberim. Hoc templorum ejusdem in urbe antiquissimum, insigni eruptionis olei prodigio Christi adventum significante nobilitatum, et à Sancto Calixto Papâ et Martyre, Alexandro Imperatore, extructum eo in loco, ubi olim taberna meritoria erat, de quâ in diebus Augusti fons olei largissimus per totum diem fluxit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Hanc Deiparæ Basilicam à sancto Calixto dedicatam, Gregorius tertius circa annum salutis septingentesimum trigesimum quintum, penè à fundamentis dirutam, novis fabricis cum lectis construxit, ac totam depinxit, multisque sanctorum corporibus insignivit. Innocentius secundus sub altari summo recondidit corpora aliquorum sanctorum martyrum, et additis indulgentiis altare majus propè fontem olei excitatum solemni ritu consecravit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Sermo S. Gregorii Neocæsar. Ep.

Orat. 2. in Annunt.

Quoniàm Sancta MARIA in carne dum esset, purissimam vitam, omnique genere virtutum excultam, optimamque supra humanam naturam consuetudinem gerebat: ideò æterni Patris Verbum carnem exeà et perfectam humanam naturam suscipere dignatum est, ut per quam carnem peccatum in mundum introivit, et per peccatum mors, per eamdem carnem peccatum in carne condemnetur, ac peccati tentator in sepulturâ sancti corporis vincatur, principiumque resurrectionis simùl ostendatur, et vita æterna in mundo versetur, ac Dei cum hominibus societas contracletur. Tu. ℣.

Homilia de Comm. Ded. pro Duplici.

LECTIO 9.

Commemoratio B. Virginis de Clementiâ.

Spinelli tract. de Fest. Deip.

Ad lævam Templi Sanctæ MARIÆ Transtyberim sacellum extat Deiparæ Imaginis, cui nomen est, à Clementiâ, quæ miraculis claruit. Nam in magnâ cœli et terræ siccitate cum populi supplicatione circumlata, pluviæ copiam est elargita: ad hæc, cum magna inter eos cistyberim, et illos, qui transtyberim degebant, discordia intercederet, precibus coram hâc Imagine ad Deiparam fusis, est sublata. Tu. Te Matrem.

Vesperæ à cap. de seq. de Comm. Infant.

DIE XVI. NOVEMB.

TIMORIS DEI B. M. V.

Duplex.

Lection 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Antonini Arch. Florentini.

De Beata Virg. c. 18. §. 7.

LECTIO 4.

Per timorem Domini omnis declinat à malo. Cum autem assignetur triplex timor, bonus, scilicet, servilis, castus et reverentialis: servilis timor, quia principaliter aspicit pœnam, propter quam carel à malo, et facit bonum, undè non verè et purè amat bonum, ideò non fuit in Beatâ MARIA, sicut nec in Sanctis, quia est sine gratiâ Dei, quantùm scilicet ad servilitatem, sed quantùm ad timiditatem fuit in Beatâ MARIA. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Secundus timor, scilicet castus, qui est in electis, habet duos actus: unus est timere separari à dilecto, alius est revereri quem diligit. Quantùm igitur ad primum actum Beata MARIA non habebat timorem, quia cum sciret per revelationem se non posse peccare, non poterat timere à Deo separari, cum separatio non sit à Deo, nisi per peccatum. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Fuit ergò in Beatâ MARIA timor reverentialis qui est reverens mixta cum dilectione subjectio. Hic est in Beatis juxta illud. Tremunt videntes angeli versâ vice mortalium. Sed ista est differentia, quia timor iste reverentialis in Beatâ MARIA fuit meritorius, in sanctis non est meritorius. Talem autem timorem reverentialem habuit Beata MARIA super omnes, quia ex charitate procedit, in quâ excessit omnes santos. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 1. 30.

In illo tempore: Dixit Angelus ad MARIAM: Ne timeas, MARIA, invenisti enim gratiam apud Deum. Et reliqua.

Homilia S. Petri Crysologi.

Serm. 142.

Ne tanto pondere cœlestis fabricæ in MARIA subtilis nostri corporis arena sucumberet, et in Virgine totius generis humani portatura fructum, virga tenuis frangeretur, fugatura motum vox angeli mox præcessit, dicens: Ne timeas, MARIA. Ante causam dignitas Virginis annuntiatur ex nomine: nam MARIA hebræo sermone, latinè Domina nuncupatur. Tu. ℣.

Bened. Cujus timorem Dei colimus.

LECTIO 8.

Vocat ergò Angelus Dominam, ut Dominatoris Genitricem trepidatio deserat servitutis: quam nasci, et vocari Dominam ipsa sui germinis fecit, et impetravit auctoritas. Ne timeas, MARIA, invenisti enim gratiam. Verum est, quia qui invenit gratiam, nescit timere. *Lectio* 9. Invenisti gratiam apud quem? Apud Deum. Beata quæ inter homines audire sola meruit præ omnibus: Invenisti gratiam. Quantam? quantam superiùs dixerat, plenam. Et verè plenam, quæ largâ imbre totam funderet, et infunderet creaturam. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. Virginis de Torrentibus.

Camòs Libr. 1. *c.* 14.

Duobus, plùs minùsve, à Vimbodiensi oppido milliaribus, in archidiœcesi Tarraconensi, exurgit templum Beatæ Virginis de Torrentibus, à quodam Monasterii de Populeto Abbate anno millesimo quadringentesimo octogesimo quarto structum propè torrentem, ubi ipsa Deiparæ Imago inventa fuit, à quo etiàm nomen accepit. Cardinalis de Viseo, à Paulo tertio, in Hispaniam legatus, plurimis illud ditavit indulgentiis, undè in dies non exiguè in Virginem crevit religio. Sed novissimis his annis à publico beneficio acceptæ pluviæ Deipara de Torrentibus circunstantibus populis insignior effecta est. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Antonino Arch. Florentino. *Tit.* 15. *c.* 18. §. 7.

425. Timorem reverentialem habuit Beata MARIA super omnes, quia ex charitate procedit, in quâ excesit omnes Sanctos. Tu.

Cum 2. *Vesperis.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
BIBLIOTECA CENTRAL

DIE XVIII. NOVEMBR.

SEPTEM VIRTUTUM B. M. V.

Duplex majus.

IN I. VESPER.

Capit. de Laud. Cætera de Communi.

HYMNUS 125. *Salla.*

O MARIA! Summi
Sacra Regis aula,
Structilis virtutum
In columnas septem,
Hâc fide es donata,
Quâ magis quàm montes,
A Patre ad te diùm
Transtulisti Verbum.
Spe tuâ antiquorum
Præ patrum potente
Expetitum nacta
Messiam fuisti.
Charitate polleus
Hâc fuisti, ut vitâ
Cesseris pro indignis
Chariorem Natum.
Laus Patri atque Nato
Flamináque Sancto,
Trino et Uni perpes
Numini pendatur. Amen.

Ad Magnif. ant. Sapientia ædificavit sibi Virginem in domum solidam; ideò septem virtutum columnas excidit in eâ. *Orat. de Laudib.*

AD MATUTIN.

HYMNUS 126. *Salla.*

Virgo verè Prudens
Lampade intellectûs
Teque Apostolosque,
Quin Deum rexisti.
Æs haud finitum
Filium obtulisti
Justa pro solvendo
Debito infinito.
Sit laus summa Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

IN I. NOCT.

Lection. 1. Noct. de Communi.

℣. 1. Hæc est mulier fidelis, * Per cujus fidem salvatus est Adam vir infidelis, et tota posteritas. ℣. Fides MARIÆ cœlum aperuit, cum angelo nuntianti consensit.—Per.

℣. 2. Speravit in Domino semper MARIA, * Ideò desiderium cordis ejus tribuit illi Deus, et voluntatem ejus fecit. ℣. Mihi autem adhærere Deo bonum est, eiponere in Domino spem meam.—Ideò.

℣. 3. MARIAM, velut ignis ferrum, Spiritus Sanctus totam ignivit: * Ita ut in eâ Spiritûs Sancti flamma tantùm videatur, nec sentiatur, nisi tantùm ignis amoris Dei. ℣. Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum.—Ita.—Gloria.—Ita.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Serm. 9. inter parvos Sermon.

LECTIO 4.

Sapientia, quæ Dei erat, et Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens, ædificavit sibi domum, ipsam scilicet, Matrem suam, Virginem MARIAM, in quâ septem columnas excidit. Quid est in eâ septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide, et operibus præparare? Nimirum ternarius numerus ad fidem propter Sanctam Trinitatem, quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Tu.

℣. Posside sapientiam, quia auro melior est: * Et acquire prudentiam, quia pretiotior est argento. ℣. Meum est consilium, et æquitas; mea est prudentia, mea est fortitudo.—Et.

LECTIO 5.

Quòd autem in Beatâ MARIA Sancta Trinitas fuerit (fuerit, dico, per

præsentiam majestatis), ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis, testatur nuntius cœlestis: qui ei arcana mysteria reserans ait, Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Et post pauca: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum Sanctum; habes Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum. Manifestum est fuisse in Corde Virginis fidem Sanctissimæ Trinitatis. Tu.

℣. Ego in viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii: * Ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. ℣. Ego autem in justitiâ apparebo coram te, Domine.—Ut.

LECTIO 6.

Utrum autem, et quatuor principales virtutes, tanquàm quatuor columnas possederit, inquisitione dignum videtur. Primò ergò videamus, an fortitudinem habuerit. Quæ nimirum virtus, quomodò illi abesse potuit, quæ abjectis sæcularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis, soli Deo in virginitate vivere proposuit? Porrò quod temperans, prudens et justa fuerit, ex angeli collocutione, et suâ ipsius responsione luce clarius comprobamus. Tu.

℣. Mulierem fortem, quis inveniet? procùl et de ultimis finibus pretium ejus: * Confidit in eâ cor Filii sui, et spoliis non indigebit. ℣. Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo.—Confidit.—Gloria.—Confidit.

Homilia de Comm. pro Dup. maj.

℣. 7. Quid ergò exequar ciborum parcimoniam? * Cibus ejus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. ℣. Bonum est gratiâ stabilire cor, non escis.—Cibus.

Bened. Cujus virtutes colimus.

℣. 8. Ut sibi dignam summus Artifex in corde Virginis extrueret domum, * Septem præcipuas virtutes in eâ plantavit, quæ aliarum sunt fons et principium. ℣. Sapientia ædificavit sibi domum; excidit columnas septem.—Septem.—Gloria.—Septem.

AD LAUD. PRIM. ET VESP.

CAPITULUM. *Prov.* 9. 1.

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam.

Ad Laud. HYMNUS 127. *Salla.*

Martyrum Regina
Filii pendentis
A cruce ad tormenta
Astitisti Fortis.
Blandientis sensûs
A cupiditate
Temperata, Excelsum
Virgo concepisti.
Quas tuas virtutes
Ora, ut æmulantes,
Criminum victores
Consequamur palmas.
Laus Patri atque Nato,
Flaminique Sancto,
Trino et Uni perpes
Numini pendatur. Amen.

Ad Benedict. ant. Beata Virgo MARIA fuit perfecta in fide, firma in spe, constans in charitate, prudens in interrogatione, justa in confessione, fortis in proposito, temperans in silentio.

Oratio.

Deus, qui in Beatissimâ Virgine septem virtutum columnis Domum unigenito Filio tuo præparasti: concede propitius, ut in cordibus nostris iisdem septem virtutibus talem struamus Domum, ut in eâ Spi-

ritus Sanctus jugitèr habitare dignetur. Per eumdem Dominum... in unitate ejusdem.

Ad Magnific. *ant.* Hæc est domus et habitaculum omnium virtutum, quod sibi Sapientia cœlestis ædificavit, excidens columnas septem.

DIE XIX. NOVEMB.

VOTUM PERPET. VIRGINIT. B. V. MARIÆ.

Duplex.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Beatissimæ MARIÆ, ut dignam Filii tui Matrem eam præparares, Virginitatis perpetuæ votum inspirasti: concede propitius, ut qui puritatem ejus devotè recolimus, castis mentibus tibi deservire valeamus. Per eumdem Dominum.

Lection. 1. *Noct. de Ferid.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Homilia 3. *super Missus.*

LECTIO 2.

Dura necessitas, et grave jugum super omnes filias Evæ. Et si pariunt, cruciantur: et si non pariunt, maledicuntur. Et dolor prohibet parere, et non parere maledictio. Quid facies, Virgo, quæ hæc audis, quæ hæc legis? Si parturis, angustiaris: si sterilis manes, malediceris. Quid eliges, Virgo prudens? Angustiæ, inquit, mihi sunt undiquè: Melius est tamen mihi maledictum incurrere, et castam manere, quàm prius quidem concipere per concupiscentiam, quod meritò post cum dolore parturiam. Hinc etenim, et si video maledictum, sed non peccatum; illinc verò et peccatum simùl et cruciatum. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Deniquè hæc maledictio, quid aliud est, quàm hominum exprobatio? Neque ob aliud sanè dicitur sterilis maledicta, nisi quòd opprobio et contemptui sit habenda tanquàm inutilis, et infructuosa, et in hoc in Israel tantùm. Mihi autem pro minimo est, quòd hominibus displiceo, dum me possum Virginem castam exhibere Christo. O Virgo prudens! O Virgo devota! quis te docuit Deo placere Virginitatem? Quæ lex, quæ justitia, quæ pagina veteris testamenti, vel præcipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, et in terris angelicam ducere vitam? Ubi legeras de Virginibus, quia cantant canticum novum, quod nemo alius cantare potest, et sequuntur Agnum, quocumquè ierit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

De Virginibus, inquit, præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Tu verò non dicam præceptum, sed nec consilium, nec præceptum: nisi quòd unctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei vivus et efficax ante tibi factus est magister, quàm filius: prius instruxerit mentem, quàm induerit carnem. Christo ergò devoves te exhibere virginem, et neseis, quòd ipsi exhiberi te oporteat etiam matrem? Eligis in Israel esse contemptibilis, et ut illi placeas, cui te probasti, maledictum incurrere sterilitatis: et ecce maledictio benedictione commutatur, sterilitas fœcunditate recompensatur. Aperi Virgo sinum, expande gremium, præpara uterum: quia ecce facturus est tibi magna qui potens est: in tantum, ut pro maledictione Israel, beatam te dicant omnes generationes. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 26.

In illo tempore; Missus est Angelus Gabriel à Deo, in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia B. Arnoldi Abbatis.

De laudibus B. M. V.

Inventa est Virgo ab Angelo in Nazareth solitaria, seorsùm à turbis, vacans proculdubio meditationibus sanctis: credo secum pertractans, quomodò sine offensione legis maneret in proposito castitatis: quia hanc elegerat, hanc devoverat, et integritatem carnis et spiritûs apud se Domino consecraverat. Tu. ℣.

Benedictio. Cujus virginitatem colimus.

LECTIO 8.

Stabat in adverso lex, urgebat ad conjugium Moyses, qui maledictum intentans sterilibus, semen et sobolem à filiis Israel exigebat. Nullum de virginibus à Domino datum erat præceptum, sed nec erat apostolus qui daret consilium. Acceperat tamen hoc ipsum à Deo per Spiritum Sanctum familiare mandatum, non ex responso angelico, sed ex inspiratione sacratâ, qui ei et affectum Virginitatis intimaverat, et usque ad necessitatem voti purum desiderium alligaverat. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Quis tamen rei exitus futurus esset, nondùm erat intimatum divinitùs; sed hujusmodi accessionibus gradatim sibi officinam purgatissimam optabat Spiritus Sanctus. Ob hoc eam æstimo eligisse solitudinem segregalam, ut diebus et noctibus in hujus controversiæ angustiis congruis se rationibus muniret: quibus et stare sibi posset optata virginitas, nec tamen quasi in contemptum sui legis indignaretur auctoritas. Tu. Te Matrem.

Cum secund. Vesper.

DIE XX. NOVEMBR.

VIGILIA

PRESENTATION. B. M. V.

Simplex.

Omnia ut in feriali officio.

Lect. S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Libr. de Sancta Virginitate.

Beatior MARIA percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Nam et dicenti cuidam: beatus venter, qui te portavit, ipse respondit: immò beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt. Deniquè fratribus ejus, id est, secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid proficit illa cognatio? Sic et materna propinquitas, nihil MARIÆ profuisset, nisi felicius Christum corde, quàm carne gestasset. Tu. ℣. *de ferid.*

LECTIO 2.

Ipsa quoquè virginitas ejus gratior, et acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conservaret ipse præripuit, sed prinsquàm conciperetur, jam Deo dicatam elegit, de quâ nasceretur. Hoc indicant verba, quæ sibi fortè annuntianti Angelo MARIA reddidit. Quomodò, inquit, fiet istud, quoniàm virum non cognosco? Quòd profectò non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Polerat et juberi Virgo permanere,

in quâ Dei Filius formam servuli congruenti miraculo acciperet: sed exemplo sanctis futura virginibus, ne putaretur sola Virgo esse debuisse, quæ prolem etiàm sine concubitu concipere meruisset, Virginitatem Deo dicavit, cum adhuc, quid esset conceptura, nesciret, ut in terreno, mortalique corpore cœlestis vitæ initiatio voto fieret, non præcepto; amore eligendi, non necessitate serviendi. Tu, ℣.

Ad Laudes preces.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Præsentationem Beatissimæ Virginis MARIÆ præveniimus, purificatis mentibus, jucundos nos facias tantæ interesse solemnitati. Per Dominum nostrum.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXI. NOVEMB.

PRÆSENTATATIO B. M. V.

Duplex primæ Class. cum Octav.

IN I. VESPER.

Ant. 1. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam! *Psalmi de Solemnitatib.*

2. Ecce elongavi fugiens, ut maneam in solitudine.

3. Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus.

4. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.

5. Ne suscitetis, filiæ Jerusalem, dilectam, donec ipsa velit.

CAPITULUM. *Osee. c. 2. 14.* Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.

℟. Audi, Filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum Patris tui: * Quia concupivit Rex speciem tuam. ℣. Veni, electa mea, Sponsa mea, immaculata mea.—Quia.—Gloria. —Audi, Filia. *Hoc ℣. non dicitur infr. octav.*

HYMNUS 128. *Brev. Galic.*

Quàm pulchrè graditur, Filia principis,
Templi cum properat tangere limina!
Præludit meliori,
Quam mox offerret hostiam.
E matris gremio Numinis in sinum
Infans non dubiis passibus advolat,
Virgo Numinis ara,
Aris victima sistitur.
Sponso membra Deo mollia devovet;
Cordis Virginei dedicat intima
Verbo debita Mater,
Verbo viscera consecrat.
Te cum cuncta Deo prodiga dum vôves,
Numen, Virgo, tui pectoris incola
Quanto fenore pensat,
Terræque bona despicis!
Sit suprema tibi gloria, Trinitas;
Quo Virgo teneram se vovet hostiam,
Puri Flamen amoris,
Fac nos jam tibi vivere. Amen.

℣. Afferentur regi Virgines post eam.

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Ad Magnif. ant. Abi ergò, Domina, in atria Domini, exultans, et expectans Sancti Spiritûs adventum, et unigeniti filii conceptionem.

Oratio de Laudib.

Complet. de Domin. cum sequenti Doxolog. quæ dicitur per octav.

Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par tibi laus, Spiritus,
Puram templo, qui Virginem
In Sponsam hodiè suscipis. Am.

AD MATUTIN.

Invitator. Venite, exallemus Deum nostrum * In Præsentatione præexcelsæ Virginis MARIÆ.

HYMNUS 129. *Brev. Vien.*

O sancte sanctorum Deus!
Quàm pura sese devovet,
Ignota prisco fœderi
Tuas ad aras hostia.
Afflata Sancto Spiritu
MARIA Virgo, cœlibis
Amore vitæ, perpeti
Se castitati devovet.
Prolis æternæ Patri
Futura mater cœlitum
Parare Regi, nesciens
Festinat aula pectoris.
Exosa pompas sæculi
Latere, nesciri studet:
Solo placere cui cupit
Deo frui beatior.
Heu quanta post hanc virginum
Surrexit in terris seges!
Laus quanta despecæ priùs
Adjecta continentiæ!
Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par tibi laus, Spiritus,
Puram templo, qui Virginem
In Sponsam hodiè suscipis. Am.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Abscondit me * Dominus in abscondito tabernaculi sui. *Psl. de Dominica.*

2. Melior est, * Domine, dies una in atriis tuis super millia.

3. Hæc requies mea: * hic habitabo quoniàm elegi eam.

℣. Multæ filiæ congregaverunt divitias.

℟. Tu supergressa es universas. De libro primo Regum.

LECTIO 1. *c. 1. v. 24.* Adduxit Anna filium suum secum, postquàm ablactaverat, in vitulis tribus, et in tribus modiis farinæ, et amphorâ vini, et adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer erat adhuc infantulus. Et immolaverunt vitulum, et obtulerunt puerum Heli. Tu.

℟. En dilectus meus loquitur mihi: * Surge, propera amica mea, formosa mea, et veni. ℣. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumem vitæ.—Surge.

LECTIO 2.

Et ait Anna: obsecro, mi Domine, vivit anima tua, Domine: ego sum illa mulier, quæ steti coram te, hic orans Dominum. Pro puero isto oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum. Idcirco, et ego commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino. Tu.

℟. In voce laudis immolabo: * Quæcumque vovi, reddam Domino. ℣. Immola Domino sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. —Quæcumque.

LECTIO 3.

Et adoraverunt ibi Dominum. Et oravit Anna, et ait: Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutari tuo. Non est sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra te, et non est fortis, sicut Deus noster.... Puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis. Tu.

℟. Venit in spiritu in templum: * Et non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus, serviens nocte et die. ℣. Quasi sol refulgens, sic candida Virgo effulsit in templo Dei.—Et non.—Gloria.—Venit. *In diebus infra oct.* Et non.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Pater meus * et mater mea derelinquerunt me in templo: Dominus autèm assumpsit me.

2. Magno corde * et animo volenti, adhuc puella me totam obtuli Domino.

3. Deus meus, * volui legem tuam in medio cordis mei.

℣. Memor sit Dominus sacrificii tui.

℟. Et holocaustum tuum pingue fiat.

Sermo S. Hieronymi Presbyteri. *Serm. de Nativ. B. V. Inter ejus opera.*

LECTIO 4.

Concepit Anna, et peperit filiam, et juxta mandatum angelicum parentes vocabant nomen ejus MARIAM. Cumque trium annorum circulus volveretur, et ablactationis tempus completum esset, ad templum Domini Virginem cum oblationibus adduxerunt. Erant autem circa templum quindecim gradus assensionis; nam quia templum erat in monte constitutum, altare holocausti cum forinsecùs erat, adiri nisi gradibus non valebat. Tu.

℟. Ad templum adducitur Virgo, ac deindè in domo Dei plantata, * Atque per Spiritum saginata, instar olivæ fructiferæ virtutum omnium domicilium efficitur. ℣. Virgo erat hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum germina, et odoramenta virtutum.—Atque.

LECTIO 5.

In horum graduum itaque uno beatam Virginem MARIAM parvulam parentes constituerunt. Cumque ipsi vestimenta, quæ in itinere habuerant, exuerunt, et cultioribus ex more vestibus se induerent, Virgo Domini cunctos sigillatim gradus, sine ducentis et levantis manu ita ascendit, ut perfectæ ætati in hâc dumtaxat causâ nihil deesse putares. Tu.

℟. Aperite portas, Sacerdotes templi, * Et spiritualem excipite portam Dei Emmanuel, quæ clausa est et non aperietur, nec vir transibit per eam. ℣. Aperite mihi portas justitiæ, et ingressa in eas confitebor Domino.—Et spiritualem.

LECTIO 6.

Jam quippè Dominus in Virginis suæ infantiâ magnum quid operabatur, et quanta futura esset, hujus miraculi indicio præmonstrabat. Igitur sacrificio secundum consuetudinem legis celebrato, et voto suo perfecto; Virginem intra septa templi cum aliis virginibus educandam dimiserunt. Ipsi verò domi reversi sunt. Tu.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum; * Quia cum essem parvula placui Altissimo. ℣. Benedicta tu filia à Domino super omnia tabernacula Jacob, quia sola sine exemplo placuisti Deo.—Quia.—Gloria.—Congratulamini. *In diebus infra Octav.* Quia.

IN III. NOCT.

ant. 1. In claustro * templi Gabriel te alii, ô Virgo, qui postmodum tibi illud ave afferret.

2. Meus cibus * est facere voluntatem Patris mei.

3. Me duxit * in solitudinem, et lactavit me loquens ad cor meum.

℣. Ego Dilecto meo. ℟. Et ad me conversio ejus.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 4. 11.

In illo tempore: Cum esset JESUS in deserto, ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei. Et reliqua. Homilia S. Germani Arch. Constantinopolitani.

Orat. 2. *in Præsentat. B. V.*

Gaudet Zacharias dignatus honore suscipiendi Dei Matrem. Lætatur Joachim impleta firmans oracula per oblationis officium. Nimiâ voluptate gestit Anna ob sacræ prolis dedicationem. Prisci progenitores exultant condemnationis iram effugientes. Oblectantur prophetæ, cumque illis omnis florida ætas precando læta exultat. Inducitur ergò in hunc modum sacratissima Puella, stalque ad cornua inter parentes fausta ibi deprecaturos, et sacerdotem benedictionem firmaturum. Tu.

℟. Quòd relinqueris parentes tuos, * Plenam mercedem recipias à Domino sub cujus confugisti alas ℣. Fecisti * virilitèr Puella sacrata, et confortatum est cor tuum.—Plenam.

Benedict. Cujus Præsentationem. *Dicitur per Oct.*

LECTIO 8.

Zacharias igitur, acceptâ Puellâ, ità eam alloquitur. Accede, ad me, Puella cœlis sublimior; accede, quæ Infans conpiceris, et officina Dei intelligeris. Accede et sanctuarii limina tu potiùs sanctifica. Neque enim tu, ut populi sermone dicitur, purgata sanctificaris, sed magis sanctificas. Veni propè altare adoratura, de quâ dictum est per multa symbola, quòd futura sis mensa rationabilissima, et impolluta. En tibi, tanquàm reginæ universorum, meritò dignitatem concedo sedem. Tu.

℟. Obviavit illi, quasi mater honorificata. * Et cibabit illam Dominus pane vitæ et intellectûs, et aqua sapientiæ salutaris potavit illam. ℣. Non enim de solo pane vivit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei.—Et cibavit.

LECTIO 9.

Et senex quidem hæc dixit plura etiàm encomia, quæ mente concepérat, habens: et parentes recesserunt. Puella verò consacrata Deo remansit: cui alendæ angeli, suo ministerio cum timore inserviebant, et ab incorporibus cibum corporeum sublimior corpore puella sumebat. Hunc finem habuit sacræ oblationis officium à Deo dispositum. Ita crescebat Infans et confortabatur, et contrarium nobis maledictum, quo fuimus in ævum damnati, prorsùs deficiebat. Tu.

℟. Audi, Filia, et vide, et inclina aurem tuam; et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, * Quia concupivit Rex speciem tuam. ℣. Veni, electa mea, Sponsa mea, immaculata mea.—Quia.—Gloria.—Audi. *In dieb. infra oct.* Quia. *Hoc Resp. in dieb. infra oct dicitur loco* 8. ℟. *quod omittitur.*

AD LAUDES.

Et per Horas Antiphonæ.

1. Eo quod * castitatem amaveris, eris benedicta in æternum.

2. Propter innocentiam * meam, Domine, suscepisti me in templo tuo.

3. Adhæsit * anima mea post te, me suscepit dextera tua.

4. Protegar * in tabernaculo tuo, sub tegmento alarum tuarum.

5. In habitatione * sanctâ coram Domino ministravi.

CAPITULUM. *Osee.* 2. 14.

Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.

HYMNUS 130.

Addicta sacris ædibus
Virgo, volente sic Deo,
Fit ipsa sanctis actibus
Templum Deo gratissimum.

Intenta cœlo jugitèr,
Terrena nulla cogitat:
Illique sermo cum Deo
Perenne mentis pabulum.

O quanta tolis sensibus
Sese refudit gratia!

Fragrante non est plenior
Acerra thure fumida.

Os, lingua, mens, cor et caro,
Vultus, manus, vox, spiritus
Se tota totam prædicat
Dignam parentem Numinis.

Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par tibi laus, Spiritus,
Param templo qui Virginem
In Sponsam hodiè suscipis. Amen.

℣. Cor meum, et caro mea.
℟. Exultaverunt in Deum vivum.

Ad Benedict. *ant.* Parentes illius, * cum essent ambo justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysis.

Oratio.

Deus qui Beatam MARIAM semper Virginem, Spiritûs Sancti habitaculum, hodiernâ die in templo præsentari voluisti: præsta, quæsumus, ut ejus intercessione in templo gloriæ tuæ præsentari mereamur. Per Domin.

AD PRIMAM.

Ant. Eo quod. *capit.* Ecce ego. *de Laudibus.*

℣. ℟. *br.* Quæ hodiè in templo præsentata fuisti.

CANON.

Ex Sixto Papâ Quinto.

Const. 10. Intemeratæ Matris *an.* 1585.—*T. IV. p.* 4. *p.* 142.

426. Aliis celebritatibus perpetuæ Virgini..... à Catholicâ Ecclesiâ conseratis, ejusdem quoquè, quæ Dei templum fuerat, et Sacrarium Spiritûs Sancti, in templum Præsentationem ab antiquissimis usque temporibus summâ ubiquè gentium cum veneratione observatam, adscribi volumus, et sicubi intermissa est, restitui ac jugiter custodiri. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Osee.* 2. 19.

Sponsabo te mihi insempiternum: et sponsabo te mihi in justitiâ, et judicio, et in misericordiâ, et in miserationibus.

℟. *br.* Manus Domini confortavit te * Alleluia, alleluia.—Manus. ℣. Ideò eris benedicta in æternum. —Alleluia.—Gloria.—Manus.

℣. Deus in medio ejus, alleluia.
℟. Non commovebitur, alleluia.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Psalm.* 44. 11.

Audi Filia, et vide et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

℟. *br.* Ego autem sicut oliva fructifera, * Alleluia, allel.—Ego. ℣. In Domo Dei.—Allel.—Gloria.—Ego.

℣. Sicut lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, allel.
℟. Quod fructum suum dabit in tempore suo, alleluia.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Psalm.* 44. 14.

Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

℟. *br.* Unam petii à Domino, hanc requiram, * Alleluia, alleluia. —Unam. ℣. Ut inhabitem in domo Domini.—Alleluia.—Gloria.—Unam.

℣. Beati, qui habitant in domo tuâ Domine, alleluia.
℟. In sæcula sæculorum laudabunt te, alleluia.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Melior est * mihi dies una in atriis Domini super millia. *Psl. ut in* 2. *Vesp. Solemn.*

2. Hæc requies mea, * hic habitabo, quoniàm elegi eam.

3. Unum est * necessarium: optimam partem eligit sibi MARIA, quæ non auferetur ab eâ.

4. Vulnerasti * cor meum, soror mea Sponsa, in uno oculorum tuorum.

5. Dilectus meus * mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.

CAPITULUM. *Osee.* 2. 14.

Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.

℟. Audi, Filia, *ut in* 1. *Vesper.*

HYMNUS 131. *Brev. Gallic.*

Infans pulsa recens matris ab ubere
Abscondi tacitis quærit in atriis:
Templum Virgo futura
Templi crescit in ædibus.
In blandâ requie plena negotio,
Uni nota Deo vivere cogitat:
Hic pro lacte parentis
Sugit Numinis ubera.
Sic aurora novi nuntia luminis
Primo mane latet nubibus obsita:
Mox solem paritura
Plenum qui referat diem.
Sol in virgineo pectore præviis
Ardorem radiis suscitat intimum:
Hoc fœcunda calore
Virtus insita germinat.
Ut fert prima novis nuntia frondibus
Arbos irrigui fontis in alveo:
Fructum Virgo datura
Sese floribus induit.
Sit suprema tibi gloria, Trinitas;
Quo Virgo teneram se vovet hostiam,
Puri Flamen amoris,
Fac nos jam tibi vivere. Amen.

℣. Bonum est præstolari cum silentio.
℟. Salutare tuum, Domine.

Ad Magnificat. *ant.* Læva ejus * sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare facialis dilectam, donec ipsa velit.

Oratio de Laudibus

In diebus infra Octav. etiàm in festis, Officium fit ut in die sine ℣. ad Vesp. cum Psim. de fer. occurr.

DIE XXII. NOVEMB.

SILENTIUM B. MARIÆ V.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Silentium Beatissimæ Virginis MARIÆ celebramus, nunquàm peccemus in verbo, sed in omnibus tibi sempèr placeamus. Per Dominum.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

In signum. magnum.

LECTIO 4.

Pudibunda fuit MARIA: hoc ex evangelio probamus. Ubi enim aliquandò loquax, ubi præsumptuosa fuisse videtur? Foris stabat loqui quærens Filio, nec maternâ auctoritate, aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit, in quâ Filius loquebatur. In omni denique textu quatuor evangeliorum (si benè meminimus) non nisi quatèr MARIA loquens auditur. Primò quidem ad Angelum; secundò ad Elizabeth; tertiò ad Filium, cum jam esset annorum duodecim: quartò ad Filium, et ministros. Tu.

℟. Ad templum.

LECTIO 5.

Nunquid non ab initio invenisse Pastores, et primam omnium MARIAM invenisse leguntur? Sic et Magi quoquè, si recolis, non sine MARIA Matre ejus puerum invenerunt, et inducens in templum Domini templi Dominum, multa quidem à Simeone audivit, tàm de eo, quàm de seipsâ, ad loquendum tarda, velox ad audiendum. Et quidem MARIA conservabat omnia verba hæc

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

conferens in corde suo. Sed in his omnibus, neque de ipso Incarnationis Sacramento quodcumque verbum fecisse reperias. Tu.

℣. Aperite.

LECTIO 6.

Væ nobis, qui spiritum habemus in naribus: væ qui totum proferimus spiritum, qui juxta illud comici, pleni rimarum effluimur undique. Totiens denique MARIA Filium audivit non modò turbis loquentem in parabolis, sed et discipulis seorsùm regnum Dei mysteria revelantem; vidit miracula facientem, vidit deindè in cruce pendentem, vidit expirantem, vidit resurgentem, vidit et ascendentem; sed in his omnibus quotiens verecundissimæ Virginis, quotiens pudicissimæ Turturis vox memoratur audita? Tu. ℣. Congratulamini.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 29.

In illo tempore: Cum audisset MARIA Angelum turbata est in sermone ejus. Et reliqua.

Homilia B. Alberti Magni, Ep. *De laudib. B. V. M. Libr. 4. c.* 31.

Notorium est, et vulgatum muliebrem sexum de multiloquio, et minori circumspectione redargui; nec mirum cum ad primas sugestiones noxias loquela penitùs sit adempta serpenti, et aliquantenùs inhibita mulieri. Hic poteris assignare de properâ responsione Evæ sine discussione verborum serpentis, undè ortum est omne malum, et cogitatione MARIÆ, qualis esset angelica salutatio, undè ortum est omne bonum. Tu.

℣. Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium. ℟. Et securitas in sempiternum. ℣. Imitamini Virginem MARIAM, et in silentio, et in spe erit fortitudo vestra. ℟. Et securitas.

Benedict. Cujus silentium.

LECTIO 8.

Beatus quoquè Bernardus: post majorum charismata gratiarum in omnium maximâ mulierum Dei Genitrice MARIA gravitatem silentii dignis laudibus prædicabat. Ipsa etiàm dicit de taciturnitate suâ, quasi seipsam commendans: Ego os regis observo, id est, os meum, quod est regium, ut scilicet, nihil aliud loquatur, quàm quod regem deceat, et reginam, scilicet verba lenitatis et clementiæ, verba pietatis et justitiæ. Ipsa etenim est mulier sensata, et tacita, quæ sedebat solitaria et tacebat, et levabat se super se per contemplationem Dei. Siquidem quia fuit sensata, id est, plena sensu, et tacita, non seminiflua, sed loquens in tempore congruo. Tu.

℣. Volo mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ, et sobrietate ornantes se, ℟. Et esse in silentio. ℣. MARIA conservabat in silentio, omnia verba hæc conferens in corde suo.—Et.—Gloria.—Et.

LECTIO 9.

Turbata etiàm fuit in salutatione Angelicâ: quia silentium suum, quod valdè amabat, respondendo infringere cogebatur. Cogitabat etiàm qualis esset ista salutatio. Et utinam moniales, et reclussæ, et religiosæ nostræ, et tacendo cogitarent, quomodò in judicio responderent, ubi de omni verbo otioso reddituri sunt homines rationem. Sensata etiàm fuit, et tacita in interioribus verbis, quæ sunt cogitationes, et affectiones seu desideria cordis, quæ loquuntur Deo. Undè de eâ dicitur: Princeps, id est, MARIA designata per Saram, quæ interpretatur Princeps, ea, quæ

digna sunt principe cogitabit: cogitationes scilicet pacis, et non afflictionis. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bernardo Abbate.

Hom. 4. sup. Miss.

427. Cui placuisti ex silentio, jàm magis placebis ex Verbo, cum ipse tibi clamet è cœlo: O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Tu.

Vesperæ ut in 2. Vesp. Præsent. et sic deinceps.

DIE XXIII. OCTOBR.

DE III. DIE INFRA OCTAVAM.

Semiduplex.

Lectiones 1. AD MATUTIN.

HYMNUS 132. *Parnas. Virgm.*

Sacræ Parentes Virginis
Cum essent ambo steriles,
Donante tandèm Numine,
Unam MARIAM procreant.

Sistunt Deo se protinùs
Voti reos, et Virginem
Orbæ domus nil anxii,
Templo tenellam consecrant.

Oliva non sic pullulans
Fructus refudit uberes,
Ut omne virtutum genus
Puella MARIA parturit.

Hanc quippè pulsans intimè,
Almus regebat Spiritus,
Castâque mente jam sibi
Templum parabat congruum.

Doxol. de Octavâ.

Lection. 1. *Noct. de feriâ*

IN II. NOCT.

Sermo S. Germani Arch. Constant. *Orat.* 1. *in Præsentat. B. M. V.*

LECTIO 4.

Cum igitur ablactata esset vitæ nostræ altrix, parentes ejus, quod promiserant, implent. Convocatas enim ajunt puellas vicinas, et circumparsas præire jusserunt cum facibus, et ipsam post omnes sequi, ut accensis oblecta facibus iret non retrospiciens. Sterilis autem et infructuosa Anna prolem suam Deo dans, magnâ voce palam ita dicebat: adeste et nunc magis congaudete quicumque, et quæcumque affuistis mihi parienti: jam verò videtis fructum meorum viscerum Deo dicari, nunc divinitùs ornatum, et sanctificatum. Tu. ℣. Ad templum.

LECTIO 5.

Age dum David progenitor, et Dei suavissimè cytharam pulsans fidelibus spiritu, jucundiorem ede sonum ore illo tuo, quod Deus movebat, apertiùs declarans catervæ puellarum consectationem: quòd post eam Virgines adducentur Regi, proximæ ejus afferentur. Ecce enim in plateis juvencularum turma in choreas agit, duciturque in sacram ædem, in sanctum templum in lætitiâ, et exultatione tuum vaticinium implens, Filia regis, quam tu Filiam vocasti regali majestate præcellentissimam, mea soboles. Tu. ℣. Aperite.

LECTIO 6.

His animi sensis, ut par est, quæ suis se gressibus componebat castissima Anna, cum dulcissimo conjuge Progenitam à se deducentes, virginum cœtu accensos ferentium cereos comitati, perveniunt ad templum, et expanduntur portæ, spiritualem excipientes portam Dei Emmanuel, et ingrediente MARIA sanctificatur vestibulum, domus flammarum luce illustratur, sed multò magis unius fulgure lampadis supra modum splendescit, pulchriorque efficitur ejus decor Puellæ ingressu. Purpurescunt ornamenta cornuum altaris è purpureo et virginali ejus habitu. Tu. ℣. Congratulamini.

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

IN II. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 4. 11.

In illo tempore: Cum esset JESUS in deserto, ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei. Et reliqua.

Homilia Sancti Isidorii Arch. Thessalonicensis.

Oratio de Præsent. Apud Marracc.

At verò ingressus Virginis in adyta, cuinam ut sublimiori miraculo dat locum? Omnibus certè hoc est excellentius, si tantùm excipias, quæ deinceps in eâ peracta sunt, à quibus sese devictum non æquè fert. Videtur tamen hoc mihi fundamentum, et radix posteriorum, atque sublimium: et si quis illud vocaret, à reipsâ non aberraret. Namque sublimius aut in eâ, aut in quâvis aliâ factum nihil est, quàm quod ex ipsâ Deus naturam nostram suscepit. Tu. ℣. Quòd relinqueris.

LECTIO 8.

Ut verò ad hoc Virgò esset idonea, indè habuit. Dum verò commoraretur templi adytis, quia purissimæ nihil humanum erat obvium, ad quod se conformaret, sed unus illi Deus sempèr in animo versabatur, solumque Deum alloquebatur, et meditatio cordis ejus, ut davidicè loquar, in conspectu ejus erat sempèr, ciboque uno divinitùs misso alebatur: ad similitudinem quoquè Dei supra omnes et homines, et angelos formâ pervenit, illi uni, quantùm fas erat, expressè facta similis, quicum eâ assiduè colloquium habebat, quique sibi ferè notus erat. ℣. Audi filia.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Boni-occursus.

Gononus, Chronic. Marian. ad ann. 1320.

Imago beatæ Virginis Boni-occursûs non longè à civitate Agennensi in Galliâ, bove mediante reperta fuit, eo quod ferè continuè lingebat herbam quamdam inter vepres. Bubulcus volens scire, quid hoc esset, ivit ad locum, viditque Imaginem Beatæ Virginis, quàm statim elevans matri suæ detulit, quæ eam conclusit in arcâ volens illam Parrocho ostendere. Cum autem necesse fuit eam educere, nihil reperit, sed in eodem loco, ubi Buculus priùs invenerat, iterùm reperta fuit: undè cognoverunt omnes voluntatem Dei esse, et Beatæ Virginis, ut in loco illo veneraretur. Tu.

Te Matrem.

Vesperæ de seq. ut in 2. *Vesp. Præsent.*

DIE XXIV. NOVEMB.

CONVERSATIO B. MARIÆ V. IN TEMPLO.

Duplex.

Lection. 1. *Noct. de fer.*

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Hieronymi Presbyteri.

Apud S. Bonavent. in Medit. vitæ Christi c. 3.

LECTIO 4.

Hanc sibi regulam Beata Virgo statuerat, ut à manè usque ad horam tertiam orationibus insisteret. A tertiâ usque ad nonam externo operè se occuparet. Anonâ verò illorum ab oratione non recedebat, quousque Angelus illi appareret, de cujus manu escam accipere solebat, et meliùs in Dei opere, et amore proficiebat. Fiebat, ut in vigiliis inveniretur prior, in sapientiâ legis Dei eruditior, in carminibus Davicis elegantior, in charitate gloriosior, in puritate purior, in omni virtute perfectior. Tu.

℣. Ad templum.

LECTIO 5.

Erat enim constans et immobilis, et cum quotidiè meliùs transisset, hanc irrasceatem nullus vel vidit, vel audivit. Omnis sermo ejus erat gratiâ plenus, ut cognosceretur in linguâ Deus. Sempèr in oratione et scrutatione legis Dei permanebat. Et erat sollicita circa socias suas, ne aliqua ex eis in ullo sermone peccaret, ne aliqua invisa vocem suam exaltaret, ne aliqua injurias, aut superbiam contra partem suam exerceret. Tu. ℣. Aperite.

LECTIO 6.

Sine intermissione benedicebat Deum, et ne foriè in salutatione suâ è Dei laudibus tolleretur, si quis eam salutabat, illa pro salutatione suâ, Deo gratias respondebat. De escâ, quam de manu Angeli accipiebat, ipsa reficiebatur: quam verò à pontifice templi accipiebat, pauperibus erogabat. Quotidiè videbatur ei Angelus loqui, et quasi carissimæ sorori, vel matri obtemperabat ei. Tu. ℣. Congrat.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO. 7. *c.* 4. 11.

In illo tempore: Cum esset JESUS in deserto, ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei. Et reliqua.

Homilia D. Georgii Nicomediensis.

Orat. in 1. *Deiparæ Præsent.*

Tu autem, ò homo admirabilem ac novam vitæ rationem Virginis in templo audiens, noli de eâ dubitare: noli ratione examinare ea, quæ intellectum omnem superant: noli ea comparationi subjicere, quæ majora sunt comparatione. *Lectio* 8. Vides inauditam naturæ innovationem, et de his dubitas? Vides ipsum Dei Verbum ineffabili ratione habitans in ejus utero; deque immateriali escâ, ac alium modum habentis contendis? Vides consilio paterno Spiritûs in eâ obumbrationem, ac de angelorum ministerio adhuc dubitas? Tu.

℣. Quòd relinqueris.

LECTIO 8. (*Lect.* 9.)

Nihil eorum, quæ ad castissimam Virginem spectant, dubietatem habent. Nihil ejus magnalia habent incongruum. Certâ omnia veritate constant. Oportebat enim, ut nedùm ei Angelus ministraret, sed et decies decem millia satellitio adessent. Etenim quem illi videre nequeunt, eum illa mirabili ratione in utero portavit. Tu.

℣. Audi filia.

LECTIO 9.

Commeratio B. V. Dittelbachensis.

Spinelli ex Tritemio p. 249.

Propè oppidum Dittelbach Diœcesis Herbipolensis in Germaniâ, templum est Deiparæ sarum in quo asservatur quædam ejus Imago parva Filium è cruce jam depositum de more tenens, ad quam peregrini anno millessimo quingentesimo quinto confluere cœperunt. Eo in loco Beatæ Virginis invocatione innumera patrantur miracula, è quibus illud celebre, quo puer quinque ferè annorum à famelico lupo raptus, dum asportaretur in sylvam, ejus parens è longinquo conspicatus, sed opem ferre non valens, Deiparam in Dittelbach cum voto invocavit, et mox lupus puerum intactum de ore dimisit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino.

Conc. 4. *p.* 2. *de Assumpt. B. V.* 428. Priùs quàm Verbum Dei sacro utero gestaret Virgo, triennis in templo à parentibus præsentata,

in aliarum Virginum comitatu diebus ac noctibus orationi et contemplationi vacabat. Ante quippè Deum noverat, quàm seipsam, et infans adhuc eloquio, animo jam orabat. Tu.

Vesperæ ut in 2. Vesp. Præsent.

DIE XXV. NOVEMBR.

DE V. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

AD MATUTIN.

HIMNUS 133. *Parv. Virgin.*

Æterni Patris ordine
In templo Virgo conditur,
Ubi mirâ dulcedine
Contemplando perfruitur.
Orationi dedita,
Et divinis obsequis:
A mundo prorsùs abdita
Arcanis vacat studiis.
O mira redundantia
Gratiæ datæ Virgini!
Quæ cuncta sunt fragrantia
Et grata summo Numini.
Mens, lingua, caro, Spiritus,
Sensus, affectus, actio
Electam monstrat cœlitùs
In Matrem Dei Filio.
Sit laus Patri, laus Filio, etc.

Lection. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Joannis Chrysostomi. *De fide Annæ Matris Samuel. Serm. 3.*

LECTIO 4.

Adduxit Anna puellam, ac reliquit in templo: nec Puella à mammâ divulsa molestiò tulit, licet sciatis, quàm soleant indignari pueri, quotiès à lacte depelluntur. Verum nec ipsa Puella ægrè tulit à matre divulsa, sed ad Dominum respexit, qui ipsam matrem fecerat: nec ipsa mater doluit à Puella sejunctâ, quia naturalem affectum vicit interveniens gratia, et uterque se cum altero vivere existimabat: quemadmodùm eodem in loco fixa vitis in longum producit palmites, et non multo intervallo pendens radici hæret, itidem et in hâc accidit feminâ, quæ in urbe manens, usque ad templum extendit suum palmitem, atque illic uvam suspendit maturam. Nec intervallum illud ullum attulit impedimentum, cum charitas, quæ secundum Deum est, Puellam matri copularet. Tu. ℣. Ad Templum.

LECTIO 5.

Ascendit igitur in templum, et agnam induxit in ovile, ac vitulam perduxit ad armentum, et in pratum deduxit rosam à spinis liberam, rosam, inquam, quæ nunquàm marcescit, sed floret perpetuò, quæque poscit ad ipsum usque cœlum extendi, cujus fragrantia in hodiernum usque diem potiuntur omnes, qui terrarum incolunt orbem. Tantus annorum numerus præterit, et tamen virtutis illius fragrantia sempèr angescit, nec tantâ temporis magnitudine facta est languidior. Talis enim est rerum spiritualium natura. Tu. ℣. Aperite.

LECTIO 3.

Ascendit igitur præclarum illud germen transplantatum, et quemadmodùm industrii agricolæ primum semen in terram deponunt cupressi et aliarum arborum similium: deindè ubi conspexerunt à semine factam arborem, non relinquerunt in eâdem terrâ, sed indè revulsum in aliud transferunt solum, ut terra in recens gremio suo exceptam illius radicem, puram et integram vim suam proferat ad eam alendam: sic et hoc fecit mulier, quæ Puellam propter spem

proseminatam in utero à domo transtulit et in templum transplantavit, ubi perpetuæ sunt fontium scatebræ, et irrigationes spirituales, ut videre licuerit illud propheticum in illis impleri, quod David dixit: Et erit tanquàm lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Tu. ℣. Congratulamini.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c. 4. 11.*

In illo tempore: cum esset JESUS in deserto, ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei. Et reliqua. Homilia D. Georgii Nicomediensis. *In Præsentatione B. V. M.*

Procedente in dies ætate, crescebant in Virgine dona Spiritûs, et versabatur cum Angelis, nec erat divinarum expers apparitionum. Cum eâ, ut solebat, versante in adytis, vidit Zacharias quemdam sermocinantem, qui erat insitâlâ specie, et ei alimentum præbebat: erat autem qui apparebat angelus: Tu. ℣. Quòd relinq.

LECTIO 8.

Quam obrem à se discedebat, et hæc apud se cogitabat. Quid est hoc quod videtur? Novum planè, et ab eâ, quæ hic est, alienum consuetudine: est angelicus, qui cernitur habitus, et alloquitur adolescentulam. Formâ incorporeus affert nutrimentum, tanquàm corporibus conveniens: et essentia materiæ expers tradit mulieri canistrum, qui videtur materialis. Tu.

℣. Audi Filia.

LECTIO 9.

Propterea major mihi concurrit admiratio et metus: quodnam sit quod affertur nutrimentum? Ex quonam panario sit hoc expropychum? Quisnam sit qui hoc paravit? Quænam manus hunc panem fecit? Angelorum non est parare, quæ conveniunt corporis necessitatibus. Nam etsi plurimi per eos sunt nutriti, aptum tamen nutrimentum præpararunt, et per corpus incorporei conservis inserviunt. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXVI. NOVEMB.

OBLATIONIS B. M. V. IN TEMPLO, SEU PURIFICAT. B. ANNÆ.

Duplex 2. Clasis.

Non propria de Comm. Infantiæ.

IN I. VESPER.

Antiph. Capt. et Orat. de Laudib.

HYMNUS 134. *Villamitg.*

Plaudant Beati cœlites,
Exultet orbis jubilo:
Ædis sacratæ limina
Lætis resultent canticis.
En Virgo templo sistitur:
Jessæa proles, jubilus
Valum, Sionis gloria,
Evæque felix æmula.
Lactente pendens ubere
In verba nondùm solvitur:
Volvitque mens cœlestia
Flammasque tollit charitas.
Ardet Deum ferventiùs,
Ferturque magnis æstibus:
Trium nec Infans mensium
Matura jamjam victimæ.
Nostris ut insit cordibus
Divinum ignis, perfice
Virgo; rogantes impetrent
Æterna tandem gaudia.

Doxologia de tempore.

℣. Oblatio tua, Virgo MARIA, allel. ℟. Accepta sit Deo, alleluia.

Ad Magnific. *ant.* Suscepit Dominus oblationem Virginis MARIÆ, recordatus misericordiæ suæ.

AD MATUTIN.

Invitator. Oblationem Sanctissi-

mæ Virginis MARIÆ cum laudibus celebremus: ℣ Venite, adoremus Dominum.

HYMNUS 135. *Villamitgiana.*

Ergò recedant pristinæ
Umbræ, recedant hostiæ:
Ultrò propinquat sanctior
Priscis ab actis Hostia.

Præmente limen Virgine,
Templum repletur gratiâ;
Dum sacrat ipsum cætera,
Sacratur almâ Virgine.

Fuso bidentum sanguine,
Aræ rubescunt fervidæ:
Ridet Deus jucundior
Matris futuræ pignore.

Fumet sabæi galbani
Thurisque misto pulvere
Altare: Virgo lactea
Virtute mulcet sydera.

Virgo potens et gratiæ
Fons, corda purges supplicum:
Gratam Deo nos victimam
Fac nunc et omne in sæculum.

Doxologia de tempore.

IN I. NOCT.

Ant. 1. En dilectus meus loquitur mihi: surge, propera, columba mea, et veni. *Psalm. de feriâ.*

2. Ecce venio, dilecte mi, ut faciam voluntatem tuam.

3. Deus meus, volui legem tuam in medio cordis mei.

℣. Memor sit Dominus sacrificii tui,

℟. Et holocaustum tuum pingue fiat.

De libro Levitici.

LECTIO 1. *c.* 12. *v.* 1.

Locutus est Dominus ad Moysen dicens: loquere filiis Israel, et dices ad eos: mulier si suscepto semine peperierit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ. Et die octavo circumcidetur infantulus: ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ. Tu.

℟. Te, Virgo perpetua, creatura omnis beatam dicit: ℣ Quæ ex sterili Annâ orta, in templo hodiè Deo oblata fuisti. ℣. Saliat ac ducat choros omnis terra, dum oblationem intemeratæ Puellæ fide celebramus.—Quæ.

LECTIO 2.

Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxûs mensirui, et sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, sive pro filiâ, deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ, sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti. Tu.

℟. Agna immaculata, quæ sola de tuo utero lanam Christo, humanam nimirum substantiam contulisti, ℣ Devotis te canticis honoramus, puram oblationem tuam cum gaudio recolentes. ℣. Oblatio tua, sacratissima Virgo, accepta sit Deo. —Devotis.

LECTIO 3.

Sacerdos offeret illa coram Domino, et orabit pro eâ, et sic mundabitur à profluvio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculum aut feminam. Quod si non invenerit manus ejus, nec poterit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccato: orabitque pro eâ sacerdos, et sic mundabitur. Tu.

℟. Qui sterili utero mirabilia fecisti, ℣ Qui vulvam Annæ infœcundam aperuisti, ac ei dedisti fructum immaculatum. ℣. Accipe hodiè

Oblationem novam.—Qui vul.—Gloria.—Qui sterili.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Aperite portas, sacerdotes templi, et spiritualem excipite portam.

2. Benedicta filia à Domino super omnia tabernacula Jacob.

3. Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum,

℣. Ego dilecto meo. ℟. Et ad me conversio ejus.

Sermo D. Georgii Nicomediensis. *In Idiomelon.*

LECTIO 4.

Exulliet hodiè cœlum desuper, et nubes spargant justitiam pro Dei nostri novis maximè insolitisque magnaliis. Ecce enim porta ad orientem inspiciens, ex infœcundo sterilis utero ex promissione partu edita, Deoque in habitaculum consecrata, in templo hodiè immaculata insiar victimæ offertur. Tu.

℟. Suscipe, Sancte Pater, hanc oblationem novam, et tibi gratissimam, quam beata Anna hodiè tibi præsentat: ℣ Puellam MARIAM Unigeniti tui Matrem futuram. ℣. Tribus mensibus natam, et omnium virtutum decore fulgentem. —Puellam.

LECTIO 5.

Hodiè Dei ca, ax templum, Dei Genitrix in Domini templo offertur, eamque Zacharias suscipit. Exultant hodiè sancta sanctorum, ac angelorum chorus mystică ratione conventum, ac diem festum agit, cum quibus nos quoquè hodiè celebrantes, conseriis cum Gabriele vocibus clamemus: Ave gratiâ plena, Dominus tecum: cujus magna est misericordia. Tu.

℟. Aperite portas, atque intra templum spiritualem suscipite portam, ℣ Per quam solum Dei Verbum transiens, obsignatam servavit.

℣. Porta hæc clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam.—Per quam.

LECTIO 6.

Eja agite, populi omnes, laudum eam canticis celebremus, quæ sola immaculata est: quam prædixerant prophetæ, ac quæ in templo oblata est; illam, inquam, quæ ante sæcula prædestinata mater, novissimis temporibus Dei Genitrix effecta est. Ejus nobis, Domine, intercessionibus pacem tuam, ac magnam misericordiam præbe. Tu.

℟. Ornate Sancta Sanctorum, ac præsanctum illud tabernaculum suscipite, ℣ Quo fuit erectum tabernaculum nostrum, quod ceciderat.

℣. Tabernaculum cœlo capacius, universo orbe grandius.—Quo.—Gloria.—Ornate.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo.

2. Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo.

3. Dominus mortificat, et vivificat: deducit ad inferos et reducit.

℣. Tribuat tibi secundum cor tuum.

℟. Et holocaustum tuum pingue fiat.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 22.

In illo tempore: Postquàm impleti sunt dies purgationis MARIÆ secundum legem Moysis. Et reliqua. Homilia S. Methodii Ep. et Mart.

Oratio in Simone et Annâ.

Ad te verò quid dicam ô Mater Virgo, et Virgo Mater? Cujus enim opus non humanum est, ejus et lau-

datio excedit hominem. Quamobrem paupertatis hic meæ obscuritatem tuis à Spiritu honoribus, donisque illustrabo: tuaque tibi offerens è pratis immortalibus, tuum sacrum et à Deo coronatum caput dilaudabo. Patris te canticis, filia David, Materque Domini, et Dei David, salutabo. Turpe enim fuerit, adeoque inauspicatum, ut alienis orneris, quæ propiâ glorià præcellas. Accipe igitur, benignissima, dona pretiosa, tibique uni convenientia, ô cunctis celsior generationibus, quæque inter creata omnia, tam visibilia, tam invisibilia, multis numeris honorabilior enituisti. Tu.

℟. Obsecrò, mi Domine, vivit anima tua, Domine: * Ego sum illa mulier, quæ steti coram te, hic orans Dominum. ℣. Offerens Anna Puellam sacerdoti ajebat.—*Ego sum.* *Bened.* Cujus Oblationem colimus.

LECTIO 8.

Felix radix Jesse, et ter beata domus David in quâ germinasti. Deus in medio tui, et non commoveberis: sanctificavit enim te, tabernaculum suum Altissimus: in te enim Dei ad patres testamenta juramentaque finem gloriosissimum acceperunt; quia ex te natus est Dominus ille, Deus virtutum nobiscum. Rubus ille intactus divinâ quâdam majestate plenam, jam tum informans tuam figuram, Deum prophetæ apparentem, juxta quod ei conspicuus fieri voluit, incombustus ferebat. Tu.

℟. Ascendit Joachim in templum, et omnis domus ejus: * Ut immolaret Domino hostiam solemnem et votum suum. ℣. Pro Puellâ istâ oravi: et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum.—Ut.—Gloria.—Ascendit.

LECTIO 9.

Dura autem rursùs ac prærupta petra, quòd ex te in universum orbem, gratiæ munus refrigeratioque promonavit, et ipsa quondam exprimens, præfiguransque deficiencium populo in deserto copiosum auxilium ex hialibus siccis produxit. Sed et Sacerdotis virga in fructum sine culturâ, spontaneumque sacerdotii perennis arrhabonem efflorens, nihil repubum eximii tui partûs symbolum præbuit. Quid verò nonne magnus ille Moyses, idem loculenter declaravit propter tui difficiles intellectu figuras diutiùs in montem commoratus, ut ignotatua sacramenta, ô casta, ediisseret? Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per horas antiphonæ.

1. Cum complerentur * dies purificationis beatissimæ Annæ, obtulit Domino Virginem MARIAM in templo.

Psalmi de Dominicâ.

2. Exultet orbis * jubilo, nam hodiè offertur Deo sacratissima Hostia.

3. Ecce venio, * ut faciam voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ.

4. Felicia prorsùs * Pontificis brachia quæ tantam suscipiunt victimam.

5. Suscipiat Dominus sacrificium tuum, et holocaustum tuum pingue fiat.

CAPITULUM *Lev.* 1. 13.

Offeret eam Sacerdos ad altare... Holocaustum est, et oblatio suavissimi odoris Domino.

HYMNUS 136. *Vilamitg.*

Salvete, clari conjuges,
Sanguis Sacerdotum, genus
Regum: beatos sæcula
Vos prole vestrâ prædicant.

Per vos Parentem Conditor,
Per vos coronam cœlites,
Fidam miser custodiam

Per vos receptam gaudeat.

Et nunc rogetis, quæsumus;
Culpæ malis nos exui,
Donis repleri Spiritûs,
Demùm potiri glorià.

Offerte vestram denuò
Summo Parenti Filiam,
Ut nos simùl cum munere
Digni putemur gratiâ.

Ac ipsa Virgo Virginum
Adsit secundo numine,
Votisque nostris annuens
Optata nobis impetret.

Doxologia de Tempore.

℣. Oblatio est coram Domino.

℟. Odor suavissimus victimæ.

Ad Benedict. *ant.* Pro Puellâ istâ oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum.

Oratio.

Supplicationem servorum tuorum, quæsumus Domine, benignus exaudi, ut qui in Oblatione Beatissimæ Virginis MARIÆ gloriamur, à cunctis mentis et corporis liberemur adversis. Per Dominum.

AD PRIMAM.

Ant. Cum complerentur. *Capit.* Offeret.

℣. ℟. *br.* Quæ hodiè in templo oblata fuisti.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Exod.* 29. 42.

Sacrificium est Domino oblatione perpetuâ in generationes vestras ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino.

℟. Oblatio tua * Virgo MARIA. Oblatio. ℣. Accepta sit Deo. Virgo. Gloria.—Oblatio. ℣. Oblatio est coram Domino. ℟. Odor suavissimus victimæ.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Eccl.* 35. 8.

Oblatio justi impinguat altare et odor suavitatis est in conspectu Altissimi, et memoriam ejus non obliviscetur Dominus.

℟. *br.* Oblatio est * Coram Domino. Oblatio. ℣. Odor suavissimus victimæ Coram.—Gloria.—Oblatio. ℣. Hostia pacifica ejus Oblatio. ℟. Immaculata coram Domino.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Lev.* 12. 6.

Cum expleti fuerint dies purgationis mulieris pro filio, sive pro filiâ, deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ sive turturem.

℟. *br.* Hostia pacifica * Ejus oblatio. Hostia. ℣. Immaculata coram Domino. Ejus.—Glor.—Hostia. ℣. Memor sit Dominus sacrificii tui. ℟. Et holocaustum tuum pingue fiat.

In II. Vesp. antiph. et Capit. de Laudib. Hymn. de Comm.

℣. Hostia pacifica ejus oblatio. ℟. Immaculata coram Domino.

Ad Magnific. *ant.* Quia respexit oblationem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

DIE XXVII. NOVEMB.

DIE VII. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

Lect. 1. *Noct. de feriâ occurrent.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Germani Arch. Constant.

Oration. In Præsent. B. V. M.

LECTIO 4.

Abi, igitur Deipara Domina, abi in tuam hæreditatem: incede in altriis Domini exultans et gaudens: alta illic et virens, Sancti in te Spiritûs quotidiè adventum expectans, ac Altissimi obumbrantem virtutem, tuique Filii conceptionem, uti tibi Gabriel acclamaturus est: atque his, qui tuam celebrant festivitam, tuum impende auxilium, ac protectionem, tutamenque tuis sempèr intercessionibus ab omni eos libera

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

necessitate, ac periculis, gravibusque morbis, ac omnis generis calamitatibus, futuràque justi Filii tui comminatione. Tu.

℣. Ad templum.

LECTIO 5.

Tu enim sola Dei Genitrix, altissima super omnem terram: nos verò te, divina Sponsa, fide benedicimus, desideriòque honoramus, ac timore adoramus, sempèr te exaltantes, ac veneratione beatam prædicantes. Beatus quippè reverà ex viris Pater tuus, et beata ex mulieribus Mater tua: beata domus tua: beati noti tui: beati qui te viderunt: beati qui tuâ usi sunt consuetudine: beati qui tibi ministrarunt: beata loca quæ calcasti: beatum templum, in quo oblata fuisti: beatus Zacharias, qui te ulnis excepit: beatus JOSEPH qui te sibi despondit: beatus lectus tuus: beatum sepulchrum tuum. Tu enim summus honor es, summum præmium, ac summa celsitudo. Tu. ℣. Aperite.

LECTIO 6.

Sed ò Domina, sola tu meum ex Deo solatium: divinus ros in me existentis æstus, exarescentis cordis mei divinitùs affluentes guttæ: tenebricosæ animæ meæ debilitatis virtus: nuditatis meæ vestimentum: mendicitatis meæ divitiæ: insanabilium vulnerum meorum medicina: lacrymarum mearum extinctio: gemituum meorum cessatio: calamitatum depulsio: dolorum levatio: vinculorum solutio: meæ spes salutis: exaudi preces meas, miserere meorum gemituum, ac suscipe lamenta mea. Tu.

℣. Congratulamini.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 4. 11.

In illo tempore: Cum esset JESUS in deserto, ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei. Et reliqua. Homilia Theophilacti Ep. Bulgariæ.

In Biblioth. PP. concionatoria.

In templum beata Virgo adducitur, non clanculùm, nullâque magnificentiâ ac splendore, sed clarâ ac publicâ pompâ. Faustis omnibus domo educitur, cunctis plausu egredientem excipientibus: cognati omnes ac vicini, quotquot item amicitiæ vinculo ejus juncti parentibus erant: patres Patri: matres Matri congratulabantur: puellæ juvenculæ faces præferentes divinæ Puellæ comites, præcedebant, ac si stellarum corona cum lunâ sublucet: tota denique Jerosolymorum civitas novæ hujus pompæ spectaculo personabat, cum Puellam triennem tantâ claritate circumductam, tali splendore, atque luminum gestatione viderent decoratam. Tu.

℣. Quòd relinq.

LECTIO 8.

Ubi autem ad templum advenissent, Tribus omnis sacerdotalis obviam facta canticis accipiebat: quin et ipsum Pontificem rei miraculum movebat: tantòque ampliùs, quantò magis Deo afflatus erat. Ei porrò parentes Puellam obtulerunt, concrediunque, ac sterilitatem, quodque de illâ votum nuncupaverant, referunt. Quin præcreâ Puellæ sè educatione impares profitentur. Diviniòr cum existat, ejusmodi institutionem exigere, quæ illi congruat: nec tanti margaritum splendoris, ac inæstimabile pauperculo panno committendum, cum ad majorem gloriam, ac ornatum regio ipso peplo nectere condeceat. Tu.

℣. Audi filia.

LECTIO 9.

Porrò Deus, quo sibi quæ gerebantur accepta ostenderet, signo communit: quippè Angelo ministro ad

ejus Puellæ, quæ oblata fuerat, alimoniam usus, alitque novo, ac inaudito modo, cujus partu ipse edendus erat, atque illius opera alendus, ut nihil ferè ejus intra humanos modos consistat, sed divina omnia diluceant, ac ostendantur. Hoc nobis festivitas. Hoc hodiè celebremus, Puellæ præsentationem, atque in Sancta sanctorum inductionem. O rem novam, novamque auditionem! femineam Puellam in Dei penetralibus, ac locis inaspectis versari. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequent. ut in 1. *Vesp. Præsentat.*

DIE XXVIII. NOVEMBR.

OCTAVA PRÆSENTAT.

Duplex majus.

AD MATUTIN.

HYMNUS 137. *Parn. Virginal.*

Plebis diem festum celebret per orbem,
Quo JESU-Christi Genitrix futura
Sistitur Patri, speciale templum
Pneumatis almi.
Sola ter quinos teneris sub annis
Hæc gradus scandit levitèr puella:
Prima dilectam Domino dicavit
Virginitatem.
Exules, Mater, miseros faveto
Criminum sempèr veniam precando
Filios regni paritèrque cives
Fac et hæredes.
Summa potestas, salus atque virtus
Sit tibi sempèr Deitas beata
Quæ creas orbem, sapientèr atque
Cuncta gubernas. Amen.

Lect. 1. *Noct. ut in die Præsentat.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Andreæ Cretensis.

Orat. 1. *de Natiw. B V.*

LECTIO 4.

Quòd autem ex sterili Matre prodiisset ex cujus vulvâ prodiit immortalitatis spica, eam parentes primum florentem ætatis florem, in templum abduclam Deo obtulerunt. Cumque is, qui id temporis sacerdotii vice fungebatur, præeuntes et subsequentes commilantium Virginum choreas aspexisset, gavisus est, valdèque exultavit, tanquàm rerum in spe positarum divini eventus perspicuè cerneret: ac veluti desiderabilem hostiam divinum donarium Deo consecravit. Tu.

℣. Ad templum.

LECTIO 5.

Occupemus verò nos templi vestibula, præcurrentibus Virginibus socio paritèr cursu comites adjungamur: in sancta ipsa sanctorum simùl ingrediamur. Illic enim post fascias, post nativitatem, post ubera, post infantiam primò ætatis flore pubescenti thalami instar ei Deus educatorium paravit: sibi ipsi quoquè venerabile, augustumque esset, conservans. Hinc filiæ Sion velut præeuntes Reginæ in odorem unguentorum ejus præludunt. Hinc et templum Dei sacras expandens excusit portas. Tu. ℣. Aperite.

LECTIO 6.

Tunc plenè, tunc sanctorum illa paluerunt sancta, cum sanctissimam sancti Matrem intra advtorum gremium reciperent. Porrò congrua ei profertur esca, haclenusque alit, nulla hominum manu comparato cibo, qui modicâ aliquantulùm ejus alendus est lacte: ac Spiritus Sanctus nutritius efficitur Virginis usque ad tempus ostensionis ejus in Israel. Tu. ℣. Congratulamini.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 4.

In illo tempore: Cum esset JESUS in deserto, ecce angeli accesserunt,

et ministrabant ei. Et reliqua.

Homilia D. Georgii Nicomediensis.

In Præsent. B. V. M.

Quis vidit, quis audivit talem ascensum corporis, quod in sanctis habitat, et stipatur ab angelis, et alimentum accipit ambrosiam? Nam animæ quidem incorporeæ, communione, etiamsi ad summam pervenerint impassibilitatem, vix frui potuerint angelico nutrimento, etiamsi cibum angelorum, ratiocinemque falli et errare non potest scriptura significet. Hic autem manus corporeæ admirabile, quod conspectum fuit alimentum accipiunt, et per ipsum immaculata anima impletur donis. Tu. ℟. Quòd relinq.

LECTIO 8.

O summam puritatem! O ascensum ætatis, quales scalas honestatis statuit ad cœlestium altitudinem, per quas Verbum descensu novo ad nos descendit, per quas quod interius erat situm terrenum naturæ tabernaculum ascendit ad cœlos. Oportebat enim divinum tabernaculum talibus augeri ascensionibus. Tu. ℟. Audi, Filia.

LECTIO 9.

Oportebat agnam immaculatam tali excipi convivio, talibus cibis exatiari. Oportebat non in Sanctis Sanctorum tabernaculi, sed in cœlo cœli in primâ ætate advocari eam: quæ his conspecta erat latior, et puritate antecellit. Oportebat non unum solum ei inservire angelum, sed decies mille millia constipare. Etenim quem illi minimè possunt videre, ipsa mirandum in modum in utero constituit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Sixto Papâ Quinto.

Cons. 16. Intemeratæ. *an.* 1858. *Tom. IV. p. 4. p.* 142.

429. Hâc perpetuâ constitutione mandamus, ut Præsentationis Beatæ MARIÆ sempèr Virginis festus dies undecimo Kalendas Decembris per omnes totius orbis Ecclesias duplici Officio prout in Nativitatis die, sumpto Præsentationis vocabulo peragatur, idemque in Kalendario Romano cum Duplicis adjectione inseratur. Tu.

Vesper. ut in 2. *Vesp. Præsent. In his diebus finitur tempus Infantiæ, et incipit tempus Prægnat. B. V. Ideò Officium fit secundum temporis diversitatem.*

DIE XXX. NOVEMB.

B. M. V. DE SANITATE.

Duplex.

Oratio.

Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosæ Beatæ MARIÆ sempèr Virginis intercessione à præsenti liberari tristitiâ et æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum.

AD MATUTIN.

HYMNUS 138. *Ex Flaminio.*

Gaudium mundi, ò hominum benigna
Mater, ô cunctis memoranda, namque
Quid potest gratum sine te, quid dulce
Ulli videri.
Te sanitatis canimus parentem,
Virgo, funestis inimica morbis
Unicum vitæ decus, et malorum
Dulce levamen.
Hùc ades nostrum miserans laborem,
Languidos aurâ refovens salubri
Et simùl artus hominum caducos
Alma revisens.
Illicet morbi fugiunt protervi,
Occidit febris truculenta, dirus

Occidit pallor, fera mors profundo
Exulat orco.
Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Lect. 1. *Noct. de fer.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Amadei Ep. Lausanensis. *Homil.* 8. *de Laudib. B. V.*

LECTIO 4.

Non solùm autem animarum saluti, verùm etiàm humanorum corporum sanitati Beatissima Virgo MARIA, atque necessitati piâ diligentiâ providet, et medetur. In locis quippè memoriæ sanctitatis ejus dicatis, claudis gressum, cæcis visum, surdis auditum, mutis impetrat eloquium, curans omne genus languorum, præbensque innumera beneficia sanitatum. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Accedunt ad ejus limina rei tundentes pectora, confitentes delicta, et acceptâ veniâ læti ad propria revertuntur. Accedunt etiàm mente capti, capite languidi, phrænetici, maniaci, arreptitii, nocturno fimore, aliove phantasmate, seu certâ maligni incursione delusi, qui receptâ sospitate, divini muneris largitatem assequuntur. Accedunt nihilominus ad ejus vestigia, qui amaro sunt animo, mœsti, egeni, afflicti, desolati, ære alieni obligati, quodque gravissimum est viventes cum dedecoris notâ respersi. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Horum, et omnium de quàcumque tribulatione clamantium illi, libens preces suscipit, et Nato supplicans, omne malum ab eis miseratrix avertit. Etenim sicut ignis attactu cera liquescit, et velut ardore solis defluit glacies, sic ab ejus facie inimicorum desperit acies, eâque jubente, nihil adversi subsistit. Tu. ℟.

Homil. pro Duplicib. de Comm. vel Infant. vel Præg.

LECTIO 9.

Commem. B. Virginis Imperlatæ.

Octav. Cajetan. de Effig. siculis.

Matthæus Willelmus vicecancellarius regis in Siciliâ virginum monasterium sub nomine beatæ MARIÆ condidit. Hvic olim dono dedit Beatæ Virginis effigiem græco more puerum lenentis, in tabulâ depictam, gemmis et unionibus decoratam, undè nomen Iconi siculo vocabulo impositum Imperlata. Porrò Ferdinando rege, versus annum millesimum quingentesimum duodecimum, mulier cupiditate impulsa unionem rapuit ex grandioribus ex coronâ, pressoque pugno jam secura furti excesserat: sed posteà palmam neuticam potuit explicare, cœlesti vi compressis digitis. Undè animadverso scelere, mulier gemebunda ad templum revertitur, coram omnibus noxam fatetur, veniâque à Virgine impetratâ manum aperuit, et furtum restituit. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

FESTA DECEMBRIS.

DIE I. DECEMB.

ANNUNTIAT. CONCEPT. B. M. V.

Dupl. majus.

IN I. VESPER.

Antiph. Capitul. et Orat. de Laudib.

HYMNUS 139. *Paru. Marian.*

Ante mundi principium
Deus creator omnium,
Prævidit, ut per Filium
Nobis daret remedium.
Ad Joachim, ut legitur,
Per Angelum promittitur

et ministrabant ei. Et reliqua.

Homilia D. Georgii Nicomediensis.

In Præsent. B. V. M.

Quis vidit, quis audivit talem ascensum corporis, quod in sanctis habitat, et stipatur ab angelis, et alimentum accipit ambrosiam? Nam animæ quidem incorporeæ, communione, etiamsi ad summam pervenerint impassibilitatem, vix frui potuerint angelico nutrimento, etiamsi cibum angelorum, ratiocinemque falli et errare non potest scriptura significet. Hic autem manus corporeæ admirabile, quod conspectum fuit alimentum accipiunt, et per ipsum immaculata anima impletur donis. Tu. ℟. Quòd relinq.

LECTIO 8.

O summam puritatem! O ascensum ætatis, quales scalas honestatis statuit ad cœlestium altitudinem, per quas Verbum descensu novo ad nos descendit, per quas quod interius erat situm terrenum naturæ tabernaculum ascendit ad cœlos. Oportebat enim divinum tabernaculum talibus augeri ascensionibus. Tu. ℟. Audi, Filia.

LECTIO 9.

Oportebat agnam immaculatam tali excipi convivio, talibus cibis exatiari. Oportebat non in Sanctis Sanctorum tabernaculi, sed in cœlo cœli in primâ ætate advocari eam: quæ his conspecta erat latior, et puritate antecellit. Oportebat non unum solum ei inservire angelum, sed decies mille millia constipare. Etenim quem illi minimè possunt videre, ipsa mirandum in modum in utero constituit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Sixto Papâ Quinto.

Cons. 16. Intemeratæ. *an.* 1858. *Tom. IV. p. 4. p.* 142.

429. Hâc perpetuâ constitutione mandamus, ut Præsentationis Beatæ MARIÆ sempèr Virginis festus dies undecimo Kalendas Decembris per omnes totius orbis Ecclesias duplici Officio prout in Nativitatis die, sumpto Præsentationis vocabulo peragatur, idemque in Kalendario Romano cum Duplicis adjectione inseratur. Tu.

Vesper. ut in 2. *Vesp. Præsent. In his diebus finitur tempus Infantiæ, et incipit tempus Prægnat. B. V. Ideò Officium fit secundum temporis diversitatem.*

DIE XXX. NOVEMB.

B. M. V. DE SANITATE.

Duplex.

Oratio.

Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosæ Beatæ MARIÆ sempèr Virginis intercessione à præsenti liberari tristitiâ et æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum.

AD MATUTIN.

HYMNUS 138. *Ex Flaminio.*

Gaudium mundi, ò hominum benigna
Mater, ô cunctis memoranda, namque
Quid potest gratum sine te, quid dulce
Ulli videri.
Te sanitatis canimus parentem,
Virgo, funestis inimica morbis
Unicum vitæ decus, et malorum
Dulce levamen.
Hùc ades nostrum miserans laborem,
Languidos aurâ refovens salubri
Et simùl artus hominum caducos
Alma revisens.
Illicet morbi fugiunt protervi,
Occidit febris truculenta, dirus

Occidit pallor, fera mors profundo
Exulat orco.
Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Lect. 1. *Noct. de fer.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Amadei Ep. Lausanensis. *Homil.* 8. *de Laudib. B. V.*

LECTIO 4.

Non solùm autem animarum saluti, verùm etiàm humanorum corporum sanitati Beatissima Virgo MARIA, atque necessitati piâ diligentiâ providet, et medetur. In locis quippè memoriæ sanctitatis ejus dicatis, claudis gressum, cæcis visum, surdis auditum, mutis impetrat eloquium, curans omne genus languorum, præbensque innumera beneficia sanitatum. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Accedunt ad ejus limina rei tundentes pectora, confitentes delicta, et acceptâ veniâ læti ad propria revertuntur. Accedunt etiàm mente capti, capite languidi, phrænetici, maniaci, arreptitii, nocturno fimore, aliove phantasmate, seu certâ maligni incursione delusi, qui receptâ sospitate, divini muneris largitatem assequuntur. Accedunt nihilominus ad ejus vestigia, qui amaro sunt animo, mœsti, egeni, afflicti, desolati, ære alieni obligati, quodque gravissimum est viventes cum dedecoris notâ respersi. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Horum, et omnium de quàcumque tribulatione clamantium illi, libens preces suscipit, et Nato supplicans, omne malum ab eis miseratrix avertit. Etenim sicut ignis attactu cera liquescit, et velut ardore solis defluit glacies, sic ab ejus facie inimicorum desperit acies, eâque jubente, nihil adversi subsistit. Tu. ℟.

Homil. pro Duplicib. de Comm. vel Infant. vel Præg.

LECTIO 9.

Commem. B. Virginis Imperlatæ.

Octav. Cajetan. de Effig. siculis.

Matthæus Willelmus vicecancellarius regis in Siciliâ virginum monasterium sub nomine beatæ MARIÆ condidit. Hvic olim dono dedit Beatæ Virginis effigiem græco more puerum lenentis, in tabulâ depictam, gemmis et unionibus decoratam, undè nomen Iconi siculo vocabulo impositum Imperlata. Porrò Ferdinando rege, versus annum millesimum quingentesimum duodecimum, mulier cupiditate impulsa unionem rapuit ex grandioribus ex coronâ, pressoque pugno jam secura furti excesserat: sed posteà palmam neuticam potuit explicare, cœlesti vi compressis digitis. Undè animadverso scelere, mulier gemebunda ad templum revertitur, coram omnibus noxam fatetur, veniâque à Virgine impetratâ manum aperuit, et furtum restituit. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

FESTA DECEMBRIS.

DIE I. DECEMB.

ANNUNTIAT. CONCEPT. B. M. V.

Dupl. majus.

IN I. VESPER.

Antiph. Capitul. et Orat. de Laudib.

HYMNUS 139. *Paru. Marian.*

Ante mundi principium
Deus creator omnium,
Prævidit, ut per Filium
Nobis daret remedium.
Ad Joachim, ut legitur,
Per Angelum promittitur

Proles, quâ salus redditur,
Undè dies hæc agitur.
Cujus diei gaud.a
Ut salutis primordia
Fidelium Ecclesia
Celebret cum lætitiâ.
Hanc igitur solemnitèr
Colamus et fidelitèr:
Hanc amemus veracitèr
Ut nos conservet jugitèr.

Doxologia de tempore.

℣. Lauda sterilis, quæ non paris.

℟. Decanta laudem et hinni, quæ non pariebas.

Ad Magnificat. *ant.* Semen vestrum gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit: noli timere Anna, quia non confunderis, neque erubescas.

AD MATUTIN.

Invitator. Laudemus Deum nostrum * In Annuntiatione Conceptionis Beatæ Virginis MARIÆ.

HYMNUS. 140. *Apud Theophil.*

Templis ferentem munera *Rain.*
Joachim Sacerdos repulit:
Heus, inquit, hinc mihi ocyùs
Profana verba tollite.
Ipsi simùl procùl, procùl
Aris sacris absistite:
Vestra Deo donaria
Futura grata creditis?
Quò se loco verterent
Vultus pudentum conjugum,
Repulsa quos tam fœda, tam
Insignis exanimaverat?
Joachim pudorem non ferens,
Gregum ad suorum pascua
Se projicit, tristis suam
Recepit Anna se domum.

Doxolog. de Tempore.

IN I. NOCT.

ant. 1. Concluserat Dominus vulvam Annæ, et erat sterilis.

2. Deprecatusque est Joachim Dominum pro uxore suâ, eo quod esset sterilis.

3. Exaudivit illum Dominus, et dedit ei petitionem, quam rogavit eum.

℣. Voluntatem timentium se faciet.

℟. Et deprecationem eorum exaudiet.

De libro primo Regum.

LECTIO 1. *c.* 1. 1.

Fuit vir unus de Ramathaimsophim, de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana, filius Jeroham, filii Elia, filii Thohu, filii Suph, Ephratæus: et habuit duas uxores, nomen unî Anna, et nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filii: Annæ autem non erant liberi. Et ascendebat vir ille de civitate suâ statutis diebus, ut adoraret, et sacrificaret Domino exercituum in Silo. Tu.

℟. Apparit Annæ angelus Domini et dixit ad eam: * Sterilis es, et absque liberis, sed concipies et paries Filiam. ℣. Quæ cum venisset ad maritum suum, dixit ei: Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, et dixit mihi.—Sterilis.

LECTIO 2.

Surrexit autem Anna, postquàm comederat, et biberat in Silo. Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini, cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largitèr, et votum vovit. Factum est autem, cum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os ejus. Porrò Anna loquabatur in corde suo, tantùmque labia illius movebantur, et vox penitùs non audiebatur..... Tunc Heli ait ei: Vade in pace: et Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum. Tu.

℟. Ecce concipies et paries Filiam: * Et ipsa incipiet liberare Israel de manu Philistinorum. ℣. Erit enim Deo sacrata ab Infantiâ suâ, et ex matris utero usque ad diem mortis suæ.—Et ipsa.

LECTIO 3.

Et illa dixit: Utinàm inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam, et comedit, vultusque illius non sunt ampliùs in diversa mutati. Et surrexerunt manè et adoraverunt coram Domino: reversique sunt, et venerunt in domum suam Ramatha. Cognovit autem Elcana uxorem suam: et recordatus est ejus Dominus. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, et peperit filium. Tu.

℟. Lætare sterilis Anna, erumpe et clama, * Quia ecce concipies et paries filiam, quæ erit gaudium universæ terræ. ℣. Confusionis adolescentiæ tuæ obliviscêris, et opprobii sterilitatis tuæ non recordaberis ampliùs.—Quia.—Gloria.—Quia.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Erat quidam vir, nomine Joachim habens uxorem sterilem.

2. Et apparuit ei Angelus Domini, dixitque ad eum: Anna uxor tua concipiet, et pariet filiam.

3. Exaudivit Dominus vocem fletûs mei: Dominus orationem meam suscepit.

℣. Propè est Dominus invocantibus eum.

℟. Invocantibus eum in veritate.

LECTIO 4.

Christoph. de Castro, Histor. Deiparæ, c. 2.

Cum Joachim et Anna per multos annos in casto conjugio permansissent, quòd Anna ad filios procreandos apta non esset ob sterilitatem; nullum tempus præteribant, in quo summis precibus, lacrymis subindè effusis, jejuniis præterea, et honestis aliis officiis adjectis à Deo non contenderent, prolem ut acciperent, quam illi possent consecrare: idque præcipuè eis erat votum, quoliès ad templum sine rubore ac dedecore ascendebant. Tu.

℟. Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, * Dabo filium, quam dederis servæ tuæ, Domino omnibus diebus vitæ ejus. ℣. Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, et votum vovit, dicens.—Dabo.

LECTIO 5.

Aliquandò ergò ad Encæniorum festum celebrandum, Novembri mense, Jerosolymam profecti, cum se despici ob infœcunditatem animadverîssent, Deum suum obnixè deprecati, suis ut adesset votis, pollicentes, ut sæpè aliàs, consecraturos se fructum, quem è cœlo datum percepissent: quin imò de re solliciti, coacti sunt Anna ad hortum, Joachim verò ad montem, ubi pastores eorum pascebant gregem, secedere, ut liberiùs possent Dei misericordiam promereri. Tu.

℟. Pariet Anna Filiam, cui benedicturus sum: * Eritque in nationes, et reges populorum orientur ex eâ. ℣. Et constituam illi in fœdus sempiternum, et semini ejus post eam.—Eritque.

LECTIO 6.

Hâc de causâ cum in preces per dies aliquot perstitissent, clementissimus Deus misit novi, bonique nuntii Angelum suum, qui Joachimo nuntiavit Annam uxorem suam concepturam spectatissimam Virginem, ex quâ ducem illum, tot jam sæculis optatum, universo orbi

daturum se fuerat pollicitus: atque id ipsum motu divino manifestatum est Annæ. Sic uterque fidem habentes divino Paraninpho, quod præscierunt, cum eâ, quam tantum nuntium requirebat, gratulatione, sibi invicem renuntiarunt. Tu.

℟. Revertens veniam ad te * Tempore isto, vitâ comite, et habebit Filiam Anna uxor tua. ℣. Erant autem ambo senes, provectæque ætatis.—Tempore.—Gloria.—Tempore.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

2. Flebat Anna, et præ angustiâ sterilitatis non capiebat cibum.

3. Noli flere: Deus Israel dabit tibi petitionem tuam.

℣. Expectans expectavi Dominum.

℟. Et intendit mihi.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 5.

Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, Sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Damasceni.

Orat. 1. *in Dorm. Deipar.*

Joachim et Anna parentes Virginis fuerunt. Joachim quidem velut quispiam ovium pastor cogitationes non minùs quàm pecora pascebat, ad arbitrium illas ducens. Anna verò, cujus nomen gratiam sonat, non minus morum quàm matrimonii jugo copulata cum illo erat: quæ tamen cum omni virtutum genere floreret, misticâ quâdam ratione sterelitatis morbo tenebatur. Nimirum sterilis verè gratia erat, quæ in hominum animis fructum edere non posset. Siquidem omnes declinaverunt, simul inutiles facti erant: non erat intelligens, aut requirens Deum. Tu.

℟. Erant justi ambo ante Deum, * Incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querelâ. ℣. Et non erat illis filius, eo quod esset Anna sterilis, et ambo processissent in diebus multis.—Incidentes.

Bened. Cujus Annuntiationem Conceptionis colimus.

LECTIO 8.

Tum bonus Deus manus suæ figmentum respiciens, et miseratus, cum illud tandèm salvum facere vellet, gratiæ, hoc est Annæ sterilitatem solvit; quæ Filiam parit, qualis nec ante fuit, nec posthàc futura est. Atqui sterilitatis depulsio hoc apertissimè indicabat fore, ut bonorum sterilitas, quâ mundus laborabat, submoveretur, et truncus aridus copiosæ arcanæ beatitudinis fructu donaretur.

℟. Ne timeas, Joachim, quoniàm exaudita est deprecatio tua: Uxor tua Anna pariet tibi Filiam, et vocabis nomen ejus MARIAM. ℣. Et erit gaudium tibi, et exultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt.—Uxor.—Gloria.—Uxor.

LECTIO 9.

Eam ob rem Dei Genitrix ex promissione prodit. Angelus enim nascituræ conceptionem parentibus ejus nuntiat. Quippè conveniebat, ut hàc etiàm re nulli cederet, nec posteriores partes, quæ solùm vereque perfectum Deum secundum carnem erat paritura. Tu.

Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Apparuit illi * Angelus Domini, et Joachim turbatus est, et timor irruit super eum.

2. Ne timeas, * Joachim, quoniàm accepit Deus deprecationem tuam.

3. In semine tuo * benedicentur omnes tribus terræ.

4. Ex multitudine mœroris et doloris loquebatur Anna plorans coram Domino.

5. Vadè in pace, * et Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum.

CAPITULUM. 1. *Reg.* 2. 1.

Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo.

HYMNUS 141. *Apud Theoph.*

Joachim et Anna fletibus, *Rain.*
Votisque pertinacibus,
Orare non cessant Deum
Ut probè probrum tolleret.
Cœlum penetrarunt preces,
Adest ab astris Angelus,
Qui prole promissâ graves
Luctus juberet ponere.
Surgunt alacres invicem
Narrare visa gestiunt,
Portà maritus aureâ
Se quæritantem conjugem
Offendit; hic lætus stupor
Dulces utique lacrymas
Excurrit, hinc modicos lares
Junctis revisunt gressibus.
Haud vana vox oraculi
Lusit piam servùm fidem,
Bis luna nata quinquiès
Anum videt puerperam.

Doxologia de Tempore.

℣. Benedicamus Deum, qui te creavit.

℟. Benedictus uterque Pater, qui te generavit.

Ad Benedict. ant. Joachim et Anna, cum essent ambo justi coram Domino, elegit eos ex omni carne, in Sanctissimæ ejus Genitricis parentes, et benedictionem omnium gentium dedit illis Dominus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Sanctum Angelum tuum Conceptionem Bealissimæ Virginis MARIÆ Sanctis Joachim et Annæ revelasti, eorumque planctum in gaudium convertisti, concede propitius, ut qui tanti mysterii memoriam facimus, cœlesti quoquè repleamur lætitiâ. Per Domin.

AD PRIMAM.

Ant. Apparuit. *Capit.* Exultavit. *de Laud.*

℣. ℟. *br.* Quæ parentibus tuis annuntiata ab Angelo fuisti.

CANON.

Ex D. Fulberto Ep. Carnotensi. *Serm. de Nativ. B. V.*

430. Missus est Angelus Domini priùs ad Joachim, deindè ad Annam, nuntians eis nasciturum filiam, nomine MARIAM, cui similis sanctitate, nec anteà nata fuerit, nec posteà nasceretur. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. 1. *Reg.* 1. 10.

Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largitèr et votum vovit.

℟. *br.* Exaudiat te Dominus * In die tribulationis.—Exaudiat.—℣. Protegat te nomen Dei Jacob.—In.—Gloria.—Exaudiat. ℣. Mittat tibi auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tueatur te.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. 1. *Reg.* 1. 10.

Et abit mulier in viam suam, et comedit, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati.

℟. *br.* Mittat tibi * Auxilium de Sancto.—Mittat.

℣. Et de Sion tueatur te.—Auxil.—Gloria.—Mittat.

℣. Memor sit omnis sacrificii tui.

℟. Et holocaustum tuum pingue fiat.

AD NONAM.

CAPITULUM. 1. *Reg.* 1. 19. Et surrexerunt manè, et adoraverunt coram Domino: reversique sunt, et venerunt in domum suam. ℟. *br.* Memor sit ' Omnis sacrificii tui.—Memor. ℣. Et holocaustum tuum pingue fiat. Omnis. —Gloria.—Memor. ℣. Tribuat tibi secundum cor tuum. ℟. Et omne consilium tuum confirmet.

IN II. VESPERIS.

Antiph. et Capit. de Laudib.

HYMNUS 142. *Carol. à S. Antonio.*

Moses congeminans monte precamina
Legem promeruit sumere amabilem,
Orans sed Joachim monte, beatior
Factus munere Filiæ
Matris Legiferi: sic viridario
Conjux Anna manus vexit, ut altera
Eva; at dissimili quàm nimis exitu
Palmas extulit utraque.
Versuto colubro femina credula
Attollens vetitam brachia ad arborem,
Pomum corripuit, quo sibi mortifer
Succus fluxit, et omnibus.
At Anna ad superum brachia dirigens
Numen, lecta parens Virginis inclytæ
Fructu digna fuit, quo sibi prodiit
Cunctis vitaque gentibus.
Gratas perpetuæ sint tibi, Trinitas,
Tu nos insidiis dæmonis eripis:
Tu mortem removes: tu bona perpelis
Vitæ munera porrigis.
Amen.

℣. Benedicamus Deum, qui te creavit.

℟. Benedictus uterque Pater, qui te generavit.

Ad Magnific. *ant.* Filia, quæ nascetur vobis, erit Deo sacrata, et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.

DIE II. DECEMB.

D. VIRG. ALETENSIS.

Simplex.

Ad Matut. Invitat. et hymn. de Communi: antiph. ℣. et ℟. de feriâ occurr.

LECTIO 1.

Ex Histor. B. V. M. de Alet. Ex antiquâ per Tolosatium regionem vulgatâ traditione fertur, versus undecimi sæculi finem pium quemdam agricolam ad Deiparæ honorem Aletense sacellum elevasse non longè à pago Montis-aculi in Tolosanâ Diœcesi. A pluribus annis in mente tantæ pietatis opus habebat, quandò sanctissima Virgo ei inter arandum apparens, injungit, ut eo in loco, optatam capellam extrueret. Ipse verò hoc insigni beneficio in suo confirmatus consilio, sumptibus sollicitè quæsitis et inventis, illam ingenti gaudio ædificavit eodem in situ ab ipsâ Divâ Virgine designato. Tu. ℟. *de feriâ occur.*

LECTIO 2.

Post tria autem sæcula in quibus Aletense Sacellum omnium fuerat miserorum refugium, et subsidium, Hæretici sacrilego odio ducti illud usque ad fundamenta destruxere. At ſin decimi septimi sæculi fine Beatissima Virgo pluribus renovatis prodigiis ejus reædificationem iterùm curavit: in quâ maximè notatu id invenitur, quòd magnâ fidelium turba ad Aletensem collem ex circumstantibus locis interno ducta impulsu, quasi ex consilio confluebat, cum nemo nemini suum secretum patefecerit: Hocque factum fuit, quòd marianum sacellum brevissimo in tempore denuò ædificatum apparuerit. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Centum tandèm et viginti annis delapsis, in quibus omnis generis piorum donis sacellum ditatum fuerat, tempore gallicanarum revolutionum omninò fuit spoliatum. Diruì quoquè jussum fuerat, erantque etiàm destructores assignati, sed Deo ita mirabiliter disponente, nullus ausus est eversionis opus aggredi: adeò quòd antiquum ædificium servatur hodiè omninò illæsum, quotidiè populorum majori frequentiâ veneratum, sibi complacente Deiparâ in eâ domo omni venienti sua dona abundantèr impertiri. Tu. ℟.

Ad Laud. et horas omnia de Communi.

Ad Benedict. *ant.* ℣Ora, tibi ' restituam sublatam labe salutem, et sanum mea te gratia semper alet. *Vesperæ de sequenti.*

DIE III. DECEMBR.

B. M. V. REGINÆ MISERIC.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui Beatam MARIAM semper Virginem, Matrem tuam, Misericordiæ Reginam esse voluisti; concede propitius, ut qui ejus imploramus auxilium, misericordiæ ipsius experiamur effectum. Qui vivis et regnas.

Invitator. et ℟℟. ad Matut. ut in die 28. Sept. p. 361.

Lect. 1. Noct. de feriâ. In advent.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis. *Serm. in Nat. B. V. art. un. c.* 3.

LECTIO 4.

Meruit super omnia Beata Virgo, quòd divinæ misericordiæ sit Regina, et Regina misericordiæ nominetur, quod multiplicitèr probari potest. Primò enim plùs ei convenit hoc nomen, quàm si dicatur, Imperatrix. Nam Imperatrix est nomen magni timoris, atque rigoris. Regina autem plus est nomen prudentiæ, et æquitatis. Propterea vix in totâ Scripturâ Deus expressè nominatur Imperator sed Rex quia nempe nomen est majestatis. Secundò etiàm diciturmagis propriè Regina misericordiæ, quàm Domina Dominarum, vel Regina reginarum, vel Dea Dearum. Hæc enim omnia important dignitatem, vel excellentiam respectu majorum, et non minorum. Si enim diceretur Dea Dearum, non videretur esse Regina peccatorum. Similitèr propriè non diceretur Regina pacis, et dilectionis, quoniàm non est hoc universale omnibus sui regni. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Tertiò etiàm dicitur meliùs Regina misericordiæ, quàm potentiæ, vel sapientiæ. In sapientiâ enim intelligitur potentia; sed non convertitur In misericordiâ verò intelligitur in sapientiâ et potentiâ, et non è converso. Undè misericordia claudit illa tria in se: propterea Regina misericordiæ est Regina potentiæ, et sapientiæ, et non è converso. Quarìò etiàm propriè non potest dici Regina gloriæ, seu Regina gratiæ, aut Regina justitiæ. Nam gloria, gratia et justitia per se tantùm dicunt collationem boni, et ablationem mali. Per se enim plùs comprehendit, et ampliùs se extendit regnum misericordiæ, quàm gloriæ, et gratiæ vel justitiæ. Sed ab ampliori et majori potentiâ dignitas et dominatio major est: ergò Beata Virgo MARIA à summâ dignitate Regina misericordiæ dici debet. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Quintò ad idem: gloria enim tantùm est in cœlo, non in terrâ, non

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in inferno, non in purgatorio; sed misericordia in quolibet horum est; ergò maximum est regnum misericordiæ; meritò ergò Regina misericordiæ est dicta. Sextò insuper Regina misericordiæ dici debet. Nam quidquid est superius superiore, superius est inferiore, sed misericordia est super omnia opera Dei, et regnum misericordiæ super misericordiam; ergò Regina misericordiæ determinat potentiam super omnia; sed illa convenit Virgini proprissimè; ergo propriè est Regina misericordiæ. Septimò etiàm super patrimonium et proprietatem Filii sui est Regina; sed hæc est misericordia; proprium etenim Dei est misereri semper, et parcere; ergò beata Virgo propriè misericordiæ est Regina. Tu. ℣.

Homilia Præterea, ut constat. —*Die* 28. *Sep. p.* 362. *ut in festo* Misericordiæ B. V.

LECTIO 9.

Commem. B. Virginis de Begonna.

Gumpenb. Atl. marian. Imag. 229. Bilbai in Hispaniâ Diva Virgo sub titulo de Begonna maximè colitur. Dicitur ejus statua inventa in Quercu, in cujus loco nunc summum altare stat templi, quod majores ad pedem collis amænissimi, contra quod vellent, ædificare coacti sunt. Primùm enim Architecti in collis vertice illud designarunt, jamque multa erat ibi comportata materia; sed aliter Virgini visum est, nam unâ nocte tantum lapidum ingens ille acervus in subjectam vallem angelicis manibus deportata fuit. Itaque incolæ sententiam, intellectâ Virginis voluntate, mutantes, brevi tempore ibi sacellum erexere. Tu. Te Matrem.

℣. ℟. *br. ad Prim.* Quæ Regina Misericordiæ nuncuparis.

CANON.

Ex D. Thomâ Aquinate.

In Præfat. ad Epist. Canonicas. Apud Lig. c. 1.

431. Quandò Filium Dei in utero concepit, et postmodùm peperit, dimidiam partem Regni Dei impetravit, ut ipsa sit Regina misericordiæ, ut Christus est Rex justitiæ. Tu.

Cum 2. *Vesper.*

DIE IV. DECEMB.

S. M. AD PEDEM CRYPTÆ.

Semiduplex.

Lection. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Spinelli de festis et templ. Deip. Sanctæ MARIÆ dictæ ad pedem cryptæ, quæ Neapoli colitur templum hæc fuit ædificandi causa. Vir quidam pius ac religiosus, qui apud Sanctam MARIAM ad Capellam degebat nomine frater Benedictus, cum ad balnea puteolana pergeret die octavo Septembris, nascenti Virgini sacro, sub auroram Imago Dei Genitricis Filium in gremio foventis eo in loco, ubi nunc est templum, ei apparuit Tu. ℣.

LECTIO 5.

Maria quoquè de Duratio monialis regio genere apud Cœnobium Castri de ovo die Sabbati sub auroram, item per quietem admonita est à Deiparâ, ut id templum extrueretur. Cuidam prælereà Eremitæ, qui Petrus dicebatur, cum sempèr Cryptam eo in loco, qui Sancta MARIA de Itriâ vocatur, degeret, per quietem sese Deipara ostendit, idemque edixit. Quo factum est, ut multorum eleemosinis, undiquè erogatis excitatum sit ejusmodi templum; cui posteà complures à Summis Pontificibus indulgentiæ concessæ fuerunt. Quo circa plurimi die Sabbati præsertim Deiparam veneraturi confluere solent. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Ejus templi mentio fit in translatione Sanctorum Martyrum Maximi Levitæ, et Juliaæ Virginis è Cumanâ urbe eversâ, undè anno millesimo ducentesimo septimo primùm ad hanc Dei Genitricis ædem, sequenti verò die Neapolim sunt illata eorum corpora. Ejusdem quoquè templi meminit Petrarcha in Itinerario, testaturque ad illud assiduè prætereuntium navigantium fieri concursum, quin etiàm illud in morem positum videmus, ut majora navigia, ubi in ejus templi conspectum venerint, bombardarum displosione Deiparam salutent, ac venerentur. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia S. Vincentii Lirinensis. *Commonitor. n.* 15.

Hæc in Christo personæ unitas nequaquàm post Virginis partum, sed in ipso Virginis utero compacta, atque perfecta est. Vehementèr enim præcavere debemus, ut Christum non modò unum, sed etiàm sempèr unum confiteamur..... Per hanc, inquam, personæ unitatem illud quoquè simile mysterii ratione perfectum est, ut carne Verbi ex integrâ carne nascente, ipse Deus Verbum natus ex Virgine catholicissimè credatur, impiissimè denegetur. Quæ cum ita sint, absit, ut quisquam Sanctam MARIAM divinæ gratiæ privilegiis et speciali glorià fraudare conetur. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Est enim singulari quodam Domini ac Dei nostri, Filii autem sui munere verissimè ac beatissimè Theotocos confitenda; sed non eo modo Theotocos, quo impia quædam hæresis suspicatur, quæ asserit eam Dei Matrem solâ appellatione dicendam, quòd eum scilicèt peperit hominem, qui posteà factus est Deus, sicut dicimus Presbyteri matrem, aut Episcopi matrem, non jam Presbyterum aut Episcopum, qui postea Presbyter aut Episcopus factus est. (*Lect.* 9.) Non ita, inquam, Sancta MARIA Theotocos, sed ideò potiùs quoniàm, ut supra dictum est, jam in ejus sacrato utero sacrosanctum illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quamdam, atque unicam personæ unitatem, sicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus est. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Bononiensis ad Galeram.

Bolingh. die 23. *Mart.*

Sub annum millesimum quadringentesimum septuagesimum octavum. Templum Beatæ Virginis ad Galeram Bononiæ initium habuit. Cum enim urbs pestilentiâ laborasset, quidam malo percussus, Divæ Virginis Imaginem, quæ in cujusdam porticu domunculæ vilis, in vico dicto Galera, extabat, vix quum invocasset, statim sanatus est. Quo per urbem divulgato miraculo, alii seu pestilentiâ seu aliis morbis afflicti, valetudinem, idem facientes, recuperarunt. Undè cives ære collato Templum suæ Liberatrici condiderunt, in quo continuat usque

modò Virginum potentissima miracula in salutem credentium patrare. Tu. Te Matrem Dei.

Vesperæ de sequenti.

DIE V. DECEMB.

FIDES B. MARIÆ V.

Duplex.

Oratio.

Adauge, quæsumus, Domine Deus noster, in cordibus nostris fidei virtutem, quàm in excellentissimo gradu Sanctissimæ Genitrici tuæ concedisti, ut quotidiè, ipsâ intercedente, in tui nominis dilectione crescamus. Qui vivis.

AD MATUTIN.

Invitat. Laudemus Deum nostrum * In fidè Beatæ MARIÆ Virginis.

IN I. NOCT.

De Epistolâ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

LECTIO 1. *c.* 11. 1.

Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hâc enim testimonium consecuti sunt senes. Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo. Per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, et per illam defunctus adhuc loquitur. Tu.

℟. Beata quæ credidisti, * Quoniàm perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.

℣. O mulier, magna est fides tua!—Quoniàm.

LECTIO 2.

Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit. Fide Noe, responso accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domûs suæ, per quam damnavit mundum: et justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus. Tu.

℟. Hæc est mulier fidelis, * Per cujus fidem salvatus est Adam vir infidelis, et tota posteritas. ℣. Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem.—Per.

LECTIO 3.

Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem acceptûrus erat in hereditatem: et exiit nesciens quo iret. Fide demoratus est in terrâ promissionis, tanquàm in alienâ, in casulis habitando cum Isaac et Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus. Tu.

℟. Crédiderat Eva serpenti, MARIA Gabrieli: * Quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit. ℟. Quod Eva ligavit per incredulitatem, MARIA solvit per fidem.—Quod.—Gloria.—Quod.

IN II NOCT.

Sermo. S. Thomæ Arch. Valentini.

Conc. 1. *inn. B. V. M.*

LECTIO 4.

De fide MARIÆ quidquid dici potest, pro meritò minùs est: utpotè quæ ipsi etiàm angelo fuerit stupore, non enim communia, et usitata sunt, quæ solo dicto MARIA credidit, sed inaudita penitùs, etquæ omnem superant facultatem, omnem intellectum excedunt. Deum fieri mortalem, hominem Deum, de feminâ nasciturum, Virginem sine viro concepturum. Qualia

sunt hæc, ut solo verbo credantur? Tu.

℟. Fidem habuit in excellentissimo gradu * Quæ, etiàm discipulis dubitantibus, non dubitavit. ℣. Non extinguetur in nocte lucerna ejus.—Quæ.

LECTIO 5.

Quid putas cum sine humanis testimoniis, primùm ab angelo dicta sint, futurum in Virgine, nisi cum Deus suo lumine, et gratiâ prævenisset? Sicut eidem Angelus dicebat: Dominus tecum. An non cum illâ Dominus, quæ ad tot, et tanta mysteria capienda, intelligenda, credendaque solo Angelò dicto prævaluit? O miram fidem! O stupendam credulitatem! Cum tanta sunt, quæ dicuntur, neque exemplum petii, neque miraculum quærit, neque rationem exposcit, neque testimonium postulat, neque rerum impossibilitatem causatur. Tantâ facilitate credidit, ut ipse etiàm Angelus miraretur. Tu.

℟. Fides MARIÆ cœlum aperuit, * Cum angelo nuntianti consensit. ℣. Beatior MARIA, percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi.—Cum.

LECTIO 6.

Confer nunc ad hanc Virginis fidem omnem illam Sanctorum Patrum credulitatem, quam in illo fidei catalogo potenti eloquio super astra effert Paulus, et invenies hoc esse ad istam, quod stella ad solem, lens ad montem, gutta ad oceanum. Fidem Abrahæ præ cæteris Apostolus miratur, et meritò, non enim fuit infœcunda, sed obedientiæ operibus plena: undè per eam, justificatus est, et repromissiones meruit obtinere sicut scriptum est: credidit, ideò reputatum est illi ad justitiam. Sed qualis est ista fides, si ad Virginis fidem conferatur? Tu.

℟. Stabat juxta crucem MARIA fidè elevata, * Quam de Christi divinitate fixa retinuit. ℣. In eâ nunquam fides defecit.—Quam.—Gloria.—Quam.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 17. 19.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Amen quippè dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc illùc, et transibit. Et reliqua.

Homilia S. Antonini Arch. Florentini.

De B. V. c. 17. §. 3.

Granum sinapis est tenax, parvum et calidum, et significat fidem Beatæ MARIÆ, quæ fides fuit ita constans, certa et humilis, et sine aliquâ hæsitatione, quod cum ait: ecce ancilla Domini: optans, et postulans ut mons, qui est in vertice montium, tolleret se de cœlo, et mitteret se in mare hujus mundi per Incarnationem ex eâ, prout sibi angelus nuntiaverat, subitò mons ille sublimissimus obedivit intrans Virginis uterum. Tu.

℟. Ne timeas, MARIA, * Omnia possibilia sunt credenti. ℟. Quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco.—Omnia.

Bened. Cujus fidem.

LECTIO 8.

Certè nullius sancti, vel sanctæ fuit unquàm fides ita constans et fervens, quòd istud petere auderet vel impetraret. Non Abraham, qui tamen datur aliis in exemplum fidei. Qui, ut ait Apostolus, credidit in spem contra spem. Credidit quidem in spe repromissionis sibi factæ ab angelo de filii na-

sciturο, contra spem, quæ naturaliter habebat, scilicet, quòd non esset ei amodò nasciturus, cum esset antiquus dierum, et uxor sterilis. Tu.

℣. In fide sanctam fecit illam Dominus, * Et elegit eam ex omni carne, ut Mater fieret Redemptoris hominum. ℣. Credidit Angelo, quòd ex se nasceretur Altissimi Filius. —Et.—Gloria.—Et.

LECTIO 9.

Sed major fuit fides Beatæ MARIÆ, quæ credidit Angelo, quòd ex se Virgine nasceretur, non homo tantùm, sed Filius Dei Altissimi. Magis enim est contra vel potiùs supra naturam Virginem concipere permanens Virgo, et verum Deum, et hominem, quàm concipere vetulam ex vetustissimo, et purum hominem Isaac. Ipsa quoque de plurimis mysteriis fidei perdocuit primos prædicatores fidei, scilicet Apostolos. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino.

Conc. 1. *in Dom. Smæ. Trinit.*

432. De Virgine purissimâ scriptum est: non extinguetur in nocte lucerna ejus. In illâ quippè tempestate passionis Filii ejus benedicti omnes lucernæ apostolorum ventο illo persecutionis valdè obtenebratæ sunt. Fides Virginis sola inter illos permansit ardens et lucens. Tu.

Cum 2. *Vesper.*

DIE VII. DECEMB.

VIGILIA IMMAC. CONCEPTION.

Simplex.

Omnia ut in feriali officio.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Procli Arhc. Constantin.

Oratio 6.

Quibus ergò encomiorum coloribus virginalem depingam imaginem? Quibus laudum præconiis incontaminatum exornabo castimoniæ caracterem? Est hæc penetrale innocentiæ sacrarium: aureum altare holocaustomatum: divinum compositionis thimiama: sacrum unctionis oleum: pretiosum nardi pistici alabastrum. Hæc sacerdotale ephod, divinam signans voluntatem: hæc aureum candelabrum septem ellichiniorum lucernas portans. Hæc arca intrinsecùs, et extrinsecùs decorata, corpore scilicet, et spiritu sanctificata; in quâ erat thuribulum aureum, et urna aurea habens manna. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Hæc primogenita jugi expers, ac rufa vitula, cujus cinis, Domini scilicet corpus ex eâ assumptum inquinatos ab impurâ peccatorum lue emmundat. Hæc porta ad orientem respiciens, propter Domini per eam ingressum egressumque in perpetuum clausa. Hæc novus novi testamenti tomus, per quàm festinès spolialum est imperium dæmonum, citòque humana dirempta captivitas. Hæc trina humani generis mensura Græcorum scilicet et Romanorum ac Judæorum, in quâ ineffabilis Dei sapientia fermentum bonitatis suæ abscondit. Hæc paternæ benedictionis ager, in quâ Dominicæ dispensationis thesaurus repositus fuit. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Hæc navis regia, quæ de Tharsis divitias portat: quæ, inquàm, cœlesti regi Jerusalem ex Gentilium regione Gentium conversionem affe-

rat. Hæc pulchra Canticorum sponsa, quæ veterem exuit tunicam, lavitque legales pedes, ac sponsum immortalem in suo ipsius thalamo reverenter suscepit. Hæc tabernaculum testimonii, ex quo verus JESUS, cum Deus esset, post statum embryonis novem mensium tempus egressus est. Hæc fiscella intrinsecùs ac extrinsecùs bitumine illita, nimirum prudentiâ et pietate exornata, in quâ spiritualis Moyses è mystico salvatur Pharaone: cujus filia gentilis, nempe Ecclesia, in Virgineis ulnis (matri ipsi lactanti) æternæ vitæ mercedem datura promittit. Tu. ℣.

Ad laudes preces.

Oratio.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut sanctissima Unigeniti tui Mater, cujus prævenimus solemnitatem, tuam pro nobis imploret clementiam, ut à nostris realibus absoluti, à cunctis etiàm periculis eruamur. Per eumdem Domin.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabilis. *Die* 8. *Dec.* 1857.

433. *Immaculatæ Conceptionis* doctrinam ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitùs insitam, et sacrorum Antistitum curis studiisque per catholicum orbem mirificè propagatam ipsa Ecclesia luculentissimè significavit, cum ejusdem Virginis Conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit. Tu.

DIE VIII. DECEMB.

SOLEMNITAS

CONCEPTIONIS IMMAC. B. M. V.

Dupl. 1. *Class. cum Octavâ.*

IN I. VESPER.

Ant. 1. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ.

Psalmi de 1. *Vesp. Solemnit.*

2. Tota pulchra es MARIA, et macula non est in te.

3. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

4. Quàm pulchra es, et quàm decora carissima in deliciis.

5. Collum tuum, sicut turris eburnea, et oculi tui divini, et comæ capitis tui, sicut purpura regis.

CAPITULUM. *Genes.* 3. 25.

Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.

℣. Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo: et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum, * Dominus Redemptor tuus, et formator tuus ex utero. ℣. Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis.—Dominus.—Gloria.—Ego.

Hoc ℣. *in dieb. infra Octav. non dicitur.*

HYMNUS 143.

Quantis, MARIA, te Deus
Donis ab ortu prævenit!
Matri futuræ Numinis
Quid gratulari non juvat?

Vix matris inclusam sinu
Replet sacer te Spiritus:
Jam tota pulchra, nec decus
Avita labes inficit.

Nostrum genus qui perdidit
Serpentis atteret caput:
Fœdi tyranni legibus
Te non decebat subjici.

Hinc, Virgo, certatim tuo
Plaudunt triumpho cœlites:
Cladique raptum patriæ
Stupent frementes inferi.

Et nos tibi quos sanguinis
Sacrata jungunt vincula
Juvat sororis dulcibus

Ornare palmas canticis.
Deo Patri sit gloria,
Qui à labe servat Virginem
Cum Filio et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.
Hæc Doxol. dicitur per octav.

℣. Liberasti me, Domine, de ore leonis.

℟. Et à cornibus unicornium humilitatem meam.

Ad Magnific. *ant.* Noli metuere, non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est, Alleluia.

Complet. de Dominicâ.

AD MATUTIN.

Invitator. Tota pulchra es, MARIA. ' Et macula originalis non est in te.

HYMNUS 144.

Debitam morti sobolem crearat
Eva peccatrix: nova destinatur,
Quæ sacro partu scelus atque mortem
Destruat Evæ.
Victa serpentis fuit illa fraude,
Intimis virus recipit medullis:
Vulnus hæc sanat, tumidique colla
Conterit anguis.
Sic lucro cedunt, Domino volente,
Damna dum grata vice per MARIAM
Delet antiquam novâ vitâ mortem,
Gratiâ culpam.
Diceris Mater quoquè nostra Virgo,
Te proba nostram, pia Virgo, Matrem:
Efficax blandis precibus severum
Flectere Numen.
Laus sit æternæ sacræ Trinitati
Quælaborantem miseratà mundum,
Proximum Christi, præeunte Matre,
Nuntiat ortum. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Deus in medio ejus ' non commovebitur: adjuvabit eam manè diluculò. *Psal.* 27. Ad te Domine. *p.* 21.

2. Viderunt eam ' filiæ Sion, et immaculatam prædicaverunt. *Psal.* 51. Quid gloriaris. *p.* 31.

3. Fortitudo ' et decor indumentum ejus: bissus et purpura vestis illius. *Psal.* 52. Dixit insipiens. *p.* 32.

℣. Ipsa conteret caput tuum.

℟. Et tu insidiaberis calcaneo illius.

De libro Genesi.

LECTIO 1. *c.* 3. 9.

Vocavit Dominus Deus Adam, et dixit ei: ubi es? Qui ait: vocem tuam audivi in paradiso, et timui, eo quòd nudus essem, et abscondi me. Cui dixit: Quis enim indicavit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti? Dixitque Adam: mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: quare hoc fecisti? Quæ respondit: serpens decepit me, et comedi. Tu.

℟. Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deserunt sperantes in se, ' Quia interfecit in manu meâ hostem populi sui hâc nocte.

℣. Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum novum, exaltate et invocate nomen ejus.—Quia.

LECTIO 2.

Et ait Dominus ad serpentem: quia fecisti hæc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terræ: super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ: Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. Mulieri quoquè dixit: multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos: in dolore paries Filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Tu.

℟. Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabucodonosor: ' Ecce enim Holophernes jacet in terrâ, et caput ejus non est in illo. ℣. Benedictus Dominus, qui te direxit in vulnere capitis principis inimicorum nostrorum.—Ecce.

LECTIO 3.

Adæ verò dixit: quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ. In sudore vultûs tui vesceris pane, donec revertaris in terram de quâ sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris. Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Eva, quòd mater esset cunctorum viventium. Tu.

℟. Vivit Dominus, quoniàm custodivit me Angelus ejus, et non permissit me ancillam suam coinquinari, ' Sed sine pollutione peccati revocavit me vobis gaudentem in victoriâ suâ, in evassione meâ, et in liberatione vestrâ. ℣. Confitemini illi omnes, quoniàm bonus, quoniàm in sæculum misericordia ejus.—Sed sine.—Gloria.— Vivit Dominus, *In diebus infra oct.* Sed.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Arcam de lignis Selhim ' compingite, et deaurabitis eam auro mundissimo intùs et foris.

Psalm. 81. Deus in Synagoga. *p.* 38.

2. Sume vas unum ' et mitte ibi man, et repone coram Domino in generationes futuras.

Psalm. 84. Benedixisti. *p.* 39.

3. Non decuit ' Regem gloriæ jacere nisi in vase purissimo, et electissimo.

Psalm. 103. Bened. anima. *p.* 43.

℣. Eruisti à framea Deus animam meam.

℟. Et de manu canis unicam meam.

Sermo. S. Joannis Damasceni.
Se.m. 1. *Natiy. B. M. V.*

LECTIO 4.

Quid autem est, cur Virgo Mater ex sterili orta sit? Quoniàm scilicet oportebat, ut ad id, quod sub sole ortum erat, ac miraculorum omnium caput via per miracula sterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad sublimiora progressus fieret. Quamquàm alia quoquè altior et divinior ratio à me afferri potest. Etenim natura gratiæ cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens. Tu.

℟. Omnes in Adam peccaverunt, ruptique sunt fontes abyssi magnæ, et factum est diluvium peccati super omnem terram, ' Arca verò Deifera elevata in sublime ferebatur super aquas. ℣. Et operti sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo.—Arca verò.

LECTIO 5.

Quoniàm itaque futurum erat, ut Dei Genitrix ac Virgo ex Annâ oriretur, natura gratiæ fatum antevertere minimè est ausa: verum tantisper expectavit, donec gratia fructum sum produxisset. Siquidem oportebat eam primogenitam in luce edi, quæ rerum omnium conditarum primogenitum, in quo omnia coagmentata sunt, paritura erat. Tu.

℟. Dixit Elias ad puerum suum: ascende et prospice contra mare: ' Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis ascendebat de mari. ℣. Nubes illa nunquàm fuit in tenebris, sed semper in luce.—Ecce nub.

LECTIO 6.

O par beatum Joachim et Anna! vobis omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum omnium donorum præstantissimum Creatori obtulit, nempe castam Matrem, quæ sola Creatore digna erat. O beatos Joachimi lumbos, ex quibus prorsùs immaculatum semen fluxit! O præclaram Annæ vulvam, in quâ tacitis incrementis ex eâ ancilus atque formatus fuit factus sanctissimus! Tu.

℣. Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere, non morieris: ' Non enim pro te sed pro omnibus hæc lex constituta est. ℣. Non extinguetur in nocte lucerna tua, et non timebis à frigoribus nivis.—Non enim.—Quid *In dieb. infr. oct.* Non.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Adolescentularum ' non est numerus : una est columba mea, perfecta mea, immaculata mea.

Psal. 119. Ad Dominum. *p.* 46.

2. Hortus conclusus, ' Soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. *Ps.* 127. Beati omnes *p.* 48.

3. Ab exordio ' suæ conceptionis aspersione Spiritûs Sancti tota Deitatis gratiâ fuit superfusa. *Ps.* 131. Memento Dom. *p.* 48.

℣. Multæ filiæ congregaverunt divitias.

℟. Tu supergressa es universas.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 1.

Liber generationis JESU-Cristi, filii David, filii Abraham. Et reliq.

Homilia S. Thomæ Arch. Valentini

Conc. 3. *in Nativ. B. M. V.*

Ut tibi Matrem Dei describamus, ut possumus: Imaginare Virginem quamdam, pulcherrimam gratiosissimam, ingeniosam, nobilem, optimæ habitudinis quantum ad corpus: magni intellectûs et integræ memoriæ, optimè compositam, et proportionatam, quoad dona naturalia, optimè dotatam, quam voluit, ut esset nobilissima, Deus. Hæc est MARIA, adeò illustris ut nulla femina mundi fuerit, tam nobilis, tam longâ serie avorum ex regibus, et principibus, ducibus, et patriarchis nata. Tu.

℟. Filius meus parvulus est, et delicatus: ' Domus quam ædificare volo, talis esse debet, ut in cunctis nationibus nominetur. ℟. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudinem dierum.—Domus.

Benedict. Cujus immaculatam Conceptionem.

LECTIO 8.

Recole principia omnium historiarum, et vide, si in aliquâ historiâ tam superbum principium legisti. Liber generationis JESU-Christi. Quæ Genealogia Alexandri, vel Cæsaris reperitur tam illustris per tot sæcula? Non quòd Deus multùm curet de hâc nobilitate: non enim ipse clarus est ex Genealogiâ, sed ipsa clara ex ipso. Ego ipse sum radix et genus David. Non mihi gloria, quia habui talem patrem, sed illi gloria, quia habuit talem Filum. Tu.

℟. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, ' Et fundabo te in saphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et in justitiâ fundaberis. ℣. Recede procul à calumniâ, quia non timebis, et à pavore, quia non appropinquabit tibi.—Et.

LECTIO 9.

Talis fuit Virgo in naturalibus. Decuit et matrem esse purissimam, sine labe, sine peccato. Undè non solum, quandò puella, sed quandò parvula, sanctissima, et in conceptione sanctissima. Non enim decebat sanctuarium Dei, domum sapientiæ, reliquiarium Spiritûs urnam mannæ cœlestis aliquam in se labem habere. Propter quòd antequàm anima illa infunderetur, plenè fuit caro illa mundata ab omni fœce et labe, et anima cum infusa est, nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati, sicut scriptum est: Factus est in pace locus ejus: id est, domus sapientiæ sine omni fomite peccati formata. Tu.

℟. Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo, et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum: ' Dominus redemptor tuus, et formator tuus ex utero. ℣. Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. —Dominus.—Gloria.—Ego ante.

In dieb. infr. oct. Dominus. *Hoc* ℟. *deinceps dicitur loco* 8.

Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Fluminis impetus ' lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Psalmi de Domin.

2. Gloriosa ' dicta sunt de te, Virgo MARIA, quæ sine labe concepta fuisti.

3. Quæ est ista, ' quæ sine maculâ progreditur, quasi aurora, quæ mane absque nubibus rutilat.

4. Benedicamus Deum, ' qui te creavit, benedictus uterque Pater, qui te sine labe generavit.

5. Tota pulcra es, ' amica mea, et macula originalis non est in te.

CAPITULUM. *Gen.* 3. 25.

Inimicitias ponam inter te et mulierem, inter semen tuum, et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.

HYMNUS 145.

Per singularem gratiam
In te, MARIA quam parens
Primus refudit posteris,
Transfusa non fuit lues.

Salve, Puella nobilis,
Cunctis amanda gentibus,
Summus Pater carissimo
Quam præparavit Filio.

Tu Virga Jesse florida,
Tu regis aula splendida,
Augusta sancti civitas,
Domus Dei purissima.

Tu pulchèr arcus ætheris,
Perennis arca fœderis,
Tu cinnamo suavior,
Favoque mellis dulcior.

Deo Patri sit gloria,
Qui à labe servat Virginem,
Cum Filio et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Cadent in reliculo ejus peccatores.

℟. Singularitèr sum ego, donec transeam.

Ad Benedict. *ant.* Sublimior angelis ' facta est, superior ipsis Cherubim et Seraphim, tanquàm ancilla digna, et Mater sancta, et Mater immaculata.

Oratio.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus, ut qui ex morte ejusdem Filii prævisâ, eam ab omni labe præservasti, nos quoquè mundos ejus intercessione ad pervenire concedas. Per eundem.

AD PRIMAM.

Ant. Fluminis impetus. *Capit.* Inimicitias. *de Laudib.*

℣. ℟. *br.* Quæ sine labe originali concepta fuisti.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineff. *Die* 8. *Dec. an.* 1854.

434. Auctoritate Domini nostri JESU-Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostrâ declaramus, pronuntiamus, et definimus, doctrinam, quæ tenet Beatissimam Virginem MARIAM in primo instanti suæ Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratiâ et privilegio, intuitu meritorum Christi JESU Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem, esse à Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Eccles.* 1. 8.

Unus est altissimus Creator omnipotens, et Rex potens, et metuendus nimis, sedens super thronum illius, et dominans Deus. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto.

℟. *br.* Quæretur * Peccatum illius.—Quæretur. ℣. Et non invenietur. — Peccatum. — Gloria. — Quæretur.

℣. Innocens, sancta, et immaculata. ℟. Et à peccatoribus segregata.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Judit.* 13. 24.

Benedictus Dominus, qui creavit cœlum et terram, qui te direxit in vulnere capitis principis inimicorum nostrorum.

℟. *br.* Deus * In medio ejus.—Deus. ℣. Non commovebitur.—In. —Gloria.—Deus.

℣. Fundabo te in saphiris. ℟. Et in justitiâ fundaberis.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Ezech.* 44. 2.

Porta hæc clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniàm Dominus Deus Israel ingressus est per eam; eritque clausa principi; princeps sedebit in eâ.

℟. *br.* Dominus * Direxit viam meam.—Dominus.

℣. Ab utero auxiliator meus.—Direxit.—Glor.—Dom.

℣. Dominus Redemptor tuus. ℟. Et formator tuus ex utero.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Hæc est virga, * in quâ nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

Psalmi ut in 2. *Vesp. Solemn.*

2. Hæc est vellus * Gedeonis, in quo solo ros gratiæ fuit, dum tota terra sicca per peccatum erat.

3. Hæc est vellus * Gedeonis, quod solum siccum erat, dum omnis terra peccati rore madens erat.

4. Hæc est paradisus * ille ad quem serpens aditum non habuit.

5. Hortus conclusus, * fons signatus, putens aquarum viventium.

CAPITULUM.

Inimicitias ponam inter te. *ut supra*

℟. Ego ante te ibo. *ut in* 1. *Vesp.*

HYMNUS 146. *Salla.*

Mater, ô felix, meritò vocata
Anna, dicaris quasi graliosa,
Gratiæ dono thalami supremum
Pignus adepta!
Semine accepto, malè quippè dicto,
Quæque fætantes generant scelestum,
Una tu sacro gravidata gignis
Semine sanctum.
Nempe naturæ maledicio ademptо,
Reddita est insons genitura Patri,
Tale qui appositus Joachimus aptè
Cœlitus audit.
Fecit hoc unum, Trias alma, Numen,
Qui Pater Natam, Soboles Parentem,
Spiritus Sponsam sibi præparabat
Immaculatam.

Id quod excelsam Triadem decebat,
Messiæ factum meritis futuris
Corde credentes labiis fatemur
Sponte fideli.
Ut parens nostris vitiis uterque
Prole cum sanctâ veniam precentur,
Cujus augustum celebremus ortum
Pectore puro.
Faxit ô trinus Deus unus, ejus
Qui potens Auctor, sapiens Repertor:
Sanctus at sacrans utinam perenni
Laude colatur. Amen.

℣. Non accedet ad te malum.

℟. Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Ad Magnific. *ant.* Una est * columba mea, immaculata mea, perfecta mea, una est electa genitrici suæ, alleluia.

Completor. de Dominicâ.

In diebus infra octav. Officium fit etiàm in festis, ut in die Concept. nisi aliter notetur. Psalmi verò, ut in feriali officio.

DIE IX. DECEMBR.

DE II. DIE INFRA OCTAVAM.

Semiduplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS 147. *Car. à S. Anton.*

Anna sat felix super orbe et astris,
Tuque sat felix, Joachime conjux,
Virginum Virgo quibus orta, Adami
Nescia labis.
Plurimi pluchram sobolem dedere,
Plurimi pulchram sobolemque gignent:
Attamen nulli magis hâc decoras
Prole puellas.
Pulchra proh quantùm! Pater hanc supernus
Sumpsit in Natam, sibi Flamen almum
Sumpsit in Sponsam, Genitori et æquus
In Genitricem.
Cujus excelsum recolens decorem
Sol, sacrum corpus radiatus ambit,
Luna se subdit pedibus, coronam
Sidera crines.
Laus sit æternæ sacræ Trinitati,
Quæ laborantem miserata mundum,
Proximum Christi, præeunte Matre,
Nuntiat ortum. Amen.

Lect. 1. *Noct. de feriâ. occur.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Anselmi Episcopi.

Tractat. de concept. Inter ejus opera.

LECTIO 4.

Beata MARIA, Mater Dei futura, sicut eum, qui super omnia est incomprehensibilis, verum erat hominem ineffabili modo de suâ substantiâ Virgo paritura, ac per hoc in divinitatis illius unitatem transitura, ita non absurdè credi potest primordia Conceptionis ejus tantâ Deitatis sublimitate præsignata, ut humanarum conceptio mentium ea planè penetrare non valeret. Tu. ℟. Omnes in.

LECTIO 5.

Hæc itaque pura simplicitas, supplexque in Deum et in dilectissimam ejus Matrem puritas dilectionis æstimare de conceptione illius Dei Genitricis non veretur, et idcircò ejusdem conceptionis dies festivis laudibus à cunctis fidelibus suo judicio meritò celebratur. De ipsâ quippè multis sæculis ante ortum ejus vel conceptum, Isaiam Spiritu Sancto afflatum dixisse constat: Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Tu. ℟. Dixit Elias.

LECTIO 6.

Hæc igitur Virgo, tanti Filii dignissima Parens, cum in alvo suæ parentis naturali lege conciperetur; quis non concedat, Dei sapientiam à fine usque ad finem pertingentem,

novo quodam et ineffabili gaudio cœlum, terram et omnia, quæ in eis sunt, perfudisse, ac ineffabili jubilatione pro sui reintegratione, quam per illam sibi venturam, divinâ et occultâ inspiratione prævidebant, perlustrasse? Sed cum ipsa conceptio fundamentum, ut diximus, fuerit habitaculi summi boni, si peccati alicujus ex primæ prævaricationis origine maculam traxit, quid dicemus? Tu. ℟. Quid habes.

IN II. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi, filii David, filii Abraham. Et reliq.

Homilia S. Petri Damiani Ep.

Homil. in Nativ. B. V. M.

Nonnulli autem, dum plùs sapere, quàm oporteat sapere, gestiunt, quis Pater, vel quæ Mater Beatæ MARIÆ fuerit, studiis superfluæ curiositatis inquirunt. Sed aliquis lector nimis inutiliter quærit, quod Evangelista narrare superfluum duxit. Si enim hujc notitiæ utilitatem inesse cognosceretur, nequaquàm nobilis Historicus rem necessariam silentio præteriret. Sciendum verò est hunc esse morem Scriptoribus sacri eloquii, ut sicut student silere quod obest; sic etiàm referre despiciunt, quod scire non prodest: Tu. ℟. Filius meus.

LECTIO 8.

Aliquandò autem in sacrâ scripturâ certi causâ mysterii aliquid prætermittitur, ut ipso quasi clamante silentio magnum aliquod sentiatur. Sicut est quod Melchisedech in veteris narratione historiæ sine patre, sine matre, sine genealogiâ per Moysem introducitur: ut videlicet Christus, qui est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, per eum significatur, de quo propheta dicit: Generationem ejus quis enarrabit? In generatione autem Christi illæ ordinari personæ meritò debuerunt, per quas ad JOSEPH descensio fieret, non ad MARIAM, quæ de unâ cum ipso tribu fuerat, declinaret. Tu. ℟. Ego ante.

LECTIO 9.

Commemoratio B. Virginis de Sudore.

Gumpenb. alt. mar. Imag. 272.

Ravenæ in Italiâ beata Virgo sub titulo de Sudore colitur. Ejus imago in telâ picta est, quam artifex inducto glutino asseri affixit. Lata est ad palmum, alta duos. Quondàm hoste Ravenam ferro igneque vestante, mirabili portento sanguinem sudavit, undè et nomen de sudore accepit. Et verò non obscurè hodiè se objiciunt sanguinis notæ, quibus tota penè imago conspersa fuit. Nunc pervenusti operis sacellum erectum sanctæ Imagini magno sumpto invisitur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Constit. Ineffab. *Die* 8. *Dec.* 1854.

435. Romana Ecclesia nihil potiùs habuit, quàm eloquentissimis quibusque modis Immaculatam Virginis Conceptionem, ejusque cultum et doctrinam asserere, tueri, promovere, et vindicare. Quod apertissimè planissimèque testantur et declarant tot insignia sanè acta Romanorum Pontificum Decessorum nostrorum.... Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE X. DECEMB.

TRANSLATIO ALMÆ DOMUS LAUR.

Duplex majus.

Officium fit, ut in Comm. Dedicat.

Oratio.

Deus qui Beatæ MARIÆ Virginis Domum per Incarnati Verbi mysterium misericorditer consecrasti, eamque in sinu Ecclesiæ tuæ mirabiliter collocasti: concede, ut segregati à tabernaculis peccatorum digni efficiamur habitatores Domûs sanctæ tuæ. Per eumdem Domin.

AD MATUTIN.

Invitat. Salvatorem mundi in Domo Virginis de Spiritu Sancto conceptum * Venite adoremus.

HYMNUS 148. *Conti.*

O major altis montibus
Aulisque Regum pulchrior
Cœlestis in terris Domus!
Metalla non tibi decus,
Non saxa, non gemmæ ferunt,
Fulgore mendax vanitas.

Sed Virgo Numinis Parens
Numenque Proles Virginis,
Gentes ut inter exteras,
Totoque in orbe clareas:
Longis perennitatibus
Insigne te nomem fecit.

Utrique nam sedes eras,
Utrique tu culmen; tuo
Receptus in sinu est Deus,
Cum Matre dum vixit puer,
Demissus et normam piæ
Demissionis præbuit.

Hinc te remotis è plagis
Votiva promens munera
Frequentat humanum genus:
Hinc et potentes vertices
Tibi coronas devovent,
Tolasque submittunt opes.

Sit laus Patri cum Filio,
Qui natus olim è Virgine,
Mortalium commercia,
Parvamque non sprevit domum:
Sit jugis et Paraclito
Honor per omne sæculum Amen.

Lect. 1. *Noct. de Comm. Dedicat.*

IN II. NOCT.

Sermo. S. Bernardi Abbatis.

Sermo 52. *de diversis.*

LECTIO 4.

Sapientia, quæ Dei erat, et Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens, ædificavit sibi domum, ipsam scilicet Matrem suam, Virginem MARIAM, in quâ septem columnas excidit. Quid est in eâ septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide et operibus præparare? Nimirùm ternarius numerus ad fidem propter sanctam Trinitatem, quaternius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Tu.

℟. Quotiès Christi sonuit pia vocibus Ædes! * O quotiès lacrymis humida terra fuit. ℣. Infantis JESU testis amica domus.—O quotiès.

LECTIO 5.

His itaque quatuor morum columnis et tribus fidei prædictis extruxit in eâ sibi domum Sapientia cœlestis, quæ adeò mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis fœcundaretur et caro. Ipsius autem Virginis natalis Domus divinis mysteris consecrata, Angelorum ministerio ab infidelium potestate in Dalmatiam priùs, deindè in agrum lauretanum Picenæ provinciæ translata fuit, sedente Sancto Cœlestino quinto. Tu.

℟. Hæc est illa domus, quæ tantùm præstitit orbi, * Quantum cœlicolis præstitit ipse Deus. ℣. Circumdant sacris quam marmora sculpta figuris.—Quantùm.

LECTIO 6.

Et eamdem Domum ipsam esse, in quâ Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, tum Pontificiis diplomatibus, et celeberrimâ totius orbis veneratione, tum continuâ miraculorum virtute, et cœ-

lestium beneficiorum gratiâ comprobatur. Quibus permotus Innocentius duodecimus, quò ferventiùs erga Matris amantissimæ cultum Fidelium memoria excitaretur ejusdem Sanctæ Domûs Translationem anniversariâ solemnitate in totâ Piceni provinciâ veneratam, Missâ etiàm et Officio proprio celebrari præcepit. Tu.

℣. Hæc domus (hæc domus est?) quem vasta palatia cœli ' Non poterant, potuit continuisse Deum ℣. Quem totus non capit orbis, et cœli capere.-Non poter.-Gloria.-Non.

Homilia Miraris quòd Nazar. *de Comm. Præmiat.*

℣. O Domus excellens, magnorumque aula beata Cœlicorum ' Sibi quam delegit alma Parens. ℣. In terris cœlum si quis desiderat unquàm, offerat hic Matri vota precesque Dei.—Sibi.

Benedict. 8. Cujus immaculatam Conceptionem.

℣. Virginis Domus micat, Christum quæ cepit ab astris, ' Quem non immensi capit teres orbita mundi. ℣. Nuntius è cœlis Angelus ante fuit.—Quem.—Gloria.—Quem.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Buricensis.

Gumpenberg. Imag. 269.

Miraculosa Imago Beatæ Virginis Buricensis rudiùs sculpto inventa fuit in arbore. Rustici Buricenses ante omnia sacellum fecerunt è ligno, conciliaturi sibi Virginem: Viggoque statim claruit miraculis non vulgaribus, quibus misero beavit. Accursus est non solùm à Trevirensibus, sed etiàm à Metencibus, à Luxemburgensibus, quin Lotharingios fama quoquè accivit tanto peregrinorum numero, ut eorum pietas templum requireret, quod eleemosinis fuit structum anno millesimo quadringentesimo quadragesimo nono. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 149. *Conti.*

Tutela Picenûm, Domus
Augusta bis et ampliùs,
Sit undequaque parvulis
Melata quamvis finibus:
Tecloque paupere et situ
Antiquitatis decolor.

Hanc ipsa paupertas decet,
Exilitas decet sua;
Infantis illa enim Dei,
Matrisque paupertas fuit,
Omni metallo ditior
Mundique regnis grandior.

Quin magnus et Nutritius
Cum JESU et almâ Virgine
Ligna hic dolabat artifex;
Interque mortales inops
Opes tenebat cœlitum
Quas nescit humanus tumor.

Summis ab astris adfuit
Delapsus olim aliger,
Enuntians Matrem fore,
Quæ Virgo sempèr manseral:
Illamque nesciam viri
Dei maritat Spiritus.

Patri perennis claritas
Qui librat orbis machinam;
Natoque Matris Virginis,
Cum Spiritu Paraclito:
Tribusque compar Gloria
Æterna sit per sæcula. Amen.

CANON.

Ex Sixto Papâ Quinto.

Const. 34. Pro excell. *An.* 1586. *T. 4. p. 4. pag.* 189.

436. Ecclesiam « collegiatam Laurelanam sub invocatione Beatæ MARIÆ Virginis Dei Matris fundatam, in cujus medium inest illud sacrum cubiculum divinis mysteriis consecratum, in quodicta Virgo MARIA nata fuit, et ibidèm ipsa ab Angelo salutata Salvatorem mundi de

Spiritu Sancto concepit, ministerio angelorum illùc translatum » in Cathedralem sub eâdem invocatione pro uno Episcopo Laurelano nuncupando,.... apostolicâ auctoritate tenore præsentium perpetuò erigimus et instituimus. Tu.

Cum 2. *Vesper.*

DIE XI. DECEMB.

DE IV. DIE INFRA OCTAVAM.

Semiduplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS 150. *Brev. Gal.*

Afflicta, quid ploras, Sion?
Depone cultus lugubres,
Antiquæ cessat servitus:
Testare plausu gaudia.

Frustrà profundi gurgitis
Tyrannus intentat minas:
Victus recedet et gravi
Prorsus catenâ considet.

Primis negata sæculis
Pax alma terris redditur:
MARIA dat lætos dies,
Rerumque mutat ordinem.

Qualem MARIA, te canam?
O Virgo sole pulchrior,
Hebræas quas tellus tulit,
Tu sola vincis filias.

Vix dum parentis in sinu,
Jam plena vivebas Deo:
Castumque pectus cœperat
Ardere sacris ignibus.

Doxol. de Octavâ.
Lection. 1. *Noct. de feriâ occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Amphilochii Iconiensis Ep. *Oratio in S. Deipar.*

LECTIO 4.

Quòd si quis censetur nomine Christianus, ferùque molestè, et velut verligine correptus dolet ad Divæ Virginis dignitatem illam, clarissimumque et proprium Deiparæ nomen, vanè is, et ementitæ sanctitatis sibi appellationem, qui dogmatis dissentiat, blanditur. Nihil enim ipsi ex titulo, et quâdam velut pietatis informatione, commodi, ut qui ejus abneget virtutem, quando Dei regnum non in sermone, sed in virtute magnus ille preco pronunciavit. Fuerit igitur utile ad pios et simplices confirmandos, brevi quâdam quæstione cum adulterino et factitio: sic enim mentem prophanos compellare licet, exercitatione conserere. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Cedo igitur percontantibus nobis: utrumne vel sensu judaico, ut virum, ita et Adæ conjugem intemeratis Opificis manibus fictam, dicenti legi divinæ assentiris? Et si quidem negaveris: nonne propalàm à nobis, et scripturis extraneus existis? Sin autem affirmaveris, quid stultè à veritate dissentis, Deique placitum in Sanctissimâ Virgine ad communem salutem providè dispositum detrectas, atque renuis? Qui enim antiquam illam Virginem sine probo condidit, ipse et secundam sine notâ et crimine fabricatus est. Quique quod est deforis, pulchrè fecit, etiàm quod intùs est ad domicilium animæ sanctæ perornavit. Quod itaque suavissimum delectabilissimumque Deo visum est. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Duorum igitur alterum necesse est: aut velut qui Evæ à Deo formationem promptè probèque confitearis, etiàm quæ de illo sapientissimè dicta est ex Virgine Incarnationem, qua, pii, ratione suscipe, adoraque, si modo illorum vis esse particeps: aut tibi ipse, Judæi et infidelis, velut qui illis adcensearis, nomen impone. Non enim habent mores Ecclesiæ, ut vita ancipiti animal generet. Nam Christiani, velut qui Deo morigeri sunt, et suasibiles, obediunt divinitùs inspiratas Pro-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

phetarum prædictiones, ita ubique de laudatissimâ Virgine clamantes: Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio ejus non commovebitur. Et iterùm: homo natus est in eâ, et ipse fundavit eam Altissimus. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi, Filii David, Filii Abraham. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 2. *in Matthæum.*

Duo sunt, quæ pariunt quæstionem. Unum quæ causa sit, ut in generationum catalogo Virgo sileatur: alterum verò quâ ratione JOSEPH memoretur, cui certè nihil cum Christi generatione est commune. Videtur enim, et unum abundare et alterum deesse. Quid ergo dicemus? Quòd utique primum illud necesse fuerit memorari, quemadmodùm ex David Virgo descenderit. Undè hoc itaque discemus? Audi ad Gabriel loquentem Dominum: vade ad Virginem desponsatam viro, cui nomen JOSEPH ex domo et familiâ David. Quid vis audire manifestius, cum ex domo et familiâ David illam Virginem esse cognoscas? Tu. ℣.

LECTIO 8.

Hoc enim declarato, illud quoquè pariter ostendit, quod scilicet indè esset, et Virgo; quia utique nequaquàm justus iste pateretur uxorem sibi aliundè, quàm undè lex præcipiebat eligere. Possumus verò aliam quoquè et altiorem quidem proferre rationem, ob quam parentes Virginis prætermissi sunt. Sed quæ ea est? Noluit Evangelista recenti adhuc tempore novi illius admirandique partus Judæis esse manifestum, quòd Christus natus fuisset ex Virgine. Neque proprius noster hic sermo est, sed à nobis de Patrum, atque insignium virorum traditione susceptus. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commem. B. V. à Portu salvo.

Octav. Caj. in append. ad SS. Siculos.

Panormi in Siciliâ colitur Deipara sub titulo à Portu salvo, eo quod versus annum millesimum quingentesimum vigesimum quartum triremes siculas ab atrocissimâ tempestate eripuerit suâ ope, atque, Ipsâ dirigente, naves omnes incolumes ad Panormitanum portum deduxerit. Dux ob acceptum beneficium Virginem depingendam curavit, eo pacto, quo à se visa fuerat, sub antiquum arcum propè portum: sed auctâ omnium devotione templum Beatæ Virginis à Portu salvo erigitur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabilis. *Die* 8. *Decemb. an.* 1854.

437. Omnes norunt quantopere solliciti fuerint Sacrorum Antistites vel in ipsis ecclesiasticis conventibus palàm publicèque profiteri, sanctissimam Dei Genitricem Virginem MARIAM ob prævisa Christi Domini Redemptoris merita nunquàm originali subjacuisse peccato, sed præservatam omninò fuisse ab originis labe, et idcircò sublimiori modo redemptam. Tu.

Vesperæ ut in 2. *Vesper. Concept.*

DIE XII. DECEMB.

SEPTEM PRIVILEGIOR B. M. V.

Duplex.

Omnia, ut in die Concept. nisi trasferatur.

Oratio.

Deus, qui Beatam MARIAM semper Virginem ab omni prorsùs labe puram, et virtutibus omnibus ornatam esse voluisti; præsta, quæsumus, ut qui septem ejus privilegia recolimus, ab omni nos peccato liberari, et gratiis ac virtutibus abundantèr repleri mereamus. Per Dominum.

Lect. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo. B. Virginis. *Cap.* 6.

LECTIO 4.

Possumus notare septem privilegia MARIÆ. Privilegium, inquam, immensis gratiis esse plenam sub MARIÆ à Deo concessum. Primum MARIÆ privilegium est, quòd super omnes homines ab omni peccato sit purissima. Secundum, quòd ipsa super omnes homines fuit gratiâ plenissima. Undè Hieronymus cæteris per partes, MARIÆ verò se tota infodit gratiæ plenitudo. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Tertium privilegium est, quòd ipsa sola Mater et Virgo incorruptissima est. Quartum est, quòd ipsa sola Mater Filii ineffabilissima est, ipsa sola illius Filii Mater, cujus solus Deus Pater est. Mirum supra modum, quòd tam maximum privilegium creaturæ concessum est. Quintum est, quòd ipsa super omnem creaturam Deo corporalitèr familiarissima fuit. Tu.

LECTIO 6.

Sextum MARIÆ privilegium est, quòd ipsa super omnem creaturam apud Deum potentissima est. Undè Augustinus: Ipsa meruisti existere Mater ejusdem Redemptoris. Septimum est, quòd ipsa super omnes sanctos in gloriâ excellentissima est. Hoc quippè privilegium, quasi non naturæ, sed gratiæ, est Virgini MARIÆ. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi.

Tract. de Concept. B. V. M. inter ejus oper.

Poterat Deus de massâ peccatrice naturam humanam ab omni labe peccati immunem facere, undè in unam personam sui susciperet, ut homo integer esset, et divinitatis suæ nihil imminueret. Prædestinata fuit, et præordinata in hoc opus mirabile, et omnibus operibus Dei præstans, et inenarrabile, MARIA scilicet, illa magni maris nobilissima stella, hoc est, totius sæculi illustratio, et omnium in tempestatibus diversorum casuum tutibantium indeficiens levamen et consolatio, nec non ab æternæ mortis interitu paventium, ac sub ejus præsidium confugientium tutum juvamen atque redemptio. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Te igitur, Domina, quam in tantum culmen prædestinavit, et extulit divina potentia, quam tot prærogativis dotavit cuncta disponens Dei sapientia, quam sibi Matrem elegit ad mundo subveniendum, ipsa omnium salvandorum ineffabilis misericordia: crediderim ne quæso, te morte peccati, quæ per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum in tuo conceptu potuisse occupare? *Lect.* 9. Tu namque ante omnem creaturam præordinata fuisti, utomnium feminarum carissima Deum ipsum verum hominem ex tuâ carne procreares, ut omnibus post

suum Filium Regina cœlorum effecta, gloriosa regnares, ut perdito mundo recuperationis adytum, et vitæ perennis emolumentum præparares. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Caldefurnensis. *Spinelli, tract. defest. et templ. Deip.*

Avarici Bituriquum in Galliâ, nostræ Dominæ Caldefurnensis Templum est positum propter insigne miraculum, quod annum circiter quingentesimum quadragesimum sextum contigit. Cum enim puer Hebræus die Sancto Paschæ unà cum filiis Christianorum Sacram Eucharistiam suscepisset, eâque de causâ à parente in ardentem furnum conjectus, et obstructo furno clausus fuisset, tandem à Christianis locum reserantibus illæsus repertus; testatus est se ab eâ quæ in Christianorum templo filiolum brachiis complectitur, servatum; quare eodem in loco templum à Calidofurno denominatum extruitur. Tu. Te Matrem.

Vesper. ut in 2. Vesper. Concept.

DIE XIII. DECEMB.

DE VI. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS 151. *J. M. Caryophil.*

Non dat informen speciem Creator;
Condidit solem radiis potentem,
Condidit lunam radii capacem
Corpore pleno.

Jussit è terrâ virides oriri
Seminum planias gravido tumore;
Finxit è terrâ genus omne vivens
Semine plenum.

Viribus finxit validis Adamum;
Finxit ut prolem dare posset, Evam:
Quidquid creavit, voluit Creator
Robore plenum.

Ergò si Plastæ MARIAM fatemur
Ante conceptam, sit ut apta Mater;
Quis neget plenam radii? Quis ortum
Dicat inermem?

Laus sit ætternæ sacræ Trinitati
Quæ laborantem miserata mundum,
Proximum Christi, præeunte Matre,
Nuntiat ortum. Amen.

Lection. 1. Noct. de Feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *Concion. de Concep. B. V. M.*

LECTIO 4.

Adjuvabit eam Deus manè, sed non solùm manè Nativitatis, sed et diluculo primo Conceptionis. Et propter hoc Deus in medio ejus corde non commovebitur. Recedit Deus à corde totaliter per mortale peccatum, movetur autem paululum, licet non deserat cor, per veniale peccatum. A medio igitur ejus nec punctum Deus per veniale commovebitur. Propter quid? Quoniàm adjuvabit eam Deus manè diluculò. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Nec putes parùm pertinere ad Virginem, quod non fuerit concepta in peccato. Hæc enim gloria non minor est, nec specialior, quàm quod Mater sit secundum carnem. Parum putas Virginis detrimentum, si dicas, eam vel per momentum fuisse captivam peccati, filiam perditionis, dæmonio subjectam, communi maculâ infectam? Quomodò ipsa caput diaboli contrivit, si priùs ab eodem contrita est? Absit, absit, ut talem maculam inferamus gloriæ nostræ. Tu. ℣.

LECTIO 6.

De immunitate à peccato: terra Sacerdotalis tempore famis non

fuit regi Pharaoni tributaria, de quâ ortus est Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech. Factus est ergò in pace locus ejus. Id est, Virgo in pace formata est: neque malleus, ut supra commemoratum est, auditus est in ædificatione excelsi hujus templi. Malleus, inquam, ille, de quo dictum est: confractus est malleus universæ terræ; id est, peccatum inficiens totam naturam humanam, in Virgine habuit exceptionem; id est, confractus et contritus est. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c. 1.*

Liber generationis JESU-Cristi, filii David, filii Abraham. Et reliqua.

Homilia S. Irinæi Ep. et Martyris. *Lib. 3. contra hæres. c. 31.*

Nec rex esse potest Christus, si JOSEPH filius fuisset, nec hæres secundum Jeremiam. JOSEPH enim Joachim, et Jechoniæ Filius ostenditur, quemadmodùm et Matthæus generationem ejus exponit. Jechonias autem, et qui ab eo omnes abdicati sunt à regno: Jeremiâ dicente; scribe virum hunc abdicatum hominem, quoniàm non augebit de semine ejus sedens super thronum David, princeps in Juda. Dicta sunt hæc de Jechoniâ, Spiritu præsciente ea, quæ à malis doctoribus dicuntur, uti dicant, quoniàm ex semine ejus, id est, ex JOSEPH non erit natus, sed secundum repromissionem Dei de ventre David suscitatur Rex æternus. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Et quemadmodùm protoplastas ille Adam de rudi terrâ, et de adhuc Virgine habuit substantiam: ita recapitulans in se Adam ipse Verbum existens ex MARIA, quæ adhuc erit Virgo, recte accipiebat generationem Adæ recapitulationis. Quarè igitur non iterùm sumpserit limum Deus, sed ex MARIA operatus est plantationem fieri? Ut non alia plasmatio fieret, neque alia plasmatio ut salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur, servatâ similitudine. ℣.

LECTIO 9.

Commem. B. V. de Buzzano. *Gumpenberg. Imag.* 188.

Buzzani in Italiâ, non longè ab urbe Nolæ colitur Imago Deiparæ multis clara miraculis. Inventa fuit in quodam puteo, ubi nunc est templum, ipsâ Virgine se revelante quibusdam Nautibus, atque jubente expressis verbis purgare puteum. Nautis Virginis monitum contemnentibus, quæri cœpta est à piis civibus intra putres aquas non sine accensis facibus. Opus itaque aggressi, nec multùm progressi invenere sanctam Imaginem, quæ subitò suum honorem habuit, et paulò post etiàm templum. Nunc autem templo cœnobium Minimorum est adjunctum. Tu. ℣. Te Matrem.

Ad Laudes et per horas. Oratio. Ex Offic. Eccl. Gerundens.

Deus, qui Beatæ MARIÆ Virginis Conceptionem Angelo prænuntio Parentibus prædixisti, præsta familiæ tuæ præsentibus ipsius præsidiis ubique muniri, cujus sacræ Conceptionis solemnitate lætatur, et debitâ laude veneratur. Per Dominum.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabilis 8. *Dec.* 1854.

438. Patres Ecclesiæque Scriptores cœlestibus edocti eloquiis nihil antiquius habuere, quàm in libris ad explicandas scripturas,

vindicanda dogmata, erudiendosque fideles elucubratis summam Virginis sanctitatem, dignitatem, atque ab omni peccati labe integritatem, ejusque præclaram de terrimo hoste victoriam multis mirisque modis certatim prædicare atque efferre. Tu.

Vesper. Dupl. ut in 2. *Vesp. Concept.*

DIE XIV. DECEMBR.

S. M. IN ARA-CŒLI.

Duplex.

Omnia ut in die Concept. nisi transferatur.

Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui sanctissimam Virginem MARIAM in Arâ-cœli, veneramus, ipsâ interecedente, ad cœlestia regna pervenire possimus. Per Dominum.

Lection 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Spinelli de festis et templis Deiparæ.

Sanctæ MARIÆ in Arâ-cœli templum, cui Fratrum Minorum de observantiâ cœnobium est adjunctum, in eâ capitolii parte situm est, ubi Octavianus Augustus provectiori jam ætate, accepto à Pithio Apolline responso de puero Hebræo, eodemque Deo, et omnium Domino ipsum in tartara detrutente, Romam ex oriente reversus aram maximam extruxit cum hujusmodi latinâ inscriptione: Ara primogeniti Dei. Tu. ℣.

LECTIO 5.

In hoc templo Imago Deiparæ à Sancto Lucâ depicta in summo altari magnâ pietate colitur. Ibi etiàm lapis visitur insignis pedum vestigiis ab Angelo impressis, qui Romæ, humanâ specie aliquandò apparuit. Cum autem in urbe olim viginti duo essent cœnobia, seu Abbatiæ, quarum Abbates in præcipuis quibusdam festivitatibus Summo Pontifici celebranti aderant; hæc Ecclesia Arâ-cœli una erat ex illis Abbatiis, quam posteà Leo Decimus Cardinalis titulum instituit. Tu. ℣.

LECTIO 4.

Sermo S. Procli Arch. Constantin. *Orat.* 1. *in Laudib. S. V.*

Quis vidit, quis audivit inhabitasse Deum in utero incircumscriptè, aè eum, quem cœli capere non poterant nullis arctatum angustiis, ventrem Virginis comprehendisse! O uterum, in quo communis hominum libertatis libellus compositus est! O venter, in quo adversus mortem fabricata sunt arma! O arvum, in quo naturæ ipse colonus sine semine spicam edidit! O templum, in quo Deus Sacerdos effectus est, non naturam demutans, sed eum per misericordiam induens, qui est secundum ordinem Melchisedech. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Damasceni. *Oratio* 1. *in B. V. apud Chrisogon p.* 966.

Salute te, MARIA, dulcissimum Annæ pignus. Quoniam modo gravissimum tuum incessum exprimam? Quonam modo amictum, quonam modo oris tui vetustatem, senilem in juvenili corpore prudentiam? Honestus vestitus mollitiem omnem, ac luxum fugiens, gressus gravis, et sedatus, atque ab omni malitiâ remotus, mores severi, atque hilaritate temperati. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Ita comparata eras, ut ad te nullus viri accessus pateret. Testis est metus ille, in quem ex inusitato Angeli colloquio incidisti. Parentibus morigera, et dicto obediens, animus humilis in sublimissimis contemplationibus, sermo jucundus ex leni animâ progrediens, denique quid aliud, quàm Dei domicilium! Tu. ℣.

LECTIO 9.

Denique meritò te prædicant Beatam omnes generationes, ut eximium humani generis decus, ac præstantiam feminei sexûs, cujus reverà maximè ob modestiam hanc, pudoremque Virgineum eximia venustas, ac singulare meritò dicenda esset ornamentum. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Benedicto Papâ Decimo Tertio. *Const.* 172. Ex quo sedes an. 1727. *Tom. XII. p.* 193.

439. Precibus Procuratoris Generalis Fratrum Minorum Sancti Francisci inclinati, indulgemus, ut in Ecclesiâ Sanctæ MARIÆ de Arâ-cœli de Urbe unam utriusque sexûs Christi fidelium Archiconfraternitatem sub invocatione et denominatione Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis Immaculatæ auctoritate nostrâ apostolicâ erigat atque instituat. Tu.

Vesperæ de sequenti, ut in 1. *Vesp. Concept.*

DIE XV. DECEMB.

OCTAVA IMMAC. CONCEPTION.

Duplex majus.

Oratio.

Deus, qui propter eminentissimam Filii tui dignitatem, Beatam Virginem MARIAM, Matrem ejus ab omni labe peccati præservasti, quæsumus, ut nos ipsius Conceptum purissimum recolentes ab omni iniquitate mundos tuâ gratiâ efficere digneris. Per eumdem.

AD MATUTIN.

HYMNUS 132.

Ut floret hortorum decus
Candore puro lilium:
Color tibi, Flos Virginum,
Sic purus æternus manet.

Ut sol decoro sidere
Splendescit umbræ nescius;
Sic Virgo nullam pectore
Admittis umbram criminis.

Ut luna cœlos recreans
Vincit tenebras lumine;
Sic tota fulges, et tuum
Sic nulla nox lædit decus.

Ut unda vitro purior
Vultum fidelis exhibet;
Sic mentem perfectam Dei
Virgo refers imaginem.

Deo Patri. *de Octavâ.*

IN I. NOCT.

De libro Esther.

LECTIO 1. *c.* 15. 9.

Ingressa Esther cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroque fulgens, et pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu. Cumque elevasset faciem, et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, et in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinabat caput. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem, et festinus ac meluens exilivit de solio, et sustentans eam ulnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur. Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli meluere. Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est: accede igitur, et tange sceptrum. Tu. ℣.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

LECTIO 3.

Cumque illa reticeret, tulit auream Virgam, et posuit super collum ejus, et osculatus est eam, et ait: cur mihi non loqueris? Quæ respondit: Vidi te, Domine, quasi Angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valdè enim mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum. Cumque loqueretur rursus corruit, et penè exanimata est. Rex autem turbabatur, et omnes ministri ejus consolabantur eam. Tu. ℣.

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *Concion. de Immac. Concept.*

LECTIO 4.

Potest etiàm ad immaculatam Virginis Conceptionem illa communis figura Esther applicari. Venit Esther, et ingressa est. Rex extendit sceptrum, et tetigit eam, et ait: Quid habes Esther. Ego sum frater tuus, noli metuere. Non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Non pro te hæc lex constituta est, non morieris, ò Virgo, in ingressu. Licèt ingressus vitæ reliquis omnibus sit in morte, et mors peccati janitor sit, in vitæ januâ omnes jugulans: non morieris tandèm, quia Rex sceptrum extendit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Sceptrum regium Crux Christi. Extenditur Crux, id est, virtus Christi à primo peccatore Adam usque ad ultimum futurum. Ecce quàm extensa! Quos in extensione sceptri tetigit virtus crucis, à mortis contagio mundavit; sed Virgo ad ingressum animationis suæ tetigit sceptrum; ergò super omnes præservata est, non, ut reliqui, sublevata post animationem. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Quod, ut stabiliatur firmiùs, notandum quod de Præcursore Dominus: Non surrexit major, inquit, inter natos mulierum Joanne Baptistâ. Quæro, non Virgo ex muliere nata est? Ergò Baptista ille major est Virgine MARIA. Solutio: inter natos mulierum, qui in animatione ceciderunt, et contraxerunt, et postmodùm mundati et sublevati surrexerunt, non surrexit major Joanne Baptistâ. Sed Virgo sublevata inter omnes ne caderet, cum non egerit sublevari, auctoritas illa scripturæ sacræ in nullo derogat illius excelentiæ, quasi minor haberetur Præcursore. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi, filii David, filii Abraham. Et reliq. Homilia S. Hieronymi Presbyteri. *Libr.* 1. *Comment. in Matth.*

In Isaiâ legimus: Generationem ejus, quis enarrabit? Non ergò putemus Evangelistam Prophetæ esse contrarium, ut quod ille impossibile dixit effatu, hic narrare incipiat: quia ibi de Generatione divinitatis, hic de Incarnatione est dictum. A carnalibus autem cœpit, ut per hominem Deum discere incipiamus. Filii David, filii Abraham. Ordo præposterus, sed necessariò commutatus. Si enim primùm possuisset Abraham, et posteà David, rursùs ei repetendus fuerat Abraham, ut generationis series texeretur. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Ideò autem cæteris prætermissis, horum Filium nuncupavit, quia ad hos tantùm facta est de Christo repromissio. Ad Abraham: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes, quod est Christus. Ad David: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. Notandum in Genealogiâ Salvatoris nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas, quas scriptura reprehendit: ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commem. B. Virginis de Portillo.

Commentarrer. Aragon an. 1134.

Cæsaraugustæ in Aragoniâ colitur Diva Virgo sub titulo de Portillo. Cum anno millesimo centesimo trigesimo quarto urbs obsideretur à mauris, machinis partem muri ita aggressi sunt, ut corruerel, præberetque hostibus viam, si nemo obsisteret. Evenit autem socordiâ militum, ut nemo adverteret advenientes, et jamjam ingressuros. Sed ecce vigilans Deipara inter fulgores cælestes, se conspicuam præbuit eo ipso in muri hiatu, quo se densæ hostium turmæ contulerant: qui tantâ majestate territi pedem retulere, non sine mutuâ cæde fugamque instituere sine lege, sine tubæ signo. Defuncti periculo evigilarunt: quæque contingerant à captivis intellexere. Indè hoc templum Deiparæ in tanti prodigii monumentum fuit structum. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffab. *Die* 8. *Decemb. an.* 1854.

440. Si qui secus ac à Nobis definitum est, quod Deus avertat, præsumpserint corde sentire, ii noverint, ac porrò sciant, se proprio judicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiæ defecisse, ac præterea facto ipso suo semèl pœnis à jure statutis subjicere, si quod corde sentiunt, verbo, aut scripto, vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint. Tu.

Cum II. Vesper.

DIE XVI. DECEMB.

Officium fit de Feriâ.

Canon primæ ut sequitur, quod etiàm dicitur in festo, quod in hanc diem transferri contingat, si proprium non habeat.

Ex Decreto S. Rituum Congregat. 28. *Sept.* 1638. *in Agnens. Talu* 347.

441 In novem diebus ante Nativitatem Domini, ubi adest antiquissima consuetudo, vel concursus, potest decantari unica Missa votiva solemnis B. MARIÆ Virginis quamvis in ipsis occurrat festum Divi Thomæ apostoli, et Dominica tertiâ, vel quartâ adventus, non omissâ tamen conventuali, statutâ horâ decantandâ. Tu.

DIE XVII DECEMB.

PIETATIS B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Majestatem tuam, Dominæ, supplicitèr exoramus, ut qui pietatem Sanctissimæ Genitricis tuæ devotè veneramus, pios nostri cordis affectus tibi præsentare possimus. Qui vivis.

Lect. 1. *Noct. de Fer.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Antonini Arch. Florentini.

De B. Virg. c. 18. § 6.

LECTIO 4.

Pietatis actus sunt tres secundum Albertum. Primus est movere ad opera misericordiæ. Secundus est Scripturæ non contradicere, sive intellectæ, sive non intellectæ. Tertius sancta honorare. Et in omni-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bus his Beata MARIA omnes viatores excellentèr superavit... Pietas quæ movebat Beatam Virginem MARIAM ad opera misericordiæ, et compatiendum proximo erat non solùm, quia imago Dei, sed quasi Deus, ex quo Deus factus est homo. Improportionabilitèr est pietas excellentiùs in ipsâ Virgine, quàm in omnibus aliis. Undè ad eam clamamus in antiphonâ. O clemens! ô pia! ô dulcis Virgo MARIA! Tu. ℣.

LECTIO 5.

Secundus actus est non contradicere Scripturæ, sivæ intellectæ, sive non intellectæ, sed humiliter assentiri. Sed nulla magis pia in assentiendo omnibus Scripturis, et divinis Verbis, quàm Beata MARIA: cum enim angelus sibi nuntiasset, quod erat supra omnem rationem, subitò acquievit dicens: Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Tertius actus est honorare sancta: undè et Job ait: Pietas est cultus Dei. Virgo autem, super omnes sancta honoravit omnia, templum, festa, Sacramenta, et cælera. Ipsa denique est, per quam omnes sancti, et sanctæ sunt in cælesti gloriâ honorati, et coronati, quia per Filium ejus benedictum omnes glorificantur, et honorantur. Undè in Apocalypsi seniores et animalia quatuor mittunt coronas suas ad pedes sedentis super thronum, quia ad humanitatem Christi per pedes significatam, quam traxit de Beatâ MARIA sciunt se gloriâ et honore coronatos. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 2. 1.

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat Mater JESU ibi. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Dom. 1. *post. Epiph. Serm.* 1.

Deficiente vino, dixit Mater JESU ad eum: Vinum non habent: Compassa est enim eorum verecundiæ, sicut misericors, sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet, nisi pietas? Quid, inquam, mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis? Nonne qui pomum in manu suâ tenuerit dimidiâ die, reliquâ diei parte servabit odorem? Tu. ℣.

Benedictiò. Cujus Pietatem colimus.

LECTIO 8.

Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem mensibus requievit? Eam et antè mentem replevit, quàm ventrem: et cum processit ex utero, ab animo non recessit. Durior fortassè, et austerior videri posset responsio Domini, sed noverat illa, cui loqueretur, et quisloqueretur, illa non ignorabat. *Lect.* 9. Denique, ut scias, quomodò responsum ipsum acceperit, aut quantum de Filii benignitate presumpserit, ait ministris: quæcumque præceperit vobis, servate, et facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Salinis.

Camòs. l. 3. *c.* 11.

Unâ ab opido Massaneto de Cabrenys in Diœcesi Gerundensi è monte, à quo nomen usurpat, sacellum Deiparæ de Salinis exurgit. Imaginis in Specu inventæ, ut traditur, quæ Sacellum ædificandi occasionem dedit, et quæ anno millesimo quingentesimo nonagesimo in terram ex altari ab hæretico dejecta, omninò fracta fuit, et in

quantum licuit reparata et in eo reposita, loco, aliaex alabastro jam ab anno millesimo sexcentesimo quadragesimo dignos honores accipit; quæ cum pluribus signis fulgeat, magno fidelium accursu frequentatur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Antonino Arch. Florentino.

Titul. 15. *c.* 18. §. 5.

442. Improportionabilitèr est pietas excellentiùs in ipsa Virgine, quàm in omnibus aliis. Undè ad eam clamamus in antiphonâ: O clemens! ô pia! ô dulcis Virgo MARIA! Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE XVIII. DECEMB.

EXPECTATIO PARTUS B. M. V.

Duplex majus.

Hodiè in 1. *Vesper. inchoantur Antiphonæ majores quæ dicuntur in Vesp. ad* Magnific. *et singulæ ante et post* Magnific. *duplicantur, etiamsi non fiat de officio duplici.*

Die 17. *Dec. ad* Magnif. *ant.* O Sapientia, quæ in Virgineo et immaculato Corde Beatæ MARIÆ Domum tibi ædificasti, et in eâ septem virtutum columnas excidisti; veni ad docendum nos viam prudentiæ.

Oratio de Laudibus.

AD MATUTIN.

HYMNUS 153. *Brev. Par. S.*

Adest, Creator omnium, *Sulpic.*
Jam plenitudo temporis:
Nunc ergò quem missurus es,
Mittas ab æterno sinu.

Audimur: alta montium
Sternantur ultrò culmina:
Planamque mortales parent
Suo Redemptori viam.

Propheta, quem prædixerat,
En partus instat Virginis:
Pax undè surget aurea
Eritque nobiscum Deus.

Beata, cujus mœnibus
Nascetur ille, civitas!
Domus beata, quæ prior
Tantùm fovebit hospitem!

Beatiorem te canam,
O Virgo, quæ partu sacro
Desideratam languidis
Promes salutem gentibus.

Doxolog. de Tempore.

IN I. NOCT.

De Isaia Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 66. 7.

Antequàm parturiret, peperit: anteqàm veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquàm tale? Et quis vidit huic simile? Nunquid parturiet terra in die unâ? Aut parietur gens simùl, quia parturivit, et peperit Sion filios suos? Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus? Tu.

℣. Non auferetur sceptrum de Judâ, et dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus est: * Et ipse erit expectatio gentium. ℣. Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.—Et ipse.

LECTIO 2.

Lætamini cum Jerusalem, et exultate in eâ omnes qui diligitis eam: gaudete cum eâ gaudio universi, qui lugetis super eam, ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus: ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimodâ gloriâ ejus. Quia hæc dicit Dominus: ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugelis: ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. Tu.

℣. Salutare tuum expectabo Domine: * Quæ enim est expectatio

mea, nisi Deus? ℣. Expectabo Deum Salvatorem meum.—Quæ.

LECTIO 3.

Quomodò si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. Videbitis et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt: et cognoscetur manus Domini servis ejus, et indignabitur inimicis suis. Quia ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flammâ ignis. Tu.

℟. Expectabo Deum Salvatorem meum: * Audiet me Deus, et citò veniet, et non tardabit. ℣. Expectemus humiles consolationem ejus. —Audiet.—Gloria.—Audiet.

IN II. NOCT.

Sermo S. Ildephonsi Arch. Tolelani. *Ex libro de Virgin. B. V.*

LECTIO 4.

Domina mea, atque Dominatrix mea, Dominans mihi, Mater Domini mei, ancilla Filii tui, Genitrix Factoris mundi, te rogo, te oro, te quæso, ut habeam Spiritum Domini tui, Spiritumque Filii tui, nec non et Spiritum Redemptoris mei, ut de te vera et digna sapiam, vera et digna loquar, vera et digna, quæcumque sunt, diligam. Tu. ℟. Spiritus.

LECTIO 5.

Tu enim es electa à Deo, assumpta à Deo, advocata à Deo, proxima Deo, adhærens Deo, conjuncta Deo: visitata ab Angelo, benedicta ab Angelo, beatificata ab Angelo: turbata in sermone, attonita in cogitatione, stupefacta in salutatione, admirata in dictorum anuntiatione. Invenisse te apud Deum gratiam audis, et ne timeas juberis. Undè et tu fiduciâ roboraris, cognitione miraculorum instrueris, ad novitatem inauditæ gloriæ proveheris. Tu. ℟.

LECTIO 6.

De prole ab Angelo nuntiata es, et post fœtum integra et pudica manes. Certa Virginitas nobis proponitur, et nasciturum ex te sanctum Dei Filium, tibi ab Angelo evangelizatur, et quæ sit nascentis Regis potentia, mirabiliter intimatur. Quomodò fiat, quæris, de origine interrogas, de ratione perscrutaris, de experientiâ requiris, de ordine sciscitaris. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia S. Chrysippi Presbyteri. *Orat. de S. Mar. Deipar.*

Virgam Jesse semper virentem, quæ cuncto generi humano vitam pro fructu attulit, omni quidem tempore prædicare, admirari et laudibus extollere convenit. Agite ergò, et nos elsi munera digna offerre nequimus, pro viribus tamen bonam voluntatem adferamus. Mox verò sumamus initium à verbis quæ Gabriel apud eam fecit. Tu.

LECTIO 8.

Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Ave, inquit, tuum enim est revera avere et gaudere: tuum verissimè audire istud: gratiâ plena; quia tecum est universus lætitiæ thesaurus, totius lætitiæ et gratiæ Rex cum ancillâ: cum speciosâ inter mulieres speciosus formâ præ filiis hominum: cum puellâ impollutâ is qui sanctificat omnia. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Tecum est Conditor omnium, te-

cum, inquam, ut ex te gignetur: tecum conceptione, ut ex partu tuo generetur: tecum velut Deus et homo. Hactenùs Gabriel verbis salutationis finem imponit. Nos autem peroportunum est modò, ut plurimarum prophetiarum faustas acclamationes illi adscribamus, et dedicemus. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 154. *S. Petr. Dam.*

Terrena cuncta jubilent,
Astra laudibus intonent:
Virginis ante thalamum
Laudes alternent dragmatum.
Hæc Virgo Verbo gravida
Fit paradisi janua:
Quæ Deum mundo reddidit,
Cœlum nobis aperuit.
Felix ista puerpera
Evæ lege liberrima,
Concepit sine semine,
Peperit absque gemitu.
Sit tibi laus, Altissime,
Qui natus es ex Virgine:
Sit honor ineffabili
Patri Sanctoque Flamini. Amen.

Ad Benedict. *ant.* Ecce jam venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum in terram: perficientur in te, Domina, quæ dicta sunt tibi à Domino.

Oratio.

Deus, qui Verbum tuum in alvo Beatæ MARIÆ Virginis incarnari voluisti, ipsâ intercedente, concede, ut illius venerandi Partûs, cujus hodiernâ die celebramus Expectationem, salutares consequamur effectus. Per eumdem.

CANON.

Ex Concilio Tolelano Decimo. *Ann.* 656. *c.* 1.—*Concil. T.* 15. *p.* 398.

443. Speciali constitutione sancitur, ut ante octavum diem, quo natus est Dominus, Genitricis quoquè ejus dies habeatur celeberrimus, et præclarus. Ex pari enim honore constat, ut sicut nativitatem Filii sequentium dierum insequitur dignitas, ita festivitatem Matris tot dierum sequatur sacra solemnitas. Tu.

Cum 2. *Vesperis.*

In Vesp. die 18. *ad* Magnific. *ant.* O Adonai, et Dux domûs Israel, qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, et in utero virginali carnem suscipere voluisti, veni ad redimendum nos in brachio extento.

DIE XIX. DECEMB.

DUBITATIO S. JOS. IN PRÆGN.

B. MARIÆ V.

Duplex.

Oratio. Br. Ilerd.

Deus, qui nos sacri Partûs Beatæ MARIÆ Virginis annuâ expectatione lætificas; præsta præsenti familiæ tuæ, ejus præsidiis muniri, cujus solemnia sacra celebramus. Per Dominum.

Lectio 1. *Noct. feriæ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Petri Paschasii Ep. et M. *Titul.* 2. *num.* 168. *pag.* 118.

LECTIO 4.

Cum autem MARIA ab Angelo didicisset cognatam ejus Elizabeth concepisse in senectute suâ, in montana perrexit ad illam visendam. Et cum in domum ejus intrasset et ipsam salutasset, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elizabeth, et exclamavit voce magnâ et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Postquàm autem Elizabeth peperit, reversa est MARIA in domum suam ad Nazareth. Cum autem JOSEPH videret MARIÆ uterum intumesce-

re, illamque gravidam esse existimaret, turbatus est, et tactus dolore cordis intrinsecùs, intra se dicebat: non ego cognovi eam: absque maculâ illam ego judico, et absque peccato: nunquàm de illâ quid intellexi, quod alicujus oculos possit offendere, Quid igitur hoc? Quomodò absque viri coïtu gravidari potest? Tu. ℟.

LECTIO 6.

Hæc omnia in mente revolvens, magno afficiebatur dolore: et cum esset justus et nollet eam traducere, nec illius famam lædere voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: JOSEPH fili David, noli timere accipere MARIAM conjugem tuam: quod enim in eâ natum est, de Spiritu Sancto est. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 18.

Cum esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Hom. 2. super Missus.

Cum ergò justus esset, et nollet eam traducere, voluit dimittere eam. Quare voluit dimittere eam? Accipe et in hoc non meam, sed Patrum sententiam. Propter hoc JOSEPH voluit dimittere eam, propter quod et Petrus Dominum à se repellebat, dicens: Exi à me, Domine, quia homo peccator sum: propter quod et Centurio à domo suâ eum prohibebat, cum diceret: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Ita ergò et JOSEPH indignum et peccatorem se reputans, dicebat intra se, à tali et à tantâ non debere sibi ultrà familiare præstari contubernium, cujus supra se mirabilem expavescebat dignitatem. Videbat et horrebat divinæ præsentiæ certissimum gestantem insigne: et quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Sed quarè occultè et non palàm? Ne videlicet divortii causa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir justus responderet populo duræ cervicis, populo non credenti, et contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius veritate comprobaverat, nonne mox increduli, et crudeles Judæi subsanarent illum, lapidarent illam? Quandò namque veritati crederent lacenti in utero, quam posteà contempserunt clamantem in templo? Quid facerent necdùm apparenti, cui postmodùm impias manus injecerunt etiàm miraculis coruscanti? Meritò ergò vir justus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occultè dimittere eam. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Sin verò alitèr quis sentiat, et JOSEPH sicut hominem dubitasse contendat, sed quia justus erat, noluisse quidem habitare cum eâ propter suspicionem, nec tamen, quia pius erat, traducere voluisset suspectam, et ideò voluerit occultè dimittere eam: brevitèr respondeo etiàm sic dubitationem illam JOSEPH fuisse necessariam quæ divino meruit certificari oraculo. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex S. Joanne Chrysostomo.

Sup. Matt. c. 1.

444. O inæstimabilis MARIÆ laus! JOSEPH plùs credidit castitati quàm utero intumescenti, plùs gratiæ quàm naturæ: conceptionem

vidit, sed fornicationem non existimavit: posibilius credebat mulierem sine viro concipere, quàm posse peccare. Tu.

Vesperæ de sequent.

DIE XX. DECEMB.

SS. UTERI B. M. V.

Duplex majus.

In Vesper. Antip. Capit. et orat. ut infra in Laudib.

HYMNUS 135.

O in Beatâ præ omnibus
Virgo MARIA feminis!
Dei Genitrix inclyta,
Nostris faveto laudibus.

Pudica cujus viscera
Sancto dicata Spiritu,
Davidis orium semine
Regem ferebant sæculi

Beata, cujus viscera
Summo repleta Numine,
Terris alebant unicam
Terræ cœlique gloriam.

Doxologia de Tempore.

℣. Beatus Venter, qui te portavit. ℟. Et ubera, quæ suxisti.

Die 19. Dec. ad Magnif. *ant.* O Radix Jesse, qui stas in signum populorum, super quem continebunt reges os suum, quem gentes deprecabuntur, veni ad liberandum nos, nascens de Virginis Utero, jam noli tardare.

AD MATUTIN.

Invitator. Verbum Dei caro factum in virginali Utero, ✠ Venite, adoremus.

HYMNUS 136. *Brev. Rom.*

Castæ Parentis viscera
Cœlestis intrat gratia:
Venter Puellæ bajulat
Secreta, quæ non noverat.

Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei:
Intacta nesciens virum
Verbo concepit filium.

Enititur puerpera
Quem Gabriel prædixerat:
Quem ventre matris gestiens
Baptista clausum senserat.

Doxolog. de Tempore.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Benedictus fructus Ventris tui, et benedicta tu inter mulieres.

2. Venter tuus, sicut acervus tritici, vallatus liliis.

3. Fructum Ventris tui ponam super sedem David, et regnabit in domo Jacob in æternum.

℣. In te projectus sum ex Utero. ℟. De ventre matris meæ Deus meus es tu.

Lect. 1. *Noct. de Comm. in Adv.*

℣. Tu es, qui extraxisti me de Ventre, ✠ Spes mea ab uberibus matris meæ. ℣. Venter ejus eburneus, distinctus saphiris.—Spes.

℟. Quid dilecte mi, quid dilecte Uteri mei, quid dilecte votorum meorum? ✠ Nescio qualitèr in Utero meo apparuisti. ℣. Neque enim ego Spiritum et animam donavi tibi, et vitam et membra tua non ego ipsa confeci.—Nescio.

℟. Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreni illius, qui prior factus est, ✠ Et in Ventre Matris figuratus sum caro. ℣. Beatus Venter qui te portavit, et ubera, quæ suxisti.—Et.—Glor.—Et.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Inventa est MARIA in Utero habens de Spiritu Sancto.

2. Ecce Virgo in Utero habebat, et pariet Filium, qui vocabitur Emmanuel.

3. In te confirmatus sum ex Utero Matris meæ.

℣. Beata viscera MARIÆ Virginis. ℟. Quæ portaverunt æterni Patris Filium.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sermo S. Bernardi Abbatis.

In Deprecat. ad Virgin. glorios.

LECTIO 4.

Jam Uterum tuum, Domina, velut sacratissimum Dei vivi templum totus mundus veneratur. In eo salus mundi initiata est, ibi decorem indutus est Dei Filius, ac præelectæ sponsæ suæ Ecclesiæ formosus in stolâ candidâ exultantèr occurrit, desideratum diù osculum præelegit, ac prædestinatas à sæculo nuptias Virgo cum Virgine prælibavit. Tu.

℟. Beata Dei Genitrix MARIA, cujus viscera intacta permanent post partum, * Nobis genuit Salvatorem sæculorum. ℣. Beata quæ credidit, quoniàm perfecta sunt omnia, quæ dicta sunt ei à Domino.—Nobis.

LECTIO 5.

In Utero tuo ruptus est paries inimicitiarum, quem inter cœlum et terram Protoplastorum inobedientia contraxerat. Ibi confœderata sunt terrenis cœlestia, et obviaverunt sibi in osculo pacis, quandò in unam, eamdemque personam concurrerunt divinitas et humanitas: factumque est novum illum super terram, ut esset Deus homo, et homo Deus. Ibi magnus Elisæus in mensuram suscitandi puerum se contraxit: Ibi antiquus dierum præelecto filio suo tunicam induit polymitam. Tu.

℟. Beata viscera MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium, * Et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum. ℣. Extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit: Beatus Venter, qui te portavit.—Et beata ubera.

LECTIO. 6.

In tuo Utero consilii providentia inescatus est hamus, qui ad extrahendum serpentem antiquum in hoc mare magnum de cælo trajectus est: Indè egressa est armilla aurea, ut perforaretur maxilla Leviathan, ut evomeret mortuos non suos, quos ab origine mundi mertuos deglutiverat. Hortus deliciarum nobis sacratissimus tuus Uterus, ô MARIA, quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quotiès mente recolimus, quàm magna multitudo dulcedinis toti orbi indè effulsit. Tu.

℟. Magnum hæreditatis mysterium: Templum Dei factus est Uterus nescientis virum: * Non est pollutus ex eâ carnem assumens. ℣. Sicut pluvia in vellus descendit, ut salvum faceret genus humanum.—Non est.—Gloria.—Non est.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Hortus conclusus, Virgo MARIA, Venter tuus: puteus aquarum viventium.

2. Flumina gratiarum de Ventre tuo effluent cum impetu.

3. Emissiones Ventris tui paradissus malorum punicorum cum pomorum fructibus.

℣. Venter tuus sicut acervus tritici.

℟. Vallatus liliis.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO. 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus Venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventuræ Episcopi.

Super caput 11. *Lucæ.*

Laudat hæc mulier Christum Dei Filium, extollens laudis ejus præconium ex beatitudine matris: quasi dicat: Beata mulier, quæ portavit tam bonum Filium. Et rectè, quia

decebat sexum femineum sic laudare. Nec tamen feminas, imò etiàm viros. Nam suprà dixit Virgo: ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Fuit autem Venter virginis beatus propter tria privilegia, quia, ut dicit Bernardus, fuit sine corruptione fœcunda, sine gravedine gravida, et sine dolore puerpera. Tu.

℟. Suscipe Verbum, Virgo MARIA, quod tibi à Domino per Angelum transmissum est: * Concipies, et paries Deum paritèr et hominem. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.—Concipies.

LECTIO 8.

Fuit etiàm beatus propter tria miracula. Primum est conjunctio infinitè distantium. Deus enim ibi factus est homo. Creator creatura, Immensus parvus, Verbum infans. Secundum miraculum est, quia qui fecit ventrem, factus est in Ventre. Undè in Psalmis dicitur: Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Et post: Homo natus est in eâ, et ipse fundavit eam Altissimus. Tertium miraculum, quia qui continet omnia, continetur in Ventre: et ille ibi capitur, quem totus non capit orbis. Tu. ℟.

℟. Benedicta et venerabilis es, Virgo MARIA * Quæ de cælo susceptisti prolem, et mundo genuisti Salvatorem. ℣. Virgo, Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Quæ Gloria. Quæ.

LECTIO 9.

Nec tantùm beatificat Ventrèm propter portationem, sed ubera propter lactationem, cum subjungit: et ubèra, quæ suxisti. Ex quo datur intelligi, quod à solis uberibus Beatæ Virginis lactatus fuit. Ideò autem junxit ista duo, ut ostenderetur Virgo MARIA fuisse Mater Christi vera et perfecta: quia non solùm genuit, sed et educavit, et sicut verè educavit, ita verè genuit. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

Et per horas antiphonæ.

1. Fluvius * egrediebatur de Utero Virginis ad irrigandam universam terram.

2. Fons hortorum, * puteus aquarum viventium virginalis Uterus.

3. Hæc est Virgo, * in cujus Utero omnis Ecclesia suharrata, conjucta Deo fœdere sempiterno creditur.

4. O Uterum cœlo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti.

5. O Uterum * impollutum habentem circulum cœlorum, qui Deum in te comprehensum portasti.

CAPITULUM. *Genes.* 49. 25.

Deus Patris tui erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ.

HYMNUS 137. *S. Petr. Dam.*

Dives MARIÆ gremium
Mundi gestavit pretium,
Quo gloriamur redimi
Soluto jugo debili.

Quam Patris implet Filius
Sanctus obumbrat Spiritus;
Cœlum fiunt castissima
Sacræ Puellæ viscera.

Sit tibi laus, Altissime,
Qui natus es ex Virgine:
Sit honor ineffabili
Patri Santoque Flamini. Amen.

℣. Beatus Venter, qui te portavit.

℟. Et ubera, quæ suxisti.

Ad Benedict. *ant.* O Venter diffusior cœlis, terrisque amplior,

capacior elementis, qui totum claudit concludentem omnia, in quo Deus gloriæ reclinatur.

Oratio.

Exaudi nos, Domine, Sancte Pater, Omnipotens æterne Deus, qui per Beatæ MARIÆ sacratissimi Uteri divinæ gratiæ obumbrationem universum mundum illuminare dignatus es, præsta: ut quod nostris meritis non valemus, ejus adipisci præsidiis mereamur. Per Dominum.

AD PRIMAM.

Ant. Fluvius. *Capitul.* Deus Patris tui. *de Laudib.*

CANON.

Ex D. Andreâ Cretensi.

Orat de Annunt.

445. Tu vere benedicta, quæ tanquàm paradissus intra te continens ipsius Edem plantatorem Christum, qui infinitâ virtute ex almo Utero tuo prodiens, instar fluvii, quatuor principiis per Evangelium rigat faciem universæ terræ. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Luc. c.* 1. 31.

Ecce concipies in Utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus JESUM.

℟. *br.* Venter tuus * Sicut acervus tritici,—Venter. ℣. Vallatus liliis.—Sicut.—Gloria.—Venter.

℣. Venter ejus eburneus, ℟. Distinctus saphiris.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Luc.* 1. 42.

Et exclamavit voce magnâ Elizabeth, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus Ventris tui.

℟. *br.* Venter ejus * Eburneus.—Venter. ℣. Distinctus saphiris.—Eburneus.—Gloria.—Venter.

℣. Beatus Venter qui te portavit.

℟. Et ubera quæ suxisti.

AD NONAM.

CAPITULUM *Matth.* 1. 18.

Cum esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequàm convenirent invenia est in Utero habens de Spiritu Sancto.

℟. *br.* Beatus Venter * Qui te portavit.—Beatus. ℣. Et ubera, quæ suxisti.—Qui.—Gloria.—Beatus.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus Ventris tui.

IN II. VESPER.

Antiph. de Comm. Capit. de Laud.

HYMNUS 158. *Brev. Rom.*

Quem terra, pontus, sidera
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinam
Claustrum MARIÆ bajulat.

Cui luna, sol et et omnia
Deservient per tempora,
Perfusâ cœli gratiâ,
Gestant puellæ viscera.

Beata Mater munere
Cujus supernus Artifex
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arcâ clausus est.

Beata cœli nuntio,
Fœcunda Sancto Spiritu
Desideratus gentibus
Cujus per alvum fusus est.

Doxol. de Tempore.

℣. Quem totus non capit orbis.

℟. In Alu se clausit viscera.

Die 20. *Dec. ad* Magnific. *ant.* O Clavis David, et sceptrum domus Israel, qui aperis, et nemo claudit: claudis et nemo aperit: veni, et educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris, et umbrâ mortis.

DIE XXI. DECEMB.

SS. ANNULI B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui nuptialem Annulum

Beatissimæ Virginis recolimus, ad Sponsi cœlestis nuptias, ipsâ intercedente, vocari mereamur. Per Dominum nostrum.

AD MATUTIN.

HYMNUS 159. *Urban. VIII.*

Imbriferis arcus fulgens
In nubibus orbem
Effera diluvii damna
Timere vetat.

Sic Deus Omnipotens voluit.
Decus, Annule, majus
Est tibi, quem supplex urbs
Perusina colit.

Es gemino constans
Arcu felicior index;
Nam peragit Virgo nupta
Salutis opus.

Virgineo terræ conjungens
Fœdere cœlum:
Hâc duce non pelagi, non
Stygis unda necet.

Gloria summa Patri,
Sit par tibi gloria, Nate:
Gloria sit compar,
Spiritus alme, tibi. Amen.

Lection. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Bened. XIV. de Festis l. 2. *c.* 1. *n.* 15.

Perusiæ conservatur Annulus, quem Beata Virgo, cum JOSEPHO nupsit, dicitur indusse. Hunc Annulum sub Gregorio Quinto inventum, quadrigentis octoginta quatuor annis in Clusinâ urbe asservatum in Perusinorum manus venisse scribitur. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Apud Sixtum Quartum lite et judicio Clusinos Annulum persequutos; quibus à Joanne Baptistâ Sabello Cardinali legato Pontifex illud reddi jussit. Verùm Sixto morte sublato, Innocentius Octavus Perusianis eam causam adjudicavit. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Balingh. 22. *Januar. Kal. mar.*

Annulum quem Sanctus JOSEPH tradidit in Desponsatione Virgini conjugi futuræ, maximâ cum veneratione servant Perusini in capsellâ aureâ sub undecim clavium firmâ custodiâ, y quæ à totidèm seu viris seu communitatibus asservantur. Plurimis claruit et claret modò miraculis. Non est ex ullo metallo, sed ex onyche lapide, qui in Palestinâ satis vilis est. Tu. ℟.

Hom. de Comm. pro Duplicib.

LECTIO 9.

Commemoratio Beatæ V. à Partu.

Ex monumentis.

Romæ in Ecclesiâ Sancti Augustini ingenti cultu honores accipit quædam Deiparæ Imago sub titulo à Partu, quæ inter duas templi jannas media extat. Statua est marmorea, et sedens habet puerum stantem in ulnis, lævâque manu sustentat. Sinistro pede auro cooperto devotorum frequentissima oscula suscipit. Magnus fit quotidiè ad eam accursus, nec desunt miracula, ut ex tabellis ibi appensis apparet, neque fidelium gratitudo, quæ ex ditissimis donariis aureis et argenteis, quæ ibi quoquè conspiciuntur, et quæ ferè totam statuam operiunt, elucet. Lampades ante eam plures continuo sunt accensæ. Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXII. DECEMB.

ASCENSIO B. V. AD BETHLEEM.

Duplex.

Si hoc Festum fuerit Dominicâ impeditum, transferatur in diem seq.

Die 21. *Dec. ad* Magnif. *ant.* O Oriens, splendor lucis æternæ et sol justitiæ, Virgo intacta velut aurora valdè rutilans jam te præcedit: veni et illumina sedentes in tenebris, et in umbrâ mortis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

AD MATUTIN.

IN I. NOCT.

De Michea Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 5. 1.

Nunc vastaberis filia latronis: obsidionem possuerunt super nos, in virgâ percutient maxillam judicis Israel. Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis. Tu.

℣. O meritis radians die, Virgo, putasne videbas Angelicos cursus ire, redire novos? ℟. Militiam cœli cum te servare vicissim sentires animo, sæpè levatâ manu. Angelicos.

LECTIO 2.

Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet: et reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel. Et stabit et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate Domini Dei sui: et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. Tu.

℣. Quæ circa te acies, vel quandò iter ire parares, ' Millia prægressus concomitando tuos? ℟. Angelicos cursus ire, redire novos.—Millia.

LECTIO 3.

Et erit iste pax: cum venerit Assirius in terram nostram, et quandò calcaverit in domibus nostris, et suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates homines. Et pascent terram Assur in Gladio, et terram Nemrod in lanceis ejus: et liberabit ab Assur, cum venerit in terram nostram et cum calcaverit in finibus nostris. Tu.

℣. Præmia quanta uterum implebant et gaudia pectus, cœlorum Artificem, cum tua ferret humus?' Quum tibi talis erat fœtus honore novus? ℟. Quis te tunc sensus, Domini pia Mater, habebat?—Quum.—Gloria.—Quum.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bonaventuræ Ep.
In meditat vitæ Christi, c. 2.

LECTIO 4.

Adveniente autem novem mensium termino, exiit edictum ab Imperatore, ut describeretur universus orbis, scilicet quilibet in civitate suâ. Cumque JOSEPH ire vellet in civitatem suam, scilicet Bethleem; et sciret instare tempus partûs sciæ Conjugis, duxit eam secum. Vadit ergò Domina hoc longo itinere. Nam Bethleem est propè Jerusalem per quinque vel sex milliaria. Ducunt autem secum bovem et asinum, et vadunt sicut pauperes mercatores bestiarum. Tu.

℣. Quid Michael faceret ductor sub principe celso, qualitèr aut Raphael occursum impenderet almæ,' Te portante, Dei dum putat esse thronum? ℟. Quid gereret Gabriel nuntius ille sacer.—Te portante.

LECTIO 5.

Cum autem fuerint in Bethleem, quia pauperes erant, nam multi concurrerant pro eâdem causâ, hospitium invenire non potuerunt. Compatere hic Dominæ, et conspice illam delicatam, et juvenem, quindecim enim erat annorum ex longo itinere fatigatam, et cum verecundiâ inter gentes conversantem, quærentem, ut quiescat, et non invenit: omnes licenliant eam, et socium ejus, et sic coguntur divertere ad quamdam viam coopertam, ubi homines tempore pluviæ divertebant. Tu.

℣. Credo alter cuperet plantis substernere palmas, ' Ille excusâ alâ subnitidare viam. ℟. Duceret iste auras ne te gravis ureret æstus.—Ille.

LECTIO 6.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini.
Conc. in Christi Natio.

Descriptio præcipitur ab Augusto, et dum MARIA et JOSEPH describendi veniunt in Bethleem, disponente Deo, Christus ibidèm nascitur, et vaticinium impletur. Cur hoc ità? Cur non potiùs Virgo Bethleemitica fuit, et illius incola civitatis, ne in tenero saltem corpore, partui proxima làm longam peregrinationem subire cogeretur? Nempe, ut sigillato mysterio, acciperentur digni, arcerentur indigni. Neque hic levitèr angustia Virginis prætereunda est, cum vicina partui proprios dimittere, et alienas cogitur petere ædes: longam terere viam, et per montuosam exulare regionem: Virgo, inquam, tenera, et gravida, Virgo publici nescia, domum assueta, Virgo super omnes feminas prudentissima. Tu.

℣. Iste ad fræna manum patiens, ne sarcina lapset, ' Neu pes offendat pendula turba velat. ℟. Ille levans pennas vertat ut imber aquas. —Neu pes.——Gloria.—Neu pes.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 1.

In illo tempore: Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Et reliqua.

Homilia Sancti Athanasii Episcopi.
In description. Deipar. apud Surium.

Vides quàm exiguis verbis, quàm magna comprehendantur mysteria? Dominus conceptus erat in ventre Virginis, et prima gentium Augusti edicto instituebatur descriptio. *Lect.* 8. Qui omnem naturam à se descriptam habet, quique Discipulis suis nil: gaudete et exultate quoniàm nomina vestra scripta sunt in cœlo, ille suam ipsius Matrem parvis quibusdam Romanis codicibus describi voluit. Tu.

℣. Factum est in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis: ' Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem. ℟. In propria venit; sui autem non receperunt eum.—Et ibant.

LECTIO 8. *Lect.* 9.

Ibat etiàm JOSEPH cum Virgine, partim adjutor, partim speculator omnium, quæ futura erant: non quia Virgini adjutore opus esset, vel ei, qui conceptus in utero Virginis portabatur; sed quia ejus desponsationis mysterio necessarius erat JOSEPH, ut Virgo, quasi sub viro esse crederetur, et res ipsa lateret diabolum. Tu.

℣. Ascendit JOSEPH à Galilæâ de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethleem, ' Eo quod esset de domo et familiâ David. ℟. Ut profiteretur cum MARIA desponsatâ sibi uxore prægnante.—Eo quod.—Gloria.—Eo quod.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Matritensis de Exilio.
Gumpenb. Imag. 612.

Matriti in Hispaniâ colitur beata Virgo sub titulo de Exilio, olim propter vastationem Maurorum absconditia, et ab Eremitâ quodam inventa. Contigit enim, ut pilis ligneis lusum facientibus, una pilorum in scrobem decideret, eremitorio subjectam: eam extracturi ignem vident et flammas; quapropter Eremitam inclamant, auxilio ejus ignem extincturi. Ille profundiùs in atrium descendit, et inter fulgores cœlestes hanc Deiparæ Statuam extraxit, servaturus ipse,

nisi ter ductæ sortes Monachis Bassiliensibus dedissent. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Ascendit JOSEPH à Nazareth in Bethleem, ut profiteretur cum MARIA desponsatâ sibi uxore prægnante.

CANON.

Ex S. Ambrosio Episcopo.

In Evang. Luc. lib. 3. *n.* 4.

446. Censûs tempore ascendit JOSEPH de domo et de patriâ David, ut profiteretur cum MARIA, uxore suâ. Quæ ex eâdem domo, et ex eâdem patriâ professionem defert, utique ejusdem tribûs, et ejusdem patriæ se esse designat. Tu.

Die 22. *Dec. ad* Magnific. *ant.* O Rex gentium et desideratus earum, qui in Virginis utero thronum tuum posuisti, et ipse tanquàm sponsus procedens de thalamo suo: veni et salva hominem, quem de limo formasti.

DIE XXIII. DECEMB.

Officium fit de feriâ.

Die 23 *Dec. ad* Magnific. *ant.* O Emmanuel, Rex et Legifer noster, qui in utero intactæ Virginis conceptus fuisti, expectatio gentium, et Salvator earum, veni jam ad salvandum nos, noli tardare. *Oratio de Com. præced.*

DIE XXIV. DECEMB.

IN VIGILIA SS. PARTUS B. V.

Simplex.

Omnia non propria, ut in feriali Office.

AD MATUTIN.

Invitator. Hodiè scietis quia pariet Virgo, * Et manè videbitis partum ejus.

Hymn. Veni Redemptor... *p.* 100.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 1. *c.* 2. 18.

Cum esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequàm convenirent, inventa est in utero, habens de Spiritu Sancto. Et reliqua.

Homilia S. Justini Martyris.

Apolog. 2. *ad Imper. Anton.*

Propheta Isaias scripsit his verbis: Stella ex Jacob orietur, et flos ex Jesse radice erumpet. Stella autem lucida orta est, flosque ex Jesse radice prodiit, hic Christus. Eum enim Virgo quæ à Jacobo originem duxit, qui Judæ, quem Judæorum patrem esse dixi, pater fuit, Dei vi ac virtute peperit. Et Jesse genus quidem ipse ex oraculo et vaticinatione fuit, Jacobi autem et Judæ generis successione filius. Tu.

℟. Lætamini cum beatâ et immaculatâ Virgine MARIA, et exultate in eâ omnes, qui diligitis eam: * Gaudete cum eâ gaudio universi. ℣. Quoniàm crastinâ die pariet nobis Regem angelorum, et Dominum dominantium.—Gaudete.

LECTIO 2.

Dei visad Virginem veniens obumbravit, fecitque ut Virgo gravida esset. Per Isaiam propheticus Spiritus hunc nasciturum asseruit: Spiritumque Dei nefas est aliud intelligi nisi Verbum, quod etiàm primogenitum Dei est: atque hic suo ad Virginem adventu et adumbratione eam gravidam effecit. Nomen autem JESUS hebraico sermone, græcum eum qui salutem dat, declarat. Tu.

℟. Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra, quasi herba germinabunt, * Cum Virgo pariat Deum pariter et hominem. ℣. Cognoscetur manus Domini servis ejus, et indignabitur inimicis ejus. —Cum.

LECTIO 3.

Ubi verò nasciturus esset, quemadmodùm alius Propheta Micheas prædixerit, audite: Hæc illius verba sunt. Et tu, Bethleem terra Judæ, nequaquàm minima es in principibus Judæ: ex te enim exibit dux, qui regat populum meum. Vicus autem est quidam in regione Judæorum, qui quinque et triginta millibus abest, in quo JESUS-Christus natus est: id quod etiàm intelligere potestis ex censibus, qui coacti sunt, Quirino primo, vestro in Judæâ Prætore. Tu.

℟. Sanctificamini hodiè, et state parate: * Crastinâ enim die Deus et homo * Nascetur Christus ex Virgine. ℣. Hodiè scietis, quia pariet Virgo, et manè videbitis partum ejus.—Crastinâ.

℣. Et auferet à vobis omnem languorem.—Nascetur.—Gloria.—Sanctificamini, *usque ad* ℣. *Hodie.*

Deindè Officium fit Duplex.

AD LAUDES

et per horas antiphonæ.

1. Pariet Virgo * Salvatorem, et Propugnatorem qui liberet.

2. Pariet Virgo * absque ullo Virginitatis detrimento.

3. Quod nascetur * ex te, Sanctum, vocabitur Filius Dei.

4. Congratulamini mihi, quia cum essem parvula, placui Altissimo.

5. Congratulamini * mihi, quia de meis visceribus genui Deum et hominem.

CAPITULUM. *Aggæ.* 2. 7.

Hæc dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum est... et veniet desideratus cunctis gentibus.

Hymnus. Creator alme. *p.* 101.

℣. Faciet Dominus novum super terram.

℟. Virgo pariet permanens Virgo.

Ad Bened. *ant.* Et factum est, cum essent Bethleem MARIA et JOSEPH, impleti sunt dies, ut Virgo pareret.

Oratio.

Ostende nobis per tuam pietatem immaculatum Virginis Partum, ut Filium ejus, quem Redemptorem læti suscipimus, venientem quoquè judicem securi videamus, Dominum nostrum JESUM-Cristum Filium tuum, qui tecum.

AD PRIMAM.

Ant. Pariet Virgo. *Capit.* Hæc dicit. *de Laud.*

CANON.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino.

Conc. 1. *in Natal. Domi.*

447. Descriptio præcipitur ab Augusto, et dum MARIA et JOSEPH describendi veniunt in Bethleem, disponente Deo, Christus ibidem nascitur, et vaticinium «Prophetæ» impletur. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Osæ.* 6. 3.

Quasi diluculum præparatus est egressus ejus, et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ.

℟. *br.* Veni, Domine, * Noli tardare.—Veni. ℣. Relaxa fascinora populi tui.—Noli.—Gloria.—Veni.

℣. Obsecro, Domine, ℟. Mitte quem missurus es.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Isai.* 10. 24 et 27.

Noli metuere, populus meus, habitator Sion: adhuc enim paululum, modicumque, et..... auferetur onus de humero tuo, et jugum de collo tuo.

℟. *br.* En ipse stat * Post parietem nostrum. ℣. En. ℣. Respiciens per fenestras, et per cancellos.—Post.—Gloria.—En.

℣. Veni Redemptor gentium.

℟. Ostende partum Virginis.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

AD NONAM.

CAPITULUM. *Isai.* 16. 1.

Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ de petrâ deserti ad montem Filiæ Sion.

℟. *br.* Placare, Domine, * Attende et fac.—Placare, ℣. Ostende, Domine, faciem tuam.—Attende.—Gloria.—Placare.

℣. Crastinâ die delebitur iniquitas terræ.

℟. Et regnavit super nos Salvator mundi.

DIE XXV. DECEMB.

SOLEMNITAS SS. PARTUI B. MARIÆ V.

Duplex 1. *Class. cum Octavâ.*

IN I. VESPER.

Ant. 1. Regina pacis, Virgo MARIA, magnificata est hodiè vehementèr. *Psalmi de Solemnit.*

2. Hodiè fecit Dominus novum super terram; peperit Virgo permanens Virgo.

3. Virgo MARIA peperit Deum et hominem.

4. Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum.

5. Levate capita vestra: ecce appropinquat redemptio vestra.

CAPITULUM. *Luc.* 2. 15.

Transeamus usque ad Bethleem, et videamus hoc Verbum, quod factum est, quod Deus ostendit nobis.

℟. *br.* Quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? * Deus ab austro venit et Sanctus de monte Pharan. ℣. Domine, audivi auditionem tuam, et timui: consideravi opera tua, et expavi.—Deus ab.—Gloria.—Quis.

In dieb. infra octav. non dicitur in Vesp.

HYMNUS 160. *Br. Tolos.*

Vatum patent oracula
Promissa priscis patribus:
En Virgo, quæ gravis Deo
Nobis parens parit Deum.

Toto quid orbe par fuit,
Virgo parens, homo Deus?
Quo nascitur partu puer,
Hoc nascitur mundi salus.

Ut nocte caligantibus
Cœleste lumen temperet,
Velo tegi vult corporis,
Hoc Virgo velum præparans.

Quod prima Mater perdidit,
Mater reformas allera:
Mors ipsa nobis profuit,
Dum vita per te redditur.

Per te Deo conjungimur
Cui corpus aptasti parens:
Per te Dei nos filii
Per te Dei fratres sumus.

Tu Dux Olympi prævia
Clausas diù pandis fores:
Nos exules, si nos amas,
Reddas paternis sedibus.

JESU, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Hæc Dozol. dicitur usque ad Purificationem.

℣. Scitote, quia propè est regnum Dei.

℟. Amen dico vobis, quia non tardabit.

Ad Magnific. *ant.* Cum ortus fuerit sol, * videbitis Verbum Dei caro factum, et natum de MARIA Virgine, tanquàm sponsum procedentem de thalamo suo, alleluia, allel. *Orat. de Laudib.*

AD MATUTIN.

Invitator. Filium Dei natum de MARIA Virgine, * Venite, adoremus, alleluia, alleluia.

HYMNUS 161.

Gloriam nato decinere Christo
Angeli, et famam retulere, clarâ
Voce Pastores nova concrepabant
Gaudia mundo.

Editus sacro Patris ore sempèr,
Virginis castâ voluit sub alvo
Arcta naturæ tolerare factor
Munia nostræ.

Virgo portantem veneranda portat,
Lactat Lactorem, perhibet Parentem,
Spiritu prægnans operantis in se
Mater opusque.

Veritas terrâ pietasque nata est,
Solvit et primæ maledictionis
Damna, pro spinis, tribulisque fructum
Terra ministrat.

Sit Deus summo sine fine Christo
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Tanquàm Sponsus * Christus procedens de thalamo Virginis. *Psalm.* 8. Domina Dom. *p.* 4.

2. Filius meus * es tu: ego hodiè genui te.

Psalm. 15. Conserva me. *p.* 25.

3. Benedicta tu * inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

Psalm. 31. Beati. *p.* 27.

℣. Christus natus est nobis, allel.

℟. De Virgine MARIA, alleluia.

Tres seq. Lectiones leguntur sine tit.

LECTIO 1. *Isai. c.* 9. 6.

Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitiâ, amodò et usque in sempiternum: zelus Domini exercituum fecit hoc. Tu.

℟. Gloria in excelsis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis: * Quia Virgo peperit Salvatorem sæculorum. ℣. Dies sanctificatus illuxit nobis, dies gloriæ, dies lætitiæ.—Quia.

LECTIO 2. *Isai.* 40. 9.

Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem: exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda: ecce Deus vester. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo. Sicut Pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit: fœtas ipse portabit. Tu.

℟. Hodiè nobis cœlorum Rex de Virgine nasci dignatus est: * Ut hominem perditum ad cœlestia regna revocaret. ℣. Beata Virgo, cujus viscera intacta meruerunt portare Christum Dominum.—Ut hominem.

LECTIO 3. *Is.* 52. 4.

Hæc dicit Dominus Deus: In Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi: et Assur absque ullâ causâ calumniatus est eum. Et nunquid mihi est hic, dicit Dominus, quoniàm ablatus est populus meus gratis? Dominatores ejus iniquè agunt, dicit Dominus, et jugitèr totâ die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illâ: quia ego ipse qui loquebar: Ecce adsum. Tu.

℟. Partus et integritas discordes tempore longo, * Virginis in gremio fœdera pacis habent. ℣. O Virgo et Mater, quæ virginitatem et partum tam valdè inter se diversa, in te conjuncta monstras.—Virginis.—Gloria.—Partus. *In diebus infra Oct.* Virginis.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Veritas * de terrâ orta est, et justitia de cœlo prospexit. *Psal.* 44. Eructavit. *p.* 30.

2. Dominus * dedit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum. *Psal.* 45. Domina. *p.* 30.

3. Beatus venter tuus, * benedictus fructus ventris tui. *Psal.* 49. Deus Deorum. *p.* 31.

℣. Verbum caro factum est. ℟. Et habitabit in nobis, allel.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *Concion. in Nativ. Christi.*

LECTIO 4.

Aderat jam illa hora sacra, hora aurea, hora rutilans super omnia tempora benedicta: hora mundi solatio ab initio destinata: nox in suo cursu medium iter agebat, cum ecce virgineus undiquè vultus immutatur: rubent genæ coloribus, candidaque alioquin facies purpuratur tota, ità ut liliis candidis illam assimilare posses, purpureis mixtis rosis. Fervido agitatur Spiritu, insuetisque ardoribus beatissima illius anima inflammatur. Æstuabat intùs deliciis, inundantesque gaudiorum impetus tenerum pectus portare nequibat. Tu.

℟. Osculetur me, Mater mea osculo oris sui, * Quia meliora sunt ubera sua vino, fragrantia unguentis optimis. ℣. Incipe, Puer, risu cognoscere Matrem.—Quia.

LECTIO 5.

O Virgo benedicta! Anne isti sunt sacri partûs dolores? Istæ puerperii istoleribiles anxietates? Hæ torsiones, quas solent tali tempore sustinere prægnantes? Prænovit alma Puerpera sui partûs indicia: spiritu Dei plena, devotione fervida, manibus, oculisque in cœlum levatis, genibusque flexis totam se Deo devovens, ipsius beneplacitum expectabat. Aderat Sanctus JOSEPH novitate rerum perterritus, oransque et ipse silentio rei exitum attendebat: cum ecce virgineo elapsus utero decorus Infans, nudâ terrâ coram eis ejulans palpitabat: Infans omnipotens, mirandus Infans, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei: Infans parvulus, et Deus immensus. Tu.

℟. Hodiè per totum mundum melliflui facti sunt cœli: * Quia nobis Virgo MARIA peperit Salvatorem. ℣. Hodiè nobis pax vera de cœlo descendit.—Quia.

LECTIO 6.

Qualis ex purpureæ auroræ gremio cum rutilans oritur sol, qualis radius, cum vitream penetrat fenestram, integramque relinquit. Qualis stella fulgorem, aut vernans rosa placidum ex se mittit odorem, talis decora Puella suo utero edidit Salvatorem. Adorat Mater, quem peperit Filium, et priùs ut Deo devotum offert mentis obsequium, quàm ut puero exhibeat necessarium matris officium. Quis tuam, Virgo, explicet mentem? Quis tui cordis gaudium valeat reserare, cum Dei tui, Creatoris tui Matrem te vides et Virginem? Gaudium matris habens cum virginitatis honore. O partum stupendum! O partum mirandum! O partum denique qualem decet omnium Conditorem! Tu.

℟. O magnum mysterium, et admirabile Sacramentum! * Animalia viderunt Dominum natum jacentem in præsepio. ℣. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui.—Animalia.—Gloria.—O magnum.

In diebus infra oct. Animalia.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Peperit Virgo * Filium suum primogenitum, alleluia.

Psalm. 59. Deus repulisti *p.* 33.

2. Involvit eum * pannis, et inclinavit eum in præsepio, alleluia.

Psal. 101. Domina exaudi. *p.* 42.

3. Non erat eis * locus in diversorio, et inclinavit eum in præsepio, alleluia.

Psal. 104. Confitemini. *p.* 43.

℣. Dilectus meus mihi, allel.

℟. Inter ubera mea commorabitur, allel.

Benedictio. Evangelica lectio sit nobis salus, et protectio.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 6.

In illo tempore: Impleti sunt dies MARIÆ ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum. Et reliq.

Homilia S. Maximi Episcopi.

Sermo 2. in Nat. Dom.

Hodiè peperit MARIA, sed ipsa suum parturit Auctorem. Hodiè edidit mundo hominem, quem non suscepit ab homine. Quid hoc est miraculi fratres? Nascitur caro de carne, non tamen generata per carnem, et secreto quodam incomprehensoque conceptu procedit de mortali feminâ divina progenies. Tu.

℟. Annuntio vobis gaudium magnum: * Natus est vobis hodiè Salvator mundi. ℣. Impleti sunt dies MARIÆ ut pareret, et peperit Filium.—Natus.

Benedict. Verba Sancti Evangelii doceat nos Virgo Mater Dei.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 8. *c.* 2. 15.

In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem: transeamus usque ad Bethleem. Et reliqua.

Homilia S. Epiphanii Ep.

De Laudib. B. M. V.

Gloria in Altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus benæ voluntatis. Quapropter etiàm Pastores, qui ruri pernoctabant, hujusmodi glorificationem Angelorum audierunt de Salvatore, et cæleri cursu properantes lucem adoraverunt spectantes miraculum insolens: Ancillam Domini et Virginem in terrâ versantem evassisse sponsam cœlestem. Ipsâ enim et sponsa, et thalamus, et Dei Mater visa est in stabulo, quandò peperit infantem Christum juxta propheticam Isaiæ vocem, nempè puer natus est nobis, et filius datus est nobis. Tu.

℟. Beata Dei Genitrix MARIA, cujus viscera intacta permanent post partum: * Hodiè genuit Salvatorem sæculi. ℣. Genuit puerpera regem gaudia matris habens cum virginitatis honore: nec primam similem visa est, nec habere sequentem.—Hodiè.

Benedictio. Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 9. *c.* 1. 1.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Alexandrini Ep.

Concil. Ephes. p. 1. *c.* 9.

Quod Verbum caro factum perhibetur, id aliud nihil est, quam quod perindè ac nos, carni et sanguini communicavit, nostroque corpore sibi adjuncto ex muliere prodierit, Deitate interim aut ex Patre nativitate non abjectâ: mansit enim in ipsâ quoquè carnis assumptione, quod priùs erat. Hoc exactioris fidei doctrina ibique prædicat: hoc sanctos Patres sanxisse, eâque de causâ sacram Virginem Deiparam appellare minimè dubitasse constat: non quòd Verbi natura, ipsiusve divinitas, ortûs sui principium ex

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sanctâ Virgine sumpserit; sed quòd sacrum illud corpus animâ intelligente perfectum ex eâ traxerit; cui et Dei Verbum secundum hypostasim unitum, secundum carnem natum dicitur. Tu.

℣. Quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? * Deus ab austro venit, et Sanctus de monte Pharam. ℣. Domine, audivi auditionem tuam, et timui: consideravi opera tua, et expavi. —Deus.—Gloria.—Quis. *In diebus infra octav.* Deus.

Te Matrem Dei.

AD LAUDES.

Et per Horas Antiphonæ.

Ant. 1. Angelus Domini * apparuit pastoribus, et claritas Dei circumfulsit illos. *Psalmi de Dom.*

2. Nolite timere, * quia Virgo peperit hodiè Salvatorem mundi.

3. Invenietis eum * pannis involutum et positum in præsepio.

4. Et facta est * cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum.

5. Gloria in excelsis Deo, * et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.

CAPITULUM. *Luc.* 2. 15. Transeamus usque ad Bethleem: et videamus hoc Verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.

HYMNUS 162. *Brev. Rom.*

A solis ortus cardine
Ad usque terræ limitem,
Christum canamus Principem
Natum MARIA Virgine.

Beatus auctor sæculi
Servile corpus induit,
Ut carne carnem liberans
Ne perderet quos condidit.

Fœno jacere pertulit,
Præsepe non abhorruit:
Et lacte modico pastus est
Per quem nec ales esurit.

Gaudet chorus cœlestium,
Et angeli canunt Deo:
Palamque fit Pastoribus
Pastor, Creator omnium.

JESU, tibi sit gloria. etc.

℣. Notum fecit Dominus, allel.

℟. Salutare suum, allel.

Ad Benedict. *ant.* Venerunt Pastores * festinantes, et invenerunt MARIAM, et JOSEPH, et Infantem positum in præsepio, alleluia, allel.

Oratio.

Omnipotens Sempiterne Deus, qui hunc diem per Partum Beatæ MARIÆ Virginis consecrasti: da populis tuis in hâc celebritate consortium, ut qui tuâ gratiâ sunt redempti, tuâ sint adoptione securi: Per eumdem.

AD PRIMAM.

Ant. Angelus. *Capit.* Transeamus. *De Laudibus.*

℣. ℟. *br.* Quæ hodiè Filium Dei peperisti.

Et dicitur per octavam.

CANON.

Ex Concilio Ephesino.

Part. 3.—*Concil. Tom.* 6. *p.* 4. 448. Natum est «Verbum Dei» secundum carnem ex sacrâ Virgine, et æquè ac nos homo factum est, non amittens esse (absit), sed existens quod erat, et in divinitatis naturâ et gloriâ permanens. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Isai.* 9. 2. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.

℟. *br.* Christus natus est nobis, * Alleluia, allel.—Christus. ℣. De MARIA Virgine.—Allel. Gloria.—Christus. ℣. Verbum caro factum est, alleluia.

℟. Et habitabit in nobis, allel.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Isai.* 9. 6. Parvulus natus est nobis: et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus.

℟ *br.* Ego ipse qui loquebar, * Alleluia, allel.—Ego. ℣. Ecce adsum.—Allel.—Gloria.—Ego.

℣. Parvulus natus est nobis, allel.

℟. Et filius datus est nobis, allel.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Isai.* 35. 4. Dicite pusillanimes: confortamini, et nolite timere: Deus ipse veniet, et salvabit vos.

℟. *br.* Magnum principium, * Alleluia, allel.—Magnum. ℣. Et regni ejus non erit finis.—Allel.—Gloria.—Magnum.

℣. Benedicta tu inter mulieres.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Ipse invocabit me, * alleluia: Mater mea es tu, alleluia. *Psalmi ut in 2. Vesp. solemn.*

2. Filius meus es tu, * allel. ego hodiè genui te, alleluia.

3. Dilectus meus mihi, * allel. inter ubera mea commorabitur, alleluia.

4. Virgo peperit Deum: * venite gentes, et adorate Dominum, alleluia.

5. Christus * natus est hodiè in Bethleem Juda civitate David, alleluia.

CAPITULUM. *Luc.* 2. 15. Transeamus usque ad Bethleem, et videamus hoc Verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.

℟. Quis cognovit sensum *ut in* 1. *Vesp.*

HYMNUS 163.

Agnoscat omne sæculum,
Venisse vitæ Principem:
Post hostis asperi jugum
Apparuit redemptio.

Isaias quæ dixerat,
Completa sunt in Virgine;
Quem nuntiavit Angelus,
Redemptor orbis natus est.

Jessæa radix floruit,
Et virga fructum protulit,
Parit MARIA Filium,
Nec esse Virgo desinit.

Quæ parturis Virgo Deum,
Alisque Mater ubere,
Amore quo tu diligis,
Fac diligamus Filium.

Doxologia de Octavâ.

℣. Notum fecit Dominus, allel.

℟. Salutare suum, alleluia.

Ad Magnificat. *ant.* MARIA * autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. *Oratio de Laudibus.*

In diebus infra octav. Officium fit, etiùm in festis, ut in die cum Psalmis de Feriâ occurr.

De Dominicâ infra octav. fit in die, in quâ incidat, nisi inciderit die Circumcisionis Dom. quia eo anno omittitur.

DOMINICA

INFRA OCTAV. SS. PARTUS.

Semiduplex.

Non propria dicuntur ut in die.

In 1. *Vesper. dicuntur antiph. ut in* 2. *Vesp. SS. Partûs.*

CAPITULUM. *Ad Galat.* 4. 4. Ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

Ad Magnif. *ant.* Parvulus * natus est hodiè de MARIA Virgine, et vocabitur Deus fortis, allel.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo: ut Filium tuum unigenitum

quem de Beatissimâ Virgine MARIA natum læti suscepimus, fideliter imitantes, bonis operibus abundare mereamur. Per eumdem Dominum.

AD MATUTIN.

Invitator. Filium Dei factum ex muliere, factum sub lege: ℣ Venite, adoremus.

HYMNUS 164. *S. Petr. Dam.*

Gaudium mundi, nova stella cœli,
Procreans solem, pariens parentem
De manu lapsis opem fer caducis,
Virgo MARIA.

Quem tremunt cœli, metuunt abyssi,
Fluminum gutæ, maris et procellæ,
Laudat occasus, veneratur orbis,
Stringis in ulnis.

Lacte nutritur cibus angelorum:
Fertur innuptæ gremio puellæ,
Qui suâ latæ ditione terræ
Pondera librat.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

IN I. NOCT.

De Epistolâ Beati Pauli Apostoli ad Galatas.

LECTIO 1. *c.* 4. 1.

Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus à patre. Ita et nos, cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. Tu. ℣. Gloria in.

LECTIO 2.

At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniàm autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater. Tu. ℣. Hodiè.

LECTIO 3.

Itaque jam non est servus, sed Filius. Quod si filius, et hæres per Deum, sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui naturâ non sunt dii, serviebatis. Nunc autem cum cognoveritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodò convertimini iterùm ad infirma et egena elementa, quibus denuò servire vultis. Tu. ℣. Partus et,

IN II. NOCT.

Sermo S. Agustini Episcopi.

Apud Bedam in Ep. ad Galat.

LECTIO 4.

Filius quidem, non Pater natus est de Virgine MARIA; sed nativitatem Filii non Patris de Virgine MARIA et Pater et Filius operatus est. Audiis, et quia planum et apertum est, intellexistis. Ecce Pater fecit Filium nasci de Virgine. Cum enim venisset plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, utique Pater Christum. Quomodò enim misit? Factum ex muliere, factum sub lege. Tu. ℣. Osculetur.

LECTIO 5.

Fecit ergò eum Pater ex muliere sub lege. Aut fortè hoc movet, quia ex Virgine dixeram, et Paulus dicit ex muliere? Non moveat, utrum de Scripturâ dicitur, et ex Virgine, et ex muliere. Ex Virgine quomodò? Ecce Virgo concipiet ex utero, et pariet Filium. Ex muliere autem, sicut audistis, non est contrarium, proprietas enim locutionis Hebrææ, mulieres non corruptâ Virginitate, sed feminas appellare. Tu. ℣. Hodie.

LECTIO 6.

Quid est nativitas Filii ex Virgine MARIA? Certè assumptio formæ servi. Nunquid est aliud nasci

filio, nisi accipere formam servi in Virginis utero? Audi, quia hoc fecit. Qui cum in formâ Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Videmus nativitatem Filii à Patre factam, sed quia ipse Filius semetipsum exinanivit formam servi accipiens, videmus nativitatem Filii, et ab ipso Filio factam. Tu. ℣. O magnum.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 6.

In illo tempore: Impleti sunt dies MARIÆ, ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum. Et reliq.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In Vigil. Nativ. Domin.

O nova verè miracula! Conceptus fuit sine peccato, partus sine dolore. Mutata est in Virgine nostrâ maledictio Evæ. Peperit enim Filium sine dolore. Mutata est, inquam, maledictio in benedictionem, sicut prædictum est per angelum Gabrielem: Benedicta tu in mulieribus. O beata sola inter mulieres benedicta, et non maledicta! sola à generali maledictione libera, et à dolore parturientium aliena. Nec mirum, fratres, si dolorem non intulit Matri, qui dolores totius mundi tulit. Tu. ℣. Annuntio.

LECTIO 8.

Non solùm sine pudore conceptus, et sine dolore partus, sed et Mater est sine corruptione. O verè novitas inaudita! Virgo peperit, et post partum inviolata permansit, fœcunditatem prolis cum carnis integritate, et gaudium matris habens cum virginitatis honore. Habes tamen majores divitias, habes gloriam ampliorem. Mater est sine corruptione Virginitatis, et Filius sine omni labe peccati. Non cadit in Matrem Evæ maledictio, non cadit in prolem generalis illa conditio: nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram. Tu. ℣. Quis cogn.

LECTIO 9.

Crescunt miracula, multiplicantur divitiæ, thesaurus aperitur. Quæ generat, et Mater et Virgo est. Qui generatur et Deus et homo est. Sed nunquid dabitur sanctum canibus, aut margaritæ porcis? Abscondatur certè thesaurus noster in agro, et pecunia nostra in sæculo reponatur. Operiatur conceptus sine semine Matris desponsatione, partus sine dolore vagitibus parvuli, et mœrore. Abscondatur et parturientis incorruptio legali purificatione, infantis innocentia sanctâ circumcisione. Absconde, inquam, absconde MARIA, novi solis fulgorem, pone in præsepio, involve pannis infantem. Nam et ipsi panni nostræ divitiæ sunt. Tu. Te Matrem.

Ad Laudes et Horas omnia ut in die SS. Partûs.

CAPITULUM. *Gal.* 4. 4.

Ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

HYMNUS 165. *Brev. Rom.*

Quandò venit ergò sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab aree Patris
Natus, orbis conditor:
Atque ventre virginali
Carne amictus prodiit.

Vagit Infans inter arcta
Conditus præsepia:
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat:
Et Dei manus pedesque
Stricta cingit fascia.

UNIVERSIDAD DE NAVARRA DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sempiterna sit Beatæ
Trinitati gloria,
Æqua Patri, Filioque,
Par decus Paraclito:
Unius trinique Nomen
Laudet universitas. Amen.

℣. Notum fecit Dominus, Allel.
℟. Salutare suum, Alleluia.

Ad Benedict. *ant.* Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus, Domine, à regalibus sedibus venit, allel.

Oratio ut supra. Ad Prim. Capit. de Laudib. Canon. p. 113.

In 2. *Vesper. omnia ut in die SS. Part. Psalm. de Dom.*

Ad Magnif. *ant.* Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo, alleluia.

DIE XXVI. DECEMB.

DE II. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS 166. *Muret.*

O nox vel medio splendidior die,
Cujus per tenebras Virginis integræ
Ex alvo nitidâ sol novus emicat
Complens omnia lumine.

Æterno imperio qui regit omnia
Humanumque Deo conciliat genus,
Is nunc sub tugurii vilis operculo
Nascens pauperiem docet.

Pastores ovium, dum gregibus suis
Intenti vigiles excubias agunt,
Primi hunc angelico carmine nuntium
Lætis auribus hauriunt.

Grata est haud dubiè simplicitas Deo,
Grata est vita dolis quæ procul omnibus
Rectum sponte suâ perpetuò colit,
Et priscam retinet fidem.

Simplex ætherei Numinis unitas,
Quæ distincta eadem est, veraque Trinitas,
Æternis vigeat sempèr honoribus
Et terrâ simùl et polo. Amen

IN I. NOCT.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 12. 1.

Confitebor tibi, Domine, quoniàm iratus es mihi: convertus est furor tuus, et consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, fiducialitèr agam, et non timebo: quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus es mihi in salutem. Tu. ℟.

LECTIO 2.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: et dicetis in die illâ: confitemini Domino, et invocate nomen ejus: notas facite in populis adinventiones ejus: mementote, quoniàm excelsum est nomen ejus. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Cantate Domino, quoniàm magnificè fecit: annuntiate hoc in universâ terrâ. Exulta et lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Israel. Tu. ℟.

IN II NOCT.

Sermo S. Fulgentii Ep.
De Laudib. B. V. in parte Salvat.

LECTIO 4.

Nativitas Domini nostri JESU-Christi totum mundum novâ adventûs sui luce hodiè perfudit. Hodiè de cœlo Deus descendit ad hominem, ut in cœlo homini præpararet ascensum. Hodiè accepimus natum Dei, Virginis Filium, omnium credentium Salvatorem: Deus de Patre, homo de Matre, Deus occultus, homo manifestus. Et quoniàm diabolus per serpentem loquutus per Evæ aures mundo intulit mortem: Deus per Angelum ad MARIAM pertulit Verbum, et cunctis sæculis vitam effudit. Angelus sermonem ejecit, et Christum Virgo concepit. Tu. ℟.

LECTIO 5.

O conjunctio sine sordibus facta, ubi maritus sermo est, et uxor auricula. Hoc splendore concipitur Dei Filius, hâc munditiâ generatur. Nulla fieri gravedo potuit concipienti, nulla tristitia parturienti. Qui enim venerat triste lætare sæculum, ventris non contristavit hospitium. De cœlis medicus transiens per Virginem post transitum suum illæsam fecit Virginem permanere. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quantò magis in suâ Matre, quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit enim ejus partu integritas corporis, potiùs quàm decrevit. Et virginitas ampliata est, potiùs quàm fugata. In angusto corporis membro sustinuit, quidquid sustinent cœli. Plena sunt viscera, et nullum novit contagium Virginis conscientia. Cum esset gravida salubri levitate gaudebat: immen enim quod intra se habebat, pondus habere non poterat. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 7.

In illo tempore: Impleti sunt dies MARIÆ, ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum. Et reliq.

Homilia S. Joannis Damasceni.

De Ortodoxâ fide libr. 4. *c.* 14.

Editur Christus sine Patre ex muliere, qui ex Patre sine muliere natus extabat. Et quidem quatenùs ex muliere secundum pariendi leges editus est: quatenùs autem sine Patre supra generationis naturam. Ac rursùs, quatenùs consueto tempore, novem expletis mensibus, et inclinato decimo, sua partui lex constitit: quatenùs autem sine ullo sensus dolore generationis legem superavit. Quàm enim voluptas non anteivit, nec dolor sanè in partu sequutus est. Tu. ℟.

Benedict. Cujus Partum colimus.

LECTIO 8.

Ex eâ itaque Dei Filius assumptâ carne natus est: non homo Deifer, Deoque afflatus, sed Deus incarnatus: non in Prophetæ morem efficentia inunctus, verùm totius ungentis præsentiâ: ut et illud quod factum sit, homo, et hoc quod unctus est, Deus: non immutatione naturæ sed unione secundum hypostasim. Eccur ergò Dei Genitrix non erit, quæ Deum incarnatum ex se genuit? Profectò verè et propriè Dei Genitrix est, et Domina, omnibusquæ creatis imperat, quæ ancilla, materque exitii Creatoris. Quemadmodum autem ille, qui conceptus fuit, eam, quæ concepit, Virginem servavit; sic nascendo Virginitatem illius incolumen custodivit; solus per eam transiens clausamque conservans. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. ab Agnone.

Spinelli de festis et templ. Deiparæ.

Sancta MARIA ab Agnone, corrupto vocabulo ab Angone, quod italicè terminatione anguem ingentem significat, ab ingenti ac lætifero angue ope Deiparæ eo in loco verè extincto nomen accepit; quo in loco templum hoc grati animi monumentum à Neapolitanis eidem Deiparæ est extructum, nomen ab accepto beneficio est inditum: Anno octingentesimo trigesimo tertio templo Sanctimonialium Ordinis Sancti Basilii est adjunctum. Quæ posteà eo relicto in Sancti Gaudiosi monasterium Ordinis Sancti Benedicti commigrarunt unà cum pulcherrimâ Sanctæ Virginis Imagine, ad

cujus pedes anguis visitur, cum ipso pariete in quo erat depicta. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex S. Hippolyto Ep. et Martyre. *De Consumm. Mundi.*

449. Cum Salvator mundi genus humanum salvare decrevisset, ex immaculatâ Virgine MARIA natus est, et in figurâ carnis hostem conculcavit suæ divinitatis propriâ potentiâ. Tu.

Vesperæ ut in 2. *SS. Par. orat. de sequenti.*

DIE XXVII. DECEMB.

PAUPERTATIS B. M. V.

Duplex.

Omnia ut in die SS. Partûs, nisi transferatur extra Oct.

Oratio.

Infunde, quæsumus Domine, in cordibus nostris Spiritum paupertatis, quo beatissima Virgo MARIA semper tibi servivit, ut terrenas divitias viriliter contemnentes, thesauros cœlestes totâ mente appetamus. Per Dominum..... ejusdem Spir.

IN I. NOCT.

De Epistolâ primâ B. Pauli Apostoli ad Timotheum.

LECTIO 1. *c.* 6.

Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientiâ. Nihil enim invalimus in hunc mundum: haud dubium, quòd nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Tu. ℟.

LECTIO 2.

Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge; sectare verò justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in quâ vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum: benè agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. Tu. ℟.

IN II. NOCT.

Ex Verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo B. Virginis. *c.* 4.

LECTIO 4.

MARIA tenuissima fuit per paupertatem. Ipsa enim est, de quâ dicitur: Invenerunt MARIAM et JOSEPH, et Infantem, positum in præsepio. Pastores pauperes invenerunt pauperem MARIAM Matrem, pauperem Infantem, in paupere loco, non in pomposâ curiâ, sed in paupere præsepio. Quæ usque paupercula Mater bonum hospitium habuisset, si pauper non fuisset. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Ista dum diligenter attendis, paupertatem MARIÆ diligenter perpendis, de quâ Joannes Chrisostomus habet: vide paupertatis MARIÆ magnitudinem, et quicumque pauper est, accipiat consolationem. Quicumque certè propter Deum pauper est voluntariè et libenter, vel etiàm quicumque pauper est necessariè, et patienter, multùm consolari potest de paupertate MARIÆ, et de paupertate Christi. Tu.

LECTIO 6.

Ab illâ consolatione iniqui divites longè sunt, quia longè aliam quærunt. Undè Salvator dicit: væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram. Nolo tamen desperare divites, quia non solùm pauperes pastores, sed etiàm divites reges MARIAM, et pauperem Filium ejus invenerunt, sicut dicitur in Matthæo. Sic illi divites ipsos invenerunt, qui munera obtulerunt. Pauperes verò consolationem istam invenerunt per paupertatem, divites per liberalitatem. Tu. ℟.

Homilia ut in die 8. *Novemb.* Pauperes Spir. *p.* 430. *Cum* ℟℟. *SS. Partûs.*

CANON.

Ex S. Joanne Chrysostomo. *Cap.* 2. *Matth. hom.* 2.

450. Mater Christi vix tunicam unam habebat, non ad ornamentum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem, quam habere poterat uxor carpentarii, et hæc in peregrè constituta. Tu.

Bened. 8. Cujus Paupertatem colimus.

LECTIO 9.

Commem. B. V. de Consolatione. *Petrus Canisius De Deipara libr.* 5. *c.* 24.

Templum Virginis sanctissimæ de Consolatione, ut vocant, extat Romæ, et à multis frequenter aditur, nonemque ab ipso evento inditum servat. Etenim ægroti, et afflicti, qui cum gravissimis morbis, et maximis calamitatibus conflictantur, plurimum sæpè consolationis secundum corpus et animam, eo loco percipiant, non obscuris etiàm Deiparæ miraculis ad miserorum solatia concurrentibus: præsertim cum non modo propter MARIAM Deus in templo, sed etiàm in Xenodochio illic plurimis opituletur. Tu. Te Matrem.

Vesperæ ut in 2. *Vesp. SS. Partûs.*

DIE XXVIII. DECEMB.

DE IV. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS 167.

Qualis, Virgo, tibi gloria surgit!
Æterni soboles diva Parentis
En illapsa tuam cœlitùs alvum
Mollis membra sibi corporis aptat.
O felix! levitèr quàm gravat intùs
Ipsum Numen onus! Virgo colenda
Quæ nutrice ubere lactat
Naturam, quo geminus pascitur orbis.
In Matrem resilit gloria Nati:
In Natum resilit gloria Matris:
O quàm cara Deo, quàm Deus ipse
Consortem proprii reddit honoris!
Laus summa Triadi, quæ ibi sacra
Templum virgineum, templa dicavit:
Quo vult Genitrix Natus amari
Te mens nostra colat semper amore.
Amen.

IN I. NOCT.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 35. 1.

Lætabitur deserta et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exultabit lætabunda et laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli et Saron: ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. Dicite pusillanimis: confortate, et nolite timere:

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ecce Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine. Et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci. Tu. ℣.

LECTIO 4.

Et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, et hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam. Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi, et ambulabunt, qui liberati fuerint. Et redempti à Domino convertentur, et venient in Sion cum laude et lætitia sempiterna super caput eorum; gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus. Tu. ℣.

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini.

Concion. de Partu B. V. M.

LECTIO 4.

Nunquàm profectò auditus, neque visus est talis partus ab initio, neque unquàm videbitur in æternum. Partus sine dolore, partus sine corruptione, partus sine anxietate, partus, ut ita dicam sine partu, partus denique omni gaudio et jucunditate plenissimus. Et quidem in statu innocentiæ fuisset partus omninò sine dolore, et si Patri Augustino creditur, sine corruptione: parerent namque secundum eum mulieres integræ et incorruptæ, sed nullus partus fuisset ita mundus, ita purus, ita sacer et miraculosus. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Quàm pulchrè describit hunc partum Propheta Isaias, dicens: Germinans germinabit: florebitque quasi lilium. Et exultabit lætabunda, et laudans. Germinans germinabit: quia sola germinabit, quia sine viro germinabit. Sicut lilium: optima similitudo: quàm pulchrè editur Salvator ex Virgine, spiramini odoris ex flore comparatur. Nam sicut flos propter odorem suum non perdit decorem, cum odor imittitur, sic illa propter salvatorem virginitatis candorem non perdit, cum nascitur. Et exultabit lætabunda et laudans, id est, cum jubilo et canlico inenarrabili. Tu. ℣.

LECTIO 6.

O Virgo sacra! Quis explicare sufficiat tuorum gaudiorum exuberantiam in hâc horâ? Quis vel mente recolere fluctus illos inundantes cœlestium deliciarum, et suaviatum, quibus cor tuum fluctuat in hocpartu! Opectus virgineum, plusquàm aeneum, vel adamantinum! Quales spiritûs sustines impetus, quibus deliciarum fluctibus agitaris? Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 6.

In illo tempore: Impleti sunt dies MARIÆ, ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homil. 2. super miss.

Gloriatur Beata Virgo de suo partu, non in se, sed in ipso quem peperit. Deus siquidem (Deus enim est, quem peperit) Matrem suam singulari in cœlestibus donaturus gloriâ, singulari in terris prævenire curavit et gratiâ, quia videlicet ineffabiliter, et intacta conciperet, et pareret incorrupta. Porrò Deum

hujusmodi decebat nativitas, quâ non nisi de Virgine nasceretur. Talis congruebat, et Virgini partus, ut non pareret nisi Deum. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Proindè Factor hominum, ut homo fieret, nasciturus de homine talem sibi ex omnibus debuit eligere, imò condere Matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram. Voluit itaque esse Virginem, de quâ immaculatâ immaculatus procederet omnium maculas purgaturus. Voluit et humilem, de quâ mitis et humilis corde prodiret, harum in se virtutum omnibus saluberrimumque exemplum ostensurus. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Dedit Virgini partum, qui ei jam ante ei virginitatis inspiraverat votum, et humilitatis prorogaverat meritum. Alioquin quomodò eam Angelus in sequentibus gratiâ plenam pronuntiat, si quippiam vel parum boni, quod ex gratiâ non esset, habebat? Ut igitur, quæ sanctum sanctorum concepitura erat, pariter et paritura, sancta esset corpore, accepit donum virginitatis; ut esset et mente, accepit et humilitatis. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Concilio Mediolanensi.

Ann. 678. habetur inter præambul. Con. 3. Constantinop. Conc. T. 16. Pag. 45.

451. Duas Nativitates ejusmodi ipsius Unigeniti Dei Verbi confitemur: ante sæcula quidem ex Patre incomparabiliter natum: in ultimis autem diebus ejusdem ipsius Incarnationem de Sanctâ gloriosâ Dei Genitrice et semper Virgine MARIA. Tu.

Vesper. Dupl. ut in 2. Vesp. SS. Partûs.

DIE XXIX. DECEMB.

INCOMPREHENSIBILITAT. B. MARIÆ V.

Duplex.

Omnia dicuntur ut in die SS. Partûs nisi transferatur extra hanc Octav.

Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui incomprehensibilem humano intellectui Beatissimæ Virginis MARIÆ dignitatem veneramur in terris, ipsam in cœlis contemplari mereamur. Per Dominum.

IN I. NOCT.

Si transferatur extra Oct. Lect. 1. Noct. de feriâ.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 4. *v.* 1.

Consolamini, consolamini, populo meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam: quoniàm completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Vox clamantis in deserto; parate viam Domini: rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons, et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Vox dicentis: Clama. Et dixi: quid clamabo? Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus, quasi flos agri. Exsicatum est fœnum, et cecidit flos, quia Spiritus Domini sufflavit in eo. Verè fœnum est populus: exsicatum est fœnum, et cecidit flos: Verbum autem Domini nostri manet in æternum. Tu. ℣.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
CENTRO INTERNACIONAL DE INVESTIGACIÓN DE FUENTES LITÚRGICAS

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis.
Sermo de Nativ. B. V. M. c. 12.

LECTIO 4.

Sicut divinæ perfectiones omni intellectui sunt incomprehensibiles, sic perfectiones gratiarum quas Virgo suscepit in Conceptione Filii Dei soli intellectui Divino, Christo et sibi comprehensibiles extiterunt. Et quidem quòd Deus generaret Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex naturâ conveniret, ut per viam naturæ et intellectûs produceret Verbum sibi æquale: immò impossibile est, quòd non generet Deum propter suam fœcunditatem. Sed quod femina conciperet, et pareret Deum, est et fuit miraculum miraculorum. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Oportuit enim, ut sic dicam, feminam elevari ad quandam æqualitatem divinam per quandam quasi infinitatem perfectionum, et gratiarum, quam æqualitatem nunquàm creatura experta est. Undè credo, quòd ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritûs Sancti, quæ in beatam Virginem descenderunt in horâ divinæ conceptionis, intellectus humanus vel angelicus nunquàm potuit attingere. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Quod declarans Angelus Gabriel, cum ab eo quæreret beata Virgo, ac diceret: Quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco! Respondit Angelus: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quasi dicat: quod à me quæris, ignoro, sed æternæ sapientiæ doctor, qui tibi soli hoc altissimum mysterium reservavit, te per illuminatissimam experientiam edocebit. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Si transferatur extra Octav. Homil. de Comm. pro Duplic.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 6.

In illo tempore: Impleti sunt dies MARIÆ, ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum. Et reliq.

Homilia S. Zenonis Veronensis Ep.

Serm. 3. *in Nativ. Christi.*

In hominem coaptatus, in tegumento carnis includitur Deus: humanamque vitam mutuatur de tempore, qui præstat temporibus æternitatem. Mira res! Concipit MARIA de se ipso quem parit: tumet uterus majestate, nec semine. Capitque Virgo, quem mundus, mundique non capit magnitudo. Intereà promovet suum membra factorem, et opus sui figurâ vestit artificem. Tu. ℣.

Bened. Cujus Partum colimus.

LECTIO 8.

Parturit MARIA non dolore, sed gaudio: nascitur sine Patre Filius, non totus Matris: sibi debens quod conceptus est, donans Matri quod natus, quæ principaliter stupet talem sibi Filium provenisse, qui ex se natus non crederetur, nisi quia fuit Virgo incorrupta post conceptum, permaneret talis quoquè post partum. O nova ratio! Amore imaginis suæ coactus in infantem, vagit Deus: paliturque se pannis alligari, qui totius mundi debita veneral solaturus. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Montoleensis.
Ex monumentis.

Montolei, quinque ab urbe Herdæ milliaribus, Deiparæ Sanctissimæ lignea Imago non exiguè colitur, quæ antiquitùs velo, quod nunc adhuc asservatur, cooperta, in vicino colle inventa fidelitèr traditur.

Priùs in Sacello ibidèm structo locata, posteà, crescente oppido, ad parrochiale templum. Galindo Herdensi Episcopo, ædificatum eique dicatum, translata fuit. Ingens est erga eam et Montoleensium, et vicinorum pagorum pietas: Nec desunt curationum gratiæ præsertim in pueris herniâ laborantibus. Pestis quoquè, quæ his temporibus circustantes pagos sævè afflixit, Montoleum, Diva Virgine oppitulante, pertransit. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de infra oct. SS. Partûs.

DIE XXX. DECEMB.

DE VI. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS 168.

O gloriosa Virginum,
Regina cœlo celsior,
Quanto MARIA fœnore
Reddis, quod Eva perdidit.

Cunctis Deum Virgo paris,
Desideratum gentibus:
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.

Et nos Dei Virgo Parens,
Vultu benigno respice:
Placabilem tuâ prece
Fac esse nobis Filium.

Jesu, tibi sit gloria, &c.

IN I. NOCT.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 1. *Isai.* 42. 1.

Ecce servus meus suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi Spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, et lignum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terrâ judicium: et legem ejus insulæ expectabunt. Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos, et extendens eos: firmans terram, et quæ germinant ex eâ: dans flatum populo, qui est super eam, et spiritum calcantibus eam. Ego Dominus vocavi te in justitiâ, et aprehendi manum tuam et servavi te. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Et dedi te in fœdus populi in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentem in tenebris. Ego Dominus: hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: nova quoquè ego annuntio: antequàm orianiur, audita vobis faciam. Tu. ℣.

IN II. NOCT.

Sermo S. Maximi Ep.
Homilia 6. *de Natiy. Dom.*

LECTIO 4.

Hodiè nova feminei sexûs gloria peperit Virgo, et quod universa nobiscum creatura miratur, natus est homo, non per hominem procreatus. Sed quamvis novus videatur, non tamen incredulum, quòd Christus in utero MARIÆ sine generatione conceptus est, qui de Deo Patre sine conceptione processit. Quod enim Deus est, solus Patris est Unigenitus: quod homo est, solus Matris est Filius. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Nascitur Christus ex MARIA, ut et sexus femineus hominem daret, et Deum proderet integritas virginalis. Nascitur Christus ex feminâ ut sicut Adam decipientem per Evam diabolum non potuit præcavere, ita

diabolus adventaneum per MARIAM Deum non deprehenderet esse præsentem. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Parturitigitur femina salutem mundi, et quæ exiterat fomes iniquitatis, fieret ministra justitiæ, et per quam mors sibi in hunc mundum advtum patefecit, per eam ad nos vita haberet ingressum. Atque ut ostenderet Creator humani generis utriusque sexus curam habere, et utrumque se velle salvare, vir nascitur et procedit ex femina quatenùs advertemus nullam esse apud Deum inter virum et feminam, in percipiendâ salute distantiam. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 6.

In illo tempore: Impleti sunt dies MARIA, ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum. Et reliq.

Homilia S. Leonis Papæ.

Sermo 2. de Natalitate.

Novâ autem nativitate genitus est Christus; conceptus à Virgine, natus ex Virgine, sine paternæ carnis concupiscentiâ, sine maternæ integritatis injuriâ, quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanæ substantiæ naturam, et humanæ carnis inquinamenta nesciret. Origo dissimilis, sed natura consimilis: humano usu et consuetudine, quod credimus, caret; sed divinâ potestate subnixum est, quòd virgo conceperit, virgo pepererit, et virgo permanserit. Tu. ℣.

Benedict. Cujus Partum.

LECTIO 8.

Oportuit, ut primam Genitricis integritatem nascentis incorruptio custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris, et sanctitatis hospitium divini Spiritûs virtus infusa servaret, quæ statuerat dejecta erigere, confracta solidare, et superandis carnis illecebris multiplicata pudicitiæ donare virtutem, ut virginitas, quæ in aliis non poterat salva esse generando, fieret aliis imitabilis renascendo. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Hoc ipsum autem, quod Christus nasci eligit ex Virgine, nonne apparet altissimæ fuisse rationis? Ut scilicet humano generi natam salutem diabolus ignoraret, et spirituali latente conceptu, quem non aliom videret, quàm alios alitèr crederet natum esse quàm cæteros. Quod, ut fieret, natus est Christus ex Virgine, quam Spiritus Sanctus fœcundavit, et cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, hæc indè purgationem traxit, undè concepit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino.

Conc. 1. in Purific.

132. Partus Virginis mundissimus et sanctissimus fuit, et procùl ab omni illâ fœditate parientium: nam sicut flos mittit odorem, ita Virgo edidit Salvatorem. Tu. *Vesper. ut in 2. Vesp. SS. Partûs.*

DIE XXXI. DECEMB.

D. V. BRIXIENSIS DE CONSOLAT.

Semiduplex.

Si hoc festum transferatur, in 1. *Noct. dicuntur lectiones de fer. occurr. et in* 3. *Noct. dicitur Homil de Comm. pro Semiduplicibus.*

Oratio.

Domine JESU-Christe, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, concede propitius, ut sicut purissimam Genitricem tuam sub Consolationis titulo gaudentes veneramur in terris, ita perenni ejusdem consortio perfrui mereamur in cœlis. Qui vivis et regnas.

IN I. NOCT.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 52. 7.

Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis, et prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus! Vox speculatorum tuorum: levaverunt vocem, simùl laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Gaudete et laudate simùl deserta Jerusalem: quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem. Paravit Dominus brachium Sanctum suum in oculis omnium gentium: et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Tu. ℣.

LECTIO 3. *c.* 3.

Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valdè. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter vivos aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum: quia quibus non est narratum de eo, viderunt: et qui non audierunt, contemplati sunt. Tu. ℣.

IN II. NOCT.

Gumpenb. Imag. 23.

LECTIO 4.

In suburbio urbis Brixiensis in Italiâ, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, inter tot Deiparæ insignes cultores civis vixit, cæteris felicior. Hic columnam à laterculo erexit in ipso suburbio, eique statuam Deiparæ tantâ felicitate imposuit, ut quàm plurimùm accurrens populus non se gratis imaginem venerari experiretur. Hi favores, hi miracula sibi suisque à Virgine collata non vanis rumoribus jactabant. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Post plures annos Sancta Icon urbem reverentèr allata est, novoque à fundamentis erecto templo excepta. Hic novis modis portentosa esse cœpit: siquidem, ut tempora, temporumque calamitates ferebant, Filium quem brachio sustinuit, visa est rogare Virginis picta imago. Hinc oculos, hinc illa manus supplicantis ritu in Filium ferebat. Filius ejus quoquè intueri visus est motis oculis Matrem, et ut scires exaudilas Matris preces manum pictam picto pectori admovit. Tu.

LECTIO 6.

Res ad Episcopum delata, in judicium vocata est, et testibus, quos jura exigunt, pluribus auditis, confirmata est: quanquam et sine his tot tantæque petentibus cum fiduciâ faciæ sunt gratiæ, ut jam voce populi Mater Consolationis et gratiarum sit appellata. Indè congestæ in thesaurum pecuniæ facilè sufficerunt ad magnificum, quod hodiè videtur, templum elevandum. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 6.

In illo tempore: Impleti sunt dies MARIÆ ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valentini.

Concion. de Partu. B. M. V.

Dic nobis, ò beata! Quid sensisti, quandò parvulum illum speciosissimum coram te in pavimento jacentem, tam mirabilitèr natum vidisti? Quandò te Matrem et Virginem, Virginem et Matrem Dei

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sensisti? Quandò te super omnem creaturam sublimatam et exaltatam, utpote Creatoris Genitricem liquidò cognovisti? Tu. ℣.

LECTIO 8.

Dic, obsecro, quibus eum verbis salutasti, quibus laudibus sublimasti, quo jubilo, quo tripudio, quo cantico in hâc horâ exultasti? Et quod magis stupeo: cum ardores illos plusquàm seraphicos pectore sustineres, et cor tuum, sicut Spiritûs Sancti caminus mirificis æstibus undiquè deflagaret, non tamen in extasim rapta, aut à sensibus alienata es. Magnum profectò, stupendumque miraculum, et supramodum memoriæ commendandum. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Liviornensis de Monte-Nigro.

Gumpenb. Imag. 216.

Statua Deiparæ Sanctissimæ de Monte-Nigro in saxo pergandi sculpta, creditur, anno millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, è nigro ponte in nigrum montem ab angelis allata, et medio in campo primùm ad radicem montis deposita: Deindè ab eo loco jussu Virginis quidam pastoritius saxum illud, cui plures non sufficerent, non gravatè sustulit, illudque in locum, ubi hodiè est, deportavit, Urbem posteà petit, quinque millibus distantem, et lacrymis civibus suadet, irent visum prodigiosum statuæ pondus, quam ipse solus illùc portaverat. Fuere Livurnienses primi, qui primos Virginis favores captaverant, qui et prima dona votorum rei acceperunt: quibus monili cæteri suas quoquè quisque miserias Virgini questus est et pios questus secuta sunt miracula. Hinc Sacellum, et ex sacello templum, et deniquè adjunctum Religiosorum cœnobium. Tu. Te Matrem.

Vesperæ sequentis.

FESTA JANUARII.

DIE I. JANUARII.

CIRCUMCISION. DOM. ET OCTA. SS. PARTUS.

Duplex 2. Classis.

IN I. VESPER.

Antip. et Psalmi, et alia non propria ut in die SS. Partûs.

CAPITULUM. *Epâ. c.* 1. 6.

Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus.

HYMNUS 169.

Felix dies, quo proprio
JESUS cruore consecrat!
Felix dies, quo gestiit
Opus salutis aggredi!

Vix natus, ecce lacteum
Profudit Infans sanguinem:
Libamen est hoc funeris,
Amoris hoc præludium.

Quo Christus ictu læditur,
Lex abrogata concidit,
Et incipit lex sanctior,
Mansura semper charitas.

Te, Christe, quod non est tuum
Nostro recide pectore;
Inscribe nomen intimis,
Inscribe legem cordibus.

JESU, tibi sit gloria, etc.

℣. Dilectus meus candidus et rubicundus.

℟. Inter ubera mea commorabitur.

Ad Magnific. *ant.* Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus JESUM, alleluia.

Oratio de Laudib.

Completor. de Dominic.

AD MATUTIN.

Invitator. Filium MARLE secundum legem circumcisum, * Venite, adoremus.

HYMNUS 170.

Castæ parentis ubera,
O Christe, quid gaudens præmis?
Divinitatis hospitam
Quid lacte carnem recreas?

Agnosco, JESU, quid velis:
Summo Parenti scilicet
Pleno vigentem robore
Ardes parare victimam.

Venas remixtum per sacras
Mox sanguis istud lac erit,
Fususque per plagas cruor
Orbis piabit crimina.

O Virgo, quæ tuis Deum
Foves in ulnis Filium,
Hunc nos sub imis nos quoquè
Gestare dona cordibus.

Fac sanguis ille purior
De lacte concretus tuo,
Cerlæ tuis clientibus
Sit fons salutis efficax.

JESU tibi sit gloria, etc.

IN I. NOCT.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

De libro Genesis.

LECTIO 1. *c.* 17. *v.* 1.

Apparuit Abrahæ Dominus: dixit ad eum: Ambula coram me, et esto perfectus. Ponamque fœdus meum inter me, et te, et multiplicabo te vehementèr nimis. Cecidit Abraham pronus in faciem. Dixitque ei Deus: Ego sum, et pactum meum tecum, erisque Pater multarum gentium. Tu. ℣.

LECTIO 2. *v.* 9.

Dixit iterùm Deus ad Abraham: Et tu ergò custodies pactum meum, et semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me, et vos, et semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum: et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me, et vos. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: làm vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, et quicumque non fuerit de stirpe vestrâ: eritque pactum meum in carne vestrâ, in fœdus æternum. Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Tu. ℣.

IN II. NOCT.

℣. Circumcisus est puer.

℟. Et vocatus est JESUS.

Sermo S. Bonaventuræ Episcopi. *In meditat. Vitæ Christi, c.* 8.

LECTIO 4.

Audis, quia hodiè puer sanguinem suum fudit. Fuit enim caro ipsius cum cultello lapideo incisa. Nonne ergò compatiendum est ei? Ita. Sic cerlè et Matri. Ploravit ergò puer JESUS hodiè propter dolorem, quem sensit in carne suâ, nam veram carnem et possibilem habuit, sicut cæteri homines. Sed eo plorante, credisne, quòd mater poluerit lacrymas continere? Tu. ℣.

LECTIO 5.

Plorabat ergò ipse, quàm plorantem Filius stans in gremio ejus aspiciens, parvulam manum suam ad os, et vultum ejus ponebat, quasi nutu rogans eam, ne ploraret: quàm enim tenerrimè diligebat, à ploratu cessare volebat. Similiter Mater, cujus viscera commovebantur totaliter in dolore, et lacrymis Filii, et nutu et verbis consolabatur eum. Tu. ℣.

sensisti? Quandò te super omnem creaturam sublimatam et exaltatam, utpote Creatoris Genitricem liquidò cognovisti? Tu. ℣.

LECTIO 8.

Dic, obsecro, quibus eum verbis salutasti, quibus laudibus sublimasti, quo jubilo, quo tripudio, quo cantico in hâc horâ exultasti? Et quod magis stupeo: cum ardores illos plusquàm seraphicos pectore sustineres, et cor tuum, sicut Spiritûs Sancti caminus mirificis æstibus undiquè deflagaret, non tamen in extasim rapta, aut à sensibus alienata es. Magnum profectò, stupendumque miraculum, et supramodum memoriæ commendandum. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Liviornensis de Monte-Nigro.

Gumpenb. Imag. 216.

Statua Deiparæ Sanctissimæ de Monte-Nigro in saxo pergandi sculpta, creditur, anno millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, è nigro ponte in nigrum montem ab angelis allata, et medio in campo primùm ad radicem montis deposita: Deindè ab eo loco jussu Virginis quidam pastoritius saxum illud, cui plures non sufficerent, non gravatè sustulit, illudque in locum, ubi hodiè est, deportavit, Urbem posteà petit, quinque millibus distantem, et lacrymis civibus suadet, irent visum prodigiosum statuæ pondus, quam ipse solus illùc portaverat. Fuere Livurnienses primi, qui primos Virginis favores captaverant, qui et prima dona votorum rei acceperunt: quibus monili cæteri suas quoquè quisque miserias Virgini questus est et pios questus secuta sunt miracula. Hinc Sacellum, et ex sacello templum, et deniquè adjunctum Religiosorum cœnobium. Tu. Te Matrem.

Vesperæ sequentis.

FESTA JANUARII.

DIE I. JANUARII.

CIRCUMCISION. DOM. ET OCTA. SS. PARTUS.

Duplex 2. Classis.

IN I. VESPER.

Antip. et Psalmi, et alia non propria ut in die SS. Partûs.

CAPITULUM. *Epâ. c.* 1. 6.

Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus.

HYMNUS 169.

Felix dies, quo proprio
JESUS cruore consecrat!
Felix dies, quo gestiit
Opus salutis aggredi!

Vix natus, ecce lacteum
Profudit Infans sanguinem:
Libamen est hoc funeris,
Amoris hoc præludium.

Quo Christus ictu læditur,
Lex abrogata concidit,
Et incipit lex sanctior,
Mansura semper charitas.

Te, Christe, quod non est tuum
Nostro recide pectore;
Inscribe nomen intimis,
Inscribe legem cordibus.

JESU, tibi sit gloria, etc.

℣. Dilectus meus candidus et rubicundus.

℟. Inter ubera mea commorabitur.

Ad Magnific. *ant.* Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus JESUM, alleluia.

Oratio de Laudib.

Completor. de Dominic.

AD MATUTIN.

Invitator. Filium MARLE secundum legem circumcisum, * Venite, adoremus.

HYMNUS 170.

Castæ parentis ubera,
O Christe, quid gaudens præmis?
Divinitatis hospitam
Quid lacte carnem recreas?

Agnosco, JESU, quid velis:
Summo Parenti scilicet
Pleno vigentem robore
Ardes parare victimam.

Venas remixtum per sacras
Mox sanguis istud lac erit,
Fususque per plagas cruor
Orbis piabit crimina.

O Virgo, quæ tuis Deum
Foves in ulnis Filium,
Hunc nos sub imis nos quoquè
Gestare dona cordibus.

Fac sanguis ille purior
De lacte concretus tuo,
Cerlæ tuis clientibus
Sit fons salutis efficax.

JESU tibi sit gloria, etc.

IN I. NOCT.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

De libro Genesis.

LECTIO 1. *c.* 17. *v.* 1.

Apparuit Abrahæ Dominus: dixit ad eum: Ambula coram me, et esto perfectus. Ponamque fœdus meum inter me, et te, et multiplicabo te vehementèr nimis. Cecidit Abraham pronus in faciem. Dixitque ei Deus: Ego sum, et pactum meum tecum, erisque Pater multarum gentium. Tu. ℣.

LECTIO 2. *v.* 9.

Dixit iterùm Deus ad Abraham: Et tu ergò custodies pactum meum, et semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me, et vos, et semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum: et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me, et vos. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: làm vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, et quicumque non fuerit de stirpe vestrâ: eritque pactum meum in carne vestrâ, in fœdus æternum. Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Tu. ℣.

IN II. NOCT.

℣. Circumcisus est puer.

℟. Et vocatus est JESUS.

Sermo S. Bonaventuræ Episcopi. *In meditat. Vitæ Christi, c.* 8.

LECTIO 4.

Audis, quia hodiè puer sanguinem suum fudit. Fuit enim caro ipsius cum cultello lapideo incisa. Nonne ergò compatiendum est ei? Ita. Sic cerlè et Matri. Ploravit ergò puer JESUS hodiè propter dolorem, quem sensit in carne suâ, nam veram carnem et possibilem habuit, sicut cæteri homines. Sed eo plorante, credisne, quòd mater poluerit lacrymas continere? Tu. ℣.

LECTIO 5.

Plorabat ergò ipse, quàm plorantem Filius stans in gremio ejus aspiciens, parvulam manum suam ad os, et vultum ejus ponebat, quasi nutu rogans eam, ne ploraret: quàm enim tenerrimè diligebat, à ploratu cessare volebat. Similiter Mater, cujus viscera commovebantur totaliter in dolore, et lacrymis Filii, et nutu et verbis consolabatur eum. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Intelligebat enim lanquàm prudentissima voluntatem ejus, quamvis nondùm loqueretur. Et dicebat: Fili, si vis me à ploratu cessare, cessa et tu. Non enim possum te plorante, non plorare. Et tunc ex compassione Matris Filius à singultibus desistebat. Mater verò, et ipsius et suos oculos tergebat, et vultum vultui applicabat, lactabat eum, et omnibus, quibus poterat, modis consolabatur. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

℣. Fasciculus myrrhæ. ℟. Dilectus meus mihi.

Lectio S. Evang. secundùm Lucam.

LECTIO 7. 2. 21.

In illo tempore: Postquàm consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus JESUS. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Alexandrini Ep. *In occursu Domini.*

Videamus mosaycis cedentem legibus: quin potius eum, qui divinâ legem majestate sanxit, suis ipsum legibus subjectum. Subjecit itaque nobiscum legi cervicem: atque id prudenti consilio, benignâque accomodatione: decebat enim eum implere omnem justitiam. Tu. ℟.

Bened. Cujus Partum colimus.

LECTIO 8.

Nam et cum servi formam assumpsisset, eam ob causam, velut in servorum numero adscriptus ratione humanitatis, tributorum exactoribus unà cum aliis didrachma solvit, quamvis naturâ liber esset, ac nulli vectigali, ut filius. Cum ergò illum videris servare legem, cave offendaris: nec inter servos liberum colloca, sed divini consilii altitudinem potiùs mente reputa. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Igitur, cum ovtava dies advenisset, quâ die carnis circumcisio ex legis præcepto fieri solebat, nomen accipit, nimirùm JESUS, quod exponitur salus populi. Sic enim Deus Pater nominari Filium suum voluit ex muliere secundum carnem genitum. Tunc enim certè factus est salus populi, nec unius tamen, sed multorum, quin et omnium gentium et universæ terræ. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES
et per Horas antiphonæ.

1. Creator * generis humani animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est.

Psalmi de Dominicâ.

2. Sicut pluvia * in vellus descendit, ut salvum faceret genus humanum.

3. Rubum, * quem viderat Moyses incombustum conservatam agnovimus Beatæ MARIÆ Virginitatem.

4. Germinavit * radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem.

5. Ecce MARIA * genuit et peperit nobis Salvatorem mundi permanens Virgo.

CAPITULUM. *Eph.* 1. *v.* 6.

Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, redemptionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus.

HYMNUS 171. *Claire.*

Dum Virgo læta cogitat
Partûs sui miracula,
Silensque secum pensitat
Nati Dei cunabula.

Abstractus Infans ubere,
Ex lege circumciditur:
Sed quo feritur vulnere
Hoc ipsa lex occiditur.

Hinc sanguis in nos depluit
Pro diluendis sordibus:

Cœlestis ut ros defluit
Pro moliendis cordibus.

Servi notanda stigmate
Caro tenella scinditur;
Sacro fluens dum chrismate
Salubre nomen inditur.

JESUS ei vocabulum
Cui totus orbis subditur,
Salutis ut signaculum,
Cor, lingua, mens amplectitur.

JEJU tibi sit gloria, &c.

℣. Viderunt omnes fines terræ, alleluia.

℟. Salutare Dei nostri, allel.

Ad Benedict. *ant.* Postquàm consummati sunt dies octo, circumcisus est Puer, et vocatum est nomen ejus JESUS, allel.

Oratio.

Supplicationem servorum tuorum, Deus miserator, exaudi, ut qui in Circumcisione Unigeniti Filii tui congregamur, ejus Sanctissimâ Matre interveniente, corda nostra per jugem abnegationem circumcidere valeamus. Per eumdem Dom.

CANON.

Ex S. Epiphanio Episcopo.

Contrà Hæres hær. 30. *pag.* 68. 453. Nos autem et Deum ipsum dicimus de cœlo venisse, et in utero Virginis MARIÆ... permansisse donec perfectè à Virginis utero incarnationem et dispensationis mysterium sibi ipsi disponeret, per quod mysterium etiàm circumcisus est verè et non in apparientiâ octavo die. Tu.

Ad horas antiph. Capit. Primæ, et Oratio de Laudibus: reliqua, ut in die SS. Partûs.

IN II. VESPERIS.

Antiph. et Psalmi ut in die SS. Partûs. Capit de Laudib.

HYMNUS 172. *Vitalis Theroni.*

Tu pulcherrima Virginum
Mater, si placitum est, sine
Tibi de gremio rapi
Jusla ad sacra puellum;

Et suavissima susline
Tantillum oscula, dum pius
Securâ peragel manu
Munus triste Sacerdos.

Et longis licet impleat
Infans æra questibus
Honestas lacrimabili
Madens flumine malas,

Tu siccis oculis tamen
Sta, ne tristia acerbius
Ferat vulnera: nam tuo
Totus pendet ab ore:

Nec illi magis aspera
Cutem vulnera sauciant,
Quàm Matris lacrymæ gravi
Cor dolore cruentant.

Nec longus puero dolor,
Nec longus fuerit tibi
Ancisus placidè tuis
Mox pendebit ab ulnis.

JESU, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
Cuncta in sæcula perpetim Am.

℣. In Domino gaudebo.

℟. Et exultabo in JESU Filio meo.

Ad Magnif. *ant.* Secundùm multitudinem dolorum meorum in Circumcisione Filii mei, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam in impositione sanctissimi Nominis tui JESUS.

Oratio de Laudib. Completor. de feriâ occurr.

DIE II. JAN.

FŒCUNDITATIS B. M. V.

Duplex.

Non propria de Communi Puerperii. Lection. 1. *Noct. de Feriâ.*

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Dionysii Carthusiani in libro de Laudibus B. Virginis. *libr.* 1. *art.* 21.

LECTIO 4.

Cum bonum sit sui communicativum, ac diffusivum, quod melioris esse censetur: quanta ergò bonitas virgineæ Matris, quæ Filium peperit bonitatis immensæ, ut puta verum Deum; quanta est ejus fœcunditas, quæ comparentalis est Patri æterno, quæ Opificem genuit universi, et proprium generavit Artificem incarnatum: et quamvis ipsa non sit Mater illius, quantùm ad eam naturam, quâ et creativa potentia convenit ei; nihilominùs verè est Mater illius, et nisi per dona excellentissimæ gratiæ dignificata, et aptata fuisset, tantum concipere, generareque Filium, non utique concepisset. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Itaque sicut bonitas, ita quoquè causalitas et fœcunditas amabilissimæ Virginis MARIÆ Sanctissimæ omnium creaturarum causalitatem et fœcunditatem transcendit. Quippè quæ peperit illum, à quo non solùm descendit omne esse naturæ, sed etiàm omne esse gratiæ, et omne esse gloriæ et salutis... Amplius. In redemptione, reparatione, et salvatione totius humani generis illustrisima Virgo tam excellentèr cooperata videtur, quod nulla creaturarum causarum naturalis causalitas, fœcunditas, ac potestas ei valet æquari: sicut nec dona naturæ donis possunt gratiæ aut gloriæ in dignitate comparia perhiberi. Tu. ℟.

LECTIO 6.

At verò præfatam supernaturalem fœcunditatem accepit incomparabilis Virgo non à viro, sed à Spiritu Sancto, qui, quod in aliis matribus facit vir et vis seminalis, superior, inferiorque natura, hoc totum in Deiformi Virgine MARIA Christifera instantaneè et miraculosè effecit. Hæc est præclarissima Virgo, quoniàm sicut mens Dei Patris genuit ab æterno Verbum æternum, perquod facta sunt omnia quòd est universorum Creator; sic uterus Virginis peperit id Verbum adorandum, ex se incarnatum, per quod reparata sunt cuncta, quòd omnium est Salvator. Ex fonte paternæ mentis sapientia æternalis, omnium salus et gloria: et hæc ipsa sapientia incarnata ex fonte profluxit virgineæ Matris. Tu. ℟.

Homil. de Comm. Puerp. pro Duplic.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Firmanæ à Mari.

Gump. All. mar. imag. 274.

Hoc Deiparæ Templum, Firmi in Italiâ, in operto campo juxta mare, antiquum quidem, sed propter incursiones Turcarum desertum usque ad annum millesimum sexcentesimum trigesimum, quo tempore visæ sunt supra templum hoc flammæ in cœlum ascendentes, visæ etiàm supplicationes benè ordinatæ templum circumire primùm ab aliquibus agrestibus, ac deindè à totâ penè Firmanâ civitate, Sabbatinis maximè diebus. Non tamen satis constat magnum fuisse piorum concursum usque ad anni sequentis quintum diem Januarii, quo hùc supplicatio omnium confraternitatum instituta est ab Archiepiscopo, quo adhortante, plures tribus millibus sacra synaxi sunt refecti. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex S. Leone Papâ Primo.

T. 8. Concilior. Calched. p. 413. Ep. ad Flav.

434. Fœcunditatem Virgini Spiritus Sanctus dedit; veritas autem corporis sumpta de corpore est: et

ædificante sibi sapientiâ domum, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Tu.

Cum 2. Vesper.

DIE IV. JAN.

MATERNITATIS B. M. V.

Dupl. majus.

Non propria de Commun. Puerperii.

IN I. VESPER.

HYMNUS 173. *Brev. Rom.*

Cœlo Redemptor prælulit
Felicis alvum Virginis,
Ubi caduca membra
Mortale corpus induit.
Hæc Virgo nobis edidit,
Nostræ salutis auspicem,
Qui nos redimit sanguine,
Pœnas crucemque pertulit.
Spes læta nostro è pectore
Pellat timores anxios:
Hæc quippè nostras lacrymas
Precesque defert Filio,
Voces Parentis excipit,
Volisque Natus annuit:
Hanc quisque semper diligat
Rebusque in arctis invocet.
JESU, tibi sit gloria, etc.

Oratio.

Intercedat pro nobis, Domine JESU-Christe, tua Sanctissima Genitrix MARIA, et gratiam tuam, à quâ peccando excidimus, nobis suâ intercessione conciliet, ut ejus Maternitatem venerantes in terris, ejus super omnes choros Angelorum exaltatione perfrui mereamur in cœlis. Qui vivis et regnas.

AD MATUTIN.

Invitat. Maternitatem Beatissimæ Virginis MARIÆ celebrantes, Christum ejus Filium adoremus Dominum.

AD MATUTIN.

HYMNUS 174. *J. M. Caryoph.*

Totus ab solo genitore natus,
Totus ab solâ genitrice natus
Simplus est Christus veniens ab uno,
Non et ab una.
Plena qui summi Patris est Imago,
Esca ne mortis foret hæc Imago,
Ipse, quam finxit, caro facta Matris
Prodiit Imago.
Matris in ventrem ruit ille noctu;
Se dedit lucem pariente noctu
Matre; nox noctis tenebras ut omnes
Una fugaret.
Una res vincit novitate mirum
Quidquid est actum; nova Virgo Mater,
Quæ Deum prægnans creat, et cadentem
Recreat orbem.
Sit Decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Lect. 1. Noct. de Comm. Puerperii.

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Aquinatis.

Opusc. 3. c. 221. Compend. Theolog.

LECTIO 4.

Femina, ex quâ aliquis homo nascitur, mater illius dicitur, ex eo quod materiam ministrat humano conceptui. Undè Beata Virgo MARIA, quæ materiam ministravit conceptui Filii Dei, vera Mater Filii Dei dicenda est. Non refert ad rationem Matris quâcumque virtute materia ministrata formetur. Si quis autem dicere velit Beatam Virginem Dei Matrem non debere dici, quia non est ex eâ assumpta divinitas, sed caro sola, sicut dicebat Nestorius, manifestè vocem suam ignorat. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Non ex hoc aliqua dicitur alicujus Mater, quia totum, quod in ipsa est, ex eâ sumatur. Homo enim constat ex animâ et corpore, ma-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gisque est homo id quod est secundum animam, quam id quod est secundum corpus. Anima autem nullius corporis à matre sumitur, sed vel à Deo immediatè creatur, ut veritas habet, vel, si esset ex traductione, ut quidam posuerunt, non sumeretur à matre, sed magis à patre, quia in generatione cælestium animalium masculus dat animam, femina verò corpus. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Sicut igitur cujuslibet hominis mater aliqua femina dicitur, ex eo quod ab eâ corpus ejus assumitur, ita Dei Mater Beata Virgo MARIA dici debet, si ex eâ assumptum est corpus Dei, si assumitur in unitatem personæ Filii Dei, qui est verus Deus. Confitentibus igitur humanam naturam esse assumptam à Filio Deo in unitatem personæ, necesse est dicere, quòd beatissima Virgo MARIA sit Mater Dei. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2.

In illo tempore: Cum redirent, remansit puer JESUS in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homil. 1. *sup. missus.*

Deum et Dominum Angelorum MARIA suum Filium apellat, dicens, Fili, quid fecisti nobis sic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis et pro magno habent, quod, cum sint Spiritus ex conditione, ex gratiâ facti sint et vocati Angeli, testante David: Qui facit Angelos suos Spiritus. MARIA verò Matrem se agnoscens, majestatem illam, cui illi cum reverentiâ serviunt, cum fiduciâ suum nuncupat Filium. *Lect.* 8. Nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est. Nam paulò post subdit Evangelista. Erat subditus illis. Quis? Quibus? Deus, hominibus. Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus, et Potestates obediunt, subditus erat MARIÆ. Nec tantùm MARIÆ, sed etiàm JOSEPH propter MARIAM. Tu. ℟.

Benedict. Cujus Maternitatem.

LECTIO 8.

Mirare utrumlibet, et elige quod amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum, Et quod feminæ obtemperet, humilitas absque exemplo, et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, quod sequuntur agnum, quocumque ierit. Quibus ergò laudibus judicas dignam, quæ etiàm præit? Tu. ℟.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Funibus.

Camos Libr. 6. *c.* 19.

Sub titulo de Funibus, propter miraculum quod patratum est anno millesimo centesimo nonagesimo, tripartitum funem in unum iterùm conniens, in regione Urgellensi, Deipara Sanctissima mirificè colitur. Cuidam Joanni Amoros invocata in angustiâ benignè apparuit, et à pressurâ cum eum liberasset, ipsi injunxit, dato signo, ut oppidanis Bellvis nunciaret se velle eo in loco strui templum. Signum erat mirus fulgor in facie: quo viso, et ipso audito statim Templum cœptum est et non multò post finitum. Imago pulcherrima ibidem inventa, fuit in majori arâ locata, ubi ex tunc semper innumeris ingentibusque prodigiis clarnit. Templo adjunctam domum quam primum ipse Amoros inhabitavit, anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo Clemens octavus unà cum custodiâ

Templi Patribus Trinitariis in cœnobium tradidit. Sed in ultimis Hispaniarum cladibus, domo cum templo omninò dirutâ, Sanctissima Imago ad parrochialem Ecclesiam Bellvis translata fuit. Tu.

AD LAUDES.

HYMNUS 130. *Brev. Rom.*

Te, Mater, alma Numinis
Oramus omnes supplices,
A fraude nos ut dæmonis
Tuâ sub umbrâ protegas.

Ob perditum nostrum genus
Primi Parentis crimine
Ad inclytum Matris decus
Te Rex supremus extulit.

Clementèr ergò prospice
Lapsis Adami posteris:
A te rogatus Filius
Deponat iram vindicem.

JESU, tibi sit gloria, &c.

Ad Benedic. ant. Sine laciu podoris invenia es Mater Salvatoris, Virgo Dei Genitrix, allel.

℣. ℟. *br. ad Pr.* Quæ Mater Dei effecta fuisti.

CANON.

Ex Sixto Papâ Quinto.

Const. Intemeratæ Matris *an.* 1585. 455. Intemeratæ Matris Dei, ex cujus purissimis visceribus, salvâ per Spiritûs Sancti virtutem integritate Virginitatis, Auctor vitæ nasci dignatus est, salutiferam fœcunditatem veneramur... Tu.

Cum 2. *Vesper.*

DIE V. JAN.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

Semiduplex.

Omnia præter Lectiones, ut in Domin. infra Octav. SS. Partûs p. 513.

IN I. NOCT.

De Epistolâ ad Romanos.

LECTIO 1. *c.* 1.

Paulus servus JESU-Christi, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum JESU-Christi Domini nostri. Tu. ℟. Gloria in excels.

LECTIO 2.

Per quem accepimus gratiam et apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus, in quibus estis et vos vocati JESU-Christi, omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis, Gratia vobis et pax à Patre nostro, et Domino JESU-Cristo. Tu. ℟. Hodiè nobis.

LECTIO 3.

Primùm quidem gratias ago Deo meo per JESUM-Christum pro omnibus vobis: quia fides vestra annuntiatur universo mundo. Testis enim mihi est Deus, cui servio in Spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quòd sine intermisione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Tu. ℟. Partus et.

IN II. NOCT.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Apud Bedam in Expos. Epistol. ad Rom.

LECTIO 4.

Etsi in quibusdam latinis ejemplaribus non legitur factus, sed natus ex semine David, cum græca factus habeant, undè non ad verbum sed ad sententiam transferre voluit, dicendo: Natus, latinus interpres: tamen Christum ex semine David esse secundum carnem omnium librorum, atque linguarum concordat auctoritas. Tu. ℟. Osculetur.

LECTIO 5.

Faciente et suscipiente Verbo, ipse homo, ex quo esse cœpit, Filius Dei unicus esse cœpit: de Spiritu Sancto et Virgine MARIA Dei Filius natus est, non carnis cupidine, sed solo munere. Libera in eo voluntas erat, ac tantò magis erat, quantò magis servire peccato non poterat. Tu. ℟. Hodiè.

LECTIO 6.

Prædestinatus est ergò JESUS, ut qui futurus erat secundum carnem Filius David, esset tamen in virtute Filius Dei secundum Spiritum sanctificationis, quia natus est de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine. Ipsa est igitur illa ineffabilis facta à Deo Verbo susceptio singularis, ut filius Dei et hominis simùl, Filius hominis propter susceptum hominem, unigenitum Deum, veraciter et propriè diceretur, ne non quaternitas, sed Trinitas crederetur. Tu. ℟. O magnum.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 2.

In illo tempore: Loquebantur Pastores ad invicem. Transeamus usque ad Bethleem. Et reliqua.

Homilia S. Basilii Seleuciæ Ep.

Oratio in Deiparam.

Processit igitur Emmanuel in mundum velut opus suum, puer quidem recens apparens, sed ante æternitatem Deus: in præsepe reclinatus, et diversorio exclusus, cum æterna habitacula præparasset: in spelæo abjectus, et stellâ manifestus: à Magis muneribus exceptus, et pretium pro peccatis exsolvens: à Simone in ulnis gestatus, et divinæ potestatis ambitu cuncta complectens: à pastoribus infans visus, et ab angelorum exercitu pro Deo agnitus, qui ejus in cœlo gloriam, in terrâ pacem, inter homines bonam voluntatem concinebant. Tu. ℟. Annuntio.

LECTIO 8.

Quæ omnia Sancta Domini totius universi Mater, ac verè Deipara in corde conferens, uti scriptum est, rerum admirabilium accessione exhilarata, cumulatiori gaudio intùs perfunditur, et simùl Filii qui Deus est, oculis, mentique objectâ amplitudine præcellitur. Ut igitur divinum infantem contemplata est, desideriis reverentiæ plenis, ut reor, devincta, hæc sola cum solo agitabat colloquia. Tu. ℟. Quis cogn.

LECTIO 9.

Quàm tibi, Fili mi, congruam appellationem inveniam? Hominis? At conceptio tua divina est. Dei? At humanam carnem sortitutus es. Quid ergò mihi tecum faciendum? Lacte nutricabor, an Deum considerabo? Curabo, ut Mater, an adorabo, ut ancilla? Circumplectar ut Filium, an adorabo ut Deum? Lac indam, an Thymiama inferam? Quodnam hoc maximum, et inenarrabile miraculum? Cœlum tibi sedes, et te sinus meus gestitat. Totus præsò es terram habitantibus, et non à cœlitibus prorsùs abjunctus. Non contingit is à descensio loci mutatione, sed divina fuit condescensio. Deprædico tuam in homines charitatem, non scrutor tuam Incarnationem. Tu. Te Matrem.

Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui tantam prævenimus festivitatem, Beatissimâ sempèr Virgine MARIA intercedente, tuæ gratiæ beneficia sempèr nos præveniant. Per Dominum.

Ad Prim. preces.

Vesperæ de sequenti.

DIE VI. JAN.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Duplex 1. *Class. cum Octavâ.*

IN I. VESPER.

Ant. 1. Ecce Magi ab Oriente veniunt Jerosolymam, ut adorent Deum de Virgine natum.

Psalmi de Solemnitatib.

2. Sydere ducti quærunt stellam, quæ beato partu peperit solem.

3. Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Vidimus stellam ejus in Oriente.

4. Vidimus stellam ejus, et venimus adorare Dominum.

5. In Bethleem Judæ natus est: ibi invenietis eum in præsepio.

CAPITULUM. *Baruch* 5. 3.

Deus ostendet splendorem suum in te omni, qui sub cœlo est: nominabitur enim tibi nomen tuum à Deo in sempiternum.

℟. Stella quam viderunt Magi in Oriente, antecedebat eos, donèc venirent ad locum, ubi Puer erat. * Videntes autèm eam gavisi sunt gaudio magno. ℣. Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum MARIA Matre ejus, et procidentes adoraverunt eum. — Videntes. — Gloria. — Stella.

In dieb. infr. Oct. non dicitur.

HYMNUS 176.

Quàm pulcer in carnis stolâ
Apparet hic Sponsus Sion,
Artus tenellos fasciis
Dum Virgo Mater alligat.
Speciant trementes Angeli,
Reges adorant subditi,
Et tota cœli machina
Infantis ad nutum stupet.
Crudelis Herodes abi,
Abi per infernum chaos,
Non dextræ cultrix tuæ
Tam parvæ cedet victimæ.
Hanc Matris abditam sinu
Defendit æternus Pater,
Et tota pannis parvuli
Cohors Olympi militat.
JESU, tibi sit gloria, etc.

℣. Fluminis impetus, alleluia.

℟. Lætificat civitatem Dei, allel.

Ad Magnific. *ant.* Hoc signum magni Regis est; eamus, et inquiramus eum, et offeramus ei aurum, thus, et myrrham, alleluia.

Complet. de Domin.

Dicto. Ave, *et omissis.* ℣. Domine lab. etc. *Invitat. cum Psalm.* Venite exultemus, *et Hymno, incipitur ab ant.* Afferte, *ut infra in* 1. *Noct.*

In diebus infra octav. nil omittitur, sed incipitur de more.

Invitat. Venite adoremus Deum, * Quem hodiè Virgo MARIA revelat gentibus.

HYMNUS 177.

Nuntius cœlo retulit fidelis,
Bethleem natum Genitrice purâ,
Quem Prophetarum chorus almus uno
Prompserat ore.
Cœlitum cantus sonat hinc per auras,
Hinc novo sydus radiens decore
Regis ad cunas Arabes remoto
Ducit ab orbe.
Supplices auro Domino potenti,
Thus Deo myrrham tribuunt humando,
Tres decus Christi coluere triplex
Munere trino.
Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto,
Regnat in ævum. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Afferte, * Dominæ nostræ, filii Dei, adorate Dominum in aulâ sanctâ ejus. *Psalmi* de Domin. p. 2.

2. Fluminis impetus * lætificat civitatem Dei, alleluia.

3. Psallite Regi nostro, * psal

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
UNIVERSIDAD PONTIFICIA BOLIVARIANA
ON GENERAL DE BIBLIOTECAS

lite: psallite Reginæ nostræ, psallite sapientèr.

℣. Omnis terra adoret Filium tuum, alleluia.

℟. Et psallat tibi, Virgo MARIA, alleluia.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 6. *v.* 1.

Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos: super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortûs tui. Tu.

℟. Inclinate aurem vestram, et venite ad me: * Audite, et vivet anima vestra. ℣. Ea proferam vobis spiritum meum, et revelabo vobis Filium Dei, ut adoretis eum. —Audite.

LECTIO 2.

Leva oculos tuos in circuitu et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longè venient, et filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum, quandò conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Tu.

℟. Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, * Nascens de intactâ Virgine factus homo. ℣. Videte, quoniàm ego sum Deus, et exaltabor in gentibus, et exaltabor in terrâ.—Nascens.

LECTIO 3.

Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha: omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabajoth ministrabunt tibi: afferentur super placabili altari meo, et domum majestatis meæ glorificabo. Tu.

℟. Omnes gentes plandite manibus, quoniàm * Rex magnus super omnem terram Dominus. ℣. Quis putas Puer iste erit?—Rex magn. —Gloria.—Omnes. *Infra Octav.* Rex.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Inclinate * aurem vestram, et venite ad me, alleluia.

2. Reges Tharsis * et insulæ munera offerent Regi Domino.

3. Leva in circuitu * oculos tuos, et vidè: omnes isti venerunt tibi, Virgo Sacrata.

℣. Omnes de Saba venient, allel.

℟. Aurum et thus deferentes, alleluia.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. *In meditat. Vitæ Christi. c.* 9.

LECTIO 4.

Venerunt Magi ab Oriente ad Jerosolymam cum multitudine magnâ et honorabili comitatu, et sunt ante illud tugurium, in quo natus est Dominus JESUS. Domina sentit strepitum et tumultum, et accipit Puerum. Intrant illi domunculam, et genuflectunt, et adorant Dominum puerum JESUM reverentèr. Honorant eum ut regem, et adorant ut Deum. Vide quàm magna fuit eorum fides. Quid enim erat credere, quòd ille parvulus, sic vilitèr indutus, cum pauperculâ matre inventus, et in loco sic abjecto, sine societate, sine familiâ, sine omni ornatu esset Rex et Deus verus? Tu.

℟. Gloria Libani ad te veniet: * Et gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit. ℣. Reges gentium venient ad te curvi, et adorabunt vestigia pedum tuorum.—Et gens.

LECTIO 5.

Stant ergò genuflexi coram eo, colloquuntur cum Domina vel per interpretem, vel per seipsos, quia sapientes erant, et fortè linguam hebraicam sciebant. Quærunt ab eâ de conditionibus istius Pueri; Domina narrat, et illi omnia credunt. Conspice benè ipsos, quia reverentèr et curialitèr loquuntur, et audiunt. Conspice et Dominam quia cum robore in verbis et oculis ad terram demissis, ac cum verecundiâ loquitur: non delectatur loqui, nec videri. Tu.

℟. Adducam filios tuos de longè: argentum eorum, et aurum eorum cum eis, * Ut offerant nomini tuo, et Sancto Israel. ℣. Omnes de Sabâ venient, aurum et thus deferentes, et nomen Domini annuntiantes.—Ut.

LECTIO 6.

Dominus tamen dedit ei vigorem in hoc magno opere, quia illi repræsentabant universam Ecclesiam futuram ex gentibus. Conspice et puerum JESUM, nondum loquitur, sed stat cum maturitate et gravitate, tanquàm intelligens, et benignè respicit illos, et illi multùm delectantur in eo, tam visu mentis, tanquàm intùs edocti, et illuminati ab eo, quàm corporali, quia speciosus erat præ filis hominum. Tu.

℟. Videbunt gentes Filium tuum, et cuncti reges inclytum tuum: * Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. ℣. Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. —Et vocat.—Gloria.—Videbunt. *Infra octav.* Et voc.

IN III. NOCT.

Ant. Venite, adoremus Deum, qui de Virgine MARIA nasci dignatus est.

PSALM. 34.

Venite, exultemus Dominæ nostræ: * jubilemus salutiferæ MARIÆ Reginæ nostræ.

Præoccupemus faciem ejus in jubilatione, * et in canticis collaudemus eam.

Ant. Venite, adoremus Deum, qui de Virgine MARIA nasci dignatus est.

Venite, adoremus, et procidamus ante eam: * confiteamur illi cum fletibus peccata nostra.

Impetra nobis, Domina, indulgentiam plenam: * assiste pro nobis ante tribunal Dei.

Ant. Venite, adoremus Deum, qui de Virgine MARIA nasci dignatus est.

Suscipe in fine animas nostras, * et introduc nos in requiem æternam.

Gloria Patri et Filio...

Ant. Venite, adoremus Deum, qui de Virgine MARIA nasci dignatus est:

Ant. prædicta cum suo Psalmo dicitur, tantùm hâc nocte. Per octav. verò omittitur, et ejus loco dicitur sequens.

Ant. Homo natus * est in eâ, et ipse fundavit eam Altissimus.

2. Leva in circuitu * oculos tuos: omnes isti venerunt tibi.

3. Afferte Dominæ nostræ, * afferte gloriam nomini ejus.

℣. Adorate Dominum, allel.

℟. Omnes angeli ejus, allel.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 2. 1.

In illo tempore: Cum natus esset JESUS in Bethleem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam. Et reliqua.

Homilia S. Petri Damiani Ep.

In Epiphaniâ Domini.

Gaudeant Gentiles, exultent Judæi, quia ecce sol de stellâ enituit, et factor Virginis, factus est in Vir-

gine facturâ suâ. Homo enim qui natus est in eâ, ipse fundavit eam Altissimus. Ortus est itaque sol de stellâ, sanitas ex ægritudine, ex morticinio vita, lux ex tenebris, dulcedo ex amaritudine, ex spinâ rosa, Pater ex Filiâ, Dominus ex ancillâ, et de exiguo rivulo fons aquæ salientis in vitam æternam. Tu.

℟. Illuminare, illuminare Jerusalem, quia venit lux tua, * Et gloria Domini super te orta est. ℣. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortûs tui.—Et gloria.

Benedict. de tempore.

LECTIO 8.

Oritur ergò sol de stellâ, et demonstratur sol per stellam. Erat stella in aere, corpus illud lucidum: Stellâ in terrâ, Virgo MARIA: Sol in præsepio, Christus noster. In stellâ, fratres, quatuor principaliter attendamus. Stella enim ignææ naturæ est: Stella in se lucida est: Stella ex se radium emittit: Stella in nocte lucet. Hæc eadem in Stellâ nostrâ, id est, in Virgine MARIA possumus invenire. Tu.

℟. Magi veniunt ab Oriente Jerosolymam, quærentes et dicentes: * Ubi est, qui natus est, cujus stellam vidimus? ℣. In Bethleem Judæ: ite, et adorate eum, et offerte illi munera regia.—Ubi.

LECTIO 9.

Eadem autem Magorum dona ipsa Virgo, Stellâ maris, obtulit Soli nato suo in personâ suâ. Obtulit enim aurum regiæ dignitatis, quià fuit ipsa de regiâ tribu. Obtulit etiàm thus et myrram, undè in cantico amoris hæc duo in ipsâ junguntur. Benè ergò hæ duæ species in Stellâ nostrâ et virgâ nostrâ junguntur, quia in Virgine MARIA carnis integritas, et mentis devotio sempèr indivisa manserunt. Tu.

℟. Stella, quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos, donec veniret ad locum, ubi Puer erat. * Videntes autem eam gavisi sunt gaudio magno. ℣. Et intrantes domum invenerunt Puerum cum MARIA Matre ejus, et procidentes adoraverunt eum.—Videntes.—Gloria. Stella. *Infra octav.* Videntes. *Hoc Resp. in diebus infra oct. dicitur post* 8. *Lect.* Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas Antiphonæ.

1. Indiebus Herodis regis * Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam. *Psalmi de Dom.*

2. Audiens autem * Herodes rex, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo.

3. Herodes * clam vocatis Magis diligentèr didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis.

4. Ecce Stella, * quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usquè dum veniens staret supra, ubi erat Puer.

5. Stella ista * sicut flamma coruscat, et Filium Virginis Deum demonstrat: Magi eam viderunt, et magno Regi munera obtulerunt.

CAPITULUM, *Bar.* 5. 3.

Deus ostendet splendorem suum in te omni qui sub cœlo est: nominabitur enim tibi nomen tuum à Deo in sempiternum.

HYMNUS 178. *Brev. Rom.*

O sola magnarum urbium
Major Bethleem, cui contigit
Ducem salutis cœlitùs
Incorporatum gignere!

Quem Stellâ, quæ solis rotam
Vincit decore, ac lumine,
Venisse terris nuntiat
Cum carne terrestri Deum.

Videre postquàm illum Magi,
Eoa promunt munera,
Stratique votis offerunt

Thus, myrram et aurum regium.

Regem, Deumque annuntiant
Thesaurus ei fragrans odor
Thurris Sabæi, ac myrreus
Pulvis sepulchrum prædocet.

JESU, tibi sit gloria, &c.

℣. Adorate Dominum, alleluia.

℟. In aulâ sanctâ ejus, alleluia.

Ad Benedict. *ant.* Intrantes Magi * Domum invenerunt Puerum cum MARIA Matre ejus, et procidentes adoraverunt eum.

Oratio.

Deus, qui hodiernâ die Unigenitum tuum per Genitricem ejus Sanctissimam Virginem MARIAM gentibus, stellâ duce, revelasti: concede propitius, ut quos in eum credere concedis, in cognitione et amore ipsius quotidie crescere facias. Qui tecum.

AD PRIMAM.

Ant. In diebus. *Capitul.* Deus ostendet. *de Laudibus.*

℣. ℟. *br.* Quæ hodiè gentibus Filium Dei revelasti.

CANON.

Ex S. Leone Papâ Primo.
Serm. 2. de Epiph.

436. Brevi intervalo temporis post solemnitatem Nativitatis Christi Festivitas Declarationis ejus illuxit: et quem in illo die Virgo peperit, in hoc mundus agnovit. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Bar.* 4. 36.

Circumspice Jerusalem, ad Orientem, et vide jucunditatem à Deo tibi venientem.

℟. *br.* Omnis terra * Adoret Filium tuum.—Omnis.

℣. Et psallat tibi, Virgo MARIA.—Adoret.—Gloria.—Omnis.

℣. Omnes de Sabâ venient, alleluia.

℟. Aurum et thus deferentes, alleluia.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Baruch.* 5. 5.

Vide collectos filios tuos ab Oriente sole usque ad Occidentem, in Verbo Sancti gaudentes Dei memoriâ.

℟. *br.* Leva * In circuitu oculos tuos.—Leva. ℣. Omnes isti venerunt tibi.—In.—Gloria.—Leva.

℣. Adorabunt eum omnes reges terræ.

℟. Omnes gentes servient ei.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Isai* 60. 6.

Omnes de Sabâ venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.

℟. *br.* Afferte Dominæ nostræ. * Filii Dei.—Afferte.

℣. Adorate Dominum in ulnis Sanctis ejus.—Filii.—Gloria.—Afferte.

℣. Venite, adoremus Deum.

℟. Qui de Virgine nasci dignatus est.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Adducam * Filios tuos de longè, ut adorent Filium tuum, Sanctum Israel. *Psalmi de* 2. *Vesp. Solemn.*

2. Venient * ad te curvi, et adorabunt vestigia pedum uorum, et vocabunt te, Civitatem Domini, Sion Sancti Israel.

3. Ponam te * in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem.

4. Reges Tharsis * et insulæ munera offerent, Reges Arabum et Saba dona adducent.

5. Apertis * thesauris suis obtulerunt Magi Domino aurum, thus, et myrrham.

CAPITULUM. *Bar.* 5. 3.

Deus ostendet splendorem suum in te omni, qui sub cælo est: nominabitur enim tibi nomen tuum à Deo in sempiternum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℟. Stella, quam viderant. *ut in* 1. *Vesp.*

HYMNUS 179. *Br. Convenar.*

Linquunt tecta Magi principis urbis,
Et parvæ cupidis mœnia Bethleem
Volis præcipiunt: jamque sub imo
Spe nixa fides corde triumphat.

O qui lætitiæ sensus, ut illis
Signans rursùs iter stella refulsit;
Incumbensque domo lampade proâ
Infantem exhibuit Matris in ulnis.

Non hic splendet ebur, non micat aurum,
Non velat rutilans purpura corpus:
Horrens hic stabulum, regia; nudum
Hic præsepe, thronus; purpura, panni.

Ad cunas humiles poplite curvo
Præsens in Puero Numen adorant:
Et nos ad Puerum digna propago
Patrum plenâ fide corda feramus.

Qui fons luminis est gloria Patri:
Qui miro recreas lumine gentes,
Æqualis tibi sit gloria Nate:
Amborum similis laus sit Amori.
Amen.

℣. Adorate Dominum, alleluia.
℟. In aulâ sanctâ ejus, alleluia.

Ad Magnif. *ant.* Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, reversi sunt per aliam viam in regionem suam.

Oratio de Laudib. Compl. de Dom.

In diebus infra octavam, nisi aliter notetur, Officium fit omninò, etiàm in festis, ut in die cum Psal. et Lection. 1. *Noct. de fer. occurr.*

DIE VII. JAN.

SCIENTIA B. MARIÆ V.

Duplex.

Lect. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Antonini Arch. Florentini. *c.* 18. §. 3.

LECTIO 4.

Doni Scientiæ ponit Albertus tres actus. Primus de quo Beatus Augustinus dicit: Hujus scientiæ tantùm illud tribuendum, in quo fides saluberrima, quæ ad veram ducit beatitudinem generatur, nutritur, roboratur et defenditur. Scire quemadmodùm hoc ipsum, et piis opituletur, et ab impiis defendatur, est etiàm ipsius scientiæ. Hunc actum habuit Beata MARIA super omnes, scilicet fidei defensionem, Ecclesiâ de illâ testante: Cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. Tu. ℣. *De Epiph. nisi transferatur.*

LECTIO 5.

Secundus actus scientiæ hujus est abstinere à malis, sciendo turpidinem eorum. Undè Job: abstinere à malo Scientia. Cognoscere etiàm ipsum malum et dolere. Ecclesiasticus: Qui addit scientiam, addit et dolorem. Sed nulla pura creatura abstinuit à malis omnibus venialibus, attingens usum rationis, nisi ipsa. Canticis: Macula non est in te. Optimè enim sciebat, quàm turpe, quàm indecens sit peccare. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Tertius actus inter homines conversari irreprehensibiliter. In medio nationis pravæ et perversæ dono scientiæ ita conversata est Beata MARIA super omnes innocenter et ædificatorie, quòd ejus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. Nullum enim faciendorum omisit, nil cavendorum commisit, nulli in suo malo communicavit, nulli bonum suum incommunicandum communicavit, nemini malum exemplum in linguâ dedit, nullius opere iniquo scandalizata est. Undè Beatus Ambrosius: habetis in eâ exempla probitatis expressa, ut sciatis, quid

vitare, quid eligere debeatis. Fuit et in eâ donum scientiæ per modum patriæ, quod est scire Deum perfectè, et proximi gloriæ congaudere, quod tali modo nulli concessum est viatorum. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 28.

In illo tempore: Ingressus Angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventuræ Ep.

Specul. B. V. M. c. 6.

Considerate carissimi in MARIA gratiam donorum Spiritûs Sancti. De hâc gratia MARIA gratulabunda dicere potest illud Ecclesiastici: In me omnis gratia vitæ et veritatis. Quid mirum si ipsa est gratiâ plena vitæ, et veritatis, quæ mater est ejus, quem legimus plenum gratiæ et veritatis? Et quid mirum, si in illâ virgâ est tanta donorum Spiritûs Sancti affluentia, in cujus flore Spiritus Sanctus requievit cum tantâ donorum suorum effluentiâ? Tu. ℣.

LECTIO 8.

Maria namque est illa Virga, et Filius MARIÆ est ille flos, de quo dicitur in Isaiâ: Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus sapientiæ et intellectûs, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini. *Lect.* 9. In hoc flore mira Spiritus Sancti effluentia, de quo in omnem Ecclesiam tam mira fit influentia, ut Beatus Evangelista Joannes dicit. De plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gratiâ. Cum ergò de isto flore tanta gratia redundet in totum hortum, quantò magis in ipsam hujus floris virgam, in ipsam MARIAM? Dicat ergò MARIA, dicat securè: In me omnis gratia vitæ et veritatis. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commem. Beatæ V. Boleslaviensis. *Gump.* 73.

Boleslavia Bohemiæ thesaurum habet in agro inventum, Statuam Deiparæ, quam rusticus homo, cum terram aratro proscinderet, anno millesimo centesimo sexagesimo in glebâ conspexit, utique transiturus, si boves velut venerabundi in terram non procubuissent. Sustulit sanè, et lætus domum tulit, et in arcâ reclusit. Postridiè cum ad opus rediisset, reperta iterùm in agro Statua, iterum ab eo domum delata est, sed tertiùm eandem in agro reperit. Canonicus Boleslaviensis Ecclesiæ, cui hæc rusticus retulit, Sanctæ Statuæ locum dedit, è quo et cultum accipere majorem posset, et, si ita placeret Virgini, etiàm beneficia rependere. Statim toti Bohemiæ virtus Thaumaturgæ Statuæ innotuit, et maximos honores accepit. Tu. Te Matrem.

Oratio.

Spiritum Sanctum, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui plenitudinem Scientiæ in Sanctissimâ Unigenîti tui Matre recolimus, in cognitione ipsius JESU Christi quotidiè crescamus. Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritûs.

Vesperæ. ut in 2. *Vesp. Epiph.*

DIE VIII. JAN.

S. MARIÆ A P INCIPIO.

Duplex.

Lection. 1. *Noct. de Ferid.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Spinelli de fest. et templ. Deip.

In urbe Neapoli in oratorio illo,

quod à Sancto Aspremo Episcopo in suis ædibus ad Christianorum usum constitutum fuit, Sancta Elena Constantini Mater sacellum extruendum et à Sancto Sylvestro Papâ dicandum curavit: cui propterea idem Pontifex Sanctæ MARIÆ à Principio nomen dedit: illicque Constantino inspectante Missæ Sacrificium sæpè obtulit. Quarè Constantinus ad majorem tanti sacelli venerationem eidem adjecit Basilicam Sanctæ Restitutæ Virginis et Martyris, quemadmodùm testatur Martyrologium Romanum ad diem decimum septimum Maji. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Nec illud silentio prætereundum: informice primario Sanctæ Restitutæ antiquam Imaginem Salvatoris in throno sedentis, et septem Angelorum coram Deo astantium conspici, è quibus quatuor à dexiris, tres verò sunt à sinistris. Et sanè Deiparæ Imago opere musivo, quæ in sacello Sanctæ MARIÆ à Principio exlat, magnam habet tùm antiquitate, tùm arte, commendationem: est enim sedens in throno, ingenti statura, ore augusto et pio, fovetque gremio puerum JESUM, inistrà crucem præferentem. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Hinc factum est, ut ad hujusmodi sacellum ejusque Imaginem ingens fuerit semper Neapolitanorum veneratio, ingens et studium pietatis. Quin etiàm in hujus rei memoriam die octavâ Januarii Festum Sanctæ MARIÆ à Principio in eodem templo Sanctæ Restitutæ solemni ritu celebratur, eodemque die à forensibus litibus vacatur. Verùm enim verò hoc sacellum anno millesimo trecentesimo vigesimo secundo studio ac pietate Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, quibus hujus sacelli procuratio unà cum Sancto Restitutæ templo est demmandata, suo nitori est restitutum. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 2. 1.

In illo tempore: Cum natus esset JESUS in Bethleem, ecrè Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam.

Et reliqua.

Homilia D. Eusebii Episcopi.

In Bibliotec. Maximâ PP. Tom. 5. *p.* 1. *p.* 221.

Recedunt Magi ab Herode, et vident stellam, quia et illi, qui à Diabolo separantur, vident justitiæ lumen. Sed quarè eos antecedit stella, nisi ut viam eis ostendat, et ad puerum ducat? Sequuntur igitur eam: veniunt Bethleem, stat suprà domum illam, in quâ erat Virgo MARIA. Stat stella supra stellam. MARIA enim stella maris interpretatur. Stella itaque Filius, stella et Mater. Stella oritur de Stellâ, sed major quæ oritur, quàm illa de quâ oritur. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Undè et meritò supra stare videtur. Non dixit supra Puerum, sed quid dixit? Supra ubi erat Puer. Ubi enim erat Puer nisi in sinu Matris? Stabat igitur stella, et clamabat. Habet enim linguam suam. Nec enim longè petamus exempla. Sic illa stella loquebatur Magis, sicut istæ litteræ loquuntur nobis. Significando igitur, loquebatur. Sed quid significabat? Quid dicebat? Vis audire quid? Hic est Puer: hic est Mater pueri: hic eum quærite: hic eum invenietis: hic in parvo corpusculo latet, qui ubique est, et omnia replet. Hoc est etenim quod dicit: Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Quartensis.

Ex Histor. hujus Imagin.

In antiquissimo oppido Quartæ in Hannoniâ maximè colitur pluribus abhinc sæculis quædam Deiparæ Imago, de cujus origine nihil liquet. Lignea est, duobus pedibus alta, et regio ornata pallio. Puerum dexterâ sustinet, eique lævâ fructum offert. Collocata est in satis magnifico templo, decimo quarto sæculo structo, quod in eversionibus Gallicanis per mulieres præservatum creditur. Ad eam talis fit peregrinorum accursus, ut multoliès plusquàm viginti millia numerati fuerint. Tu. Te Matrem.

Si hoc fest. transferatur extra octav. Epiph. dicitur sequens Homil.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 8.

In illo tempore: Dicebant JESU Judæi: Tu quis es? Dixit eis JESUS: Principium, qui et loquor vobis.

Et reliqua.

Homilia S. Martialis Ep. Lemovicensis.

Ep. 1. *ad Burdigalens. c.* 10. *In Bibliot. Max. PP.*

Hæc autem, fratres mei, scitote, quia Verbum quod credidistis, Filius est, unigenitus ante omnem substantiam, ante omne initium. Ipse est enim Principium, quia de principio ineffabiliter genitus est. In nostro verò tempore mirabiliter ab Angelo annuntiatus, et in veritate incomprehensibili de Virgine MARIA natus est, nihil diminutus à divinitate majestatis suæ; cujus nos testes sumus. Tu. ℣.

LECTIO 8. *c.* 3.

Ipse enim corpus habens, et immaculatum, et sine peccato, quia conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex MARIA Virgine, in arâ crucis ipsum permisit immolari. (*Lect.* 9. *c.* 2). Mori enim potuit, quià homo fuit, et quia de Virgine MARIA natus est homo. Filius Dei ante principium fuit, et quia Deus erat, diù teneri in morte non potuit. Tu. ℣.

Vesperæ ut in die Epiph.

DIE IX. JAN.

DE IV. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS. 180. *Caryophil.*

Oblata Christo munera
A perbeatis Regibus,
Et Matre digna dicimus,
Regina Virgo Virginum.

Est Virginitatis gloria
Fulgentis auri puritas;
Thus venter altor Numinis;
Cor myrrha ferro saucium.

Utrisque quadrant munera,
Nato, Parenti Virgini:
Et procidentes principes
Cum nato adorant Virginem.

Beata Virgo Virginum,
Infunde nobis munera:
Da thus amorem, lacrymas
Myrrham, sit aurum castitas.

JESU, tibi sit gloria, etc.

Lection. 1. *Noct. feriæ occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini.

In Epph. Dom. conc. 1.

LECTIO 4.

Stupent novitate viri: neque aptum erat Principi tectum: desiliunt equis conciti, domûsque penetralia lustrant. Intùs Virginem decoram vident, vultu venusto, facieque pulcherrimam, verecundam, solam, tremulam, sedentem in angulo, gestisque parentem: Virginem speciosam valdè, decoris portentum maximum: qualis non fuit ab initio altera, neque futura est in æternum Hæc ad equorum, et dromedariorum

pio locaverat, fœnoque condiderat: neque soli veniebant gentium proceres, sed multâ suorum familiâ comitati, sicut decebat reges extranea regna petentes. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Inspiciunt se mutuò Principes, tanto decore perciti, benevolèque salutant. Quid, inquiunt, hic agis, ô decora Puella? Quænam hic causa manendi? Quænam est? Aut undè venisti? Est ne tecum aliquis? Quis te deduxit huc? Est ne tibi Filius? Durum verbum, acutus gladius Virginis viscera scindens. Silet vultu pallida, sanguinem namque pavore totum cor rapuerat. Quid enim tum Virgo anxia faceret? Mentiri non poterat, filium prodere non audebat: silet ergò, neque tamen locum silentio præstat repetita quæstio. Instant reges acriùs pacis et amoris signa præstantes. Proditur itaque aspectibus decorus Infans, præsepique à Matre levatur. Tu. ℣.

LECTIO 6.

O magnum, stupendumque miraculum! Tremunt cunctli, viso Puero: timore magno turbantur, vultus, crinesque erigunlur, pavmento procidunt majestate perculsi, et ad Virginis pedes timore prosternuntur. Prædixerat hoc Psalmographus olim, cum istorum prophetarel adventum. Reges, inquit, terræ congregati sunt, convenerunt in unum: ipsi videntes sic a Imirati sunt, tremor apprehendit eos, et rursus in Evangelio, et procidentes adoraverunt eum. Sicut enim Pastores videntes cognoverunt de Verbo Dei, non hominis magisterio edocti; ita et Magi. Jacent purpurati Principes ad Virginis pedes, et pannosum Infantem regia celsitudo pavescit. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. c. 2. 1.

In illo tempore: Cum natus esset JESUS in Bethleem, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Serm. 2. de Epiph. 30. de tempore.

Ad partum Virginis adorandum Magi ab Oriente venerunt. Hunc diem hodiè celebramus: huic debitum solemnitatis sermonem persolvimus. Illis dies iste primus illuxit, anniversariâ nobis festivitate redit. Illi erant primitiæ gentium: nos populus gentium. Nobis hoc lingua nuntiavit Apostolorum, stella illis tanquàm lingua cœlorum: et nobis iidem Apostoli, tanquàm alii cœli, enarraverunt gloriam Dei. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Magnum Sacramentum! In præsepe jacebat, et Magos ab Oriente ducebat: absconde batur in stabulo, et agnoscebatur in cœlo, ut agnitus in cœlo, manifestaretur in stabulo, et appellaretur Epiphania dies iste, quod latinè manifestatio dici potest: simùl ejus celsitudinem, humilitatemque commendans, ut qui in aperto cœlo signis sidereis monstrabatur magnus, in angusto diversorio quæsitus inveniretur invalidus, infantilibus in membris natus, infantilibusque pannis involutus, adoraretur à Magis, timeretur à malis. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. ab Ajutorio.

Balinghem. Kalend. Marian.

Est in Portu-securo in Brasiliâ templum Beatæ Virgini dicatum, cui ab adjutorio nomen est, quod cum Patres societatis JESU ædificarent unà cum sede, potabilis aquæ copia desiderabatur: sed eam suppedilavit casus admiratione dignus. Arbor enim ingens secus fabricam repentè convulsa in terram, suâ ruinâ montis partem, cui adhærebat, secum traxit. Et ex illo hiatu limpidissimus fons aquæ erupit ad potum gratissimæ, è quâ cum variis morbis ægroti bibissent, sanati sunt; ita ut tùm à Christianis, tùm ab Ethnicis aqua Sanctæ Dei Matris deinceps vocaretur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino.

Conc. 3. in Epiph. n. 8.

457. Puer JESUS non invenitur sine MARIA. Sic dicitur de Magis: Intrantes domum invenerunt puerum cum MARIA Matre ejus, et procidentes adoraverunt eum. Hanc igitur assiduè oremus, ut ostendat nobis Filium suum: Et postquàm invenerimus, adoremus eum procidentes. Tu.

Vesper. ut in 2. Vesper. Epiph.

DIE X. JAN.

B. M. V. DE MONTE SANCTO.

Semiduplex.

Oratio.

Humilitatem nostram, quæsumus Domine, propitius respice, ut qui beatissimam Virginem MARIAM in Monte-Sancto colimus, ad perfectionis montem ascendere valeamus. Per Dom.

Lection 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Gumpenb. imag. 125.

Pribna Bohemiæ civitas templum habet Beatæ Virginis in colle vicino, qui sancti montis nomen jam ab antiquo habet. Cum autem quidam eques nobilis, ab hostibus circumdatus et necandus, voto Virgini facto, in hunc collem evasisset, extruxit ibi in ejus honorem sacellum. Opinio est ante hæresim husiticam Sanctam Statuam claram miraculis fuisse; sed hoc templum hæreticam rabiem non evasit, et posteà etiàm neglectum stetit; ut in eo quandòque jumenta stabularentur. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Senex verò quidam, si sanctus JOSEPH non fuit, cæco cuidam se videndum præbuit per somnium, identidèm oculos et oculorum usum promittens, si sacelli illius curam susciperet. Is obtentâ ad id à majoribus facultate, duce neptulo, officium recusante uxore, ad locum pervenit, atque inter pios cantus, et accensas preces coram sacrâ Imagine Virginis ad laborem se accinxit, visumque recepit. Undè et quia Philosophi Pragenses eam Sanctam Statuam arte calcographicâ incidi cupro curarent, veneratio loci multùm aucta est. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Anno millesimo sexcentesimo secundo, mense Julio, Senatus Statuam Virginis locavit pictori, inductis coloribus renovandam, qui cum hæreticus esset, nulla de sanctorum, et præcipuè Virginis statuis jocosè et etiàm blasphemè dixit. Parrochus hominem monuit, cessaret temnere divos, ni vellet experiri, quid apud Deum Virgo possit, sed ipso monita contemnente, dejectum fulmen, dexteram ejus ita momento adussit, ut carbonem referret, absque ullo alio, aut loci, aut cujuslibet rei nocumento. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. c. 5. 1.

In illo tempore: Videns JESUS turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia S. Andreæ Cretensis.

Orat. in angel. salutat. ap. Chrys. Sola tu verè benedicta es, quam montem magnum vir ille desiderabilis vidit Daniel : montem obumbrantem, sive umbrosum Habacuc ille admirabilis, montem Dei, montem pinguem, quoquè jucundum, montem quem Deo inhabitare placuit, de quo protopater tuus et rex divino afflatus spiritu cecinit. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Orat. 2. de Dormition. B. V. M. Te quoquè prophetans vir ille desideriorum magnum vocavit montem, et lapidem sine manibus viri ex te sumptum, non exeissum, ablatum non divisum assumptione humanitatis nostræ. *Lect.* 9. Tu es mons Sion, mons coagulatus, mons pinguis, in quo beneplacuit Deo habitare, ex quo in carnem concretus is fuit, coagulatus qui est superessentialis. O mons umbrosus, non obumbrans ingratum populum Judæorum, sed electum Dei populum, gentem sanctam maternis suis tædis illustrans. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Sacratâ.

Lanuza, Hist. Arag. libr. 2. c. 37. In Oppido Monzalbarbæ in Aragoniâ, unâ à Cæsaraugustâ leucâ, colitur Beatissima Virgo sub titulo de Sacratâ. Ejus imago ad Iberi ripam in vetustissimo templo, quod fanum antiquum, etiàm sub Mauro-rum tyrannide vocabatur, priùs locata, in novum, quod exurgit templum, initio decimi septimi sæculi extructum, solemnissimâ supplicatione, ingentique fidelium concursu translata fuit. Benedictus duodecimus, et Leo decimus hanc Deiparæ Imaginem colentibus plurimas indulgentias concessere. Tu.

Vesper. ut in die Epiph.

DIE XI. JAN.

DE VI. DIE INFRA OCTAVAM.

Semiduplex.

Lection. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo. S. Thomæ Arch. Valentini.

Concion. 2. de Epiph.

LECTIO 4.

Appropinquant Magi ad Domum, ubi erat Puer, quæ, ut creditur, extra muros civitatis erat. Cum appropinquarent, Beata Virgo, audito strepitu equorum, et dromedariorum : neque enim soli ibant, sed ut reges comitati, prophetâ teste ; Inundatio camellorum operiet te: dromedarii Madian et Epha : omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. Audito ergò tumultu pertimuit, et fortè existimans ne esset Herodes, vel alius, qui nocumentum vellet inferre, occultavit. ut creditur, Puerum in præsepio, et fœno operuit eum. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Illi autem accedentes transibant, et ecce stella manebat. Redeunt, vident stellam proximam tecto tripudiantem, et scintillantem, quasi vellet comburere domum, autumant esse palearium, seu stabulum. Tentant ulteriùs proficisci, et manet Stella. Exiliunt ergò ex equis, et intrantes domum, vident Virginem, solam, pulcherrimam, formosissimam, qualis non fuit, neque erit in sæculum similis. Qualis Filius, talis Mater: Filius speciosus præ filiis hominum, sic et Mater, quia nunquàm fuit Mater tam similis. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Stupent, respiciunt se mutuò. Quid, inquiunt, hic agis, ò pulchra Puella ? Quis hùc te traxit ? Quomodò

sola, ò Margarita pretiosa? Gemma pulcherrima celatur, ingeritur auro, et tu, margarita speciosissima hospitaris in stabulo ? Die nobis, Domina, est ne tibi Filius ? O durum verbum ! O gladium ! O sagittam Virginis viscera penetrantem ! Quid tunc ageret Virgo ? mentiri non erat suum: prodere non audebat. Illi autem ex pallore Virginis videntes pavorem, ajunt: Noli timere, Domina: pacificè venimus, nec quicquam famuli tui machinantur mali. Pacifici sumus, nullum malum faciemus, sed si habes Filium, ostende nobis. Agnoscens Virgo, quòd pacificè veniebant, prodit Infantem. Quo viso, mirà res ! statim ceciderunt in terram. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 2. 1.

In illo tempore : Cum natus esset JESUS in Bethleem, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam.

Et reliqua.

Homilia D. Eusebii Episcopi.

Bibliot. max. PP. Tom. 5. Quanta igitur tibi exultatio fuerit, ò Virgo beatissima MARIA ? Quis cogitare valeat, quandò eum, quem nuper genueras, jam quasi Deum adorare videbas ? Suscipe prima munera Filii tui; suscipe tributa, quæ ei solvuntur: et quæ aliis tributa solvere veneras, ipsa ab aliis tributa suscipias. Ad hoc enim, ut Lucas ait, venerat JOSEPH in Bethleem, ut ipse quoquè sicut cæteri profiteretur, et obligaret se tributa persolvere, eo quod esset de domo et familiâ David. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Sed quare tria munera Magi obtulerunt, nisi ut Trinitatis mysterium revelarent ? Primum enim munus offerrimus credendo in Patrem: secundum, in Filium; tertium, in Spiritum Sanctum : Hæc tria munera nobis sufficiunt. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Pinoso.

Camòs. libr. 9. c. 5. In Cœlsonensi Diœcesi supra excelsum collem circa pagum Pinòs sub ipso pagi nomine Templum Deiparæ exurgit, ubi miraculosa quædam Imago ejus asservatur, et impensè colitur. Ingens erga eam antiqua fidelium devotio paulatim in tempora extincta cum fuerit, eadem Diva Virgo, ut fertur, apparens cuidam Bernardo promisit, circumstantibus oppidis pestiferâ clade affectis subventura, si oblitam de votionem erga se instaurare, ac renovare studuerint. Maximus statim in eam accensus est inter illos pietatis fervor: ad montem ascenderunt, enixisque precibus eam acclamantes propitiam sibi invenerunt: lues omninò evanuit, et ipsi consolati sunt. Ex tunc nunquàm ampliùs eorum populorum pietas erga hanc Virginis Effigiem nec diminuta fuit, è contra quotidiè sempèr incrementum accepit. Tu.

Te Matrem.

Vesp. ut in II. vesp. Epiph. Dupl. Oratio de sequenti.

DIE XII. JAN.

SPES B. MARIÆ V.

Duplex.

Oratio.

Perfice, quæsumus, Domine, in cordibus nostris mirabilem Spei virtutem, ut qui eam in beatissimâ Virgine MARIA admiramur et credimus, beatitudinem, quam expectamus, æternam obtinere valeamus. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Antonini Arch. Florentini.

De Beatâ Virg. c. 17. §. 3.

LECTIO 4.

De Spe Beatæ MARIÆ dicendum est, quòd utique eam habuit perfectissimam. Nam habuit, ut dictum est, perfectissimam charitatem, quæ Mater est omnium virtutum secundum Beatum Ambrosium, ut qui eam habeat, et filias ejus contineat, id est, alias virtutes, undè et Spem. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Et cum Spes sit certa expectatio futuræ beatitudinis ex meritis et gratiâ proveniens, alii sancti et sanctæ, quia certitudinem scientiæ non habent de meritis suis et gratiâ, sed per conjecturas, ideò non certam expectationem habent de suâ beatitudine, sed conditionalem, scilicet si habent gratiam et merita. Sed Beata MARIA erat certa gratiâ se esse plenam, undè et certa de suâ beatificatione, quam expectabat. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Et propter perfectam et abundantem Spem dicitur in personâ ipsius: Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ Spei; quia non solùm ista in se habuit in mente, et actus produxit, sed in aliis procurat: Undè et dicitur Spes nostra, scilicet ad suffragandum, in omnibus auxilium procurandum, et dicit in vè omnis spes vitæ. Et in illâ auctoritate notantur illæ tres virtutes: charitas, ibi: pulchræ dilectionis, scilicet, Dei, undè procedit timor reverentialis. Fides, ibi agnitionis. Per eam enim habetur cognitio de necessariis ad salutem. Et sanctæ Spei, quod dicit ad excludendam vanam spem. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 16.

In illo tempore: Cum audisset MARIA salutationem Elizabeth, dixit: Magnificat anima mea Dominum. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

De Pasion Dom. c. 13.

Si vis salvari et attrahi odore hujus nominis salutaris, quod effusum est sicut oleum, incipe delectari in dulcissimo JESU, et confidenter require in vero salutari salutem, non imitando illos, qui lætantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis, in quibus salutem suam constare putant; sed potiùs eam, cujus Spiritus exultavit in Deo salutari suo, quæ nominis hujus salutaris odorem tantò suaviùs attraxerat, perfectiùsque senserat, quantò illi fide, Spe, et charitate vicimior fuerat: quæ ipsum de suis visceribus genuerat, nempè verum et perfectum Deum et hominem salutarem JESUM. Tu. ℣.

Benedict. Cujus Spem colimus.

LECTIO 8.

Non ignorabat enim qualiter sine omni carnali concupiscentiâ conceptus, qualiter sine omni dolore ex ipsâ natus, quomodò à Pastoribus prædicatus, quomodò à Magis adoratus, quomodò virgineo lacte suo nutritus, quomodò à Simone et Annâ commendatus. Noverat, inquam, hæc omnia, et multò plura Virgo illa fidelissima, et perfectissimâ fide salutarem veri salutaris sequebatur odorem. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Nec poterat non sperare in eum, quem fidè perfectissimâ cognoscebat, et posse et scire, et velle salvare omnes desiderantes salutem. Quantùm enim quis credit, tantùm sperat: quantùm sperat, tantùm amat. Quantò ergò hæc

optima Mater perfectior fuit in fide, tantò in Spe fortior, et in charitate ferventior, omnem cogitatum suum jactans in eum. Tu.

Vesperæ de sequent. ut in 1. *Vesp. Epiph.*

DIE XIII. JAN.

OCTAVA EPIPHANIÆ.

Duplex majus.

AD MATUTINUM.

HYMNUS 181. *Muret.*

Quæ vos causa, Magi, dicite, pertulit
E vestris iter hùc carpere finibus?
Quem tanto studio quæritis anxii?
Quove hæc munera pertinent?
Nos Stella insoliti luminis hùc trahit,
Et dux certa viam perpetuò præit,
Judææ populis quæ cupientibus
Regem significat datum.
Auri ista sed enim quid sibi pondera?
Myrrhæ mirificus quid sibi vult odor?
Aut quæ, cum populus sacra Deo faci,
Ista thura solent dari?
Rex auro colitur, thura Deum decent,
Nostri myrrha homines post obitum linunt:
Huicergò paritèr munera congruunt,
Qui et Rex est et homo et Deus.
Simplex ætherei Numinis Unitas
Quæ distincta eadem est veraque Trinitas,
Æternis vigeat sempèr honoribus
Et terrâ simul et polo. Amen.

Lect. 1. *Noct. ut in die Epiph.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *De Epiph. Dom. Conc.* 2.

LECTIO 4.

O Magi! quid vidistis in Filio? Quid vidistis in Virgine? Quid vidistis in parvulo? Non in membris purpura, non in capite diadema fulgebat. Non ibi pompa famulantium, non terror exercitûs, non gloriosiorum forma præliorum. Tamen aliquid magnum latitabat in parvulo, quod illos terruit et postravit. Leo videbatur in agno, Gigas in parvulo, Sol in nubeculâ, Deus in carne. O quales visus! quales oculi! Sicut lynces videbant æternitatem intra parietem nostrum, et fontem pietatis intra cor pusillum penetrabant. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Quid sentis, ò Virgo! Quid cogitas? Quantam multitudinem sericatorum nobilium vides ad tuos pedes postratam? Sicut turduli, quandò supervolitat aquila. Ut existimo, gratias agebant Deo, qui tantum mysterium dignatus fuerat prodere ad mundi utilitatem. Et post modicum levantes se super genua, obtulerunt id munere, thus, aurum, et myrrham. Si aurum solum ei obtulissent, putaremus eos necessitati Matris voluisse succurrere: sed cum offerant incensum et myrrham, profectò liquet, quòd mystica erant munera, quæ offerunt, et illorum fidem protestantur. Thus offerunt Deo, aurum Regi, myrrham mortali. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Quid dixerint, quid fecerint, Evangelista tacet: vos potestis contemplari. Quomodò accipiunt Puerum et deosculantur! Quomodò lætificant Matrem! Quomodò offerunt se in famulos, et regna sua! Cogitate quid vos faceretis. Nam illi amplius fecerunt, quia magis devoti erant. Credendum est illos ibi voluisse manere, vel Virginem secum ducere, sed admoniti in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam sunt reversi in regionem suam. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 2. 1.

In illo tempore: Cum natus esset JESUS in Bethleem, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis. *Serm. de Epiph. art.* 3. *c.* 3.

Tertia admiratio est, quòd isti sancti Magi non loquuntur. Cum enim Beata Virgo omnem linguam intelligeret, et loqui sciret, quòd omni scientiâ post Filii Dei conceptum plena esset, mirum videtur, quòd tam pia Mater tam fidelibus et devotis filiis, qui tanto fervore et fide, tantis periculis et labore, atque expensis venerunt adorare, tanquàm Deum Filium suum, in aliquo non condescenderit per aliquem consolatorium actum, vel saltèm per aliquod dulce verbum. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Sed profectò devotè pensandum est, quod Magi tanquàm peritissimi viri, verèque in fide illuminati, et in Dei magnalibus irradiati, cum devotissimâ Matre Christi aliqua singularia colloquia habuerunt de altissimis contemplationibus paradisi, de admirandis gratiis, et beneficiis Dei, de moribus virtuosis, et nobilitate virtutum: atque de his, per quæ possent esse perfectissima Christi membra, qui multas instructiones, et magnas consolationes ab ipsâ piissimâ Cristi Matre susceperunt. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Quis enim devotus dubitare queat, quòd Mater piissima ita devotis filiis de Unigenito suo in multis consolationibus condescendit? Quis insuper ambigere potest, quòd hoc quilibet Sanctorum Magorum ardentissimo animo concupivit, qui tanto fervore atque labore à terræ finibus ad hoc quodammodò volaverunt? Credo, quòd quilibet eorum à dulcissimâ Matre dilectum Filium post ejus adorationem susceperit in manibus suis, atque in ulnis suis amplexatus sit eum, et suavissimè osculatus. Tu.

Te Matrem.

CANON.

Ex S. Bonaventurâ Episcopo. *Specul. B. V. Lect.* 3.

458. MARIA est Stella illa clarissimè fulgens, tres Magos ad Christum rectissimè ducens. MARIA certè est Stella, quæ in fluctibus præsentis vitæ valdè est necessaria. Tu.

Cum 2. *Vesperis.*

DIE XIV. JAN.

D. VIRG. LUCENSIS A ROSA.

Duplex.

Lectiones 1. *Noct. de feriâ occurr.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Balingh. Kalend. mar. die 14. *Jan.*

Apud Lucenses in Etruriâ visitur Imago Deiparæ, cui à Rosâ nomen est, de quâ ista feruntur accidisse versus annum millesimum ducentesimum sexagesimum nonum. Ecclesiæ ejus in quâ exiat Imago, locus extra mœnia civitatis fuerat. Imago autem ea Deiparæ Puerum JESUM in ulnis gestantis, tres rosas vernantes in manu habens in pariete urbico depicta visebatur. Mirum id accidit: puer sexdecim annorum natus pecora paterna circum muros civitatis, et frequentèr circa eum locum per herbusta pascebat. E regione autem Imaginis cespes unus multâ herbâ virebat, quam oves contingere negligebant. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Advertit autem hoc puer, et semèl ac sæpiùs ad locum illum ita virentem pecora minatus est: cui tamen oves non appropinquarent, imò velut æstro percitæ eo loco, licèt copioso germine virente, refugerent. Ipse tamen curiosus accessit, et inter tesquа rosam unam invenit, collegit, patri pro re insolenti (nam mensis erat Januarii, et omnia ferè à pruinâ rigebant) tradidit: dumque porrigeret (illud mirandum) ex muto hucusque vocalis factus, linguæ usu accepto, hanc rosam pulcherriman se eo loci dixit invenisse. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Rem pater stupore plenus ad Episcopum detulit, qui in causas hujus prodigii inquirens, reperit cespitem in conspectu imaginis natum, rosam non nisi miraculo ab aspectu Dei Matris produxisse, ad aperiendam linguam infantis. Nimirùm ut se eamdem probaret, quæ olim os mutum Zachariæ aperuit, et Joannem in utero Matris in laudem Creatoris excitavit. Ibi posteà Sacellum Lucenses, ad extremum Ecclesiam magnifico sumptu extruxere, atque Imaginem eamdem in eam intulere plurimis ac maximis miraculis ad hæc usque tempora illustrem. Tu. ℣.

Homilia de Comm. pro Duplicib.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Plebis-secti.

Balingh. Kal. mar. die 14. *Jan.*

In extremis Venetorum æstuariis pagus est Plebis-secti dictus: in eo duo fratres mortui patris hæreditatem amicè diviserant, at de unicâ Deiparæ Imagine convenire non poterant. Ventum ad verba, deindè ad arma, et alter alterum vitâ privare nitebatur, dum infans unicus vix anniculus ab uberibus maternis dependens, diserte locutus est, et eos furores et arma ponere nomine sanctissime Dei Parentis imperavit, illamque imaginem in proximam Ecclesiolam deferre, ut omnium venerationi exposita esset: Hinc miracula, et ibidèm templum ædificatum augustius. Evenit hoc anno millesimo quadragentesimo octogesimo sexto. Tu. Te Matrem.

Cum 2. *Vesper.*

DIE XVI. JAN.

SS. UBERUM B. M. V.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiph. de Communi in 1. *Vesper.*

CAPITULUM. *Isai.* 11. 8.

Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in cavernâ reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet.

HYMNUS 182. *Claire.*

O gloriosa Virginum,
Mater Parentis luminum,
Tibi dedit qui vivere
Lactante nutris ubere.

Quod Eva peccans perdidit
Insons MARIA reddidit,
Enixa sacro germine
Natum supremo Numine.

Gentes redemptæ plaudite,
Grates MARIÆ reddite,
Per quam remissa crimina,
Reclusa cœli limina.

JESU, tibi sit gloria, &.

℣. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.

℟. Inter Ubera mea commorabitur.

Ad Magnificat. *ant.* Quis mihi det te fratrem meum sugentem Ubera matris meæ, ut inveniam te foris; et nemo me despiciat. *Oratio de Laudib.*

AD MATUTIN.

Invitator. Filium Dei pendentem

ab Uberibus Virginis, * Venite adoremus.

HYMNUS 183. *Theodulphus.*

O stupendum mirandumque
Sacramentum gloriæ,
Quòd Tonantem supra cuncta
Virgo gestat parvulum.

Factor cœli, terræ factor,
Vulvâ est clausus feminæ:
Auctor summus angelorum
Sit præsepe conditus.

Palmo cœlum qui mettitur,
Terram claudit pugillo,
Pannis paucis obvolutus
Infans vagit parvulus.

Quæ divisit lucem ab umbris
Summi primùm dextera,
Matris mammas ecce tractat
Lactis potum quæsitans.

Os præclarum Conditoris
Quod formavit sæculum,
Eu admotum nunc libenter,
Sugit Matris Ubera.

Sempiternæ sit Beatæ
Trinitati gloria:
Patrem Natum atque Flamen
Laudet universitas. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. O beata Mater, quæ eum Ubere lactat, qui omnibus ubera misericordiæ propinat!

2. O mira res! Filia lactat Patrem, creatura Creatorem, famula Dominantem.

3. Beata Ubera MARIÆ, quæ de cœlo plena ipsum Deum lactarunt.

℣. Beatus venter, qui te portavit.

℟. Et Ubera quæ suxisti.

De Canticis Canticorum.

LECTIO 1. *c.* 1. 1.

Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt Ubera tua vino, fragrantiæ unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideò adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exultabimus et lætabimur in te, memores Uberum tuorum super vinum: recti diligunt te. Tu.

℟. Statura tua assimilata est palmæ, et Ubera tua botris: * Sunt enim Ubera tua sicut botri vineæ, et odor oris tui sicut odor malorum.

℣. Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremus in villis: ibi dabo tibi Ubera mea. Sunt.

LECTIO 2. *c.* 11.

Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter Ubera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es, dilecti mi, et decorus. Tu.

℟. Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es! * Duo Ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis. ℣. Ego murus et duo Ubera mea sicut turris. —Duo.

LECTIO 3. *c.* 4. 9.

Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Quàm pulchræ sunt Mammæ tuæ, soror mea Sponsa! Pulchriora sunt Ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Tu.

℟. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum * Cum pomorum fructibus, cypri cum nardo. ℣. Meliora sunt Ubera tua vino fragrantia unguentis optimis.—Cum. —Gloria.—Cum.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

2. Collum tuum sicut turris eburnea; duo Ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ.

3. Ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.

℣. Beata viscera MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

℟. Et beata Ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum.

Ex verbis Beati Dionysii Carthusiani, in libro de laudibus Beatæ MARIÆ Virginis. *libr.* 1. *c.* 23.

LECTIO 4.

Intueamur pro viribus, quàm deificata sunt Ubera illa, ex tam amoroso, immediato, assiduoque contactu unigeniti Filii Dei: amplius tum ex suctione lactatione et educatione ipsius ex illis. O felicissima illorum fœcunditas Uberum, quæ universorum Pastorem et provisorem paverunt; quæ illi alimoniam præbuerunt, in quo oculi omnium sperant, datque illis escam in tempore oportuno..... Hic talis, ac tantus, Deus, æternus, immensus, nullius indigens, ex te, ô MARIA clarissima, infans unius diei effectus, ex tuis sanctis Uberibus est nutritus. Tu.

℟. Qui operit cœlum nubibus, qui parat terræ pluviam, * Qui aperit manum suam et adimplet omne animal benedictione, ratas de virgineo pectore lactis guttas expectat.

℣. Obstupescite cœli super hoc, et admirammi vehementer.—Qui.

LECTIO 5.

O suavissima et super dignissima Virginea Ubera, quæ illum sustentare electa sunt, sine cujus conservatione nulla creatura ad momentum posset subsistere. Benè in Canticis Sponsus munditiæ ait ad te: quàm pulchræ sunt Mammæ tuæ, soror mea Sponsa, certè meliora sunt Ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis: quàm ab omni terrenâ et sensuali concupiscentiâ, labe et contactu immunissima erant, utque totius amoris dulcedinem refecerunt. O admirabile et præclarum, jucundissimumque spectaculum, oculis fidei intueri Christum Dominum, Regem, Messiam, gloriosum Infantulum, unigenitum Dei Filium Uberibus Matris Virgineæ applicatum et ea sugentem, suisque infantilibus tenerrimis manibus ipsa tangentem! Tu.

℟. Videte puerum JESUM * Nunc blandienti nutu Ubera Matris deposcere, nunc oscula suavissima Matri porrigere. ℣. Quæ mater, quæ virgo unquàm in sæculo usa est tanto solatio.—Nunc.

LECTIO 6.

Quid mentis, quid gloriæ tibi tunc fuit, ô pudicissima turtur, ô devotissima ac speciosissima Virgo, dum illis tuis virgineis ac maternis, columbinis ac clementissimis oculis cernebas puerulum illum, speciosum formâ præ filiis hominum, rubicundum, et candidum præ millibus angelorum, imò Creatorem universorum sic tuis uberibus appendentem? Opinor, ô Domina, non eum tot stillicidia aterni, virginalisque lactis ex sacris Uberum tuorum fontibus emulsissæ, quot jaculis charitatis, quot sancti amoris ardoribus bealissimam tuam inflamavit, vulneravitque animam; nisi quod absit, qui dat omnibus affluenter, tibi dumtaxat exiterit parcus. Tu.

℟. Duo Ubera tua sicut duæ hinnuli speciosæ, * Uberrimè liquorem gratiæ, lactis ac mellis superis ac inferis propinantes. ℣. Nivei pomel-

la candoris, quæ à Spiritu Sancto fœcundata, fructum immortalitatis conferunt degustata.—Uberrimè.—Gloria.—Uberrimè.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Exultabimus, et lætabimur in te, memores Uberum tuorum.

2. Benedicta sint Ubera tua, quibus lacte deifico Salvatorem enutristi.

3. Benedicta sit emanatio virginalium Uberum tuorum.

℣. Meliora sunt Ubera tua vino.

℟. Fragrantia unguentis optimis.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et Ubera, quæ suxisti. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 21. *in Joann.*

Ne mires, si Christus Virginis fructus non beata prædicaverit feminea Ubera: neque illa superbi aut contumacis verba esse existima. Nam quòd matrem plurimùm reverereturque honorem haberet, audi Lucam, cum parentibus subjectum illum narrat: Joannem item, cum curam sub ipsum crucis tempus illi ab eo impensam refert. Tu.

℟. Qui marium procellas mitigat, qui aquarum abundantiam fluminibus subministrat, * Exiguas de virgineo pectore guttas expectat. ℣. Exprimitur lac ex Uberibus Virginis, et in carnem vertitur Salvatoris.—Exiguas.

Bened. Cujus virginalia Ubera.

LECTIO 8.

Hæc itaque tecum ipse considerans, ac cum audieris, mulierem quamdam dicentem: Beatus venter, qui te portavit: tumque illum respondentem: quinimò beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud: prudenti id consilio dictum existima. Non enim ita respondit, quasi Matrem repellat, sed ut ostendat, ne Matri quidem quicquam prodesse, quod genuerit, nisi valdè proba sit, ac fide præsiet. Tu.

℟. Gaudete cum eâ gaudio universi, qui diligitis eam, * Ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus. ℣. Quomodò si cui mater blandiatur, ita et ego consolabor vos, et ad Ubera portabimini. —Ut sugatis.—Gloria.—Ut sugat.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Nieva.

Gumpenb. Imag. 238.

Nieva oppidulum est propè Segoviam in Hispaniâ. Ibi Petro cuidam Opilioni Deipara apparuit, jussitque monere Episcopum, ut suam Iconem in cavernâ latentem erueret, structoque templo honoraret. Paruit Opilio, et Episcopus eo audito, atque solemni supplicatione indictâ, in locum venit, et Imaginem Deiparæ sub terrâ invenit eo loco, quo rusticus fodiendum esse monstrabat. Regina Hispaniæ, quæ ipsa locum invisit, templum ære suo extruxit. Inter cætera miracula hoc mirum: ferreos clathros, qui passim per templum arcendo populo facti conspiciuntur, non alio ferro confecti, quàm quod à Virgine liberati captivi formâ figuràque compedum tulere. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES,

et per Horas antiphonæ.

1. Quis mihi det * te fratrem meum sugentem Ubera Matris meæ, ut inveniam te.

2. Quare seduceris, * fili mi, ab alienâ et foveris in sinu alterius?

3. Ubera MARIÆ * inebrient te omni tempore, et in amore ejus delectare jugitèr.

4. Ubera tua virginalia intumuerunt, et Filium Dei lactaverunt.

5. Sub umbrâ * Matris meæ manebo, ut replear ab Ubere consolationis ejus.

CAPITULUM. *Isai.* 11. 8.

Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in cavernâ reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.

HYMNUS 184. *S. Petr. Dam.*

O singularis femina,
Sola Virgo puerpera,
Præclara vitæ janua,
Quâ cœli patent atria.
Est angelorum cibus
Tuo lacte nutritus:
Qui mari præbet undas
Papillæ sugit guttas.
Geris in sinu prolem,
Qui terræ librat molem:
Foves à quo foveris,
Servas à quo tueris.
Tu solve quod debemus,
Averte quod timemus,
Impetra quod optamus,
Perfice quod speramus.
Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es ex Virgine:
Sit honor inneffabili
Patri sancloque Flumini. Amen.

℣. Deus omnipotens benedicat tibi.

℟. Benedictionibus uberum et vulvæ.

Ad Benedicta. *ant.* Beatus venter, qui te portavit, Domine, et beata Ubera, quæ suxisti.

Oratio.

Domine JESU-Christe, Deus omnipotens, qui gloriosam Virginem Matrem ab æterno predestinasti, et ut tibi intacta et purissima Mater effici mereretur, ab omni labe præservasti, quique non dedignatus es, ut salvum faceres populum tuum à peccatis eorum, in utero suo concipi, et ejus virgineo lacte nutriri, concede nobis famulis tuis, beatissimæ Genitricis tuæ auxilium implorantibus, ut quidquid in salutem, Uberum suorum virtute, fideliter petimus, efficaciter consequamur. Qui vivis et reg.

Ad Horas, Antiph. Capitul. Primæ et Oratio de Laudibus, reliqua de Comm.

℣. ℟. *br.* Quæ Filium Dei Ubere de cœlo pleno lactasti.

CANON.

Ex B. Guilielmo Abbate.

Apud. Chrisogon. p. 160.

459. Habet pia Mater et spiritualia Ubera, quibus nimirùm datum est illi adoptivos fratres filii sui spiritualiter enutrire, et de his quidem uberibus ejus potest intelligi quod in Proverbiis dicitur de cervâ.

IN H. VESPER.

Antiph. et Hymn. de Comm. Capit. de Laudib.

℣. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.

℟. Inter Ubera mea commorabitur.

Ad Magnific. *ant.* Sancta, casta, et florigera sunt Ubera tua, quæ florem hæreditatis perpetuæ eruperunt.

DIE XVII. JAN.

D. V. BARCINONEN. DE MERCEDE.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui hanc beatissimæ Virginis MARIÆ Effigiem innumeris signis mirabilem effecisti; concede propitius, ut, ipsâ Sanctâ Virgine interveniente, à captivitate dæmonis liberati, ad æternæ salutis portum pervenire valeamus. Per Dom.

AD MATUTIN.

HYMNUS 185. *Massorilli.*

O decus cœli paritèrque terræ,

Splendidum lumen, boreale sydus,
Cujus aspectu vada salva tutâ
Puppe secamus.
Navitæ vecti fragili fagello
Dum timent fluctus pelagi minantes,
Te vocant Matrem lacrymis profusis
Terque, quaterque.
Orbis extremis remeans ab oris
Ad suas sospes peregrinus ædes,
Perpetes læto tibi, Diva, reddit
Pectore grates.
Facta complexu mulier virili
Dum timet partûs dubii periclum,
Supplices tendens humilesque palmas
Te pia poscit.
Languidos curas sapiens magistra,
Pauperes ditas opibus supernis,
Carcerum cæcos aditus recludis,
Vincula solvis.
Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Lect. 1. *Noct. de Feriâ.*

IN II. NOCT.

Ex monumentis. LECTIO 4.

Barcinonis percelebre est Marianum templum in perenne monumentum miraculosæ Descensionis Beatissimæ Virginis ad eam urbem. Divinitùs enim evenit, ut mediâ nocte Calendis Augusti anni millesimi ducentesimi decimi octavi gloriosissima Virgo apparuerit Sanctis Raimundi de Pennafort et Petro Nolasco, ac etiàm Jacobo primo Aragoniæ rege, eisque significaverit, sibi Filioque suo gratissimum fore, si in honorem suum Ordo Religiosorum fundaretur à quibus Christiani sub durâ barbarorum tyrannide degentes redimerentur. Cui Templo primum ejusdem instituti Ordinis cœnobium adjunctum fuit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Imago verò ejus, quæ in templo mirificè colitur, formosior est ex tribus quas Sanctus Petrus Nolascus in tanti eventûs memoriam sculpere jussit, similior eidem ab ipso sub corporeâ formâ conspectæ Virgini, et prima quam cœlestis Ordo de Mercede veneratus est. Quæ Imago post quingentos annos tùm pristinum usque nunc servavit decorem, ut speciositas faciei ejus in nullo nec pulvere, nec corruptione, nec aliâ quâvis causâ fœdata unquàm fuerit: tantaque est majestas vultûs ejus, ut Sanctus Petrus Armengaudus eam, in templum ingressus, conspiciens, tactus repentino dolore cordis intrinsecûs, præterita vitia deflere cœperit, et illicò sublimioris perfectionis fundamenta jecerit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Innumeris quoquè signis hæc Sanctissimæ Deiparæ Imago sempèr effulsit. Plurimos ipsa redemit captivos. Pluriès templum relinquens, visa est tempestates maris sedare, navigantibusque subsidium opportunum impendere. Solemni pompâ per urbem deducta, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo pestiferam luem disipavit; anno millesimo octogesimo salutaribus imbribus terræ siccitatem levavit; et septem aliis annis delapsis à terribili locustarum plagâ suos clientes defendit, ita ut meritò ipsè Sanctus Petrus Armengaudus prædixerat, hanc Divæ Virginis effigiem Barcinonensibus perfugium, tutamen, subsidium, solatiumque sempèr futuram, quod novis experimentis quotidiè comprobatur. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 6.

In illo tempore: Impleti sunt dies

MARIÆ, ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum. Et reliq. Hom. S. Anasthasii Arch. Antioch.

Oratio 2. *in Annunt. B. V. M.*

Concepisti absque viri ullâ coitione, innupta peperisti: sola Mater simùl ac Virgo effecta fuisti. Neque enim partus virginitatem prohibuit, neque conceptio integritatem sustulit. Inviolatum servasti virginitatis thesaurum etiàm post partum. *Lect.* 8. Lacte instar infantis cum pavisti, qui dat escam omni carni. Sub tuam mammam tanquàm parvulum eum collegisti, qui fontis instar lac pueris scaturit, quo illæ parvulos alant. Etenim facta est Mater magni Dei et Salvatoris nostri JESU-Christi. Tu. ℣.

LECTIO 8. (*Lect.* 9.)

Adusque te audierunt mulieres in tristitiis parietis filios: inque omnes ceu hæreditaria quædam successio divinum currebat mandatum, indissolubile manens atque immotum. A te deincèps audiet femineus sexus: avete, feminæ, quæ gaudii principium suscepistis, solam illam inter Virgines gratiosam, pulchram, immaculatam, Sanctam Dei Genitricem MARIAM. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Mindoniensis de Remediis.

Mindonii in Galleciâ sub titulo de Remediis Deipara Sanctissima colitur jam à sexto decimo sæculo in amplo Sacello, quod eidem eo tempore erectum, sequenti sæculo amplificatum, et tandèm anno millesimo septingentesimo vigesimo octavo à fundamentis in elegantiorem formam per Episcopum Antonium de Sarmiento constructum fuit. Ad Sanctissimam Virginem in hoc templo non tantùm Mindonienses in angustiis anxietatibusque suis non fruslrà recurrunt, sed etiàm ex dissitis locis quamplurimi fideles quolibet anni tempore, et protectionis obtentæ testimonia secum sempèr reportant. Tu.

Te Matrem.

Ad Benedic. ant. Salutate MARIAM quæ multùm laboravit in vobis, et dicite: Ave clementiæ Mater, Consolatrix afflictorum, Redemptrix captivorum: Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

Vesperæ à capit. sequentis.

DIE XVIII. JAN.

MANSION. B. MARIÆ V. IN BETHLEEM.

Duplex.

Lect. 1. *Noct. de feriâ occurr.*

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Meditatione vitæ Christi. *cap.* 10.

LECTIO 4.

Expeditis Magis, et versus patriam suam regressis, et totis eorum oblationibus erogatis, adhùc stat Domina mundi cum puero JESU, et nutritore suo sancto sene JOSEPH apud præsepe, in illo locello pâtienter usque ad quadragesimum diem, ac si esset quædam mulier alia de populo, et puer JESUS esset homo purus, et indigeret legis observatione. Sed quia nolebant prærogativas singulares, legem observabant, ut cæteri. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Stabat ergò Domina more aliarum, dictum diem expectans, ingressura templum. Stabat vigilans et attenta super custodiâ dilecti Filii sui. O Deus, cum quantâ sollicitudine et diligentiâ ipsum gubernabat, ne in minimo esset dejectus! Cum quantâ etiàm reverentiâ et cautelâ, et quo timore ipsum contractabat, quem sciebat esse Deum suum, et

Dominum suum, et flexis genibus accipiebat, et ponebat eum in cunis. Cum quantâ etiàm jucunditate, et confidentiâ, et auctoritate maternâ ipsum amplexabatur, stringebat dulcitèr, et delectabatur in eo, quem sciebat esse Filium suum. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Quàm sæpè curiosè intuebatur eum in vultu, et singulis partibus ejus sacratissimi corporis: quàm seriosè ac prudenter tenella membra fasciâ componebat. Sicut enim fuit humillima, sic fuit et prudentissima: undè in singulis officiis, et obsequiis vigilanti et durmienti sedulè ministrabat, non solùm infantulo sed grandævo. O quàm libentèr eum lactabat! Vix fieri potuit, quin magnam etiàm aliis feminis inexpertam dulcedinem in talis filii lactatione sentiret. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 2. 6.

In illo tempore: Impleti sunt dies MARIÆ ut parèret. Et peperit Filium suum primogenitum. Et reliqua.

Homilia S. Cypriani Ep. et Martyris.

De Nativitat. Christi.

Veniunt in Bethleem: quem prædixit Gabriel, invenitur Emmanuel: civitas parvula, domus paupercula, supellex exigua. Nulla domûs ambitio, ubi reclinatorium in stabulo. Mater in fœno, Filius in præsepio. Tale elegit fabricator mundi hospitium; hujusmodi habet delicias sacræ Virginis puerperium. Pannículi pro purpurâ, pro bysso in ornatu regio laciniæ congeruntur; genitrix est, et obstetrix, et devotam dilectæ soboli ipsa exhibet cliéntelam, attrectat, amplectitur, jungit osculum, porrigit mammam. Totum negotium plenum gaudio: nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Nec locus ibi erat lavacris, quæ solent puerperiis præparari, quippè nec aliqua naturæ injuria Matrem Domini læserat; quoniàm sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate, et tamen consuetudinem sequens ut legi satisfacerel, quasi cum aliis mulieribus esset ei in hoc opere ratio similis, diebus designatis recubuit, et depositi oneris lassitudinem professa, oblatæ quieti paruit: et in diebus separationis non se à thoro JOSEPH, qui eam nunquàm tetigit, sed ab ingressu templi, et cæteris, quæ lex prohibebat, continuit: ultrò maturus ab arbore bajula fructus elapsus est: nec oportuit vellicari, quod sponte prodiba!. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Nihil in hâc re petiit ultio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum usuram. Spiritu Sancto obumbrante, incendium originale extinctum est: ideòque innoxiam affligi non decuit: nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus laceraretur injuriis: quoniàm plurimùm à cæteris differens, naturâ communicabat non culpâ. Eratque ei proprium privilegium, quod nulla mulierum nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod erat simul Mater et Virgo singulis titulis insignita. Undè et Matri plenitudo gratiæ debebatur, et Virgini abundantior gloria: quæ carnis et mentis integritate insignis, spiritualì et corporali intùs et extrà Christi præsentiâ fruebatur. Tu.

Cum 2. Vesper.

DIE XIX. JAN.

S. M. IN VIA LATA.

Semiduplex.

Lect. 1. Noct. de Feriâ.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Spinelli de festis et templ. Deip.

Sancta MARIA in Viâ latâ inter præcipuas est Cardinalium diaconias, ubi hospitium olim fuit Sancti Pauli Apostoli, ejus habitatione, ac rebus ibidèm gestis clarissimum: in hoc siquidem suo conducto idem Apostolus propter Christi confessionem catenâ circumdatus cum custodiente se milite, omnibus ad se adeuntibus prædicabat regnum Dei, et Christi fidem. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Ibidèm complures dedit Epistolas, ad Ephesios, ad Philippenses, secundam ad Timotheum, ad Philemonem, in quibus suorum vinculorum meminit: item Epistola ad Hebræos: quin etiàm Dominus suâ visitatione et confortatione hoc in loco eum dignatus est adjuvare; nam secunda ad Thimotheum agens de hâc primâ suâ defensione: Dominus, inquit, mihi astitit, et confortavit me. De hoc Sancti Pauli Hospitio in Sanctâ MARIA in Viâ latâ extat ibi memoria in lapide exarata. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Ibidèm quoquè Sanctus Lucas Evangelista, individuus comes Apostoli, Historiam Actuum Apostolorum, quæ ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, conscripsisse existimatur. In hujus templi summo altari Imago Deiparæ, quæ annulum gestat in digito, à Sancto Lucâ depicta, gloriosè asservatur. Tu. ℣.

Homil. de comm. pro Semiduplex.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Olyssiponensis de Bethleem.

Balingh. sub die 13. Decembr.

Emmanuel, Lusitaniæ Rex Ædem Virginis Deiparæ à Bethleem magnifico auxit ejusdem nominis templo extructo in ipso aditu portûs Olyssiponensis, velut indicæ conquisitionis et orientalium victoriarum trophæo: In ejus structuram templi Virginei dum opera durarent, hostilis prædæ partem, quæ ad se pertinebat, liberalitèr impendit. Eidem templo varios reditus, et prædia assignavit, atque ad ejus custodiam monachos Hieronymianos accersivit, iisædificato monasterio. Deniquè è regione cœnobii propugnaculum Sancti Vincentii condidit, ut fluminis ostium, ac Virginis templum ab hostibus undequaquè tutaretur. Tu. Te Matrem.

Cum secundis Vesper.

DIE XX. JAN.

B. V. M. DE NUMISMATE.

Simplex.

Lectio 1. de Script. feriæ occur.

Ex monumentis. LECTIO 2.

Romæ in Ecclesiâ Minimorum Sancti Andreæ de fratribus non exiguum accipit cultum Imago Beatæ Virginis de Numismate in stupendi miraculi memoriam, quod ibidèm ipsa Deipara patrare dignata est hâc die, anno millesimo octingentesimo quadragesimo primo in conversione juvenis Hebræi in judaicâ pravitate obstinantissimi ad catholicam fidem. Quam Imaginem in tantæ gratiæ monumentum ipse depingi curavit et eo reponi altari, quo ei Deipara apparuit. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Lilybætanæ.

Octav. Cajet. de effig. sicculis.

Anno millesimo quingentesimo de-

cimo octavo, decimo tertio Kalendas Februarii inventa fuit Lilybæi Imago divæ Virginis intra ingens saxum, quod magno cum labore fuit perfractum. Simulacrum erat marmoreum, unius palmi statura, basis parvula sub pedes, vestis aureis notis distincta, Puerum in ulnis gestabat, qui manibus pectus ac cervicem sanctissimæ Matris contrectabat eamque divinis ocellis intuebatur. Universus populus indicibili devotione ad venerandam Beatam Virginem concurrit, atque ipsa Virgo sua dona cunctis impertitur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Decreto Romanæ Curiæ. 3. *Jun.* 1842.

460. Dominus Cardinalis in Urbe Vicarius... dixit, pronunciavit, et definitivè declaravit, plenè constare de vero insignique miraculo à Deo Omnipotenti Maximo, intercedente Beatâ MARIA Virgine, patrato, videlicèt instantaneæ perfectæque conversionis Alphonsi MARIE Ratisbonne ab hebraismo. Tu. *Vesperæ de sequenti.*

DIE XXI. JAN.

IN LACTATIONE PUERI JESU.

Duplex.

Officium fit ut in die SS. Uberum, B. M. V. 16. Jan. p. 331.

Oratio.

Deus, qui de Beatæ Virginis utero Verbum tuum carnem suscipere voluisti, ut nos redimeret de potestate diaboli; concede propitius, ut ejus, quam ipsum lactantem veneramur in terris, benedictionibus dulcedinis repleamur in cœlis. Per eumdem.

AD MATUTIN.

HYMNUS 186. *Brev. Rom.*

O gloriosa Virginum,
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit, parvulum
Lacteute nutris ubere
Quod Eva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut astra flebiles,
Cœli reclusis cardines.
Tu Regis alti janua,
Et aula lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.
JESU, tibi sit gloria, etc.

Lection. 1. *Noct. et sq. ut in eod. die.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Petri Damiani Ep.

In Nativitate Domin.

LECTIO 4.

Quis enim dignè mirari valeat? Quis non obstupescat, quòd is qui cœli immensitate non capitur, in angusto præsepio reclinatur. Qui marium procellas mitigat, qui aquarum abundantiam fluminibus subministrat, ratas de virgineo pectore guttas expectat. Expri mitur lac ex uberibus Virginis, et in carnem vertitur Salvatoris. Tu. s.

LECTIO 5.

Felix ista Puerpera, quæ sic gaudet de fœcunditate prolis, ut nequaquàm doleat de amissione Virginitatis: quæ illum fovebat à quo fovebatur: illum in ulnis gestabat, à quo totius mundi machina continetur. Stringitur à Matre pueribus fasciis infantulus, qui cum Patre omnium vera jura gubernat immensus. Tu. s.

LECTIO 6.

Deus pendet ab uberibus, ponitur in præsepio, ligatur in cunis, pannis involvitur, et laxatis fasciolis, felices manus et sancta brachiola per cunarum parvitatem expandit. Alludit Virgini, Matri arridet, et blandientes oculos ad MARIAM intorquet. Stat perterrita tantis miraculis Regina cœlorum, confert in corde suo salutationem arcangeli, conceptionem Dei, nativitatem Pueri, et miratur, quòd ille, qui sic potuit ad nos venire, sic voluit subvenire. Tu. s.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 6.

In illo tempore: impleti sunt dies MARIÆ, ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum. Et reliqua.

Homilia S. Amadei Ep. Lausan.

De Laudib. B. V. Hom. 4.

Cum igitur Virgo Natum repromissum edidisset, diem ex die, in diem nostrum peperisset, conversa ad Deum toto corde vocem gratiarum et laudis suæ auditam fecit in excelso; obtulit acceptum labiorum sacrificium, et hostiam jubilationis immolavit, et dedit holocausta cordis pacifica, et thus odoris suavissimi in incensum Domini adolevit. Accipiens verò natum Emmanuel, aspexit lucem incomparabilitèr sole pulchriorem, sensitque ignem aquis inextinguibilem: suscepit in testâ carnis genitæ fulgorem illuminantem omnia, et Verbum universa portans portare meruit inter brachia. Tu. s.

LECTIO 8.

Repleta igitur scientiâ Domini velut aquâ maris inundantis, rapitur extra se, et mente sursùm elevata, altissimâ cogitatione defigitur. Miratur se Virginem assumptam in Matrem, et Dei Genitricem se læta miratur. Intelligit in se completa Patriarcharum promissa, Prophetarum oracula, et Patrum antiquorum desideria, qui Christum de Virgine nasci præconabantur, et ortum ejus votis omnibus respectabant. Tu. s.

LECTIO 9.

Videt Dei Filium sibi commendatum, et mundi salutem sibi creditam lætatur. Audit sibi dicentem, et in se loquentem Dominum Deum: ecce elegi te ex omni carne, et inter omnes mulieres benedixi. Ecce commendavi tibi Filium meum, commisi tibi unicum meum. Noli timere, lactare, quem peperisti, agnosce non solùm Deum, sed et Filium. Filius meus est, Filius tuus est. Filius meus ex divinitate, Filius tuus ex assumptâ humanitate. Quo igitur affectu et studio, quâ humilitate et reverentiâ, quâ dilectione et devotione id explerit, hominibus incognitum est, et Deo cognitum, qui rerum et cordium est scrutator, Deo cognitum, qui spirituum ponderator est. Tu. Te Matrem.

Ad Laudes et Horas, ut in eodem die.

Cum 2. *Vesperis.*

DIE XXII. JAN.

D. V. ERVORDIENSIS DE CRUCE.

Simplex.

LECTIO 1.

Gumpenberg, Imag. 597.

Ervordio in Germaniâ superiore cum circa annum millesimum à Christo nato Sanctimonialium Monasterium, quod ibi est, templo careret, quia id funditùs destructum fuerat, et piæ Virgines maximè de novo templo extruendo angustiarentur, dignata est Deipara afflicto pauperi apparere, et primùm terrorem suavi afflatu pellens, vade, inquit, et Abbatissæ meo nomine nuntia, curam edificii deponant: locus in quo me vides, ille est, quem elegi,

in quo quod quisque peliturus est, obtinebit. Tu. ℟.

LECTIO 2.

Cum autem pauper ad hanc visionem adhuc trepidaret, et ad suæ legationis veritatem confirmandam signum aliquod supplicitèr expeteret: hoc erit tibi signum, ait Virgo, quod nullus illatæ pœnæ, si quàm tibi inferant, dolor, nec cicatricis quidem ullius te contingat aliqua molestia. Eo etiàm aliud signum: fac crucem ex tuo baculo, et pone in vestigiis meis, quia super eamdem in columbæ specie me sedere videbunt. Ab Abbatissâ acceptonuntio, et advocato Episcopo, ipse pauper examinatur, sed nullum dolorem sentit. Et, inventâ columbâ super crucem sedere, maximâ omnium devotione Basilica fabricatur, et nomen à Sanctâ Cruce sortitur. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Sortinensis.

Octav. Cajet. de Effig. Siculis.

Imago Deiparæ in tabulâ depicta, quæ in ædè Annuntiatæ Virginis non procùl à Sortino in Siciliâ asservabatur, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, die decimâ quintâ Octobris excrescentibus insolito modo aquis fluvii, qui propè ædem profluebat, ipsa ædè dirutâ inter reliqua saxa, quæ à flumine devolvabantur, è templo extracta est, et aquarum decursu usque ad litus Siracusium intacta pervenit. Post dies tres ibi inventa, cum magnâ omnium pompâ Effigies ad oppidum relata fuit, et in templum Sancti Nicolai locata, donec magnificentius templum propè pristinum locum extrueretur, in quo reposita posteà fuit. Tu.

Te Matrem.

Vesperæ de sequent.

DIE XXIII. JAN.

DESPONSATIONIS B. M. V.

Duplex 1. *Classis.*

IN I. VESP.

Ant. 1. Quid faciemus Sorori nostræ in die, quandò alloquenda est? *Psalmi ut in* 1. *Vesper. Solemn.*

2. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.

3. Si ostium, compingamus illud tabulis cedrinis.

4. Ego murus, et ubera mea sicut turris.

5. Ego illa orientalis porta, quæ non aperietur, sed semper erit clausa.

CAPITULUM. *Gen.* 24. 57.

Vocemus Puellam, et quæramus ipsius voluntatem. Cumque vocata venisset, sciscitati sunt: vis ire cum homine isto? Quæ ait: vadam.

℟. O sanctum et admirabile sancti Conjugii Sacramentum! O excellentia pietatis! * MARIA nobilis adolescentula, Deo jubente, viro desponsatur, et perpetuò intacta permanet. ℣. A sæculo non est auditum, quod fecit Dominus novum super terram.—MARIA.—Gloria.—O Sanctum.

HYMNUS 187. *Salla.*

Reginæ Angelicæ connubialia,
Orsus connubium, dei recolentibus,
Plastes, horto in eôo,
Digno pangere carmine.
Dei, qui congenerum visus amantium
Cœtùs floriferæ subdere virgulas,
JOSEPHUMque Beatum
Densis promere plausibus,
Qui felix nimium! sicca videlicet
In cujus manibus virgula floruit,
Dignandumque MARIA
Illum conjuge prodidit.

Et florens medià nullâ ope terreâ,
Sponsæ virgineæ nullâ ope masculâ
Dio flore apud ipsum
Fœcundæ typus exlitit.
Flore illo, recino cujus aromate
Humani fuerit terra piaculi
Expurganda mephiti,
Cœli ac aula beabilis.
Qui felix iterùm! quippe theandricâ
Qui custos sociæ Prole puerperæ
Convictûs utriusque
Tutelæque salegerit.
Unus Virgineo qui Deus annulo
Jessèâ socias stirpe propaginem
JOSEPH atque MARIAM,
Lauderis, Sacra Trinitas. Amen.

℣. Desponsatio est hodiè Sanctæ MARIÆ Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Magnif. ant. Purissimum MARIÆ conjugium colit pia Religio, in quo Ecclesia Sponsa Christi figuratur, non habens maculam, neque rugam.

Completor. de Dominic.

AD MATUTIN.

Invitator. Desponsationem Beatæ Virginis MARIÆ cum Sancto JOSEPH celebrantes, * Venite, adoremus Dominum.

HYMNUS 188. *Brev. Antiq.*

Diva, quæ celso residens olympo,
Aureo dextram decorata sceptro,
Dæmonem terres, aciesque omnes,
Protegis orbem.
Hanc tibi lucem meritò dicamus,
Quâ Dei nutu sacra nuptiarum
Jura sumspisti retinens decorem
Virginitatis.
Hunc diem cives celebrant superni:
Hunc diem lætì venerantur omnes,
Et sibi plaudunt, tibi totus uni
Militat orbis.
Præbeas aures igitur, benigna,
Supplicum sacris precibus tuorum,
Et lacessiti vitio, Tonantis
Pectora placa.
Nec sinas unquàm rogitemus omnes
Omnibus vitam fragilem tueri,
Cujus à cursu mereamur aulam
Scandere cœli.
Et quibus virtus Deitatis una
Sit Patri, Nato, pariter supremo
Flamini toto celebrata sempèr
Gloria Mundo. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Erat Puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, et incognita viro.

Psalmi de Domin.

2. Erat elegantì aspectu, et in omnibus famosissima.

3. Omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur.

℣. Ista est speciosa. ℟. Inter filias Jerusalem.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. *c.* 26. 1.

Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implevit. Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis: divitis autem et pauperis cor bonum, in omni tempore vultus illorum hilaris. Tu.

℟. Mulierem fortem quis invenieì? * Procùl et de ultimis finibus pretium ejus. ℣. Invenit eam justus JOSEPH, posuit in eâ cor suum, et spoliis non indigebit.—Procùl.

LECTIO 2.

Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit. Disciplina illius datum Dei est. Mulier sensata et tacita, non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam mulier sancta et

pudorata. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. Tu.

℟. Hodiè nobis Mater Ecclesia Desponsationem Virginis MARIÆ celebrandam proponit: * Ubi ejus virtus tam digna apparet, ut mundum universum in stuporem convertat. ℣. Totâ nos animi devotione divini Conjugii fœdus, et sacramentum recolere studeamus.—Ubi.

LECTIO 3.

Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domûs ejus. Lucerna splendens super candelabrum sanctum, et species faciei super ætatem stabilem. Columnæ aureæ super basses argenteas, et pedes firmi super plantas stabilis mulieris. Fundamenta æterna supra petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctæ. Tu.

℟. Qui invenerit mulierem bonam, inveniet bonum: * Procùl et de ultimis finibus pretium ejus. ℣. Gaudeat JOSEPH, qui solus invenit in mulieribus benedictam. —Procùl.—Gloria.—Qui.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Hodiè desponsata est sacra Virgo MARIA, ex progenie David cum justo JOSEPH.

2. Exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei.

3. Benedicimus te, Domine Deus Israel, quia fecisti nobiscum misericordiam tuam.

℣. Tota pulchra es, MARIA.

℟. Et macula non est in te.

LECTIO 4.

Ex Brev. Roman. antiq. Venet. 1557.

Quamplurimos virtutis actus ad humanæ redemptionis mysterium divinâ ordinatione dispositos legimus à beatâ Dei Genitrice MARIA navitèr fuisse perfectos, inter quos conjugale Sacramentum, quod ipsa cœlesti nutu iniit, non minimum quidem excellentiæ opus dijudicari debet. Quis enim est, qui mentem habeat, et non admiretur, dum sibi ponit ob oculos, et considerat ingenuam hanc Adolescentulam, dum ex lege nubere cogitur, et Deo virginitatem voverit, tam strenuè et prudentèr se habere, ut nec Deo, nec viro suo mentiatur? Deo quidem, dum illi fidelitèr servat, quod promittit; viro autem, dum in casto ejus et sancto vult amore convivere, quod ad meram matrimonii rationem sufficere, nullus est vel mediocritèr guarus, qui non asserat. Tu.

℟. Induit me vestimentis salutis, * Et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsam decoratam coronâ. ℣. Annulo suo subharravit me, et zonâ circumcinxit me quasi sponsam ornatam monilibus suis. —Et.

LECTIO 5.

Verùm cum tot sint hujus Connubii gemmæ, tot laureolæ, tot coronæ, tot deniquè præclara insignia, undè incipiendum sit, haud satis explorâtum habemus. Attamen quod priùs menti occurrit, est ipsa conjugalis institutio, quàm maximè commendabilis: non enim ab homine aliquo facta, sed ab Omnipotenti Deo, à quo omnia quæ sunt, ut inquit Apostolus, ordinata sunt, divinâ scilicet sapientiâ disposita. Idcircò licet Beata Virgo in partu suo sanctissimo humano semine non indigeret, summâ tamen ratione voluit Deus, ut viro desponderetur, et legi matrimoniali esset addicta, quemadmodùm Hieronymus, Ambrosius, et Origenes apertè declarant. Proindè liquidò apparet, MARIÆ connubium, Deo auctore peractum, cæterorum omnium conjugia et dignitate et glorià præstare. Tu.

℟. Magno mysterio nobis hodiè illibatæ Virginis Connubium proponitur: * Quia Sacramentum hoc magnum est, videlicet in Christo et Ecclesiâ. ℣. Desponsationem Beatæ Virginis celebrantes memores simus per charitatem Deo adhærere.—Quia.

LECTIO 6.

Neque huic etiàm tam mirificæ excellentiæ modicam postmodùm laudem, et ornamentum accumulat generis nobilitas. Hæc siquidem maxima in utroque Conjuge fuisse probatur. Ubi si rectè perspicere voluerimus, hoc nobis proculdubiò constabit, quòd diva Virgo MARIA et JOSEPH ex unâ eâdemque tribu originem ducentes, insignem totius nobilitatis gloriam adepti, regnum omnium filios ac filias hujusmodi progenitorum claritate præcellerint. Sed quia tenuis est ac frivola, atque illaudata carnis nobilitas, cui virtus non fuit comes, propterea cum ipse rerum omnium moderator Deus, cujus perfecta sunt opera, matrimonium MARIÆ et JOSEPH peculiari quâdam consilii sui ratione instituerit, haud dubium est, quin illis ab infinitâ suâ sapientiâ provisum sic fuerit, ut non etiàm hujuscemodi præcipuo animæ ornatu carerent. Tu.

℟. Tu scis Domine, quia nunquàm concupivi virum, * Et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentiâ. ℣. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine meâ consensi suscipere.—Et mundam.—Gloria.—Tu scis.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Hæc est, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

2. Ante thorum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

3. Dei nutu intacta sempèr Virgo viro nupsit.

℣. Dilectus meus mihi.

℟. Et ego dilecto meo.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. c. 1. 18.

In illo tempore: Cum esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homil. 2. super Missus.

Oportebat à principe mundi aliquandiù celari divini consilii sacramentum: non quòd Deus, si palàm opus suum facere vellet, impediri posse ab illo timeret; sed quia ipse, qui non solùm potentèr, sed etiàm sapientèr, quæcumque voluit, fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum, vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit: ita in hoc quoquè tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantùm potentiam suam: sed et prudentiam ostendere voluit. Tu.

℟. Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjugat vos, impleatque benedictionem suam in vobis: * Et acceptâ chartâ fecerunt conscriptionem conjugii. ℣. Quod Deus conjunxit, homo non separet.—Et.

Bened. Cujus Desponsationem.

LECTIO 8.

Conveniens ergò erat, ut suavitèr quoquè omnia cœlestia scilicet, et terrena disponeret; quatenùs et

illinc dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret: et hic debellaturus invidum, nobis priùs suæ humilitatis et mansuetudinis valdè necessarium exemplum relinqueret: sicque mirabili fieret moderamine sapientiæ, ut et suis suavis, et hostibus fortis appareret. Tu.

℣. At te, Domine, faciem meam converto, ad te oculos meos dirigo: * Quia nunquàm concupivi virum, et mundam servavi semper animam meam. ℣. Miserere nobis Domine, miserere nobis, et concrescamus ambò pariter sani.—Quia.

LECTIO 9.

Quid enim prodesset diabolum à Deo vinci, nobis manentibus superbis? Necessariò igitur desponsata est MARIA JOSEPH, quandò per hoc et à canibus sanctum absconditur, et à Sponso virginitas comprobatur et Virginis tàm verecundiæ parcitur, quàm famæ providetur. Quid sapientius! Quid dignius divinâ providentiâ. Uno tali consilio secretis cœlestibus et admittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama Virginis Matris. Tu.

℟. O Sanctum et admirabile sancti Conjugii Sacramentum! O excellentia pietatis! * MARIA nobilis adolescentula, Deo jubente, viro desponsatur, et perpetuò intacta permanet. ℣. A sæculo non est auditum, quod fecit Dominus novum super terram.—MARIA.—Gloria.—O Sanctum.

Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Jacob genuit * JOSEPH virum MARIÆ de quâ natus est JESUS. *Psalmi de Domin.*

2. Cum esset * desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.

3. JOSEPH * fili David, noli timere accipere MARIAM conjugem tuam.

4. Exurgens JOSEPH à somno accepit Conjugem suam.

5. JOSEPH * vir ejus, cum esset justus, noluit eam traducere, sed occultè dimittere.

CAPITULUM. *Gen.* 24. 57.

Vocemus Puellam, et quæramus ipsius voluntatem. Cumque vocata venisset, scisciti sunt: vis ire cum homine isto? Quæ ait: vadam.

HYMNUS 189. *Salla.*

Ergò hoc Connubium plaudite, cœlites:
Horum, terricolæ, plaudite et æmuli:
Cunctis concelebrandum est,
Quosquos æquipar attinet.
Unus virgineo qui Deus annulo
Jussâ socias stirpe propaginem
JOSEPH atque MARIAM,
Laudetis, sacra Trinitas. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedict. *ant.* Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat JOSEPH de domo David: et nomen Virginis MARIA.

Oratio.

Deus, qui unigeniti Filii tui Genitricem MARIAM, ut virginalis partus ejus viri honestaretur consortio, JOSEPH viro justo desponsari voluisti: da nobis, quæsumus, tanti Conjugii mysterium dignè celebrare in terris, et cœlestium participes fieri nuptiarum. Per eumd.

AD PRIMAM.

Ant. Jacob. *Capitul.* Vocemus. *de Laudibus.*

℣. ℟. *br.* Quæ justo JOSEPH desponsata fuisti.

CANON.

Ex Decreto S. Rituum Congreg. 5. *Maj.* 1736. *in Eusidien.*—*Tabl* 997.

461. In Desponsatione Beatæ MARIÆ Virginis non est facienda Commemoratio Sancti JOSEPHI, nisi constet de speciali concessione. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Gen.* 24. v. 59.

Dimiserunt ergò eam, imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes: Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum.

℟. *br.* Benedicentur * In semine tuo.—Benedicentur. ℣. Omnes gentes terræ.—In.—Gloria.—Benedicentur.

℣. In omni gente quæ audierit nomen tuum.

℟. Magnificabitur super te Deus Israel.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Gen.* 49. 22.

Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum.

℟. *br.* Mulieris bonæ * Beatus vir.—Mulieris.

℣ Numerus annorum illius duplex.—Beatus.—Gloria.—Mulieris.

℣. Non est talis mulier super terram.

℟. In aspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Isai.* 62. 5.

Habitabit juvenis cum Virgine, et gaudebit Sponsus super Sponsam, et gaudebit super te Deus tuus.

℟. *br.* Erat præclarior mulier * Universæ terræ.—Erat. ℣. Erat etiàm virtuti castitas adjuncta.—Universæ.—Gloria.—Erat.

℣. Hæc est speciosior sole.

℟. Et super omnem dispositionem stellarum.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia. *Psalm. de Solemn.*

2. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

3. Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem.

4. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.

5. Deus pacis vobiscum sit, impleatque benedictionem suam in vobis.

Capitul. et Resp. de 1. *Vesperis.*

HYMNUS 190. *Br. Rom.*

Te JOSEPH, celebrent agmina cœlitum,
Te cuncti resonent Christianum chori,
Qui clarus meritis junctus es inclytæ
Casto fœdere Virgini.
Almo cum tumidam germine Conjugem
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu superi Flaminis Angelus
Conceptum Puerum docet.
Tu natum Dominum stringis, ad exteras
Ægypti profugum tu sequeris plagas;
Amissum Solymis quæris et invenis,
Miscens gaudia fletibus.
Post mortem reliquos mors pia consecrat,
Palmamque emeritos gloria suscipit;
Tu vivens, Superis par, frueris Deo,
Mirâ sorte beatior.
Nobis, summa Trias, parce precantibus,
Da JOSEPH meritis sidera scandere:

Ut tandèm liceat nos tibi perpetim
Gratum promere canticum. Am.

℣. Forti animo esto, Virgo MARIA.

℟. Dominus cœli dedit tibi gaudium.

Ad Magnif. *ant.* Salve Sancta Parens, cui sacro fœdere nupsit virgo JOSEPH, sine quo tu Virgo Deum peperisti.

Oratio de Laudibus.

Completor. de Dominicâ.

DIE XXIV. JAN.

DESCENSIONIS B. M. V.

Duplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS 191. *Commirii.*

Virgo bis Nati Genitrix Theandri,
Seu triumphalis superæ Sionis
Porta, seu mavis cynosura diei
Mistica, salve.

Quam tibi dixit Gabriel salutem
Dicimus: tu nos, Bona, sontis Evæ
Pace donatam, meliore prolem
Nomine dona.

Deme, quas sontes patimur catenas,
Et diem cæcis, oculosque redde:
Nos malis fractos releva; bonisque
Omnibus auge.

Patris ac Nati recinendo laudes,
Mutuum linguæ celebrent amorem:
Omnis et mundi plaga tres in uno
Numine adoret. Amen.

Lect. I. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex officiis propr. Eccles. Toletanæ.

Cum Beatus Hildephonsus Toletanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, hæreticos quosdam perpetuam Dei Matris Virginitatem labefactare conantes, vi veritatis conjunctos ex universâ Hispaniâ depulisset, tanta fuit Sacratissimæ Virginis in servum suum Hildephonsum benignitas, ut hoc ejus studium illustri miraculo comprobavit. Incarnationis enim Filii ejus festo qui die decimo quinto Calendas Januarii per universam Hispaniam ex decimi Concilii Toletani decreto celebratur, nocte intempestâ descendit de cœlo Sanctissima Virgo, Virginum et Angelorum comitata choris: et in chatedrâ, undè Hildephonsus ad populum verba facere consueverat, consedit, universo templo suavissimâ ineffabilis odoris fragrantiâ et cœlestis luminis magnitudine completo. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Quò Hildephonsus ad nocturnas preces de more veniens, comitibus perterritis, et pavore dilapsis, ipse rei quidem novitate initio perculsus, sed deindè spe erectus, et devotæ mentis humilitate securus, gaudio simùl ac reverentiâ tremens humi sese ante pedes Virginis supplex abjecit. Quem sic affata Virgo est: propera in occursum meum, serve Dei: accipe munusculum de manu meâ, quod de thesauris Filii mèi tibi attuli. Et simùl hæc dicens, vestem Hildephonso induit cœlesti opificio contextam. Et Virgo quidem his dictis rediit in cœlum. Hildephonsus verò et mirificâ visione plenus, et pretioso dono fruit cunctis deinceps ordinibus ac gentibus venerandus. Quo quidem dono in solemnioribus Beatæ MARIÆ Virginis sacris interdùm usus est. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Extat hoc ipso in Templo lapis, in quo vetustâ majorum traditione ac veneratione constat, MARIAM descendentem vestigio constitisse. At quæ hujus tanti beneficii memoriam nullâ unquàm injuriâ temporum oblivio deleret, Toletana Ecclesia in stemmatibus suis atque insignibus illum ubiquè repræsentat. Annuam prætereà celebritatem ad

eam rem instituit, quæ, quòd ipse dies, quo Virgo descendit, in Dominicæ Incarnationis sit occupatus, in nonum Calendas Februarii translata est. Quo item die urbe regiâ longa post tempora à Sarracenis receptâ, cum Bernardus Archiepiscopus Templum maximum ex Mezquitâ Ecclesiam Dei reddidisset, gravitèr id ferentibus Mauris, divinitùs tandèm placatis, huic festo Pacis nomen inditum est. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia Sancti Hildephonsi Arch. Toletani.

Serm. 4. de Assumpt. B. V.

Quem totus non capit orbis, in suâ sacrâ alvo hæc Virgo inclusit. Qui mundum pugillo continet, eum beatissima Virgo pannis involvit: et qui præsentiâ majestatis suæ in cœlis angelos pascit, Virgo hunc sacrato ubere Matris aluit lacte. *Lect.* 8. Et insuper ad cujus arbitrium totus orbis terrarum regitur, hujus gloriosæ Virginis uberibus Conditor mundi Infans nutritur. Tu. ℟.

Bened. Cujus Descensionem.

LECTIO 8.

Et sub cujus defensione proteguntur regna terrarum, cum ipso Virgo MARIA fugit in Ægyptum. *Lect.* 9. Et qui totum mundum quasi in staterâ suspensum tenet, in cruce confixum Virgo MARIA cernens aspexit. Qui præsentiâ majestatis è cœlis nunquàm defuit; ascendentem etiàm in cœlum oculis propriis contemplata esse Virgo MARIA creditur. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Canodiensis.

Gump. Im. 684.

Circa annum Christi millesimum quadragesimum Sanctus Gerardus Episcopus Canodii in Hungariâ Templum Sancto Georgio Martyri ædificavit, et in hoc sacellum pro Deiparâ. Statua, quam in eo collocavit, beneficia præstabat populis, quam ob causam cultu novo eam prosecutus est Sanctus Episcopus. Thuribulum enim argenteum collocavit ante altare, quod sempèr ardet et carbonibus ignitis: et ut nunquàm ullâ horâ diu noctuque thymiama deesset, duos provectæ ætatis viros mutatis vicibus sempèr adesse voluit, qui vigilarent, et thura sempèr injicerent. Hinc sacræ Imaginis cultus adhuc magis crevit, et miraculis pluribus via aperta est. Tu.

Ad Benedict. *ant.* Ave augustissima Regina pacis, Sanctissima Mater Dei, per sacratissimum Cor JESU Filii tui Principis pacis fac, ut quiescat ira ipsius, et regnet super nos in pace.

Oratio.

Deus, qui per gloriosissimam Filii tui Matrem Beatum Hildephonsum, misso de thesauris cœlestibus munere, decorasti: concede propitius, ut per ipsius Sanctissimæ Virginis preces et merita, munera capiamus æterna. Per eundem Dominum.

CANON.

Ex Concilio Toletano apud Pennam-fidelem.

An. 1302. *c.* 11.—*Labb. Tom.* 7. *col.* 1236.

462. Mater Verbi et Salvatoris nostri Domini JESU-Christi gloriosa ac sempèr Virgo MARIA Capellanum ac suæ Virginitatis specia-

lem Præconem, Beatum Hildephonsum, patriarchalis Toletanæ Ecclesiæ Præsulem ac Rectorem, post sui assumptionem descendens de cœlo Empyreo corporalitèr visitavit, ac donis et muneribus specialibus decoravit in signum specialis dilectionis et amoris. Tu.

Cum 2. Vesperis.

DIE XXVI. JAN.

B. M. V. TITULO MATRIS LUCIS.

Duplex.

Lect. 1. Noct. de Ferid.

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *Concion. de Concept. B. V. M.*

LECTIO 4.

De Virgine possunt verificari verba Ecclesiastici: Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens. Tres conditiones luminis. Prima, quòd sit prima creaturarum. In principio creavit Deus cœlum et terram. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: fiat lux. Sanctissima Virgo prima est dignitate: Anselmus: nihil, ait, tibi Domina, æquale, nihil comparabile: omne enim quod est, aut supra te, Deus est. Quod infra te est, omne, id est, quod Deus non est. Sanctus Thomas: habet, inquam, aliquam infinitatem. In omni populo, et in omni gente primatum habui. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Secunda conditio lucis: est pulcherrima creaturarum corporalium. Nam sine illâ, nihil est pulchrum, et sunt tetra omnia. Bernardus: Tolle solem, et quid manebit nisi tenebræ: Tolle MARIAM, et quid nisi obscuritas, et obnubilatio animi? Sponsus: ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es. Pulchra pulchritudine innocentiæ; pulchra pulchritudine gratiæ: pulchra corpore, pulchra mente. Præclaris his dotibus tanquàm gemmis et stellis Virgo regia ornata est. Sicut enim sol universa cœli lumina præcellit prærogativâ claritatis eximiæ; sic MARIA totam rationalem creaturam post Filium præcellit splendore et pulchritudine virtutis et gratiæ. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Tertia conditio luminis. Est universalis totum occupans. Ambrosius in Exameron: Non est facta in pondere et mensurâ. Virgo: Omnibus dedit, omnia replevit. Et quemadmodùm Sol justitiæ Christus Deus noster oriri facit lumen suum super bonos et malos: sic lumen indeficiens Virgo Sacratissima, radios evibrans misericordiæ suæ, omnibus indifferenter sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet: omnium necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Bernardus: omnia facta est... ut non sit qui se abscondat à calore ejus. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 8. 12.

In illo tempore: Dixit JESUS Pharisæis: Ego sum lux mundi: Et reliqua.

Homilia S. Epiphanii Episcopi. *De Laudib. B. V. Sermo.*

O Virgo Sancta, lucis æternæ Mater! Lucis, inquam, quæ in cœlis illuminat ipsorum Seraphim incomprehensum oculum: lucis, quæ illuminat solem splendidis facibus: lucis, quæ fines terræ illuminat ad credendum Trinitati: lucis, quæ dixit: Ego lux in mundum veni: lucis, quæ assumpta est, et illuminavit cuncta, quæ sunt in cœlis et in terrâ. Tu. ℣.

LECTIO 8.

O Virgo Sanctissima, quæ exercitum

Angelorum in stuporem deduxisti. Stupendum enim est miraculum in cœlis Mulier amicta sole: stupendum miraculum in cœlis, mulier gestans lucem in ulnis: stupendum miraculum in cœlis, alter thronus Cherubicus: stupendum miraculum in cœlis, mulieris filius, qui et ipsius et sæculorum est Pater: stupendum miraculum in cœlis, thalamus Virginis, habens Filium Dei, Deum Sponsum Christum: stupendum miraculum in cœlis, Dominus Angelorum Infans Virginis effectus est. Tu. ℣.

LECTIO 9.

O Sanctissima Virgo Mater Salvatoris, quæ genuisti principio carens Verbum, scilicet, eumdem cum Patre habentem thronum, consubstantialem Patri, et Spiritui Sancto, qui cum Patre et Spiritu Sancto est ante sæcula, qui concameravit cœlos, et terram condidit. Ave Sanctissima Virgo, quæ velut rubus intellectualis absque combustione divinitatis ignem tenes: clibanus intellectualis, qui ignem et panem vitæ calidum mundo in esum attulit. Tu. Te Matrem.

Vesp. à capit. sequentis.

DIE XXVII. JAN.

D. V. ROMANÆ S. M. MAJORIS.

Duplex.

Oratio.

Dirigantur, quæsumus Domine, viæ nostræ ad tuas justificationes custodiendas, ut gloriosæ Dei Genitricis et Virginis MARIÆ patrociniis sublevemur, et ejus semper orationibus à malis imminentibus defendamur. Per eumd.

Lectiones 1. Noct. de Ferid occur.

IN II. NOCT.

Ex ofic. prop. Cler. Basil. Liberianæ

LECTIO 4.

Venustissima Deiparæ Virginis Imago, in tabulâ coloribus expressa, multis ante sæculis in Basilicâ Sanctæ MARIÆ Majoris asservata, maximâ semper devotione à principibus viris, omnique populo culta fuit. Illam namque à Sancto Lucâ Evangelistâ depictam fuisse, et à Sancto Gregorio Magno celebri solemnique supplicatione ad Sanctum Petrum delatam, pestilentiam quæ tunc urbem atrociter vexabat, depulisse antiquâ et constanti traditione à majoribus acceptâ, omnes piè sentiunt, ac fatentur. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Crevit autem in dies erga eamdem Imaginem pietas, ac devotio ex miraculis, et beneficiis quamplurimis, quæ Deus per illam omni tempore usque in præsens operatus est, ut ex pretiosis donariis, tàm vetustis, quàm recentibus, aliisque documentis liquidò comprobatur. Quarè Paulus Quintus volens prædictam Imaginem illustriori loco reponere et præstantiori cultu ab omnibus honorari, Sacellum in eâdem Basilicâ magnificentissimum extruxit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Ipsam verò Imaginem celeberrimâ pompâ per Exquilias delatam, comitante Sacro Cardinalium Collegio, Episcopis ac prælatis omnibus, qui Romæ aderant, insequentibus; magnâ totius Romani Cleri et cæterorum Ordinum frequentiâ, innumerâque non solùm urbis, sed et finitimarum etiàm civitatum, confluente multitudine, Dominicâ ultimâ Januarii, Pontificatûs sui anno septimo, in aræ maximæ ejusdem Sacelli honorificentissimè collocavit: Officia divina de Beatâ Virgine, ritu duplici quotannis ipsâ dominicâ à Clero hujus Basilicæ celebrari sancivit, et indulgentiam plenariam fidelibus intra octo se-

quentes dies sacram Imaginem visitantibus est elargitus. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. 2. 15.

In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem: transeamus usque ad Bethleem. Et reliqua. Homilia S. Ambrosii Episcopi. *Hom. 2. in cap. 2. Lucæ.*

Nec contemnenda putes quasi vilia verba pastorum. A pastoribus etiàm MARIÀ fidem colligit. A pastoribus populus ad Dei reverentiam congregatur. Mirati enim sunt omnes, qui audierunt de iis, quæ dicebantur à pastoribus ad ipsos, Tu. ℣.

LECTIO 8.

Discamus Sanctæ Virginis in omnibus castitatem, quæ non minùs ore pudica, quàm corpore, argumenta fidei conferebat in corde. Si MARIA à Pastoribus discit, cur tu declinas discere à Sacerdotibus? *Lect. 9.* Si MARIA ante præcepta apostolica tacet, cur tu post apostolica præcepta magis cupis docere, quàm discere? Disce vitium esse personæ, non sexûs: sexus enim sanctus. Denique MARIA præceptum non accepit, exemplum edidit. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commem. B. V. in Insulâ Danubii. *Gumpenb.* Im. 473.

Danubius in Hungariâ latissimus Insulam habet, in quâ Monasterium Sanctimonialium olim fuit, quod nomen retinuit Monasterii Beatæ MARLÆ Virginis. Ejus origo hæc fuit: Filia Regis Beata Margarita voto virginitatis facto solitudinem ambiens, pium patrem movit, ut Cœnobium in Insulâ Danubianâ strueret, in quâ ipsa cum Monialibus Sancti Dominici religiosè viveret. Memorantur plurima ibidem à peregrinis obtenta beneficia; ita ut inter miraculosas numerari hæc sancta Imago meruerit jam ab anno millesimo ducentesimo septuagesimo, quo ipsa Margarita fine vitam suam clausit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Paulo Papâ Quinto. *Const.* 253. Immensæ bonit. *an.* 1615.—*B. R. T. V. p.* 4. *p.* 183.

462. Ubi primùm ad apostolatûs apicem evecti fuimus, singulari erga gloriosissimam Virginem, et illius sacratissimam Imaginem Sanctæ MARLÆ Majoris devotione, et divinâ quâdam inspiratione permoti, in illius honorem insignem Capellam à fundamentis extruere et ornare, ac eamdem Imaginem, quæ in medio dictæ Basilicæ navi prope dextrum cornu altaris majoris in ligneo ciborio marmoreis columnis elato colebatur, ad capellam novam prædictam transferre, et supra altare ejusdem capellæ propterea erigendum honorificentius collocare deliberavimus. Tu.

Vesperæ à cap. de seq.

DIE XXVIII. JAN.

D. V. MATRITENSIS DE REMEDIIS.

Duplex.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Gumpenberg. Imag. 771.

Celeberrima in urbe Matriti est Imago Beatæ Virginis de Remediis, sic dicta, quia, ut traditur, nullum nec animæ nec corporis morbum esse, cui remedium hoc in loco inventum non sit. Porrò hæc Imago mirabile consecuta est iter, ut veniret Matritum. Romæ fuisse dicitur, et ibi in æstimatione Sancti Gregorii Pontificis, qui eam in Angliam ad Neophitorum solatium misit cum Augustino, qui fidem Christianam intulit insulæ. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Ubi verò hæresis Angliam ingressa est, hæc Imago fuit in Zelandiam delata inter alia sacra, et ad civem quemdam devenit, apud quem cum quidam miles Hispanus, Joannes de Origuela dictus, haberet hospitium, et aliquandò ignem pellendo frigori postularet, inter sarmenta hanc quoquè imaginem ancilla attulit, et in ignem conjecit. Mediam omninò per horam jacuit in igne illesa, cum miles conspectam Imaginem illicò flammis exeruit, pretioque hospiti soluto, suam fecit per omnia illesam præter faciem aliquantulùm denigratam cum signo in sinistrâ parte frontis instar carneæ pustulæ. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Joannes in Hispaniam redux, ubi Concham in patriam suam venit, eam Reverendis Patribus Sanctissimæ Trinitatis de Mercede dono dedit. Sed Patris Provincialis jussu Matritum delata, in ejusdem Ordinis templo collocata fuit. Vix ubi importatos sacer thesaurus spem incolis fecit cœlestium gratiarum: maximè postquàm duo Religiosi, qui eam hùc deportarunt, pericula sua denarravere, in quæ paùcis ab urbe stadiis inciderunt. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 2. 6.

In illo tempore: Impleti sunt dies MARLÆ, ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum. Et reliq. Homilia S. Thimotei Presb. Jerosolimitani. *Orat. de Proph. Simeon.*

Quid aspicis, Virgo, Puerum hunc tuum, et non tuum? Mansisti enim Virgo, sicut eras priùs. Quid eum continenter intueris, atque frequentèr amplexaris? Quid mammam ei sempèr admoves, an nitidiorem Filium habere vis? Non indiget nutrimento, ipse quippe mammæ et vitæ largitor est. Quid teneris manibus infantem ventilas, atque demulces, ac somno consopire vis? Hic Puer pro absconditâ suæ deitatis dignitate somno non premetur, neque dormiet, qui custodiet Israel. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Quid aspicis, Virgo, hunc Puellum? Hic Puellus, ò Virgo, occultâ Deitatis vi cœlum tanquàm pellem extendit: terram item super nihilum suspendit: aquam quasi fulcrum et sustentaculum mundo fundavit. *Lectio 9.* Hic Puer, incorrupta Virgo, solem regit, lunam gubernat, ventus tanquàm in thesauros recondit, et omnium rerum potestatem habet, atque dominatum. Ex hoc Puero, Virgo, noli sperare lætitiam sæcularem, sed spiritualem. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Racciensis de Laureto.

Octav. cajet. de effig. Siculs.

Circa annum millesimum quingentesimum Ædes Lauretanæ Virginis fabricata fuit in Racciæ oppido Siciliæ defuncti hominis monitu. Quidam enim Joannellus Jambrunus post mortem apparuit amico, à quo enixè postulavit, ut in Sanctissimæ Lauretanæ Virginis honorem ædificaretur templum, cujus ipsè aream descripsit. Addidit etiàm ubi certum spatium effoderit, in eo loco crucem ligneam inventurum, ac pro impensis in aream suâ conditum thoracem, in quo aurei scutati centum asservabantur. Amicus, transactâ nocte, imperata perfecit, et invento thorace, et cruce ligneâ, sa-

cram Ædem strui curavit Lauretanæ Virgini, quæ in cultu sempèr est habita. Tu. Te Matrem.

Cum 2. Vesper.

DIE XXIX. JAN.

B. MARIÆ V. DE USOA.

Semiduplex.

Lection. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Hist. B. V. de Usoâ ex P. Areso.

In Navarræ regno, tempore quo à Mauris invadebatur Hispaniâ, quidam Pastor Imaginem Beatæ Virginis inter pascendas oves, in profundâ petrarum concavitate invenit, ubi per assiduitatem quâ illàc versabatur columba, aliquid mysterii ibi adesse cognoverat. Tantò igitur invento thesauro, ad vicinum pagum, cui nomen Blanca, se contulit, et enarrato prodigio, ad elevatum Usoæ montem supplicatio solemnis unanimi majorum consensu ordinata fuit. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Eo autem cum pervenissent, facti sunt de veritate per visum enuntiati miraculi certiores: atque cœlesti gaudio intùs perfusi, corde magno asperrimum illum saltum in habitationis locum sibi decreverunt assumere, ut propiùs Deiparam manerent, relictâ optabili pagi planitie ac feracitate. Et in hoc confirmati consilio magnificum templum Deo in honorem ejus Genitricis sanctissimæ in ipsomet loco, ubi ipsa apparuit, ædificarunt, atque suas domos in circuitu templi. Tu. ℟.

LECTIO 6.

In temporis decursu sicut et fidelium erga Virginem devotio, ita et prodigia Virginis erga omnes multiplicata fuere. Illic cæci visum, surdi auditum, muti loquelam, claudi gressum oblinebant. Ex omnibus Hispaniæ confinibus, Galli, et Itali quoquè Usoæ ad Deiparam confluebant. Duces etiàm, Principes et Reges eam Imaginem invisebant. Garcia Navarræ Rex Usoam contra Mauros munivit, et reliqui omnes hujus ditionis reges, pluribus donis, ac ingentibus privilegiis Virginis Basilicam ditarunt, ita ut mirum in modum ibi Beatissima Virgo sempèr fuerit honorata. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c. 5. 1.*

In illo tempore: Ascendit JESUS in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregentii Arch. Tephrensis.

In disputat. cum Herbano Judæo.

Thaman quid significat? Et mons (Pharan) obumbrans quid indicat? Thaman quidem eum è supernis venire declarat, nempe è cœlo, id est, ab ortu: veritas autem demonstrat, quòd è virginali corpore Prophèta affirmat ipsum habiturum esse humanitatem, quemadmodùm evenit, et ex sanctâ Dominâ nostrâ Dei Genitrice sempèrque Virgine MARIA. Tu.

LECTIO 8.

Mons verò obumbratus ipsa est Virgo, ex quâ prodiit ineffabilitèr carne indutus. Montem autem ipsam dicit, eo quòd ut in montem Sina, sic in ipsam descendit Deus, et obumbravit: vel propter virginitatis impervium accessum (siquidem montium densitas accessu est perdificilis), vel potiùs omninò invia. (*Lect. 9.*) Obumbratam autem ipsam indicat, propterea quòd in ipsâ simùl cum virtutum multitudine, virginitatis ipsius mysterium obumbrat: adde, quòd nescitur, quomodò hæc genuit. Virgo enim peperit, et post partum Virgo salva et integra permansit. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Villarrubianæ de Sierra.

Lanuza, Histor. Arag. libr. 3. cap. 8.

Non longè à Villarrubia in Aragoniâ apparuit beatissima Virgo cuidam opilioni, eique injungit, ut templum sibi extrueretur in eodem, in quo apparuerat, loco. Nihil de tempore apparationis liquet: attamen templum antiquissimum est, satis capax et ornatum. Habet Xenodochium infirmis, atque Hospitium peregrinis, et domesticis adjunctum. Miracula ibi plurima ope Virginis patrantur, ut apparet ex innumeris tabellis in utroque templi latere appensis. Indè ingens fit ad hanc Deiparæ Imaginem fidelium accursus. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXX. JAN.

ASCENSION. B. V. IN JERUS. AD PURIF.

Duplex.

Si fuerit impeditum, transfert. in diem sequent.

AD MATUTIN.

HYMNUS 192. *Sálla.*

Christum sub atræ tegmine
Noctis peregrè infantulum
Zelo Parentes conciti
Secum ferentes prodeunt.

Qui verus ipse in proprio
Salomon recumbens lectulo,
Matris sinu videlicet
Vectus periclo demitur.

Tuentur illum lectulum
Contra timores noctium
Bis quinque fortes sexies
Ex Israel fortissimis.

Hi namque semper ambiunt
Ipsummet, omnes ensibus
Cincti femur, quàm strenui,
Ad bella quàm doctissimi.

At vos, humi scrabedines,
Hibernæ et inclementiæ
Divis peregrinantibus
Sævire mites parcite.

Doxolog. de Tempore.

IN I. NOCT.

LECTIO 1. *c. 6. 1.*

In anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum: et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. Tu. ℟. O meritis. *p. 304.*

LECTIO 2.

Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus. Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis. Et dixi: væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi pollnia labia habentis ego habito, et Regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Tu. ℟. Quæ circa te. *p. 304.*

LECTIO 3.

Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. Tu. ℟. Præmia. *p. 304.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Methodii Ep. et Martyris.

Oratio de Simeone et Annâ.

LECTIO 4.

Sunt hæc Prophetæ per Spiritum

prænuntiata oracula. Tu verò, mihi carissime, vim dictorum considera, ut Sacramentorum eventum assequaris. Ecce enim ceu thronus sublimis et elevatus ob ejus gloriam, qui est fabricatus, Virgo Mater Regi Domino Sabaoth spectatissima illic statuitur. Super illo nunc ad te venientem in carne Dominum perspice. Super illo virginali, inquam, throno eum venerare, qui novam hanc, omnibusque laudibus prosequendam ad te profectionem adornavit. Tu. ℣. Quid Michael. *p.* 304.

LECTIO 5.

Itaque eduxit Propheta Virginem ex Nazareth, ut in Bethleem fœtum illum salutarem enixuretur: eamdemque iterùm propheta reduxit, ut spem vitæ mundo manifestaret. Solvens igitur Dei arca ex Bethleemitico diversorio: illic enim solvit legem quadraginta dierum: non justitiæ sed gratiæ debitum, requievit in montibus Sion, accipiensque castissimo sinu, tanquàm sublimi quodam, et humanam omnem naturam superante, throno, regem illum omnium. Illum, inquam, eodem Deo et Patri thronum sublimem Filium, nec ipso excedentem: unâ illic cum assumptâ ex ipsâ intemeratâ carne eidem præsentavit. Tu. ℣. Credo aller. *p.* 504.

LECTIO 6.

Ascendit in templum sacra Mater, novum legi exhibitura miraculum, prolemque diù quæsitam, quæ nimirum virginalem vulvam aperuit, nec tamen virginitatis claustra dirupit: prolem lege superiorem, quæ tamen legem implevit: prolem ortu priorem, posterioremque; prolem denique ex ipsâ incarnatam supra legem naturæ. Ascendit igitur in templum illa templo celsior, duplicem induta gloriam: intemeratæ, inquam, virginitatis, et ineffabilis fœcunditatis: legis benedictionem, et gratiæ sanctificationem. Tu. ℣. Isle ad. *p.* 505.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua. Homilia S. Laurentii Justiniani Ep. *Serm. de Purific. B. V.*

O honor feminæ ac excellentia MARIÆ, cujus meritorum celsitudine et gratiarum opulentiâ stupet cœlum, natura miratur, et sancta beatorum Spirituum venerantur agmina. *Lect.* 8. Non enim capit populus, non concludit orbis, neque attingit creatura, quod MARIA suscepit mente, concepit in corpore, gestavit in utero, nutrivit lacte, portavit brachiis, fovit in gremio, et est amplexata in carne. Tu. ℣. Nesciens Mater. *De Comman.*

LECTIO 8. (*Lect.* 9.)

Super Angelorum, Archangelorumque transcendit gratiam, quod de MARIÆ Carne Verbum factum est caro, quod integritate custoditâ Virgo generat, fœcundat Spiritus, Deum parit femina, quod sit Mater et filia, ancilla et Domina, supra legem et sub lege. Nempe supra legem fecerat gratia, sub lege humilitas. Tu. ℣. Creator generis.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Giennensis à Coronâ.

Gumpenberg. An. 395.

Giennensis urbs in Hispaniâ inter prima ornamenta numerat hanc miraculosam Imaginem ligneam, quæ in Campo giennio intra campanam in terram defossam, Alphonso decimo rege, inventa fuit, et à Coronâ, quam capite gestabat

coronata nomen accepit. Ex tunc jam miraculis clarere cœpit, ita ut erecti Sacelli parietes, non multo delapso tempore, vinculis ferreis captivorum qui ap ipsâ libertatem miraculosè acceperunt omninò tegebantur. Anno millesimo quingentesimo è Sacello factum templum, cui Carmelitarum cœnobium fuit adjunctum, accursum auxit, sed auxit quoquè Deipara gratias. Stetit hoc cœnobium usque ad annum millesimum sexcentesimum vigesimum primum quò annuente Episcopo, patres propter aerem gravem unà cum sacrâ Imagine in urbem *migrarunt*, ubi in hunc usque diem honores suos accipit. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Vidi puerum JESUM, sedentem super solium Beatæ Virginis, excelsum virtutibus, et elevatum meritis.

Cum secund. Vesper.

FESTA FEBRUARII.

DIE I. FEB.

VIGILIA PURIFICAT.

Simplex.

Omnia ut in feriali Offic.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 2. 23.

Scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi. *Super Luc. libr.* 2.

Partum ipsum Virginis esse, qui lege signetur, in eodem modo ab Angelo repetita verba declarant: quia quod nascetur, inquit, Sanctum, vocabitur Filius Dei. Non enim virilis coitus vulvæ virginalis præcepta reseravit; sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus Sanctus infudit: solus enim per omnia ex natis de feminâ Sanctus Dominus JESUS, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partûs novitate non senserit, et cœlesti majestate depulserit. Tu. ℣. *de feriâ.*

LECTIO 2.

Nam si literam sequamur, quomodò sanctus omnis masculus, cum multos sceleratissimos fuisse non latet? Nunquid Sanctus Achab? Nunquid Sancti Pseudoprophetæ, quos ad Eliæ preces ultor cœlestis injuriæ ignis assumpsit? Sed ille sanctus, per quem figuram futuri mysterii pia legis divinæ præscripta signabant: eo quòd solus sanctæ Ecclesiæ Virginis ad generandos populos Dei immaculatæ fœcunditatis aperiret genitale secretum. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Hic ergò solus aperuit sibi vulvam. Nec mirum: qui enim dixerat ad Prophetam: priusquàm te formarem in utero novi te: et in vulvâ matris sanctificavi te. Qui ergò vulvam sanctificavit alienam, ut nasceretur Propheta, hic est, qui aperuit Matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret. Tu. ℣.

Preces.

Oratio.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui tantam Genitricis Filæ Sanctissimæ prævenimus solemnitatem, cœlestibus donis ad eam ritè celebrandam præveniamur. Qui vivis.

Ad Horas omnia de feriali Offic. Vesperæ de sequenti.

DIE II. FEB.

PURIFICATIO B. MARIÆ V.

Dupl. 1. Class. cum Oct.

IN I. VESPER.

Ant. 1. Gaude et lætare, filia Sion: ecce Rex tuus et Deus tuus in medio tui.

prænuntiata oracula. Tu verò, mihi carissime, vim dictorum considera, ut Sacramentorum eventum assequaris. Ecce enim ceu thronus sublimis et elevatus ob ejus gloriam, qui est fabricatus, Virgo Mater Regi Domino Sabaoth spectatissima illic statuitur. Super illo nunc ad te venientem in carne Dominum perspice. Super illo virginali, inquam, throno eum venerare, qui novam hanc, omnibusque laudibus prosequendam ad te profectionem adornavit. Tu. ℣. Quid Michael. *p.* 304.

LECTIO 5.

Itaque eduxit Propheta Virginem ex Nazareth, ut in Bethleem fœtum illum salutarem enixuretur: eamdemque iterùm propheta reduxit, ut spem vitæ mundo manifestaret. Solvens igitur Dei arca ex Bethleemitico diversorio: illic enim solvit legem quadraginta dierum: non justitiæ sed gratiæ debitum, requievit in montibus Sion, accipiensque castissimo sinu, tanquàm sublimi quodam, et humanam omnem naturam superante, throno, regem illum omnium. Illum, inquam, eodem Deo et Patri thronum sublimem Filium, nec ipso excedentem: unâ illic cum assumptâ ex ipsâ intemeratâ carne eidem præsentavit. Tu. ℣. Credo aller. *p.* 504.

LECTIO 6.

Ascendit in templum sacra Mater, novum legi exhibitura miraculum, prolemque diù quæsitam, quæ nimirum virginalem vulvam aperuit, nec tamen virginitatis claustra dirupit: prolem lege superiorem, quæ tamen legem implevit: prolem ortu priorem, posterioremque; prolem denique ex ipsâ incarnatam supra legem naturæ. Ascendit igitur in templum illa templo celsior, duplicem induta gloriam: intemeratæ, inquam, virginitatis, et ineffabilis fœcunditatis: legis benedictionem, et gratiæ sanctificationem. Tu. ℣. Isle ad. *p.* 505.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua. Homilia S. Laurentii Justiniani Ep. *Serm. de Purific. B. V.*

O honor feminæ ac excellentia MARIÆ, cujus meritorum celsitudine et gratiarum opulentiâ stupet cœlum, natura miratur, et sancta beatorum Spirituum venerantur agmina. *Lect.* 8. Non enim capit populus, non concludit orbis, neque attingit creatura, quod MARIA suscepit mente, concepit in corpore, gestavit in utero, nutrivit lacte, portavit brachiis, fovit in gremio, et est amplexata in carne. Tu. ℣. Nesciens Mater. *De Comman.*

LECTIO 8. (*Lect.* 9.)

Super Angelorum, Archangelorumque transcendit gratiam, quod de MARIÆ Carne Verbum factum est caro, quod integritate custoditâ Virgo generat, fœcundat Spiritus, Deum parit femina, quod sit Mater et filia, ancilla et Domina, supra legem et sub lege. Nempe supra legem fecerat gratia, sub lege humilitas. Tu. ℣. Creator generis.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Giennensis à Coronâ.

Gumpenberg. An. 395.

Giennensis urbs in Hispaniâ inter prima ornamenta numerat hanc miraculosam Imaginem ligneam, quæ in Campo giennio intra campanam in terram defossam, Alphonso decimo rege, inventa fuit, et à Coronâ, quam capite gestabat

coronata nomen accepit. Ex tunc jam miraculis clarere cœpit, ita ut erecti Sacelli parietes, non multo delapso tempore, vinculis ferreis captivorum qui ap ipsâ libertatem miraculosè acceperunt omninò tegebantur. Anno millesimo quingentesimo è Sacello factum templum, cui Carmelitarum cœnobium fuit adjunctum, accursum auxit, sed auxit quoquè Deipara gratias. Stetit hoc cœnobium usque ad annum millesimum sexcentesimum vigesimum primum quò annuente Episcopo, patres propter aerem gravem unà cum sacrâ Imagine in urbem *migrarunt*, ubi in hunc usque diem honores suos accipit. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Vidi puerum JESUM, sedentem super solium Beatæ Virginis, excelsum virtutibus, et elevatum meritis.

Cum secund. Vesper.

FESTA FEBRUARII.

DIE I. FEB.

VIGILIA PURIFICAT.

Simplex.

Omnia ut in feriali Offic.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 2. 23.

Scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi. *Super Luc. libr.* 2.

Partum ipsum Virginis esse, qui lege signetur, in eodem modo ab Angelo repetita verba declarant: quia quod nascetur, inquit, Sanctum, vocabitur Filius Dei. Non enim virilis coitus vulvæ virginalis præcepta reseravit; sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus Sanctus infudit: solus enim per omnia ex natis de feminâ Sanctus Dominus JESUS, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partûs novitate non senserit, et cœlesti majestate depulserit. Tu. ℣. *de feriâ.*

LECTIO 2.

Nam si literam sequamur, quomodò sanctus omnis masculus, cum multos sceleratissimos fuisse non latet? Nunquid Sanctus Achab? Nunquid Sancti Pseudoprophetæ, quos ad Eliæ preces ultor cœlestis injuriæ ignis assumpsit? Sed ille sanctus, per quem figuram futuri mysterii pia legis divinæ præscripta signabant: eo quòd solus sanctæ Ecclesiæ Virginis ad generandos populos Dei immaculatæ fœcunditatis aperiret genitale secretum. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Hic ergò solus aperuit sibi vulvam. Nec mirum: qui enim dixerat ad Prophetam: priusquàm te formarem in utero novi te: et in vulvâ matris sanctificavi te. Qui ergò vulvam sanctificavit alienam, ut nasceretur Propheta, hic est, qui aperuit Matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret. Tu. ℣.

Preces.

Oratio.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui tantam Genitricis Filæ Sanctissimæ prævenimus solemnitatem, cœlestibus donis ad eam ritè celebrandam præveniamur. Qui vivis.

Ad Horas omnia de feriali Offic. Vesperæ de sequenti.

DIE II. FEB.

PURIFICATIO B. MARIÆ V.

Dupl. 1. Class. cum Oct.

IN I. VESPER.

Ant. 1. Gaude et lætare, filia Sion: ecce Rex tuus et Deus tuus in medio tui.

Psalm. de 1. *Vesper. Solemnit.*

2. Egredimini et videte Regem vestrum, pendentem ab ubere Matris suæ.

3. Viderunt eam Filiæ Jerusalem, et beatissimam prædicaverunt.

4. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

5. Aperite portas, et ingrediatur gens sancta, puer Deus, virgo Mater, homo justus.

CAPITULUM. *Luc.* 2. 23.

Scriptum est in lege Domini: omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.

℟. Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe regem Christum: * Quem Virgo genuit, Virgo peperit, Virgo post partum, quem genuit, adoravit. ℣. Amplectere MARIAM, quæ est cœlestis porta: Ipsa enim portat Regem gloriæ, novi luminis. —Quem.—Gloria.—Adorna.

In diebus infra Oct. ℟. omittitur.

HYMNUS 193. *Brev. Paris.*

Simpete gentes, fit Deus hostia:
Se sponte legi legifer obligat:
Orbis Redemptor nunc redemptus,
Seque piat sine labe Mater.
De more matrum Virgo puerpera
Templo solutos abstinuit dies:
Intrare Sanctum, quid pavebas,
Facta Dei prius ipsa Templum?
Ara sub una se vovet hostia
Triplex: honorem Virgineum immolat
Virgo Sacerdos, parva mollis
Membra puer, seniorque vitam.
Eheu! quot enses transadigent tuum
Pectus! quot altis nata doloribus,
O Virgo! quem gestas, cruentam
Imbuet hic sacer Agnus Aram.
Sit summa Patri, summaque Filio,
Sanctoque compar gloria Flamini:
Sanctæ litemus Trinitati
Perpetuo pia corda cultu. Amen.

℣. Exulta et lauda, habitatio Sion.

℟. Quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

Ad Magnificat. *ant.* Postquàm impleti sunt dies purgationis MARIÆ, tulerunt JESUM in Jerusalem, ut sisterent eum Domino.

Oratio de Laudibus.

Completor. de Domin.

Sequens Doxolog. dicitur per totam Octav.

JESU tibi sit Gloria,
Quem Virgo Patri consecrat,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Hodiè post Complet. incipitur dicere antiph. Ave Regina cœlor. *et dicitur usque ad Pasion.*

AD MATUTIN.

Invitator. Christum MARIÆ Filium hodiè in templo præsentatum, * Venite, adoremus.

HYMNUS. 194. *Brev. Paris.*

Virgo latentis conscia Numinis,
Demissa vultûs, quem peperit Deum,
Hunc gestat ulnis: pauperumque
Munera fert: teneras volucres.
Hic omnis ætas, omnis et astitit
Sexus, propinquo Numine plenior:
Omnes anhelantis tot annos
Nunc fidei pretium reportant.
Tristes tot inter magnanimo, Deus,
Tibi blabat firma silentio
Verbi silentis muta Mater:
Cuncta animo penitùs premebat.
Sit summa Patri, summaque Filio,
Sanctoque compar gloria Flamini:
Sanctæ litemus Trinitati
Perpetuo pia corda cultu. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Offer Filium tuum, * Virgo sacrata, et benedictum fructum ventris tui Domino præsenta. *Psalmi de Dominica.*

2. Offer, Virgo Mater, * ad nostrum omnium reconciliationem Hostiam Sanctam, Deo placentem.

3. Omninò * acceptabit Deus Pater oblationem novam, et pretiosissimam hostiam tuam.

℣. Viderunt oculi mei.

℟. Salutare tuum, Domine.

De libro Levitici.

LECTIO 1. *c.* 12. 1.

Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Mulier, si suscepto semine, peperit masculum, immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ. Et die octavo circumcidetur infantulus: ipsa verò triginta diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne Sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis. Tu.

℟. Adorna Sion thalamum tuum, et præpara te in occursum Dei tui: * Ecce Rex tuus venit tibi justus et Salvator.

℣. Hosanna Filio David Benedictus qui venit in nomine Domini. —Ecce Rex.

LECTIO 2.

Si autem feminam peperit, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxûs menstrui, et sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ pro filio, sive pro filiâ, deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ, sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti. Tu.

℟. Subsistit Virgo adducens manibus Filium ante luciferum genitum: * Quem accipiens Simeon in ulnas suas prædicavit populis Dominum eum esse vitæ et mortis. ℣. Responsum accepit Simeon à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.—Quem.

LECTIO 3.

Sacerdos offeret illa coram Domino, et orabit pro eâ, et sic mundabitur à profluvio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculum aut fœminam. Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato: orabitque pro eâ sacerdos, et sic mundabitur. Tu.

℟. Cum inducerent parentes ejus et facerent secundum consuetudinem templi pro eo: * Simeon accepit eum in ulnas suas. ℣. MARIA autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.—Simeon.—Gloria.—Cum. *In diebus infra octav.* Simeon.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Omninò tunc * erat una Christi et MARIÆ voluntas: unumque holocaustum paritèr offerebant.

2. Suscipe, * Sancte Pater, Filium tuum, quem Virgo concepi, et Virgo peperi.

3. Ecce venio * ut faciam voluntatem tuam semper.

℣. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.

℟. Cor contritum et humiliatum.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

In purific. Serm. 3.

LECTIO 4.

Purificationem beatæ Virginis hodiè celebramus, quæ secundum legem Moysis facta est, transactis à Nativitate Domini quadraginta diebus. In lege enim scriptum erat, ut mulier, quæ susceptio semine, peperisset filium, immunda esset septem diebus, et octavo die circumcideretur puer. Dehinc ablutioni et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

purificationi intenta abstineret ab ingressu templi triginta diebus, quibus expletis offerret filium Domino cum muneribus. Tu.

℣. Hodiè beata Virgo MARIA puerum JESUM præsentavit in templo: * Et Simeon accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum. ℣. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum.—Et Simeon.

LECTIO 5.

Sed quis non advertat in ipso sententiæ hujus initio liberam Matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim, quia dicturus Moyses mulierem quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit super Matrem Domini blasphemiæ crimen incurrere, et idcircò præmiserit, suscepto semine? Alioquin nisi parituram prævidisset sine semine Virginem, quæ necessitas erat, de suscepto semine fieri mentionem? Tu.

℣. Hodiè senex Puerum portabat, Puer autem senem regebat. * Quem Virgo peperit, et post partum Virgo permansit. ℣. Hodiè beata Virgo MARIA Deo Filium suum in templo præsentavit.—Quem.

LECTIO 6.

Patet itaque quod lex ista Matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine Deum peperit, sicut prædictum erat per Jeremiam: quia novum faceret Dominus super terram: Quæris quod novum? Mulier, inquit, circumdabit virum. Non ab altero viro virum suscipiet, non humanâ lege concipiet hominem: sed intra viscera intacta, et integra virum claudet, ita sanè, ut intrante et exeunte Domino juxta alium Prophetam, porta orientalis clausa jugiter perseveret. Tu.

℣. A seculo non est auditum, * Quòd virgo esset, quæ peperit: quod mater esset quæ virgo permansit. ℣. Sola hæc est, in quâ virginitas et fœcunditas obviaverunt sibi.—Quòd.—Gloria.—A sæculo. *In dieb. infra Octav.* Quòd.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Omne * masculinum adaperiens vulvam erit sanctum Domino.

2. Non ingredietur * mater ejus Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ.

3. Et deferret * agnum in holocaustum, vel duos pullos columbarum.

℣. Gaude et lætare, filia Sion.

℣. Ecce venio, et habitabo in medio tui.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 2. 22.

Postquàm impleti sunt dies purgationis MARIÆ secundum legem Moysis, tulerunt JESUM in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Et reliqua.

Homilia S. Hildephonsi Arch. *In libro contra eos qui disputant* &c.

Non sic completi dies purgationis dicuntur, quasi Beata Virgo purgatione eguerit ullius delicti, quia peperit Dominum JESUM-Christum, ex Spiritu Sancto procreatum: sed quia ipsa sub lege erat, et Dominus JESUS-Christus sub lege factus, factus de muliere, legis præcepta et instituta verumtamen in eo servantur jure ad tempus, quousque, cessante lege, gratia succederet. Tu.

℣. Exulta satis, filia Sion, jubila, Filia Jerusalem: * Ecce Rex tuus venit justus et Salvator. ℣. Ecce enim ego adducam servum meum Orientem, et orietur in die illâ lux magna.—Ecce Rex tuus.

Bened. 8. per Octav. Cujus Purificationem.

LECTIO 8.

Et hæc est completio dierum secundum consuetudinem legis, et non secundum necessitatem purificationis: quia beata et intemerata Virginitas, immaculata et incorrupta permansit, nullius coinquinata sordibus. Non potest fieri juxta vocem Angeli, qui gaudium universorum affert, ut formenta in ortu suo attulerit: inter angelorum excubias et laudes, non credo, quòd Mater gemitus, et dolores, tristitiamque Evæ contraxit. Tu.

℣. Suscipe, Sanctæ Pater, Unigenitum tuum, quem secundum legis mandatum tibi pia Virgo offert, * Quia primogenitus est Matris suæ. ℣. Accipe hanc oblationem et munusculum, quod parvulus tuus hodiè de suâ paupertate tibi præsentat.—Quia.

Loco hujus ℣. in dieb. infr. octav. dicitur. 9. ℣.

LECTIO 9.

Et ideò alia erit expurgatio illa feminarum, in quâ purgabantur non minùs delicta animorum, et alia purgatio MARIÆ, in quâ non aliud quàm pro mysterio consuetudo legis servatur: quia nullis egebat purgationibus, quæ omnium de se purificatorem genuit incarnatum. Porrò completio dierum purgationis ejus nulla alia causa est, quàm expletio et consuetudo legis. Purgatio verò et separatio aliarum feminarum multis ex causis est, in quâ et vitia purgantur animorum, et vilia corporum. Tu.

℣. Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe Regem Christum: * Quem Virgo genuit, Virgo peperit, Virgo post partum, quem genuit adoravit. ℣. Amplectere MARIAM, quæ est cœlestis porta: ipsa enim portat Regem gloriæ, novi luminis.—Quem.—Gloria—Adorna. *Infra Oct.* Quem.

AD LAUDES

et per Horas Antiphonæ.

1. Movebo * omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus.

Psalmi de Dominicâ.

2. Implebo * domum istam gloriâ, quia meum est argentum, et meum est aurum.

3. Magna erit * gloria domûs istius novissimæ, plusquàm primæ, dicit Dominus.

4. In altari * meo sacrificatur hodiè, et offertur nomini meo oblatio munda.

5. Manus Virginis * præsentat hodiè in altari meo placentem hostiam.

CAPITULUM. *Luc. c. 2. 23.* Scriptum est in lege Domini: Omne masculinum adaperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur.

HYMNUS 195.

En Christus in templum venit,
In cujus est templum manens:
Concepit et quæ Deo,
Affert Deum Patri Deo.

Ulnis senex hunc suscipit,
Infans tamen senem regit,
Qui lumen est in gentibus
Sanctæque plebis arbiter.

Hunc Anna cognoscit vetus,
Et voce clarâ prædicat:
Prolem fidelis asserit
Summo Deo Christum Dei.

Miratur in cunctis Parens,
Cui tota ridet gloria:
Sed ipso honorum culmine
Telo doloris figitur.

JESU tibi sit gloria,
Quem Virgo Patri consecrat,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Lumen ad revelationem gentium.

℣. Et gloriam plebis tuæ Israel.

Ad Benedict. *ant.* Et erat * Pater ejus et Mater mirantes super his, quæ dicebantur de Puero: et benedixit illis Simeon.

Oratio.

Famulis tuis, quæsumus, Domine, cœlestis gratiæ munus impertire, ut quibus Beatæ Virginis partus exhibit salutis exordium, Purificationis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

AD PRIMAM.

Ant. Movebo. *Capitul.* Scriptum. *de Laud.*

℣. ℟. *br.* Quæ Filium tuum hodiè in templo Deo præsentasti.

CANON.

Ex Concilio Mediolanensi Quinto. *Sub S. Carol. an.* 1579. *p.* 1. *tit.* 7. 463. Die sacro Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis usus ritusque benedictionis candelarum cereorumve, cùm plenus mysteriorum est, tùm salutarium utilitatum... Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Levit.* 12. 4.

Omne Sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis ejus.

℟. *br.* In capite libri * Scriptum est de me.—In. ℣. Ut faciam voluntatem tuam.—Scriptum.—Gloria.—In.

℣. Hostiam et oblationem noluisti.

℟. Corpus autem aptasti mihi: ecce venio.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Luc.* 2. 25.

Ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus expectabat consolationem Israel: et Spiritus Sanctus erat in eo.

℟. *br.* Simeon accepit JESUM * In ulnas suas.—Simeon. ℣. Et benedixit Deum.—In.—Gloria.—Simeon. ℣. Nunc dimittis servum tuum, Domine. ℟. Secundum verbum tuum in pace.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Luc.* 2. 38.

Et Anna ipsâ horâ superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.

℟. *br.* Erant * Pater ejus et Mater mirantes.—Erant. ℣. Super his quæ dicebantur de Puero.—Pater.—Gloria.—Erant.

℣. MARIA conservabat omnia verba hæc,

℟. Conferens in corde suo.

IN II. VESPERIS.

Ant. 1. Tulerunt JESUM * in Jerusalem Parentes ejus, ut sisterent eum Domino.

Psl. ut in 2. *Vesp. Solemnit.*

2. Obtulerunt * pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum.

3. Ecce Simeon * venit in spiritu in templum, et accepit JESUM in ulnas suas.

4. Et Anna * prophetissa ipsâ horâ superveniens confitebatur Domino.

5. MARIA * conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.

Capit. Scriptum est. ℟. Adorna, *ut in* 1. *Vesp.*

HYMNUS 196.

Quidquid antiqui cecinere quondàm,
Spiritu Sancto referente, vates:
Virginis partus novus id MARIÆ
Omne recludit.
Hæc Deum cœli Dominumque terræ
Virgo concepit, peperitque Virgo,
Virgo post partum, maculata nunquàm

Labe pudoris.
Quem senex justus capiens in ulnis
Gentium lumen cecinit, diùque
Ante speratâ Simeon potitus
Pace quievit.
Sis memor nostri, placidoque vultu
Supplicum votis faveas precamus,
Mater et Virgo super astra regnans
Proxima Nato.
Sit Deo virtus, honor et potestas,
Sit salus jugis, decus et perenne:
Cuncta qui nutu creat et gubernat
Trinus et Unus. Amen.

℣. Viderunt oculi mei.

℟. Salutare tuum, Domine.

Ad Magnific. *ant.* Ecce positus est * hic in ruinam, et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.

Oratio de laudibus. Complet de Dom. In diebus infrà Octav. etiàm in festis, omnia dicantur ut in die, exceptis Psalmis et Lect. 1. *Noct. quæ dicunt, de feriâ occur.* ℟. *post Cap. Vesp. omittitur.*

DIE III. FEBR.

DIVÆ VIRGIN. TUNGRENSIS.

Duplex.

Omnia ut in die Purific. nisi transferatur extra Oct.

Lect. 1. *Noct. fer. occur. pro Temp. Puerper.*

IN II. NOCT.

LECTIO. 4.

Ex Hist. B. Virginis Tungrensis.

Tungris in Hannoniâ, anno millesimo octogesimo primo, Kalendis Februarii, horâ noctis undecimâ deposita fuit ab Angelis in horto nobilissimi Domini Tungrensis Hectoris Imago beatissimæ Virginis MARIÆ coram ingenti hominum multitudine illic per tanti prodigii novitatem congregata. Hector quoquè in hortum deductus suavissimum audivit concentum, sed non valuit, cum esset cæcus, lumine, quo nox clarior erat die, gaudere. Cum verò Angelorum visio evanuisset, sacram Imaginem in propriam domum vir pius deferri jussit, ut honorificentiùs coleretur. Tu. ℟. Hodiè beata.

LECTIO 5.

Tanti thesauri Dominus Hector indignum se putans, sequenti die sacram Deiparæ Imaginem ad sancti Martini Templum transferri curavit, sed cum esset nocte, et hora undecima, apparitionis miraculum fuit renovatum, omnibus mirantibus, quod etiàm tertiò sequenti die fuit repetitum, laïà iterùm imagine ad Ecclesiam, et pro tertiâ vice ad domum Hectoris, ministerio Angelorum visibilitèr luce coruscantium deductâ. Tandèm consulto Episcopo loci, coram duobus legatis ab ipso Tungrim missis, ejus decreto Deiparæ Imago solemni supplicatione è domo ad templum tertiò fuit translata, et sequenti nocte eâdem horâ quartò fuit per Angelos ab Ecclesiâ ad domum deducta. Tu.

℟. Hodiè senex.

LECTIO 6.

Cognitâ igitur beatissimæ Virginis voluntate circa locum quem sibi ad habitandum delegerat, Hector statim ibi templum ædificare incœpit, ministrantibus Angelis lapides, et alia necessaria, quæ post mensem defuere. Nondùm autem Ædes sacra erat structa, et omnes jam ibi refrigerium inveniebant. Alii manùs, alii linguæ, alii pedum, alii aliarum facultatum usum amissum impetrabant: quæ prodigia usque ad præsentem diem nec finem habent. Imago sacra exlat quoquè hodiè incorrupta et intacta maxi-

mâ cum veneratione populorum. Tu. ℣. A sæculo non.

IN III. NOCT.

Si hoc festum transferatur extra octavam, dicitur homilia de Communi pro Duplicibus.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 22.

Postquàm impleti sunt dies purgationis MARIÆ secundum legem Moysis, tulerunt JESUM in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Et reliqua.

Homilia S. Eligii Novomiensis Ep.

Homil. 2. de Purific.

Hæc præcepta legalia si diligenter inspiciantur, non solùm Dominus JESUS-Christus, sed etiàm beatissima Genitrix illius ab omni legis subjectione absolutissima reperitur. Cum enim non omnem mulierem quæ peperit, sed quæ suscepto semine pepererit, lex immundam dicat, atque his oblationibus unà cum prole mundari decernat; constat, quia non illam sub hâc necessitate constringit, quæ sine susceptione virilis seminis virgo concepit, et virgo peperit. Nequaquàm ergo immunda judicatur, quæ, Sancto Spiritu obumbrante, totius munditiæ et sanctitatis auctorem genuisse probatur. Tu. ℣. Exulta satis.

LECTIO 8.

Denique et ipse puer JESUS purus ab omni contagione peccati, cujus agni oblatione indigueret purificari, qui est Agnus Dei, et qui tollit peccata mundi? Sed quòd tam ille legis Dominus, quàm et gloriosa Mater ejus, cum lege nihil deberent, spontè tamen se decretis voluerunt subdere legalibus; nobis exemplum præbuerunt quantâ humilitate, quantâ obedientiâ Dominicis præceptis parere debeamus. Tu. ℣. Adorna thalamum.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Himærensis de Consolatione.

Octav. Cajet. de Effig. Siculis.

Sacræ ædis Beatæ Virginis, quæ sub titulo de Consolatione in thermis Himærensibus colitur, hæc fuit origo. Cosmas de Agra Aromatarius, pietate in Deiparam impulsus, in pharmacii pariete Virginis Iconem depingendam curavit, festisque illi diebus, et singulis sabbatis lampadem succendebat. Ejus mulier verò filium cum peperisset, cujus coxendices, libiæque erant molles, quotidiè membra tam infirma oleo lampadis oblinire consueverat. Unâ autem nocte, cum puer ad duodecimum annum pervenisset, ut de more unctus, sequenti manè ope Virginis, membris omnibus adeò firmis surrexit, perindè ac si nihil unquàm passus fuisset. Tam illustri vulgato miraculo, affluentibus undiquè eleemosynis templum ædificari cœptum fuit. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequent.

DIE IV. FEB.

DECEM BENEPLACITORUM B. V.

Dupl. majus.

Non propria ut in die Purificat. nisi transferatur.

IN I. VESPERIS.

℣. Deus, canticum novum cantabo tibi.

℟. In decachordo psalterio psallam tibi.

Ad Magnificat. *ant.* Ave MARIA, alta stirps lilii castitatis, profunda viola vallis humilitatis, lata rosa campi divinæ charitatis, abyssalis fons gratiæ et pietatis, cœli ros fructifer omnis suavitatis, da nobis auxilium petentibus anxiatis.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Beatam MARIAM semper Virginem multiplici virtutum spiritu decoratam, tuo munere tibi placitam, efformandis Virginum moribus formam præstitisti: concede propitius, ut qui ejusdem Sanctissimæ Virginis vestigiis insistere nitimur, tibi per ipsam in omnibus et semper placeamus, et ejus placitorum denarium tibi corde puro jugitèr offeramus. Per Domin.

AD MATUTIN.

Invitator. Virtutes sacratissimæ Virginis MARIÆ celebrantes, * Christum ejus Filium adoremus Dominum Principem virtutum.

IN I. NOCT.

Ant. 1. O Virgo purissima, quæ in terrâ Deum genuisti, fac nos Deum mundo corde videre.

2. O Virgo prudens et digna Mater Dei, illumina sensus et corda nostra in scientiâ Dei.

3. O Virgo humilis et Mater Verbi, fac nos dignos exaltari in supremo cœlo.

℣. Deus canticum novum cantabo tibi.

℟. In Psalterio decachordo psallam tibi.

Lect. 1. *Noct. de Comm. festiv. temp. vitæ Contempl.*

℟. 1. Quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco? * Ne timeas, MARIA, quoniàm invenisti gratiam apud Deum. ℣. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.—Ne.

℟. 2. Cum audisset MARIA angelum, * Turbata est in sermone ejus, et cogitabat, qualis esset ista salutatio. ℣. Ne timeas MARIA, quoniàm invenisti gratiam apud Deum.—Turbata.

℟. 3. Dixit autem MARIA ad angelum: * Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.

℣. O humilitas admiranda, ancillam se vocat, dum Dei Mater dicitur.—Ecce.—Gloria.—Ecce.

IN II. NOCT.

Ant. 1. O Mulier verax, de quâ nata est veritas, concede, ut in omnibus servemus veritatem.

2. O mulier laudabilis, quæ Deum manifestasti in omnibus operibus tuis, fac ut omnes laudes nostræ Deo placeant.

3. O Virgo obediens, fac ut tua obedientia compenset nostram inobedientiam.

℣. Confitemini Dominæ nostræ in citharâ.

℟. In psalterio decem cordarum psallite illi.

LECTIO 4.

Ex offic. antiquo apud Schultingium. Bibliot. ecclesiast. tom. 3. p. 2. pag. 217.

Præter virtutes, quæ in sacratissimâ Virgine interiùs latent, decem saltem sunt, quæ in evangelicâ ex eâ resplendent historiâ. Inter quas primum locum sibi vindicat humilitas, eo quòd ipsa reliquarum quædam parens sit generatioque virtutum. Unde ipsa ait: Ecce ancilla Domini. Humilitatem fides subsequitur, quæ sine humilitatis adminiculo nec acquiritur, nec habetur. Quæ quàm ingens fuerit in Virgine, apparet in Annuntiatione. Unde ad eam dixit Elizabeth: Beata quæ credidisti, quoniàm perficientur in te, quæ dicta sunt tibi ab angelo. Tu.

℟. Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione, ut salutaret Elizabeth, quæ exclamavit voce magnâ, et dixit: * Undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me. ℣. Beata, quæ credidisti, quoniàm perficientur ea, quæ dicta sunt tibi ab angelo. Undè.

LECTIO 5.

In thesauros verò virginalis sapientiæ quis ingressus est, ut eos valeat explicare sermone? Hæc sapientia in corde ejus collecta semetipsam per ejusdem Virginis actus, sermones et mores providentiâ sagacissimâ, circumspectione cautissimâ, et dispensatione moderantissima exercens fecit eam prudentissimam. Castitas autem ejus quàm fuerit eximia ex eo luculentèr perspicitur, quòd ipsa sola delecta fuerit, ex cujus purissimis sanguinibus sinceríssima Dei Sapientia sibi domum ædificavit. Tu.

℟. Et ait MARIA: * Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. ℣. O quantâ mentis devotione! O quanto cordis affectu exclamavit MARIA! Magnificat.

LECTIO 6.

Si autem devotus Deo dicitur, qui aut promissione præstitâ, aut piâ cordis propensione Deo deditus est, non infimum inter virtutes ejus locum habet ejus devotio, quia Deo dedita in primis orationibus ardenter et perseveranter incubuit. Obedientiâ quoque Beatam MARIAM præditam fuisse nemo non dubitat, nam cognitâ Dei voluntate per Angelum statim ei se submittit. Paupertatem etiàm impensè semper coluit, nam tota ejus vita pauperrima fuit. Fuit pietate præcellens, quam propensissimo affectu omni occasione exhibuit. Fuit denique patientissima et fortissima in adversitatibus omnibus, maximè quandò juxta crucem Filii morientis invicto animo stabat. Tu.

℟. Quandò peperit MARIA Filium suum primogenitum, * Pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diversorio.

℣. Ita pauper Virgo erat, ut ubi caput reclinaret, non habebat.—Pannis.—Gloria.—Pannis.

IN III. NOCT.

Ant. 1. O Virgo pauperrima, impetra nobis contemptum totius mundi, ut habere possimus in cœlo divitias.

2. O Virgo patiens, da nobis patientiam in omnibus tribulationibus nostris.

3. O Mater charitate Dei, et misericordiâ plena, reple corda nostra amore et gratiâ.

℣. Bonum est confiteri Reginæ cœlorum.

℟. In decachordo psalterio cum cantico, in citharâ.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis. *Serm. 4. super salo. Reg. inter opera.*

Spiritus Sanctus magnificavit facere tecum. Magnificavit, inquam, facere in te duo opera sua. Una erat dum dignam te fecit, quæ Dei Filium concipere posses, et parere: alterum, quandò ex ipsâ carne sanctâ ac dignâ carnem Filii Dei formavit. Fecit proindè te magnam et castam. Magnam planè fecit, ut immensum caperes: castam, qualenus dignè contineres. Magnam te fecit humilitate: castam virginitate. Tu.

℟. Fili, quid fecisti nobis sic! * Ecce Pater tuus, et ego dolentes quærebamus te. ℣. O Virgo patiens, quanto dolore et cordis angustiâ Filium amissum quæsivisti! —Ecce.

LECTIO 8.

Benedeet. Cujus Beneplacita.

Itaque tu sancta, tu es castellum,

in quod JESUS intravit, habens turrim humilitatis (qui enim se humiliat, exaltatur), et murum virginitatis. Murum certè fortissimum quippè, qui nec ante partum, nec in partu, nec post partum potuit violari. Lapides muri disciplina tua fuerunt, et continentia, sine quibus nunquàm constans est virginitatis murus. In te duæ sorores fuerunt Maria et Martha, quæ Dominum susceperunt. Maria fuit intelligentia tua specialis, quâ Deum et Dei Filium esse intellexisti, quem genuisti. At verò Martha rationalis erat prudentia, quâ ei in Domino, Filioque tuo in carne servisti. Tu.

℟. Stabat juxta crucem JESU Mater ejus, * Et animam suam doloris gladius pertransivit. ℣. JESUS autem dixit Matri suæ: mulier, ecce filius tuus.—Et.—Glor.—Et.

LECTIO 9.

Commem. B. V. de Liberatione. *Apud Pouget.*

In Bajocensi Diœcesi in Galliâ Imago est Beatæ Virginis sub vulgari titulo de Delivranda, quem habet ex pago in quo accipit cultum. Hoc sacellum non longè à mari situm à Sancto Renoberto Episcopo secundo Bajocensi structum creditur ad finem sæculi quarti: quod posteà anno octingentesimo trigesimo à Normandis, Hanstingio duce, omninò destructum, servatâ tamen et absconsâ sacrâ Imagine, et post duo sæcula miraculo inventâ, de novo excitatum fuit. Ad hunc locum ingens semper fuit fidelium accursus, ingensque devotio; undè innumera ibi sunt tabulata miracula, inter quæ repentina à peste liberatio anno millesimo octingentesimo trigesimo secundo à Virgine obtenta, non inter minora est recensenda. Tu.

Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Sicut turris Libani, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.

CANON.

Ex Innocentio Papâ Duodecimo. *Const.* 136. Cœlest. muner. *anno.* 1696. *Tom. IX. pag.* 110. 464. Omnes et singulas indulgentias..... Confraternitati Sanctissimi Corporis Christi concessas..... ad Confraternitates sub titulo decem Virtutum, seu decem Beneplacitorum Beatissimæ Virginis MARIÆ..... auctoritate apostolicâ in perpetuum extendimus et ampliamus. Tu.

Ad Magnificat. *ant.* Sancta MARIA, castitate purior, prudentiâ sapientior, humilitate dignior, fide sanctior, devotione ferventior, obedientiâ perfectior, paupertate humilior, patientiâ fortior, charitate ardentior, dolore afflictior, omnibus virtutibus sublimior, intercede pro nobis.

DIE V. FEBR.

DE IV. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

Lection. 1. *Noct. feriæ.*

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. *Meditat. vitæ Christi. c.* 11.

LECTIO 4.

Cum MARIA cum puero JESU, et JOSEPH intrasset in templum, emerunt duos turtures, aut duos pullos columbarum, ut offerrent pro eo, sicut pro pauperibus fiebat. Et ecce Simeon justus in spiritu venit in templum, ut, sicut responsum acceperat, videret Christum Domini. Cum autem festinanter veniens, vidisset eum, statim cognovit eum prophetico spiritu, et accelerans genuflectit, et adoravit eum inter brachia Matris. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Puer autem benedixit eum, et aspiciens Matrem inclinavit se, ostendens se velle ad eum ire. Quod Mater intelligens, quamvis admirans, porrexit eum Simeoni. Ille autem gaudenter, et reverenter in ulnis suis eum recipiens surrexit, benedicens Deum, et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine. De passione ipsius prophetavit. Supervenit et ipsa prophetissa Anna, et adorans eum, similiter de ipso loquebatur, MARIA verò de his admirans, omnia conservabat in corde suo. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Deindè puer JESUS extendens brachia versus Matrem, ad eum rediit. Postea vadunt ad altare processionem facientes, quæ hodie representatur per universum mundum. Procedunt alacriter illi duo senes, scilicet JOSEPH, et Simeon tenentes se per manus, et cum exultatione magnâ jubilantes, et psallentes. Sequitur Mater portans regem JESUM, et Anna sociat eam, vadens ex latere, cum reverentiâ jubilans, et ipsa gaudio indicibili laudans Dominum. Cum autem pervenerunt ad altare, Mater cum reverentiâ genuflexit, et obtulit dilectissimum Filium suum Deo Patri suo. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 22.

Postquàm impleti sunt dies Purgationis MARIÆ secundum legem Moysis, tulerunt JESUM in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Et reliqua.

Homilia S. Laurentii Justiniani Ep.

In Purificatione.

Completo Dominus quadragenario post sui ortum dierum numero, ad templum voluit maternis brachiis deportari, aviculis redimi, et grandævi Simeonis brachiis sustentari. Hoc ipse, hoc ejus Mater immaculata perfecit. Venit et illa ad templum, ut purificationis mysteria celebraret. Nequaquàm in hâc parte tenebatur sub lege, quippè quæ non ex virili semine, sed de Spiritu Sancto conceperat prolem. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Ut autem Deum veneraretur in lege, formamque humilitatis ex hoc præberet per legem, legem voluit purificationis implere. Venit igitur ad templum, et secum quem genuit, gestavit Infantem. Ibi plenè Prophetarum est edocta miraculis, ac de futurâ Nati passione præmonita, necnon sanctorum testimoniis in fidei veritate roborata. Quod enim ex Scripturarum auctoritate, seu ex revelatione didicerat, et memoriter retinebat, senis admonitione percepit, quatenùs de mysterio fieret certa, et unici Filii sui manifestatione jucunda, atque in gentium vocatione devota. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Monte Martyrum.

Ex Monumentis.

Lutetiæ Parisiorum celebris Ecclesia est, nostra Domina de Monte Martyrum dicta, eo in loco structa, ubi Sanctus Dionysius primus Pariensis Episcopus cum Presbytero Rustico et Eleutherio Diacono Martyrium subiisse creditur. In subterraneo hujus Ecclesiæ Sacello et in Martyrum sepulchro, die assumptæ Virginis anno millesimo quingentesimo trigesimo quarto, Sanctus Ignatius de Loyola, et sui socii votis sub sacram synaxim religiosè conceptis se Deo in perpetuum ingenti fervore consecrarunt. Iudè est, quòd in hâc Beatæ Virginis Ecclesiâ nata dicitur Societatis JESU Religio, quæ per universum orbem diffusa, in omnes gentes marianum cultum, fide, doctrinâ, et miraculis propagavit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Decreto S. Rituum Congreg. 14. *Jun.* 1608.—28. *Maj.* 1616. *Tabl.* 96.

465. Prima dignitas del candelam Episcopo in festo Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis, et Episcopus det statim primæ dignitati ante Vicarium generalem. Tu. *Vesperæ sequentis.*

DIE VI. FEBR.

DOLOR. B. V. IN SIMEON. PROPH.

Duplex majus.

Omnia ut in die Purificationis.

IN I. VESPERIS.

Antiph. et capitul. de Laudibus.

HYMNUS 197. *Maerked.*

Quem Simeon prædixerat,
Et Anna menti fixerat,
Doloris ensis stringitur
Quo cor tibi diffringitur.
Ex hoc doloris omine
Quo vis vocari nomine?
An Mater afflictissima,
An Martyr invictissima?
Tu Martyrum vocaberis
Regina, tu donaberis
Non liliis, non floribus,
Sed ense, sed doloribus.
Doloris hoc venabulum
Dat nominis vocabulum:
Telo doloris iceris,
Mater doloris diceris.
Ergò simùl dolebimus,
Simùlque tecum flebimus,
O Mater afflictissima,
O Martyr invictissima!
O Numen! O Divinitas!
In unitate Trinitas,
Fac ut doloris nubilum
Sit in perenne jubilum. Amen.

℣. Mater gladio transverberata.

℟. Propitius esto peccatis nostris.

Ad Magnif. ant. Filius, qui natus est tibi, morte morietur.

Orat. de Laudibus.

AD MATUTIN.

Invitator. Virgo Dei Genitrix, Doloris gladio transfixa: ' Intercede pro nobis.

HYMNUS 198. *Brev. Paris.*

Eheu quot enses transadigent tuum
Pectus! quot altis nata doloribus,
O Virgo! quem gestas, cruentam
Imbuet hic sacer Agnus aram.
Christo futuro corpus adhuc tener
Præludit insons victima funeri:
Crescet profuso vir cruore
Omne scelus moriens piabit.
Sit summa Patri, summaque Filio,
Sanctoque compar gloria Flamini,
Sanctæ litemus Trinitati
Perpetuo pia corda cultu. Amen.

IN I. NOCT.

De Epistolâ ad Hebræos.

LECTIO 1. *c.* 4. 1.

Timeamus ergò, ne forte relictâ pollicitacione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse. Etenim et nobis nuntiatum est, quemadmodùm et illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis quæ audierunt. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: quemadmodùm dixit: si introibunt in requiem meam: et quidem operibus ab institutione mundi perfectis. Tu. ℣.

LECTIO 2. *c.* 11.

Festinemus ergò ingredi in illam requiem: ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisio-

nem animæ et spiritûs, compagum quoquè ac medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis. Et non est ultra creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Habentes ergò Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, JESUM Filium Dei: teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergò cum fiduciâ ad thronum gratiæ: ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Tu. ℟.

IN II. NOCT.

De Epistolâ S. Paulini Ep. ad Sanctum Augustinum. *Epistol.* 58.

LECTIO 4.

De illis beatissimi Simeonis verbis quid sentias, edissere mihi, ut sequar sensum tuum: quibus cum ad videndum ex oraculo Dei Christum, agente Spiritu, venisset in templum, et acceptum sinu benedixisset infantem Dominum, ait ad MARIAM: Ecce hic positus est in ruinam, et resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur: et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes. Nunquid de passione MARIÆ, quæ nusquàm scripta est? An verò de materno ejus affectu, quo posteà in tempore passionis assistens cruci, quâ hoc erat fixum, quod ipsa peperisset, maternorum viscerum dolore confixa est: et animam illius, quæ ejus secundum carnem filium, ipsâ spectante, confoderat, crucis romphæa penetrabatur? Tu. ℟.

LECTIO 5.

Secundum literam hoc mihi penitus obscurum est, quia nec MARIAM beatissimam usquàm legimus occisam, ut de corporali gladio sanctus ille ei futuram passionem prophetasse videatur. Sed et quod subjecit: ut revelentur multorum cordium cogitationes; scrutans enim, inquit, corda et renes Deus. Et de futuro judicio Apostolus ait: quia tunc manifestabit Deus occulta cordium, et occulta tenebrarum. Itidem Apostolus spiritualiter exprimens arma cœlestia, quibus in interiori debeamus ornari, gladium Spiritûs dicit verbum Dei, de quo ad Hebræos ait: vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: pertingens, inquit, usque ad divisionem animæ et spiritûs, et reliqua, quæ nosti. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Quid ergò mirum, si istius verbi ignita vis, et ancipitis gladii penetrabilior acies Beatæ MARIÆ animam pertransivit? Nam in ejus corpore ferrum transisse non novimus, atque, ut magis pateat, prophetam ferrum pro verbi gladio possuisse, statim subsequente versiculo ait: Sermo Domini ignivit illum. Sermo enim Dei et ignis et gladius est, verbo ipso Deo utrumque dicente de se: Ignem enim, inquit, veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur? Item alibi dicit: non veni pacem mittere, sed gladium. Vides enim vim doctrinæ suæ sub diverso ignis et gladii nomine designasse: aut quomodò MARIÆ illata per gladium passio, aut tribulatio perstaret. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 34.

In illo tempore: Dixit Simeon ad MARIAM Matrem JESU: Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum. Et reliqua.

Homilia S. Amphilochii Ep. Iconiensis.

Oratio in Sanct. Deipar.

Cæterùm quid Diva summèque laudabilis Virgo Mater ad ea quæ peragebantur? Sanè meritò sermones mirabatur. Conservabat verò ista cum prioribus in corde suo. Ad quam Simeon prænuntians, ait: ò columba dealbata, et innocens! O spei nostræ sanctum templum, in quo sanctitas omnis et magnificentia residet! Hic quem arcanâ tu ratione peperisti, hic ipse positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicatur, et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Enim verò quid lætis tristia misces, ò senex? Hactenùs lumen et gloriam loqueris: nunc verò ruinam annuntias, Matrique, quæ concepit, gladium describis? Maximè, inquit, erunt omnia suo tempore: ruina quidem infidelibus, fidelibus autem resurrectio. Et in signum contradictionis, ut indictis virtutibusque terrarum orbem conferamus, contendamusque. Cæterùm animæ quoquè Virginis erit quandoquè suum tormentum à variis cogitationibus ingredientibus, et egredientibus. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Neque enim de minimis est sermo, sed de Deo, de consuetudine, legumque translatione, de mutatione hominum, de unione populorum, de concordiâ gentium, de adunatione linguarum, de indiviso religionis cultu, de tyranni destructione. Qui verò putandum, omnia hæc perfici, sine strepitu, et turbatione? Ideircò alii quidem ruinam patientur, mortificabuntur alii, atque futurum est, ut hi quidem contradicant novo signo, hi autem efficaci ejus virtuti succumbant, et cedant. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES,

et per Horas antiphonæ.

1. Fasciculus myrrhæ * dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur.

2. Positus est * Filius tuus Christus in signum, cui contradicetur.

3. Omnis lætitia * mea ad illa verba in mœrorem conversa est.

4. Quandò eum lactabam, de felle et aceto cogitabam, et quandò fasciis involvebam, funes, quibus ligandus erat.

5. Memoria * memor eram verborum Simeonis, et tabescebat in me anima mea.

CAPITULUM. *Hebræ.* 4. 12.

Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritûs, compagum quoquè ac medullarum, et discretor cogitationum, ac intentionum cordis.

Hymnus, ut in Laudib. diei Purificationis.

℣. Oculi mei replebantur lacrymis.

℟. Et cor meum torquebatur dolore.

Ad Benedict. *ant.* Ille doloris gladius Virginis omni horâ tantò se propriùs approximabat, quantò Filio passionis tempus magis appropinquabat.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per os Prophetæ tui Simeonis Genitrici Filii tui Virgini MARIÆ

gladium passionis prænuntiasti: tribue nobis memoriam suæ doloris commemorantibus, ipsâ intercedente, in omni dolore remedium. Per eumdem.

Ad Hor. antiph. capitul. Primæ et orat. de Laudib. Cætera ut in die purificat.

℣. ℟. *br.* Quæ doloris gladio transverberata fuisti.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Ep.

Spect. B. V. Lect. 4.

466. Gladius «à Simeone prædictus» acutissimam Christi passionem, sive mortem signat. Gladius corporalis animam nec occidere potest, nec vulnerare; sic acutissima Christi passio, licet animam MARIÆ per compassionem pertransivit, ipsam tamen nec per odium occidit, nec per impatientiam vulneravit. Tu.

In 2. Vesper. omnia ut in 2. Vesp. Purific. Capitul. Hymn. et Orat. ut in 1. Vesp.

Ad Magnif. ant. Silens dum audis, Virgo, prophetantis verba, cœpit te dolor, tremuit et pectus; tota pavebas.

DIE VII. FEBR.

DE VI. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

Lection 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Methodii Ep. et Mart.

De Simeone et Annâ.

LECTIO 4.

Decebat Dominum legis et prophetarum, ut juxta propriam ipsam legem conficeret, neque faceret irritam, sed potius implerel: ac deinde legis termino gratiæ suæ principium adjungeret. Quamobrem legi superior Mater, se legi submittit: sanctaque illa, mundaque tempus quadraginta dierum in pollutas constitutum observat: ac qui absolvit à lege, legi subjectus efficitur, offerturque pro eo, qui nos sanctificavit, par avium mundarum in eorum testimonium, qui mundi, inculpatique accedebant. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Quòd verò impollutus fuerit ille, partibus nec piacularibus hostiis obnoxius, testis est Isaias, disertè universæ sub Sole terræ denuntians. Antequàm, inquit, aut parturiens pariat, aut antequàm veniat labor pariendi, effugit, et peperit masculum. Quis tale quid audivit? Aut quis simile vidit? Effugit ergò quæ sunt muliebra Sanctissima Virgo Mater, antequàm etiàm parerel: ut nic.rum Spiritu Sancto eam sibi jàm ante desponsante et sanctificante, absque virili congressione conceperat. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Saliente verò sene, divinoque gaudio impensiùs exultante, quod anteà per figuram Prophetæ Isaias fuerit vaticinatus, Sacra Dei Mater perspicuè re ipsâ fecit. Accipiens enim ex puro, immaculatoque altari suo carbonem illum vivificum et ineffabilem, carne indutum, sanctarum suarum manuum complexu, tanquàm forcipe justo illi porrexit: ut mihi quidem videtur, ejusmodi sermonibus affata pariter et hortata: sume, senex honorate, sacerdotumque optimè: sume Dominum tuâque illâ non viduâ spe et desolatâ fruere: suscipe thesaurum indefectibilem, divitiasque inauferibiles, vir generosissime. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 9. *c. 2. 22.*

Postquàm consumati sunt dies purgationis MARIÆ secundum legem Moysis, tulerunt JESUM in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arhc. Valentini.

Conc. 2. in Purif. B. V. M.

Duo miranda: Puritas purificatur: Redemptor redimitur. Et quæ obsecro necessitas purificationis? Ad quid tibi purificatio, ò Virgo, quæ Filium Dei de Spiritu Sancto concepisti, et Virgo immaculata peperisti? Partus Virginis est. Nativitas Dei. Quæ parit, Virgo est: qui nascitur, Deus. Nunquid contrahit maculam sol per radium, aut flos propter odorem? Sic flos ex virgâ Jesse, sic odor ex flore natus Christus. Non ibi muliebra, non ruptura, non macula. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Propter quid ergò Purificatio? Ad quid opus Filio circumcisio? Filius Virginis licet honorem deferret Matri, quemadmodum seipsum à circumcisione non exemit; ita nec Matrem à Purificatione exemit: nec dedignatur Virgo sacrata una esse è mulieribus; quoniàm propter legis custodiam non dedignatur Filius tuus esse ex parvulis. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Coloniensis.

Balingh. sub die 6. Febr.

Anno millesimo sexcentesimo sexto cœpit die sextâ Februarii magnâ hominum frequentiâ celebrari Beata Virgo Coloniæ in templo fratrum Carmelitarum hujusmodi ex causâ. Cum media hujus templi pars in seipsam collabescens columnas evertisset, ac contrivisset, columna tamen illa, cui appensa erat statua Beatæ Virginis MARIÆ, licet cum aliis eversis esset, ejusdem rationis, ac non minùs quàm cæteræ, ruinæ exposita, integra nihilominùs, illæsaque remansit: videlicet ab integrâ atque illibatâ Virgine, ut piè creditur ab omnibus, sustentata. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Decreto S. Rituum Congreg. 15. *Sept.* 1736. *in Tolet. Tala* 4031.

467. Si Festum Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis venerit in Dominicâ Septuagesimæ, vel Sexagesimæ in Ecclesis dicatis sub titulo Annuntiationis, vel Assumptionie debet cantari Missa Dominicæ tantùm, nec facienda est Commeratio Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis. Tu.

Vesperæ Dupl. ut in 2. Vesper. Purific.

DIE VIII. FEBR.

B. M. V. DE DIVINO CONSILIO.

Duplex.

Omnia ut in die Purific. nisi transferatur.

Oratio.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, Paraclitus qui à te procedit, illuminet, ut qui Matrem Divini Consilii celebramus, ipsâ intercedente, dono Consilii repleri possimus. Per Dominum... in unitate ejusdem Spiritûs...

Lection. 1. Noct. de Feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Sermo in Natalitio B. V.

LECTIO 4.

Intuere, ò homo, consilium Dei, agnosce consilium sapientiæ, consilium pietatis. Cœlestis aream rigaturus, totum vellus priùs infudit; redempturus humanum genus, pretium universum contulit in MARIAM. Ut quid hoc? Fortè ut excusaretur Eva per Filiam, et querela viri adversus feminam deincèps sopiretur. Nedixeris ultrà,

ò Adam: mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vetito. Dic potiùs: Mulier, quam dedisti mihi, mæ cibabit fructu benedicto. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Pissimum sanè consilium, sed latet forsàn aliud, nec totum hoc est. Verum id quidem, sed parum est, ni fallor, desideriis vestris. Dulcedo lactis est, elicietur fortè, si fortiùs premimus, et pinguedo butyri. Alliùs ergò intuemini, quanto devotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in MARIA: ut proindè, si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis abeà noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Hortus planè deliciarum, quem modò non afflaverit veniens, sed et superflaverit superveniens auster ille divinus, ut undiquè fluant, et effluant aromata ejus, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum: ubi dies? Tolle MARIAM, hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi: quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur? Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Si hoc festum transferatur, dicitur Homilia de Com. pro duplicibus.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 22.

Postquàm consummati sunt dies purgationis MARIÆ secundum legem Moysis, tulerunt JESUM in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis.

Serm. Purific. B. V. art. 1. *c.* 3.

Quarè non obtulit Virgo beata agnum, quæ paulò ante receperat à Magis in oblatione, sicut piè credendum est, non parvam auri quantitatem? Dicendum, quòd Virgo beata, pietatis Mater, et paupertatis amica, thesauros regum devotione oblatos, absque morâ liberalissimâ charitate regionis illius pauperibus dispensavit. Neque potuit manibus ejus aliquid temporalis substantiæ adhærere, quæ jam intellexerat intellectu illuminato, et in omnibus signis Filium paupertatis altitudinem demonstrare. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Ad literam etiàm potest quæri: cum una oblatio sufficeret, scilicet, aut turturis aut columbæ, maximè pauperibus, cur posuit Evangelista utrumque, scilicet secundum distinctivam ipsius legis, quæ inquit: duos turtures, aut duos pullos columbarum? Ad quod dicendum, quòd ad hoc potest mystica responsio dari. Nam utraque pars disjunctivæ est Christo et Virgini in mysterio decens. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Tauro.

Camòs libr. 3. *c.* 8.

Oloto in Cathalaunià Deiparæ Sanctissimæ Imago, quæ à Tauro, qui eam invenit, accepit vulgare nomen de Tura, in publico templo mirificum habet cultum, non solùm die Nativitatis ejus solemnissimè ipsi sacrà, sed etiàm omnibus et singulis anni diebus et omnibus et singulis diei horis, ita ut vix ulla sit, in quâ nullus mariophilus ante hanc Virginis Iconem supplex non inveniatur: maximè cum advesperascit, fidelium accursus ad eam accrescit: et hæc fuit sempèr Olotanorum pia consuetudo. Imago lignea est, facie suffusca, aspectuque gravis: Sedet ipsa et sedentem puerum genibus sustinet; peranliqua creditur, nam sacellum ipsi dica-

tum ipso inventionis ejus anno parrochiale templum fuit usque ad annum millesimum centesimum decimum nonum, in quo aliud parrochiæ ædificatum est. Altare inter magnifica pulatur: prodigia ibi ingentia et plurima. Tu. Te Matrem.

Vesp. sequentis ut in 1. *Vesp. Purificat.*

DIE IX. FEBR.

OCTAVÆ PURIFICATIONIS.

Duplex majus.

AD MATUTIN.

HYMNUS 199. *Caryophil.*

Quicquid amplexu mulier virili
Fuderit prolis, quod hiante vulvâ
Masculum prodit, jubet offerendum
Sanctio legis.

Jura si legis tibi cuncta cedunt,
Dicta si legis tibi nulla quadrant,
Quid facis Virgo? Puerum quid offers
Sedula JESUM?

Ergò non legem metuis, sed imples:
Masculos omnes redimebat agnus;
Omnis hunc agnus puerum notabat
Virginis agnum.

Sola tu turtur, puer agnus ille
Qui cadens mundi scelus omne tollit:
Turtures ergò valet una cunctas,
Agnus ut agnos.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Lection 1. *Noct. ut in die. Purif.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Martirolog. Gallicano sub die 9. *Febr.*

In Santonensi pontificali Ecclesiâ, Octava Purificationis Sanctæ MARIÆ, propter miraculum, quod illic sic contingisse produnt sacra ipsius Ecclesiæ monumenta. Est in illâ præcipuâ Æde altare Dei Genitricis antiquâ religione sacrum: statua antiquior, quam ob mira frequentis opitulationis insignia Beatam MARIAM de Miraculis jampridèm cives appellitant. Accidit verò dudum intempestæ noctis silentio cum alta quies urbem totam occuparet, repentè nemine movente, ærea majoris ædis cymbala mirò concentûs suavitate resonarunt. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Quo insolito tinnitu expergefacti sacri æditui, mox è strato surgentes templum undequaquè luminibus coruscum conspicium, numerosumque hominum conventum augustâ lustratione et prece suavissimisque hymnis Virginem venerantem. Ad quem limido gressu accedentes, eum, qui tam celebris pompæ postremum ducebat ordinem, rogarunt, ut cerei ardentis reliquum, quod piis gestabat manibus, in tantum rei testimonium daret. Quod ille præstitit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Cumque ea res primo diluculo Ecclesiæ primoribus, non tantùm per custodes, sed etiàm per multos cives, qui eam rem per ostiorum translucentes rimas viderunt, innotuisset; cereum inter sacras reliquias religiosè servandum mandarunt: atque ob tam novum prodigium hunc diem toti posteritati memorandum indixerunt. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 22.

Postquàm consummati sunt dies purgationis MARIÆ secundum legem Moysis, tulerunt JESUM in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Et reliqua.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Homil. S. Hildeph. Arch. Toletani. *In Purificatione B. V. Serm.*

Perpendat unusquisque quantam obedientiam præceptis debeat divinis purus et peccator homo, si tantùm pro hominibus humiliari voluit totius peccati immunis Deus homo. Ut autem Deus unâ cum Genitrice suâ à præcepto legis immunes existerini, noverimus : ipsum legis mandatum diligentius perscrutemur. Mulier, inquit Deus, in lege, quæ susceptο semine peperit masculum, immunda erit septem diebus, et triginta tribus diebus manebit in sanguinis sui purificatione. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Cum ergò mulierem, quæ, susceptο semine, peperisset, immundam decernat, et per temporum spatia expiari jubeat; illam utique ab hâc excludit necessitate, quæ non de virili semine, sed de Spiritûs Sancti concepit obumbratione. Sed Dominus legis sponte se voluit subdere legi, ut nos à maledicto legis absolveret. Similiter et intemerata ejus Genitrix, quæ se noverat nihil legi debere, humilitatatis tamen gratiâ, legale voluit exequi præceptum, adimplens illud virisapientis. Quantò magnus es, humiliate in omnibus. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Lætitiensis. *Balingh. Kalend. Marian. 8. Sept.*

In Galliâ, in ditione Laudimensi visitur Simulacrum Deiparæ ab ipsâ datum. Cum enim sub annum millesimum centesimum trigesimum quartum tres equites Sancti Joannis Jerosolymitani, patriâ Laudanenses, nobilesque ex Apiensi et Marchesiâ gente in Ægyptum appulissent, in horridum carcerem Cairi à Sultano conclusi sunt, atque ibi à Deiparâ multo lumine decorâ, Angelorumque multitudine stipatâ invisuntur, à quâ et ejus statuam ab ipsius manibus accipiunt. Quam ubi in Galliam admirabili Deiparæ auxilio essent reducti, in hoc templo reposuerunt, ubi plurimis miraculis loci fama et religio adeò crevit, ut frequentibus omnium votis sacer hic locus adeatur. Tu.

Te Matrem.

CANON.

Ex S. Ammone Ep. Adrianopoleos. *Concil. T. 5. p. 1. c. 4. pag. 123.* 468. Clarè patet in quantam impietatem prolabantur Ariani, qui Deiparam MARIAM iis sacrificiis, quæ pro puerperis ex lege mos erat, opus habuisse asserunt. Tu.

Cum 2. Vesper.

DIE X. FEBR.

INCIPIT VITA CONTEMPLATIVA

B. M. V.

Deinceps non propria dicuntur ut in communi Vitæ contemplativæ.

DIE XI. FEBR.

B. V. SEPTEM SERVORUM.

Duplex.

IN I. VESPER.

HYMNUS 200. *Ex officio prop.*

Præclara septem lumina
Tusci micantis æteris,
MARIA Mater excitat,
Ut luce mundus splendeat.

Hos labra lacte perlita
Servos MARIÆ nominant:
Hos Virgo tum Senarios
Adire colles imperat.

Eosque Mater inclita
Funebre pallio induit:
Ut defleantur vulnera
Quæ pertulit sævissima.

Hoc ipsa cæli è culmine
Petro revelat Martyri:
Jubelque cœtum perpetem

Hinc posteris constitui.

Qui famulentur jugitèr,
Ipsamque sempèr diligant,
Colant, propagent, prædicent
Ejus dolores flebiles.

Summo Parenti cœlitum,
Maguæque proli Virginis
Sancto simul Paraclito
Sit summa laus et gloria. Amen.

Ad Magnif. ant. O magnum charitatis opus! Regina generis humani septem Servis suis mirè apparens è mundo eos evocare, singulariter sibi seligere, lugubrem vestem induere, unàque cum posteris in peculiares servos, ac filios consecrare dignata est.

Oratio.

Deus, qui ad recolendam memoriam dolorum sanctissimæ tuæ Genitricis novâ Servorum ejus familiâ Ecclesiam tuam fœcundasti: concede propitius, ita nos ejus compati doloribus in hâc vitâ, ut in alterâ perfruamur et gaudiis. Qui vivis et.

AD MATUTINUM.

HYMNUS 201. *Ex offic. prop.*

Jam nimis terris facinus per omne
Noxa regnabat sine lege aberrans,
Inque peccantes superi tonabant
Vindice dextrâ.

Quandò lugendis miserata satis
Virgo septenos proceres coruscos
Sanguine, et claros pietate multâ
Cœlitus accit.

Accit afflictis populis piandis
A tot ærumnis, maculis, ruinis:
Accit et sempèr sibi servituros
Strenuo amore.

Veste lugubri induit, ut dolores
Defleant ejus, magè dum ferali
In trabe infandâ periit cruentè
Diva propago.

Filios rursùs vocitavit omnes,
Ut velut Matrem studiosè amantem
Crederent iosam, paria et referrent
Pignora amoris.

Tunc quis exsuit charitatis ignis
Pectus ipsorum! Date, quæso, patres,
Filios vestros paribus beatis
Ignibus uri.

Tu Pater, præsta, tribue et Redemptor,
Tuque da nobis, Paraclete summe,
Virginem Matrem colere, ac amare,
Flerè et in ævum. Amen.

Lection. 1. Noct. de Scriptur.

IN II. NOCT.

Ex officio proprio septem fundator. ordinis Servorum B. M. V.

LECTIO 4.

Septem Patritii Florentini, sanguine illustres, sed virtutibus illustriores, cum trigesimo tertio supra millesimum, ac bis centesimum annum, Assumptæ Virginis festo, in sodalitio quodam Dei Genitrici laudes exsolverent, ab eâdem eis apparente inopinè moneri se sentiunt ad sublimioris vitæ genus, posthabito mundo amplectendum. Quod et sedulò fecerunt, nam abdicatis fortunæ bonis ac vilioribus vestibus cinerei coloris induti, in ruralem parvam ædem secesserunt natalitio die Beatæ MARIÆ Virginis, ut vitæ sanctioris primordia optimè inirent, quâ die mortalibus orta sacratissimam vitam ipsa inchoaverat. Tu.

℣. Omnes isti congregati sunt venerunt, Domina, tibi. ℟. Et omnibus his velut vestimento vestieris. ℣. Et circumdabis tibi eos quasi sponsa. —Et.

LECTIO 5.

Cum verò in urbe visos ex ore infantium ac lactentium se MARIÆ clamari servos audissent, magis ex hoc amore erga Deiparam flagrantes ut vitarent populi plausum, in senarium montem, ap ipsâ eis præostensum habitatuti tenderunt. Ibi crucifixum JESUM, mœ-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

stissimamque Matrem dolentes assiduè cum recolerent, apparuit eis Beata Virgo, habituque lugubri assignato in memoriam dolorum suorum, ut compaterentur istis, eos consecravit. Tu.

℣. Vocabo servos meos, et induam illos tunicâ meâ, et cingulo meo confortabo eos. ℟ Et potestatem meam dabo in manibus eorum. ℣. Et erunt quasi Patres habitantibus Jerusalem.—Et.

LECTIO 6.

Ita cinereis vestibus in nigras mutatis, cum Beatus Petrus Martyr Florentiam accessisset, invocata Virgo ei revelavit, se viros illos septem, et qui venturi erant post eos inter mundi homines omnes ad singulare servitium suum se eligisse et commiserandis pœnis jam latis suis amarissimis constituendum ordinem esse ad sui honorem et gloriam. Hoc prodigioso Virginis decreto animati, septem Patres instituere sacrum Servorum ordinem decreverunt, non tàm, ut primi ejus fundatores, quàm ut cœlestis suæ fundatricis ministri obsequentes. Tu.

℣. Dabitur lugentibus in Sion corona pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris: ℟ Et vocabuntur fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. ℣. Sacerdotes Dei vocabuntur, ministri Dei nostri.—Et voc.—Gloria.—Et voc.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et Soror Matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis. *Serm.* 51. *de Pass. Dom. p.* 2. *a.* 1. *c.* 3.

Parum dixisti, ô Evangelista; perfectis auribus aliquid majus dicere potuisti. Stabat, tu inquis, juxta crucem JESU Mater ejus, cum in ipsâ cruce penderet: vel ei plùs utique debes, quàm reliquis, de quibus dicis, et Maria Cleophæ, et Maria Magdalenæ. *Lect.* 8. Omninò illa plùs ad crucem appropinquabat, quàm quicumque alii: quia non solùm juxta crucem stabat, verùm etiàm in cruce pendebat: de se enim in se nihil remanserat. Tota commigraverat in dilectum, et dum ille corpus, illa spiritum immolabat. Tu.

℣. Isti sunt viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt: ℟ Semen eorum, et gloria eorum non derelinquerètur. ℣. Apparuit eis Domina Angelorum, et dilexit eos in visione, et in agnitione magnalium suorum.—Semen.

LECTIO 8. (*Lect.* 9.)

Sed quâ parte stabat Virgo MARIA juxta crucem: utique ad sinistram Christi secundum Alexandrum de Ales, scilicet, ut pro peccatoribus Filium exoraret, qui à sinistris Domini sunt: aliter non verificaretur, quod in personâ Christi pendentis in cruce Propheta ait. Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me. Tu.

℣. Ego quasi vilis fructificavi suavitatem odoris: ℟ Et flores mei fructus honoris et honestatis.

℣. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis et sanctæ spei.—Et flor.—Glor.—Et flor.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Cellensis. *Ex Orsino et aliis.*

Templum est in Styriæ montibus Beatæ Virgini sub titulo de Celles, seu de Mariæ-Cella, vulgo de Mariæ-Zell dicatum. Initium habuit à quodam Monasterii Sancti Lamberti Monacho, qui ad evangelizandam illius regionis gentem missus medio duodecimo sæculo, sacellum Deiparæ struxit, et in eo Imaginem, quam secum attulerat collocavit, quæ multis claruit miraculis. Sequenti verò sæculo Henricus Moraviæ Marchio, et ejus uxor Agnes, sanitate miraculo obtentâ, aliud grandius excitarunt, quod post aliud ferè sæculum à Ludovico primo Hungariæ rege intra templum, quod hodiè extat, post reportatam super Turcas victoriam inclusum fuit. Ingens semper fuit ex omni Austriâ fidelium accursus, maximè è Vienensi urbe, quæ mense majo solemni supplicatione Virginem Cellensem adit. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 202. *Ex Offic. prop.*

Matris sub almæ Numine
Septena prolis nascitur:
Ipsâ vocante, ad asperum
Senarii tendit verticem.

Quos terra fructus proferet,
Dum sacra proles germinat,
Uvis repentè turgidis
Onusta vilis edocet.

Summo Parenti cœlitum,
Magnæque proli Virginis,
Sancto simul Paraclito
Sit summa laus et gloria. Amen.

℣. Beati viri tui, Regina cœlorum.

℟. Beati servi tui qui stant coram te semper.

Ad Benedict. *ant.* In vertice montium plantavit Regina martyrum vineam justorum, qui dolores ejus meditabuntur die ac nocte.

Oratio ut supra.

CANON.

Ex Benedicto Papâ Undecimo. *Bull.* Dum levamus. *Bul.* 2. §. 2. *ann.* 1303.

469. Nos qui ad Virginem ipsam Dominam nostram libentèr devotionem, quam possumus, ex hibemus..... Regulam *vestram*, et ejus institutiones expressè auctoritate apostolicâ confirmamus, et etiàm approbamus..... Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE XII. FEBR.

FUGÆ B. V. IN ÆGYPTUM.

Duplex majus.

IN I. VESPÉRIS.

Ant. et Capit. de Laudibus.

HYMNUS 203. *Salla.*

Simeonis ulnis solvitur
Vix Christus infans illius
Præfationis veritas,
Mox infit innolescere.

Is nempè iniquis planxerat,
Scopum futurum spiculis
Ob Filium, Matris fore
Transverberandum spiritum.

Reapsè verum reddere
Rex hoc Idumes orsus est,
JESU ruinam moliens,
Sceptri pavescens æmulum.

Hanc ut sagittam luderet
Cum Matre JOSEPH, Proleque,
Monente cœlo, patrium
Mutat solum nilotico.

Sic vita sese præripit
Ab hoste cui dat vivere,
Cum Patre vivo et Flamine
Æterna vivens sæcula.

Doxologia de Tempore.

Ad Magnific. *ant.* Surge, JOSEPH, accipe Puerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. *Oratio de Laudibus.*

AD MATUTIN.

Invitator. JESUM cum MARIA et JOSEPH in Ægyptum à facie Herodis fugientem, ℟ Venite, adoremus.

HYMNUS 204. *Salla.*

Dum minans ut Parvulum
Herodis arcus tensus est,
Cor mucro jam propheticus
Cœpit MARIÆ pungere.

Materna qui non læderet
Tenella amore viscera
In hunc Dei atque proprium
Agnum necis minatio?

Illi, fuge, heus, pernicitèr,
Dilecte mi, conclamitat,
Instar capellæ et hinnuli
Montana supra aromata.

Veni, exeamus oppidis,
Dilecte mi, ac agrestia
Petamus, itque rusticis
Unà moremur villulis.

Hanc ob fugam nos mentium
Vitemus hostem, quæsumus,
Noxæ fugâ, quemadmodùm
Viso colubro, præpeti.

Doxolog. de Tempore.

IN I. NOCT.

Lectio 1. *Noct. tit in Dom. IV. Vitæ Activæ. p.* 267.

℣. 1. Quid est, quòd furbaris Herodes? ℟ Rex iste, qui natus est, non venit reges pugnando superare, sed moriendo mirabilitèr subjugare. ℣. Herodes videns, quoniàm illusus esset à Magis, iratus est valdè.—Rex.

℣. 2. Consurgens JOSEPH accepit Puerum et Matrem ejus, ℟ Et fugit in Ægyptum. ℣. Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur.—Et fugit.

℣. 3. O maxima tribulatio! ℟ Recens natus è collo Matris pendens cum ipsâ Matre pauperculâ fugere cogitur. ℣. Debet fugere qui Salvator est mundi, Herode persequente.—Recens.—Gloria.—Recens.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. *In medilat. vitæ Chris. c.* 12.

LECTIO 4.

Cum ergò pergerent Sancti Sponsi versus Nazareth, nescientes adhuc super hoc consilium Domini, et quòd Herodes parare! se ad necem pueri JESU, Angelus Domini apparuit JOSEPH in somnis, dicens ei, ut cum Puero et Matre fugeret in Ægyptum, quia Herodes volebat animam Pueri perdere. JOSEPH verò evigilans et excitans Matrem, dixit ei. Ipsa in continenti surgens, nullâ morâ contractâ voluit iter arripere. Concussa enim sunt ad hanc vocem viscera ejus, et circa Filii sui salutem nolebat negligens inventri. Tu.

℣. Fugis MARIA, prolis onusta caro pondere, ℟ Et luminare solis de nocte vis abscondere. ℣. Ægyptus est asyli locus tuis amoribus.—Et.

LECTIO 5.

Ergò de nocte incontinenti cœperunt ire versus partes Ægypti. Conspice et meditare, quomodo puerum JESUM dormientem elevant, et compatere ipsis, et attende hic diligentèr, quia multa et bona considerare potes in præsenti negotio. Tunc enim magna erat tribulatio Matri et JOSEPH, cum viderent Puerum ad occisionem quæri. Quid enim gravius audire poterant? Et erat eis in hoc tribulatio magna. Tu.

℣. O quæ doloris spicula! ℟ Quæ figit Infans vagiens, inter fugæ pericula! ℣. Juxta fluenta Nili liquescis in doloribus.—Quæ.

LECTIO 6.

Etiàm in hoc erat tribulatio, quòd in terram longinquam oportebat eos ire, quam ignorabant, et per vias asperas cum essent inhabiles ad eundum. Domina propter juventutem, JOSEPH verò propter senectutem. Ipse etiàm Puer, quem portare habebant, vix erat duorum mensium, et peregrinari habebant in terrâ alienâ, et pauperes, quasi

nihil habentes. Omnia enim ista sunt afflictionis materia. Tu.

℣. Dolor his lacrymis meus elicitur: ℟ Meus his lacrymis amor afflcitur. ℣. Tecum pati laboro, tecum mori desidero.—Meus.—Gloria.—Meus.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 2. 13.

In illo tempore: Angelus Domini apparuit in somnis JOSEPH, dicens: Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi Ep. *De fugâ in Ægypt. Serm.* 151.

Reverentiùs diceret: vade in Ægyptum, ut esset profectio, non fuga: voluntas, non necessitas: judicium, non metus: humanum saltèm si non divinum: ad nunc mandatur fuga, mandatur cœlitùs, mandatur per Angelum, ut videatur cœlum timor ante tenuisse, quàm terram. Accipe Puerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum. In Ægyptum fuge, à tuis ad extraneos, ad sacrilegos à sanctis, à templo tuo ad dæmonum fana: ad idolorum patriam è regione sanctorum. Tu.

℣. Egredere de terrâ tuâ, et de cognatione tuâ, ℟ Et veni in terram, quam monstravero tibi. ℣. Accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum.—Et veni.

LECTIO 8.

Sic Judææ non sufficit latitudo, sicangustatur sæculi diffusa possessio, non capit secretum templi, Sacerdotum turba non suscipit, non abscondit numerositas investigabilis cognatorum, ut ad Deitatis latebras profana Ægyptus conducatur: sic res urget, sic non vacat intueri verecundiam Virginis, laborem matris, sexûs pudorem, periculum JOSEPH, longinquitatis fatigationem, exilium totius domûs, et quod his durius, Judæos peregrinatores in gentibus: quibus nec ipsa est communio, imò est profundum legis transgressione naufragium. Tu.

℣. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, ℟ Et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti. ℣. Fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi.—Et.—Gloria.—Et.

LECTIO 9.

Oquàm dura est perigrinatio etiàm inter cives, fratesque! Sapit quod sit sua domus, qui sentit alienam: et ubi est illud: Domine, refugium factus es nobis? Et, Deus noster, refugium et virtus? Si refugium fugit, si timet virtus, si præsidium migrat, quæ vita, quæ spes, quæ securitas, quod munimen? Eliæ contra insidias liberi regis vidua sufficit: Christo contra Herodis captivi minas Judæa tota non sufficit. Elias missos ad se cœlesti igne consumit: Christus solâ fugâ fit salvus. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas Antiphonæ.

1. Missus est ℟ angelus ad JOSEPH, et dixit ei: accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum.

2. Fuge, ℟ quia Herodes quærit Puerum ad perdendum eum.

3. Herodes ℟ iratus est valdè, quia illusus fuit à Magis.

4. Et accepit ℟ Puerum et Matrem ejus, et fugit in Ægyptum.

5. Fugit ℟ à facie persequentis, ut salvaret animam suam.

CAPITULUM. *Isai.* 19. 1.

Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra

Ægypti à facie ejus, et cor Ægypti tabescet in medio ejus.

HYMNUS 186. *Secund. ab Hoz.*

O Virgo, maximum decus
Olimpi, Materque JESUS,
Ob salutem Redemptoris
Fugisti gladium Herodis.
Periculi certè indita,
Loquente de cœlo angelo,
Tristis et pauper MARIA
Incedis Ægypti viâ.
Ingens dolor tibi passus
Per desertum peregrinæ,
Qualis sitis, qualis ardor,
Solitudo undiquè et labor!
Non minùs oriens stella,
Nec vitæ redemptio minùs
Expectatæ nocte et die
Merituræ Matri piæ.
Imber ex oculis currit
Respicientis te migrantem;
Miserere, Virgo pura,
Errantium in terrâ oscurâ. Am.

Ad Benedict. *ant.* Exurgens JOSEPH fecit sicut præceperat ei Angelus: accepit Puerum et Matrem ejus, et secessit in Ægyptum.

Oratio.

Domine JESU-Christe, qui excellentiâ virtutis tuæ universa disponis et gubernas, quippè omnium Dominus pro nobis parvulus in carne passibili, à facie maligni Herodis, sanctissimâ Matre tuâ te deferente, fugam sustinuisti: præsta nobis hunc dolorem ejus venerantibus, à facie infestantis dæmonis tuâ virtute sempèr et ubiquè defendi. Qui vivis.

Ad Prim. Capit. de Laudib.

℣. ℣. *br.* Quæ in Ægyptum cum Filio tuo migrasti.

CANON.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino.

In process. Conc.

470. Quantas tribulationes sustinuerit Virgo, quis poterit dicere? Ecce statim post partum profuga per deserti vastitatem asperam in Ægyptum perrexit, ubi quasi alienigena per septenium stetit. Tu.

IN II. VESPERIS.

Ant. et capit. de Laudib.

HYMNUS 206. *Secund. ab Hoz.*

Infantes Judææ jussit
Jugulare Tyrannus;
Tu miserata tui
Patria linquis agra.
Ecce MARIA sene niveis
Comitata capillis,
Divam et progeniem
Pectore Virgo premit.
Ecce sub obscuræ
Peragrant caligine noctis,
Sive sub igniferi
Lampade solis afri.
Sive jam subeunt egentis
Inhospita tecta,
Sive feræ udis morantur
In antris atris.
Exurgunt quacumquè
Timenda pericula multa,
Omnia vincenda
JESUS amore tibi.
Nondùm contingeras
Optatæ sedis asylum,
Pertransisque urbem,
Templa ubi solis erant.
Numina cum cadunt
Ex auro et marmore ficta,
Supplices et vates
Procubuere genu.
Haud alitèr complenda
Antiqui verba Prophetæ,
Laurum qui Genito
Vaticinatus olim.
Sic etiàm tenebræ
Delendæ lumine claro,
Ædes atque fidei
Ædificanda novæ.
Gloria summa Patri,
Sit par tibi gloria, Nate:
Gloria sit compar,
Spiritus alme, tibi. Amen.

In 2. Vesp. Capit. de Laud. reliqua de Comm.

Ad Magnific. *ant.* Et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: ex Ægypto vocavi Filium meum.

DIE XIII. FEBR.

MODESTIÆ B. M. V.

Duplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS 207. *Santol.*

Die, Virgo, quæ vis traxerit
Patri coævum Filium
Ab hujus æterno sinu
Mortalis in Matris sinum.
Ad hos honorum te gradus
Non efferet simplex fides,
Non virginalis te pudor,
Nec igne fervens charitas.
Sed quæ sibi nunquàm placet
Deo placens modestia:
Quâ jam tibi fis vilior,
Hâc digna fis Mater Dei.
Quàm celsa quæ se deprimens
Altum Tonantem deprimit!
In te sui jam non memor
Descendit è cœlo Deus.

Doxologia de Tempore.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Ambrosii Episcopi. *In Luc. libr.* 2.

LECTIO 4.

Disce Virginem moribus, disce Virginem verecundiâ, disce Virginem oraculo, disce mysterio. Trepidare Virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri afflatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quàm nemo virorum videret, solus angelus reperiret, sola sine comite, sola sine teste, ne quæ degenere depravaretur affatu, ab Angelo salutatur. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Disce Virgo verborum vitare lasciviam. MARIA etiàm Angeli salutatione verebatur. Erat enim, inquit, cogitans, qualis esset isla salutatio. Et ideò cum verecundiâ, quia pavebat. Cum prudentiâ quia benedictionis novam formulam mirabatur, quæ nunquàm lecta est, nunquàm ante compertam. Soli MARIÆ hæc salutatio servabatur. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Benè enim sola gratiâ plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia invenerat, consecuta est, ut gratiæ repleretur auctore. Erubescat ergò MARIA: erubescat etiàm Elizabeth. Et ideò cognoscamus quid intersit inter mulieris et Virginis verecundiam. Illa de causâ erubescat, hæc pro verecundiâ. In muliere modus pudoris adhibetur, in Virgine pudoris augetur gratia. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 48.

In illo tempore: Dixit Mater JESU ad eum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego dolentes quærebamus te. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Serm.* 51. *de Concor. Matth. et Luc.*

Non est prætermittenda, fratres, maximè propter disciplinam feminarum tam sancta modestia Virginis MARIÆ. Meruerat parere Filium Altissimi, et erat humilissima: nec se marito in ordine nominis præferebat, ut diceret: ego et Pater tuus; sed Pater tuus, inquit, et ego. *Lect.* 8. Non attendit sui uteri dignitatem, sed attendit ordinem conjugalem. Non enim humilis Christus Matrem suam superbire docuisset: Pater

tuus et ego dolentes quærebamus te. Pater tuus, inquit, et ego, quia caput mulieris vir. Quantò minùs debent superbire sanctæ feminæ. Tu.

8. *Benedict.* Cujus Modestiam colimus.

LECTIO 8. (*Lect.* 9.)

Nam et ipsa MARIA mulier dicta est non corruptâ virginitate, sed appellatione propriâ gentis suæ. Dixit enim de Domino JESU-Christo et Apostolus: Factum ex muliere: non tamen interrupit ordinem et texturam fidei nostræ, quâ confitemur natum de Spiritu Sancto et MARIA Virgine. Illa enim Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo permansit. Sed mulieres omnes feminas appellarunt proprietate linguæ hebraeæ. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Sancti Apollinaris.

Gumpenberg. Imag. 642.

Romæ anno millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo decidente in vestibulo templi Sancti Apollinaris crustâ muri, quam quidam templi illius, vel reformator vel semi-architectus reduxit, apparuit decora Imago Deiparæ cum puero, jussu Cardinalis Estoutville alio in tempore depicta, situ bono, talis denique, ut in ejus gratiam ex vestibulo fieret templum. Accursus et fiducia Romanorum statim nec difficulter à Virgine impetravit gratias miraculosas, et est in tanto honore, ut templi instar habeatur: parietes tabellis per omnes partes vestiuntur, loquente picturâ miracula à Virgine impetrata. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

HYMNUS 208. *Santolius.*

Deus suprema Veritas,
Umbrata velo corporis,
Puris videnda mentibus
Lustra tuo nos lumine.

Et tu, tuorum sis memor,
Quæ, dum modesto pectore
Te dicis ancilla Dei,
Regina mundi dicoris.

Doxologia de Tempore.

CANON.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino.

Conc. 1. *in Annunt.*

471. Attendite modestiam, considerate silentium. Quam decorata taciturnitas in femina! Quid in Virgine pulchrius, quàm loquendi modestia?.... Plurima dixerat Angelus...., et necdum à Virgine verbum auditur. Tu.

Cum 2. *Vesper.*

DIE XIV. FEBR.

D. V. LUSITANÆ DE LUCE.

Semiduplex.

Lect. 1. *Noct. de Fer. occurr.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Gumpenb. Imag. 213.

Tertio ab Ulyssipone lapide, in Lusitaniâ, Deiparæ templum exurgit, structurâ magnificum, religione augustum: ita dictum à Luce propter cœlestem flammam longè latèque diffusam, quæ noctu illi incubabat loco, multis, qui eam sæpè viderant, ignaris, quid hic cœlestis ignis pertenderet, donec regnante in Lusitaniâ Alphonso quinto, Beata Virgo pulcherrimâ nitens luce se expectandam præbuit cuidam Petro Martinez Lusitano, viro bono, et tunc maurorum captivo, vinculisque in carcere compedito. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Hunc insolita lux primùm, deindè ipsa Deipara ingenti gaudio et spe libertatis implevit, eâ tamen conditione, ut templum sibi struneret eo in loco, ubi splendorem cœlestem visurus esset, ac nomen de Luce imponeret. Vix Virgo his dictis

disparuit, et Petrus se non in Africæ ergastulo vinctum, sed in Lusitaniâ liberum esse miratus est. Vix sibi, vix oculis suis credidisset, se vinctum unquàm fuisset, nisi secum invenisset catenas, quas utique Virgo sibi appendi voluit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Ille, spretis lucis radiis, ipsum lucis centrum quærens, sub prægrandi saxo Iconem Deiparæ invenit, candidissimo anniculo è serico coopertam. Statuæ materia hactenus incognita: inter paucos quibus major curiositas erat, non pauci cæcitate, aut morbo gravi pœnas dederunt. Petrus suo ære templum inchoavit, et piorum eleemosinis finivit anno millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, quo anno, ab Alphonso de Nogara Ulysipponensi Episcopo dedicatione solemni ritu peractâ, sodalitas instituta est. Tu. ℟.

Homilia ut in die 26. *Januar.*

O Virgo Sancta. *p.* 570.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Malacensis de Victoriâ.

Gumpenb. 333.

Malacæ in Hispaniâ Imago Deiparæ colitur, quæ ab Imperatore Maximiliano Regibus catholicis Ferdinando et Elizabethæ dono missa dicitur. Hanc contra Mauros educebant Reges in prælia, et fide publicâ constat, eâ præsente sempèr vicisse christianos. Hinc nomen victoriæ acquisivit. Templi parietes catenis et compedibus ornantur, quos liberati à mauris captivi attulere. Anno millesimo quadringentesimo octogesimo septimo dono data hæc Imago est Patribus Sancti Francisci de Paula. Statua ignoto ligno est, altitudine hominem æquat, sellæ insidet, et JESUM in gremio gestat. In basi hæc inscriptio est. Sancta MARIA de Victoriâ: pulcherrimam esse, quas lota habeat Betica, plures asserunt. Tu. Te Matrem.

Cum 2. *Vesper.*

DIE XV. FEBR.

B. V. DE CURRICULO.

Simplex.

LECTIO 1.

Ad annum millesimum, ut antiqua monumenta testantur, duobus rusticis Beatissima Virgo super montem non longè ab urbe Statellæ in Aragoniâ, apparens, eum locum fore ipsi deinceps sacrum indixit, injungitque, ut templum ibidèm extrueretur, in quo uberes gratias suam implorantibus opem se elargituram spopondit. Fidem Statellani rusticis adhibentes, maximè post visum signum à Deiparâ acceptum, ordinatâ solemni supplicatione, cum universo clero et populo in montem conscenderunt, in cujus cacumine sanctissimæ Virginis imaginem invenerunt, quam in terrâ ad ejus pedes provoluti, cœlesti lætitiâ perfusi venerati sunt. Tu. ℟.

LECTIO 2.

Cum autem ab eo loco sanctissimæ Deiparæ simulacrum minimè dimoveri posset, Statellanis conantibus ipsum ad urbem deducere, ibidèm templum extruxerunt absque ullâ morâ, et in aræ maximâ mirabilem Virginis Imaginem collocarunt. Hæc verò Imago de lapide ignoto creditur: sedet super ejusmodi lapidis sedem, quæ duobus deauratis sustinetur rotis, undè nomen vulgare à Carrodilla habet. Alta est tribus circitèr pedibus: aspectum decorem, colorem triticeum, oculos grandes, faciem plenam habet. Puerum dextero tenet brachio pectus sugentem matris. Devotio

erga ipsam magna est, magnusque cultus. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Lucernensis de Cespite.

Gumpenb. 300.

Anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo, ipso festo Pentecostes, horâ nonâ noctis visendam se in cœlo præbuit Deipara Filium brachio gestans, atque, ut plures viderent, die posterâ, eâdem horâ iterùm apparuit. Suffecit hæc Virginis apparitio cuidam Senatori Lucernensi, Mauritio de Metten, ut Virginis Sacellum extrueret eodem in loco, ubi Sacellum de Cespite dictum, quod ruinâ allapsum fuerat, steterat. Dedicationem solemnem fecit suffraganeus Constantiensis anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, pompâ, quâ licuit, maximâ. Voluisse hoc Virginem demonstrat et hominum concursus, et Virginis invenientes prona benignitas, et beneficia non vulgaria. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XVI. FEBR.

CONTEMPLATIONIS B. M. V.

Duplex.

Lect. 1. Noct. de feriâ occurr.

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini.

Conc. 1. in Assumpt. B. V. M.

LECTIO 4.

Ad Domini beatos pedes continuè sedens MARIA, audiebat verbum illius. O ptissime Deus! Quis enarrare sufficiat inter ipsam serviendi sollicitudinem ad hos pedes, quo fervore, quâ dulcedine, quo gaudio Spiritus hujus Virginis agebatur? Quanto mentis ardore hæc Virgo intùs inflamabatur! Quanto jubilo illius animus quotidiè replebatur, quandò Deum Sion oculis cernebat, et amplexibus applaudebat? Die nocteque beatissimis ulnis sustinens eum qui sustinet orbem? O quibus radiis Sol ille infinitus nebulâ carnis opertus purissimam hujus Virginis mentem irradiabat, decorabat, purpurabatque? O quos favores in gremio imprimebat! Quali nectare intùs potabatur, cum eum lacte potabat! Qualis nubes lucida cum purpureis coloribus sole irradiante coruscat, talis hujus Virginis anima, Deo illuminante, fulgebat. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Quid dicam de illâ tam longâ conversatione cum puero, cum adolescente, cum juvene, cum viro? Quæ verba, quæ colloquia, quæ responsa, quæ mysteria, quæ secreta, quæ oracula? O felicem scholam, ubi Deus et Filius magister est, et Mater et Virgo Discipula! Tam longo tempore, tam continuo auditu, tam frequenti magisterio, quid à tanto Magistro non didicisti? Quid à tanto Domino non impetrasti? Quid, obsecro, tunc temporis cogitabas, ô Virgo? Quid in animo sentiebas? Quid in illo tuo sacratissimo pectore agebatur? Tu. ℟.

LECTIO 6.

Existimo enim (neque me fallit opinio) tenerrimum hujus Virginis corpusculum, mentemque delicatissimam irruentis luminis voluptatisque torrentes ex illo vivo fonte nutantes, tolerare non potuisse, nisi eam Spiritus Sanctus desuper obumbrasset, intùsque virtute nimiâ solidasset: in mortali etenim corpore gustus hujusmodi nisi miraculo solidata sentire non posset et vivere. Uedè miraculosè factum existimo, ut omninò non deficeret, aut non continuò esset in raptu. Sed sustentabat eum Spiritus Sanctus in-

ter tot splendores et delicias, ne raperetur extasi, aut Dei Filio necessarium Marthæ ministerium non deesset. Tu. ℟.

Homilia de comm. pro Duplicib. Cum II. Vesper.

DIE XVIII. FEBR.

CHARITATIS B. M. V.

Duplex.

Ad Magnific. *ant.* Charitas Dei diffusa est in corde MARIÆ per Spiritum Sanctum.

Oratio.

Accende, quæsumus, Domine, corda nostra illo charitatis igne, quo beatissimæ Virginis MARIÆ cor immaculatum vehementissimè æstuabat, ut te totâ mente amemus, et ad te tota virtute curramus. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCT.

De Epistolâ primâ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios. *cap.* 13. 1.

LECTIO 1.

Si linguis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam: et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Tu.

℟. MARIAM velut ignis ferrum Spiritus Sanctus totam ignivit, * Ita ut in eâ Spiritûs Sancti flamma tantùm videatur, nec sentiatur nisi tantùm ignis amoris Dei. ℣. Seraphim de cœlo descendere potuerant, ut amorem discerent in corde Virginis.—Ita ut.

LECTIO 2.

Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquàm excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sve scientia destruetur. Tu.

℟. Totam Virginem incandue-rat divinus amor, * Ita ut nihil esset mundanum quod eum violaret, sed ardor continus et ebrietas perfusi amoris. ℣. Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.—Ita ut.

LECTIO 3.

Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam, ut parvulus, cogitabam, ut parvulus. Quandò autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum. Nunc autem manent fides, spes, et charitas, tria hæc: major autem horum est charitas. Tu.

℟. Gloriosissima Virgo ex privilegio singulari * Continuè et sempèr Deum amabat actualitèr. ℣. Adeò ut nec actio contemplationem minueret, et contemplatio non desereret actionem. — Continuè. — Gloria.—Continuè.

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini.

Sermo in Dom. 2. post Pentec.

LECTIO 4.

Triplex est dilectio Dei, naturalis, acquisita, et infusa. Naturaliter omnia diligunt Deum, tanquàm supremum bonum, à quo totum esse dependet..... Alia est dilectio acquisita ex contemplatione creaturarum, beneficiorum, magnitudinis excellentiæ et bonitatis Dei.... Alia est dilectio infusa, quam Deus prout vult donat fidelibus suis: quæ charitas nuncupatur secundum illud Apostoli: charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Tu.

℣. Factus est in corde meo ignis exæstuans, * Et defeci ferre non sustinens ardorem charitatis. ℣. Concalmi cor meum intra me, quia fortis est ut mors dilectio.—Et defeci.

LECTIO 5.

In omni dilectionis genere beata Virgo MARIA omnes alios excessit. Nam si de acquisitâ dilectione agatur, ipsa assiduè conversabatur cum Domino, et nova indesinenter erga se indicia, nova ad eum redamandum incentiva percipiebat, quibus cor ejus magis magisque in dies in ejus amorem accendebatur, atque æstuabat. Similiter si de infusa loquamur, notum est, quo amore flagrabat, quæ ignem illum deitatis carne vestivit, et novem mensium spatio in suis visceribus portavit. Tu.

℣. Introduxit me Rex in cellam vinariam, * Et ordinavit in me charitatem. ℣. Misit Deus ignem in ossibus meis, et erudivit me.—Et.

LECTIO 6.

Ad naturalem ergò dilectionem quod expectat: nos hâc dilectione solum diligimus Deum, ut opus artificem, ut creatura creatorem. Ipsa verò ultrà hoc, naturaliter eum, ut Mater Filium, diligebat. Est autem matris amor ad filium uti naturalissimus, ita et fortissimus, adeò ut etiamsi filius sit turpis, et omninò abominabilis aliis appareat, tamen Mater eum diligit, urgente et instigante naturâ. Quantùm ergò putas illam dilexisse talem ac tantum Filium? Igitur si in hoc mundo unquàm aliqua creatura, quæ toto corde, totâ animâ, totis visceribus, totâ mente Deum dilexit, illa fuit. Tu.

℣. Fulcite me floribus, et stipate me malis, * Quia amore langueo. ℣. Pone me, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.—Quia amore.—Gloria.—Quia amore.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 34.

In illo tempore: Dixit Simeon ad MARIAM Matrem JESU: ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Serm. 29. in cantic.

Est etiàm sagitta electa amor Christi, quæ MARIÆ animam non modò confixit sed etiàm pertransivit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret, sed toto corde, totâ animâ, totâ virtute diligeret, et esset gratiâ plena. *Lect. 8.* Aut certè pertransivit eam, ut veniret usque ad nos, et de plenitudine illâ omnes acciperemus, et fieret Mater charitatis, cujus Pater est charitas Deus, parturiens et in sole ponens tabernaculum ejus, ut scriptura impleretur, quæ dicit: Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Tu.

℣. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilecto meo, ut nuntietis ei * Quia amore langueo. ℣. Nuntiate ei, quia vulnerata charitate ego sum.—Quia.

8. Benedictio. Cujus Charitatem.

LECTIO 8. (*Lect. 9.*)

Hoc enim impletum est per MARIAM, quæ in carne visibilem edidit quem invisibilem nec de carne, nec cum carne suscepit. Et illa quidem in totâ se grande et suave amoris vulnus accepit: ego verò me felicem putaverim, si summâ saltem quasi cuspide hujus gladii pungi interdùm me sensero, ut vel modico acceplo amoris vulnere, dicat etiàm anima mea: vulnerata charitate ego sum. Tu.

℣. Cor meum inflammatum est in me, et renes mei commutati sunt: * Concalnit cor meum intra me, et in meditatione meâ exardescet ignis. ℣. Fulcite me floribus, et stipate malis, quia amore langueo.—Concalnit.—Gloria.—Conc.

LECTIO 9.

Commem. B. V. de Colle-Auroræ.

℣. *Cantos libr. 1. c. 1.*

Non longè ab urbe Dertusæ, in Hispaniâ, percelebre extat Deiparæ Sacellum sub titulo de Colle-Auroræ. Imago Virginis sanctissimæ, quæ ibi asservatur, in arbore antiquitus inventa non sine cœlesti prodigio, fertur. Feria tertia Paschæ est ipsi sacra, in quo die Dertusenses urbs solemni supplicatione ad eam invisendam conscendere consuevit. Prodigia non rarò per hanc Imaginem Deipara operata est, maximè in nautas et navigantes, ut ex appensis tabellis satis apparet. Statua lapidea est, puerum sustinet, coloribusque, quibus induitur, formosior videtur. Tu. Te Matrem.

℣. ℟. *br.* Quæ charitate vulnerata fuisti.

CANON.

Ex D. Augustino Episcopo.

Ap. D. Bon. Spec. c. 17.

472. Quis dubitare poterit, omninò in affectionem charitatis transisse viscera MARIÆ, in quibus ipsa, quæ Deus est, charitas novem mensibus corporaliter requievit? Tu.

Cum secundis Vesperis.

DIE XIX. FEBR.

B. V. DE RUPE-AMATORIS

Semiduplex.

Lect. de Script. fer. occurr.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Histor. B. V. de Rupe-amatoris.

Sacellum Beatæ Virginis Rupis-amatoris, vernaculè Roca-amadour, peregrinationibus votivis et miraculis celeberrimum, situm propè Durandum flumen in Cadurcensi Provinciâ in Regno Galliæ, à Sancto Amatore Eremitâ nomen accepit, qui illud in honorem Deiparæ extruxisse ad tertium sæculum dicitur sub maximæ elevatæque rupis concavitate, in quo et vitam finivit. Dionysius de Bar Tutellensis Episcopus Oratorium compressum erexit hunditus anno millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, et quantùm potuit, ampliavit: quo completo Missam altâ voce celebrandam diebus singulis in honorem ipsius Virginis instituit, et congruo redditu stabilivit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Ingens verò quovis tempore fuit peregrinorum accursus ad Rupem-amatoris, inter quos numerati Roldanus, nepos Caroli Magni, Sanctus Ludovicus rex, Sanctus Engilbertus Episcopus Coloniensis et

Martyr, Blancha Castellæ, Carolus dictus Pulcher, Ludovicus Undecimus, et alii plurimi præclarissimi viri, creduntur. Henricus secundus Anglorum Rex munitus sicut ad prælium, quia terræ inimicorum appropinquabat, Deiparam eo in Rupe etiàm visitavit ob votum emissum in perlongâ ægrotatione. Sed Rex ejus filius aliquot post annos, deficiente sibi pecuniâ, cum thesauros hujus Ecclesiæ asportasset, in gravem incidit infirmitatem, de quâ et mortuus est. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Alii verò illustres viri qui hunc sacrum locum adire non poterant, ad eumdem varia dona transmiserunt, inter quos Alphonsus nonus Castellæ Rex, qui dedit Sacello Rupisamatoris duas Villas in Castellâ, Tornellos et Orbanella dictas, Sanctia filia Ramiriri Regis Navarræ pannum operosum conficiens ad ejusdem Ecclesiam misit. Odon Comes de Marcâ etiàm ei donavit saltum Montis Salvy, aliasque perplures ditissimas oblationes. Nunc autem etsi veteris magnificentiæ hujus templi vix vestigia post gallicanas revolutiones remaneant; attamen erga Beatissimam Virginem Rupisamatoris magna adhuc extat devotio, et ipsa fidelibus illud Sacellum visitantibus nova beneficia quotidiè dispensat. Tu. ℣.

Homilia de Comm. pro Semidupl.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Myansensis.

Pouget in Imagin. Deiparæ.

Sacellum est Divæ Virgini sacrum in Sabandiâ in oppido Myans à quo et nomen habet, peregrinationibus votivis et miraculorum frequentiâ ab antiquo percelebre. Anno millesimo ducentesimo quadragesimo nono fuit miraculo ab ingenti exidio, quo circumstans regio fuit vastata, præservatum, Ad medium decimi quinti sæculi ei fuit adjunctum cœnobium Fratrum Sancti Francisci cum ampliori Ecclesiâ à Jacobo Comite Montis majoris in gratiarum actione pro beneficiis à Deo receptis, quod nunc à Myansensi Parroco habitatur, ejectis religiosis à vandalicâ præcedentis sæculi impietate. Sanctissima Effigies ibi asservata satis parvula, nigra est, et puerum secum tenet. Tu.

Te Matrem Dei.

Vesperæ sequentis.

DIE XX. FEBR.

B. V. IN NUPT. CANA GALILÆÆ.

Duplex.

Oratio.

Imploret pro nobis, quæsumus, Domine, spiritum charitatis apud tuam clementiam Beatissima Virgo MARIA, quæ in Nuptiis Cana Galilææ pro invitatis vinum à te et humiliter postulavit, et efficaciter obtinuit. Qui vivis... in unitate ejusdem Spiritûs Sancti.

In 1. Noct. Lect. Scrip. fer.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis. *Se.m. de Sept. verbis art.* 3. *c.* 2.

LECTIO 4.

Hoc est igitur illud verbum admirandæ compassionis et pietatis, quod dulcissima Mater Christi et advocata nostra, et in terris et in cœlis pro nobis miserabilibus, et infirmis, tanquàm pia Mater pro filiis suis unquique deplorandis dicit dilecto Primogenito suo, vinum non habent. Non quidem ut nos accuset, aut nobis improperet, sed potiùs ut Christum ad piam misericordem erga nos inducat, et ut nobis impetret vinum optimum, et copiosum divinorum saporum et ebriatatum, atque omnium virtutum, quæ

nobis sunt necessariæ ad salutem. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Vinum non habent. Non faciens ipsorum memorem, qui omnia novit: sed interpellans Virgo Mater, locuta est, ac si ad eam cura omnium pertineret, et omnium hominum advocatam se sentiens, quæ pro omnibus creaturis cunctorum facta fuerat Virgo Mater, officium advocationis, et piæ auxiliatricis assumpsit, cum videret inopiam; ac si opus non sit eam precibus excitare, quæ omnem oculum pietatis suæ in nos direxit, ac præsciens indigentiam nostram, et se cunctorum hominum Matrem pietatis agnoscens sollicitè pro filiis irrequisita etiàm ad Dei Filium intercessit, dicens: Vinum non habent Tu. ℣.

LECTIO 6.

Si hoc non rogata perfecit: si hoc viatrix existens, quid cum regnat in patriâ? Si hoc apud Filium temporali morte subjectum, quid cum mortem superavit? Carnem immortalem revocavit à tumulo, collocavit in cœlo, paternam sedet ad dexteram, tenens imperium universorum. Porrò tàm fuit miræ efficaciæ et virtutis hoc breve verbum apud dilectum Filium suum JESUM, tantumque impetravit dilecto suo Joanni Evangelistæ, quod de nuptiis ad continentiam virginalem et ad summæ contemplationis apicem est perductus. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 2. 1.

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater JESU ibi. Et reliqua.

Homilia D. Eusebii Episcopi.

Hom. in Dom. 2. post Epip.

Et deficiente vino, dixit Mater JESU ad eum: vinum non habent. Plena enim Spiritu Sancto Virgo MARIA jàm tum illud miraculum prævidebat, quod Filius ejus facturus erat. Quod ergò JESUS facere cogitabat, hoc illa, ut faceret, admonebat. Et dicit ei JESUS: quid mihi et tibi est mulier? Quid mihi, inquit, et tibi commune est, nisi hæc caro mortalis, et humanitas ista, quam fero, quæ famem pati, sitire et mori novit, miracula autem facere non novit? Quod enim in vinum aqua convertitur, non humanitatis, sed divinitatis est. *Lect.* 8. Nondùm venit hora mea. Nondum venit hora passionis meæ, in quâ quid mihi et tibi sit commune omnibus innotescat. Tunc enim carnem quam de te suscepi, non virtutes et miracula facere, sed in cruce pendere et mori videbis. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Et tunc quidem faciam vinum novum, tunc faciam omnia nova, tunc literæ vetustate relictâ ad novam et spiritualem intelligentiam cuncta convertam. *Lect.* 9. Hoc enim significans, ait: non bibam amodò de hoc genimine vitis usque in diem illum, quum illud bibam vobiscum novum in regno Dei. Dicit Mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis facite. Inter se loquebantur Mater et Filius: ipsi se intelligebant: ipsi sua secreta noverant: ipsi quid tunc fieri oportebat, et quid posteà futurum erat, sciebant. Cæteri autem, quid ipsi dicerent, ignorabant. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Casalibus.

Ex Pougeto in histor. Desp.

Sacellum nostræ Dominæ de Casalibus in Gratianopolitanâ Diœcesi à Sancto Hugone Episcopo dicitur structum in montibus quos Carthu

sianos vocant, pro primis Sancti Brunonis Ordinis Patribus, atque ab ipso Sanctissimæ Deiparæ et Sancti Joanni Baptistæ dicatum. Sacello fuit monasterium, (sive variæ cellulæ aut casulæ, undè de Casalibus nomen) adjunctum. Post quadraginta et novem annos in ruinam delapsum, in loco ubi nunc est, fuit iterùm ædificatum. Decimo quinto sæculo tandem, Præpositus Generalis Ordinis illud omninò restauravit, et in formam, quâ nunc politur, redegit. Tu.

Te Matrem.

CANON.

Ex S. Bernardino Senensi.

Serm. de flam. 7. amor. flamm. 6. Tom. 3. p. 341.

473. Gloriosa Virgo compatiens humano generi propter ejus caliginem ignorantiæ, nihil aliud voluit dicere, quandò ipsa dixit: Vinum non habent: nisi quòd mundus adhuc te non cognoscit: undè clarifica te, ut te cognoscat, et cognoscendo te credat, et credendo salvetur. Tu.

Cum 2. Vesperis.

DIE XXI. FEBR.

B. MARIÆ V. DE MONLORA.

Simplex.

Lect. 1. de Script. feriæ.

LECTIO 2.

Lanuza Histor. Aragoniæ t. 1. c. 29.

Non longè ab urbe Lunâ, in Aragoniâ anno millesimo quingentesimo structum fuit Divæ Virgini templum sub titulo de Moulorâ, cui cœnobium Sancti Francisci erat adjunctum, à quodam Michaele Torrero, viro nobili, Cæsaraugustano cive, ut ex Bullâ Alexandri Sexti, quâ ipsi illi fundandi licentiam facit liquet. Nescitur, an priùs ibi fuerat jam Sacellum aliquod. Quod verò nunc eo in monte exurgit templum perpulchrum est, perpulchramque habet Virginis aram, atque in lateribus optima sacella. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Commem. B. V. Vertenqueliensis.

ex Justo Lipsio.

In Vertenquelio, pago non longè à Cameraco sito, maximè diva Virgo colitur, pluribus abhinc sæculis, ut ex Justo Lipsio liquet, qui ingens miraculum ope Deiparæ anno millesimo quadringentesimo vigesimo quarto Vertenquelio obtentum, enarrat. Miraculum autem fuit: puer sine vitâ natus, et in terrâ non sacrâ sepultus, post quindecim dies defossus, vivens invenitur, et intactus, ac ad Vertenquelium deductus, baptizatur. Ibi in aræ Beatæ Virginis reclinatus vixit quinque horas circitèr: ac mox instar nivis visus est palàm liquescere et tabescere, et sic ad mortem ire. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. ant. Luna pedes dorsum Erla, tenetque cacumina montis Monloræ Virgo, Mater et ipsa Dei.

Vesperæ sequentis.

DIE XXII. FEBR.

BAPTISMI B. MARIÆ V.

Duplex 2. Classis.

IN I. VESPER.

Antiph. Capitel. et Oratio de Laudib. Psalm. de solemnitatib.

HYMNUS 209. *Salla.*

Jordanis amnis, judiciarius
Privo latinis ore vocabulis,
Per quem supremi prænotantur
Judicis arbitrio probandi.
Hi nempe, lymphis sanctificantibus
Baptisma seu quos, te penes edi-
tum,

Sive ipsismet, jussa quondam,
Mystica symbola quos sigillent.
Sic protoplasti quos sibi posteros
Canon reatûs, dum tibi subjicis,
Hoc, obstupesco, quòd solutam
Jus tibi sumpseris in MARIAM.
Esthere cum pro hâc lex ea nulla
sit,
Etsi stet omni prole pro adamicâ
Vi seminali procreandâ,
Undè rogo, tibi jus in illam?
Fas te venusto nomine prædium
Mundasse Naaman fœde elephan-
ticum,
Lepræ lavacro præmonente
Post tibi crimina proluenda.
Fas condecentem fluminis alveo
Mersisse plebem temet olimpico
Regi parandam jam propinquo
Fortiter ore Joannis aclam.
Fas te vel undis jure trementibus
Tinxisse Christum, se madidanlium
Naturæ aquarum vim luentem
Crimina sontibus, indiluum.
Quæ mox lavandis crimine ter-
reis
Miltuntur oris, atque nœmicum
Purgans nefandâ gente easdem,
Sanctius alluvium futuræ.
Qui linctus, undis tingere contulit
Dignè MARIAM, cum Patre Filio
Carni revincto, cumque Sancto,
Gloria, Pneumate, sit perennis.
Amen.

℣. Fons de domo Domini egre-
dietur.

℟. Et per omnes rivos Juda
ibunt aquæ.

Ad Magnif. ant. Ipse Filius Virginis est qui baptizat in Spiritu Sancto, et igni.

Complet. de Domin.

AD MATUTIN.

Invitator. Baptismum Beatissimæ Virginis MARIÆ celebrantes, Christum ejus Filium adoremus Dominum.

HYMNUS 210. *Salla.*

Baptismus ergò, pinxerat om-
nium
Quem noxiarum mersio gentium,
Typo MARIÆ nante cymbâ,
Antitypo impar inundat illam.
Tollens in altum nam cataclismus
hic
Arcam, ut priori culpæ ab origine,
Baptismi an æquè non supernam
Innuit alluvio MARIAM?
Mosis bacillo Virginis alteri
Umbræ vetustæ pontica cesserat
Rubra unda, cessùm Veritati
Ire fluente, reor, figurans.
Intemet imo nonne retortus es
Prisci pavescens, et nihilominus
Totam recentis pervenustam
Mergere fœderis ausus Arcam?
Qui linctus, undis tingere contulit
Dignè MARIAM, cum Patre Filio
Carni revincto, cumque Sancto,
Gloria, Pneumate, sit perennis. Am.

IN I. NOCT.

1. Ipse Filius Dei Matrem suam MARIAM baptizavit.

2. Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto et igni.

3. Ingenti fide Baptismum Christi sanctissima suscepit Virgo.

℣. Quicumque in Christo baptizati estis.

℟. Christum induistis.

De Epistolâ ad Romanos.

LECTIO 1. c. 6. 3.

An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simùl et resurrectionis erimus. Hoc scientes quia vetus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

homo noster simùl crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultrà non serviamus peccato. Tu.

℟. Quicumque baptizatus fuerit aquâ et Spiritu Sancto * Intravit in regnum Dei. ℣. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.—Intravit.

De Epistolâ primâ ad Corinthios.

LECTIO 2. *c.* 10. 1.

Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniàm patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari. Et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt (bibebant autem de spirituali consequente eos petrâ: petra autem erat Christus). Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figurâ facta sunt nostri. Tu.

℟. Effundam super vos aquam mundam: * Et erit in die illâ fons patens in ablutionem. ℣. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.—Et.

De Epistolâ ad Titum.

LECTIO 3. *c.* 3. 4.

Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abundè per JESUM-Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Fidelis sermo est: et de his volo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo. Tu.

℟. Mirantibus cœlis Christus Matrem baptizavit. * Unda sanctior evasit, et Spiritus Sanctus totam eam replevit. ℣. In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.—Unda.—Gloria.—Mirantibus.

IN II. NOCT.

1. In illâ die erit fons patens domui Jacob, et habitantibus Jerusalem.

2. Demorabatur JESUS cum discipulis suis in Judæâ, et baptizabat.

3. Matrem suam quoquè Christus manu propriâ baptizavit.

℣. Baptismus est hodiè Beatæ MARIÆ Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ex verbis B. Alberti Magni Ep. *Quæst.* 36. *super Missus.*

LECTIO 4.

Quæritur, utrùm beata Virgo fuit baptizata? Et videtur quòd sic. Quidquid habet omne conferens gratiam plenius est gratiâ, quàm id quod habet aliquid conferens gratiam, et aliquid non. Sed beatissima Virgo fuit plena gratiâ: ergò habuit omne conferens gratiam: ergò habuit baptismum. Item præceptum de baptismo post sui promulgationem obligat omnes ad sui susceptionem: ergò et beatam Virginem. Item Dominus baptizatus fuit, quamvis non indiguit, vel indigeret: ergò beata Virgo debuit baptizari. Tu.

℟. Vidit Joannes JESUM venientem ad se, et ait: * Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. ℣. Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto et igni.—Ecce.

LECTIO 5.

Joanne, capite tertio dicitur: nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto non intrabit in regnum cœlorum. Sed Beata Virgo regnum intravit: ergò baptizata fuit. Item

si non baptizaretur, ignarum suæ sanctificationis scandalizaret: sed non scandalizat: ergò baptizata fuit. Item legalia servavit, sicut purificationem mulieris: ergò et evangelica servavit. Item Dominus dixit Joanni: sic enim decet nos adimplere omnem justitiam: Glossa: id est, perfectam humilitatem: ergò propter eamdem causam debuit baptizari Beata Virgo. Tu.

℟. Amen, amen dico vobis: * Quia nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. ℣. Non mireris, quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo.—Quia.

LECTIO 6.

Item de Apostolis supponitur, quòd fuerint baptizati per illud Joannis: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet. Ergò multò fortiùs debuit illud supponi de Beatâ Virgine, quæ fuit perfectissima observatrix consiliorum et præceptorum Dei. Item, si non esset baptizata, non haberet caractherem per quem distingueretur à Judæis et Gentilibus. Tu.

℟. Beatissima Virgo MARIA intacta et immaculata accepit Baptismum Christi: * Sic enim decet implere omnem justitiam. ℣. Filius ipse baptizavit Matrem.—Sic enim decet.—Gloria Patri.—Beatissima.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.

2. Unus Deus, una fides, unum baptisma.

3. Baptismum Immaculatæ Virginis celebremus, ut ipsa intercedat pro nobis ad Dominum.

℣. Christus est qui baptizat.

℟. In Spiritu Sancto et igni.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 3. 1.

In illo tempore: Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine. Et reliqua.

Homilia B. Dionysii Carthusiani.

De laudibus B. M. V. 3. 27.

Baptismus juxta sanctorum doctrinam est janua sacramentorum necessitatis, illà quòd omnes tempore Evangelii divulgati tenentur ad illud, dummodò adsit facultas. Et sicut sanctificati in utero tempore legis mosaycæ circumcisionem susceperunt, ut patet de Joanne Baptistâ et Jeremiâ; sic et si qui in evangelicâ lege sanctificarentur in utero, adhuc tamen deberent Baptismum accipere, tùm propter Christi præceptum, tùm propter suscipiendum caractherem, quo baptizatus Christo in terris conformatur, ejusque populo annumeratur, tùm propter gratiæ incrementum, tùm ut per corporalem babtizationem Christo passo et sepulto etiàm corporaliter configuretur. Tu.

℟. Ego baptizo vos in aquâ, in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, ipse vos babtizavit * In Spiritu Sancto et igni. ℣. Et ipse est qui babtizavit Virginem MARIAM.—In Spiritu.

Benedict. 8. Cujus Baptismum colimus.

LECTIO 8.

Hinc quoquè Apostoli in circumcisione ab originali culpâ purgati, creduntur à Christo baptizati. Quamvis enim circumcisio in lege scriptâ, et baptismum in evangelicâ lege instituti sint contra originale peccatum secundum communem cursum, tamen et alios habuerunt effectus salubres, et baptismus adultorum habet, propter quos possunt et sanctificatis in utero convenire.

Hinc immaculatissima, et optima Virgo MARIA fertur Christi Baptismate baptizata: quæ etiàm legi Purificationis ex obedientiâ et humilitate se subdidit. Tu.

℣. Effundam super te aquam mundam, et Spiritum meum ponam in medio tui, * Ut tecum habitet semper. ℣. Spiritus sapientiæ et intellectûs, Spiritus consilii et fortitudinis.—Ut.—Gloria.—Effundam.

LECTIO 9.

Et itèm ob singularitatem vitandam, ne baptismum vitando videret innocentiam suam jactare: præsertim quia innocentissimus et sanctissimus Filius ejus Christus baptismum suscepit Sancti Joannis. Item ob scandalum vitandum et adhibendum exemplum ne persona quantumlibet eminens baptismum renuat Salvatoris: atque ob gratiæ ac virtutum augmentum, et meritorum suorum supererogationem, et propter caracteris impresionem sumendum, ad ampliorem suam et exaltationem et gloriam sempiternam, quia quo amplius ac profundius se humiliavit, eo gloriosius exaltari promeruit. Tu. TeMatrem.

AD LAUDES.

Et per Horas Antiphonæ.

1. Hæc est Filia mea * dilecta, in quâ mihi benè complacui. *Psalmi de Dominicâ.*

2. Hæc est Mater mea * carissima, quæ me genuit, quæ me peperit, quæ me nutrivit.

3. Hæc est Sponsa mea * immaculata, in quâ sunt meæ deliciæ.

4. Hæc est totius beatissimæ Trinitatis nobile Triclinium

5. Baptizata est Virgo * MARIA in nomine Patris et Filii, et Spiritûs Sancti.

CAPITULUM. *Isai. 44. 3.*

Effundam aquas super sitientem, et fluenta super aridam; effundam Spiritum meum, et benedictionem meam.

HYMNUS 211. *Salla.*

Etsi audiatur primitùs absona
Verbi Parentis mystica lolio,
Divino ut ejus facta nutu
Elogia inclyta promeretur.

Est illa primò non relicenda laus
Quòd Sancta Mater Nati imitamine
Formâ reatûs tecta fastum
Pectoris obterit insolentem.

Quin et sequendam præbet imaginem
Sese novandis flumine gentibus
Pastoris instar pelle ovinâ
Anteeuntis oves amicti.

Culpâ inquinatos denique spiritus
Baptisma sanctos, quos lavat, efficit,
Sanctos adauget, signat omnes
Magnifico Triados sigillo.

Quâ dote solis ex renitentibus
In corpus unum quit coalescere
Ecclesia, auctit quod piorum
Concio Christiadum vocabulum.

En prolendæ labis ut indiga
Nullius undis diva Puerpera
Est mersa: dignum lauce sacrum
Ipsius undè fuit lavacrum.

Priscis nec undis exitialibus
Typos MARIÆ rite verentibus
Est tactu JESU sancta CHRISTI
Vivificans aqua conferenda.

Qui tinctus, undis tingere contulit
Dignè MARIAM, cum Patre Filio
Carni revincto, cunque sancto,
Gloria. Pnenmate, sit perennis. Am.

℣. Baptismus est hodiè Sanctæ MARIÆ Virginis.

℣. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Benedict. ant. Corde et animo Christo canamus gloriam in hâc sacrâ solemnitate Baptismi Beatæ MARIÆ Virginis.

Oratio.

Domine JESU—Christe, qui Sacramentum Baptismi Beatissimæ Matri tuæ ad incrementum gratiæ

et meriti contulisti; concede propitius, ut quos per illud filios adoptionis tuæ nos fecisti, æternam gloriam obtinere valeamus. Qui vivis et regnas.

Ad Horas antiph. Capit. Prim. et Orat. de Laudib. cætera de Com.

℣. ℟. *br.* Quæ manu Christi baptizata fuisti.

CANON.

Ex Concilio Tridentino.

Sess. 7. can. 5.

474. Si quis dixerit Baptismum liberum esse; hoc est, non necessarium ad salutem: anathema sit.

In II. Vesp. Ant. et ℣. de Laudibus.

HYMNUS 212. *Villamitg.*

Jordanis celeres mollius urgeat
Fluxus et latices temperet algidos,
Lambat Virgineum pectus, et abluat
Et Baptismate consecret.

Consecrat potiùs Virgo Deipara
Fluctus, et maculæ nescia provehat
Mundandi meritum sordida cordium
Salvandique potentiam.

Puras ingreditur Femina purior
Undas, filque sacer ritus, et intima
De summo veniens æthere Spiritus
Tincta viscera permeat.

Tum Matri cumulat munera Filius
Baptismi meritò, Spiritus optimæ
Sponsæ congeminat vincula vinculis,
Dat tutius Pater oscula.

Da, Virgo, populis indolis efferæ
Ad Baptisma cilos currere. Gratiam,
Da, nostri teneant, moribus excolant,
Amissamve resarciant.

Summæ sit Triadi laus pia jugiter,
Cujus gratuitò numine subvenit
Virgo terrigenis, proterii inferos
Et cœlestibus imperat. Am.

Ad Magnif. ant. Baptismus tuus, Dei Genitrix Virgo hodiè lætificat cunctas animas sanctas.

DIE XXIII. FEBR.

S. M. NOVISSIMÆ DE GRATIIS.

Semiduplex.

In I. Noct. Lect. Scrip. fer. occur.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Gumpenberg. Ad. Mar. 730.

Prima Bilorum, quæ in Ur[1] inatis ditione sedes est Episcopi Feretani, colitur in templo parrochiali Sancti Christophori antiquissima Imago Deiparæ in muro depicta, quæ dicitur Sancta MARIA Novissima de gratiis. Ejus altare consecratum fuit anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo ab Honorio Tertio concessis etiàm indulgentiis. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Eadem Imago anno millesimo quadringentesimo octavo, die vigesimâ Martii, qui ejusdem mensis tertius dies veneris fuit, lacrymas effudit ex oculo dextero, quod testibus idoneis et oculatis rite probatum credidere majores, et nobis abundè probant, quæ supersunt lacrymarum vestigia, et denique oculus dexter, qui lacrymas dedit, sinistro non parum strictior. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Ad hanc quoque Imaginem Urbs confugit hostibus pressa anno millesimo, quingentesimo decimo septimo die vigesimâ tertiâ Februarii, quo die Deipara hostium oculos ignitis ex aere radiis ita perstringit, ut murorum defensores videri ab iis non possent, adeò ut assalium jam inchoatum intermittere cogeretur. Perrò post quinque annos eodem die iterum urbem ab hostibus liberavit. Adest demùm gratitudo civium tanta, ut eam inter mira, si non inter miracula numeres. Tertio die veneris Martii festum lacrymationis celebrant, et vi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gesima tertiâ Februarii pro duplicis urbis liberatione multiplices Deiparæ gratias festivâ celebritate persolvunt. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 28.

In illo tempore: Ingressus Angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Et reliqua.

Homilia D. Chrysippi Presbyteri. *Orat. de S. M. Deip.*

Nos autem per opportunum est modò, ut plurimarum prophetiarum fatidas acclamationes Virgini adscribamus, et dedicemus. Aveigitur semper, ave gratiâ plena: ave quæ vulvam adepta es præter naturam, vel ipsis cœlis latiorem: quandòquidèm per hanc comprehendisti eum, quem nec cœli quidem capiunt. *Lect.* 8. Ave fons lucis omnem hominem illuminantis. Ave solis ortus, qui nullum ferre potest occasum. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Ave armarium vitæ. Ave, quæ es hortus Patris. Ave, quæ es pratum totius fragantiæ Sancti Spiritûs. Ave radix omnium bonorum. Ave specimen gemmæ omne pretium excedentis. Ave vitis ubas pulchras producens. *Lect.* 9. Ave nubes pluviæ potum animis Sanctorum exhibentis. Ave, quæ es puteus semper viventis aquæ. Ave, quæ es rubus ardens igne spirituali, nesquàm tamen adureris. Ave porta clausa soli Regi aperta. Ave mons, undè lapis angularis abcisus est sine manibus. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Arelatensis de Gratiâ.

Ex Pugeto. Histor. Imag. Deip.

In Ecclesiâ Sancti Trophimi Arelatensis Urbis marmorea Effigies betæ Virginis sub titulo de Gratiâ, quæ priùs in Ecclesiâ Sancti Honorati sedem habebat in perantiquo Sacello ab ipso Sancto Throphimio Sancti Petri Discipulo, Deiparæ adhuc viventi, ut creditur, dicato: quod nunc ferè ruinâ collabitur, vastatum quum fuerit in Gallicanis revolutionibus. Sempèr ad illud fuit ingens fidelium accursus, innumeris à beatâ Virgine collatis gratiis attracti, undè et de Gratiâ Sanctissima Imago nomen obtinuit. Tu. Te Matrem.

Cum 2. Vesperis.

DIE XXV. FEBR.

EXILIUM B. M. V. IN ÆGYPTO.

Duplex.

IN I. VESP.

HYMNUS 213. *Salla.*

Jam jamque contremiscile,
Aræ, columnæ, fanaque
Idola item memphitica,
Et tecta in his dæmonia.
Prænuntiata antiquitùs
Adventat en Nubecula,
Quâ vectus orbis Conditor,
Vos commovebit funditùs.
Quæ corda condolebilis
Vestrùm ruinam Numinum,
Gaudete, pro tot ludricis
Verum coletis Unicum.
Quæ dicta solis civitas,
Loco, tibi, nefarii,
Qui te replet caligine,
Sol æqualis oritur.

Doxolog. de Tempore.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui exules filii Evæ ad te gementes et flentes clamamus in hâc lacrimarum valle, per intercessionem Beatissimæ Virginis MARIÆ ad æternam Patriam pervenire valeámus. Per Dominum.

AD MATUTIN.

HYMNUS 214. *Secund. ab Hoz.*

O felix regio! tibi nam

Fortuna secunda
Parat, ut exilio
Virgine tecta fores.
Altera nec erit ut
Matharich ora beata,
Pandit quæ sacris
Hospita tecta viris.
Constitit hic Virgo, quosdam
Permansit et annos,
Suxit et hic Infans
Ubera pura Matris.
Incolis hic præit
Virtutis luce nitenti,
Mitigat et sancta
Saxea corda Parens.
Quam miseret tristis
Peccati errantis in umbrâ,
Atque animo quietem
Medica pulchra parat.
Meruit ut multi
Præstantes dentur honores,
Laudeturque toto
Nomen in orbe suum.
Gloria summa Patri
Sit par tibi gloria, Nate:
Gloria sit compar,
Spiritus almæ, tibi. Amen.

Lection. 1. *Noct. ut in Dom. IV.* Vitæ activæ. *p.* 267.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Meditatione Vitæ Christi. *c.* 12.

LECTIO 4.

Cum Ægyptum Sancti Sponsi intraverunt omnia idola ipsius Provinciæ corruerunt, sicut per Isaiam fuit prophetatum. Iverunt ergò ad quandam civitatem, quæ vocatur Heliopolis, et ibidèm aliquam domunculam conducentes, habitaverunt ibidèm per septem annos tanquàm peregrini et adveni, pauperes et egeni. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Advertas benè quæ sequuntur. Undè enim et quomodò vivebant isti tanto tempore? Nunquid mendicabant? Legitur autem de Domina, quòd colo et acu quærebat sibi et Filio necessaria. Suebat ergòet filabat mundi Domina, pauperatis amatrix. Multùm per omnem modum isti pauperiatem dilexerunt, et ei perfectè usque ad mortem servaverunt fidem. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Conspice ergò Dominam in laboribus suis suendo, filando, et texendo, quomodò facit ea fidelitèr, hilaritèr, humilitèr, et sollicitè. Nihilominùs diligentissimam curam super Filio suo, et super gubernatione domûs, necnon vigiliis et orationibus juxta posse est sempèr intenta. Tu ergò toto affectu ei compatere, et considera quòd non habuit omninò gratis regnum Domina regni. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 2. 13.

In illo tempore: Ecce Angelus Domini apparuit in somnis JOSEPH, dicens: Surge et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis. *Serm.* 2. *Super Sale. Reg. inter ejus oper.*

De hoc exilio, ô Sancta Sanctorum, ad te clamamus exules Filii Evæ, ut interventu tuo, ducatu tuo, adjutorio tuo possimus ad cubiculum veritatis repatriare. Scimus procul dubio, quia nihil amplius habet homo de universo labore suo, quo laborat sub sole, nisi vanitatem: et tamen puræ consuetudinis nexibus irretiti, per nos redire non possumus in veritatis libertatem. *Lect.* 8. In hoc exilio omne penè genus hominum ab initio usque ad adventum Reginæ cœlorum pe-

regrinari delectabatur, et veritatis patriæ suspiriis nullis seu desiderio recordabatur. Ipsa prima viam aperuit ad patriam, et veritatem quæ vera patria est, mundo generans, dedit omnibus manifestam. Tu. ℣.

LECTIO 8. (*Lect.* 9).

Et nos adhùc filii Evæ transgressores, filii inobedientiæ, filii Matris antiquæ ad te clamamus Regina misericordiæ. Revertere visitans in nobis naturam tuam; revertere ostendendo eam, quam in Christicolas habes charitatem tuam: revertere per singularem in nos à Deo datam potestatem tuam: revertere per eam, quæ tibi specialiter infusa est in plenitudine gratiæ prærogativam tuam, ut intueamur te. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Alcalensis de Spino.

Gumpenb. 818.

Alcalæ de Silvâ comitum de Fontibus villæ in Hispaniâ, pastores Deiparæ Statuam invenerunt Spino arbori insidentem. Illi sanctam Statuam tangere non ausi, unum è suis Alcalam miserunt, qui repertum thesaurum nuntiaret Parrocho, orantibus interea cæteris Deiparam. Parrochus, coactis in supplicantium ordinem incolis, ad locum venit, et sanctam Statuam ad ædem parrochialem deducente populo, deportavit. Ad verò cum alterâ die sacra Imago ad silvam rediisset, quàm primùm Sacellum illo in loco collectis operibus extruxerunt, quod Virgini placuisse miracula declararunt. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino. *In Assump. B. V. Conc.* 5.

475. Ecce à principio per desertum fugit cum Filio, septem annis in terrâ alienâ exulat: paupertate premitur, et sine cognatis: non est qui succurrat: inter idolatras populos sola cum Filio et JOSEPHO, alienigena commoratur. Quanta sustinuit ibi, quanta passa est! Tu.

Vesperæ à cap. de seq.

DIE XXVI. FEBR.

B. V. MEXIC. DE GUADALUPE.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui sub Beatissimæ Virginis MARIÆ singulari patrocinio constitutus perpetuis beneficiis non cumulari voluisti; præsta supplicibus tuis, ut cujus hodiè commemoratione lætamur in terris, ejus conspectu perfruamur in cœlis. Per Dominum.

Lect. 1. *Noct. Fer. occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Super signum magn.

LECTIO 4.

In capite, inquit, ejus corona stellarum duodecim. Dignum planè stellis coronari caput, quod et ipsis longè clariùs micans, ornet eas, polìusquàm ornetur ab eis. Quidni coronent sydera, quam Sol vestit? Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium. Quis illas æstimet gemmas, quibus MARIÆ regium diadema compactum est? Supra hominem est coronæ hujus rationem exponere, indicare compositionem. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Ex Officio proprio.

In eâ ferè specie anno millesimo quingentesimo trigesimo primo, mirabiliter picta Deiparæ Imago Mexici apparuisse fertur, quæ inibi loci propè urbem, ubi pio Neophito ædem sibi sacram prodigio dicitur designasse, ingenti colitur populorum ac miraculorum frequentiâ. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Quam præterea utilissimum adversus publicas, privatasque calamitates præsidium Archipiscopus Mexicanus, ut reliqui etiàm illarum partium Antistites, omnium ordinum consensione in primariam elegit Novæ Hispaniæ Patronam, ritèque electam Benedictus decimus quartus auctoritate Apostolicâ declaravit, atque Officium proprium, et Missam sub titulo Beatæ Virginis MARIÆ Guadalupensis recitari concessit. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 34.

In illo tempore: Dixit Simeon ad MARIAM Matrem JESU: Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel. Et reliq.

Homilia S. Thimotæi Presbyt. Jerosolymitani.

Orat de Præphet. Simeon.

Vide ubi impleatur dictum Simeonis ad Virginem. Quinimò tuam ipsius quoque animam penetrabit gladius nempè doloris, nempè requisitionis, dum requirebat etiàm eum, qui venerat quæsitum id quod perierat. Etsi enim Virgo, erat Mater, attamen in utero gestaverat, mammam præbuerat, cum sollicitudine educaverat, et ita affecta fuerat, ut mater erga filium suum affecta esse solet. Itaque cum putaret se amisisse illum dies treis, cum cordis dolore quærebat eum. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Hanc igitur afficionem, hunc dolorem, tanquàm gladio animæ ancipitem, Simeon rem futuram cernens præsignificat, dicens ad Virginem, quin tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius. Non dixit: vincet gladius, sed transibit gladius: hoc est parumpèr dolebis, et affligeris, ac statim dolore et afflictione liberaberis. (*Lect.* 9.) Dolorem autem cepisse Virginem supra quam dici potest inculpatam, omnibusque modis Sanctam, quum putaret se amisisse eum, qui ad salutem pereuntium venerat, audiebas modo Evangelistam dicentem: Et accidit post dies treis.... Vide quantum dolorem et afflictionem Virgo triduum pertulerit. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Orcivallensis.

Ex Pugeto Histor. Imag. Deip.

In oppido Orcivallis, quatuor à Claromonte leucis in Auvernià Templum est jam ab antiquo Deiparæ Sacrum, quod structum creditur à quibusdam Eremitis eam vallem degentibus, qui posteà cœnobium templo, jam ad elegantiorem formam redacto, adjunxere. Decimo tertio sæculo autem loco cœnobii institutum fuit Canonicorum Capitulum, usque ad finem sæculi decimi octavi, quod templum omninò vastatum, ac ferè dirutum fuit. Miraculosa Divæ Virginis effigies à ruinâ libera evasit, quæpost tempestatem iterum suo in templo locata fuit. Prodigiis clara impensè colitur peregrinorum frequentiâ et fidelium devotione. Lignea est et post tot sæcula incorrupta perseverat. Tu. Te Matrem.

Ad Bened. *ant.* Non fecit taliter omni nationi: et judicia sua non manifestavit eis.

CANON.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis.

℣. *Jul.* 1737. *Hispaniar.*

476. Benedictus Decimus quartus Officium proprium et Missam in honorem Beatæ MARIÆ Vir-

ginis de Guadalupe pro regno Mexicano approbatum, recitandum et respective celebrandam in reliquiis regnis et dominiis Hispaniarum Regis sub ritu duplici majori, pro die ab Ordinario designandâ, exceptâ Dominicâ, benignè concessit. Tu. ℟.

Cum 2. *Vesperis.*

DIE XXVII. FEBR.

D. V. DERCHENSIS,

Semiduplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS 215. *Rith. Antiq.*

Jucundum cœlorum Reginæ
Albiæ sit eloquium:
Quæ nostræ miserâ ruinæ
JESUM placavit Filium.
Hæc Angelo percutienti
Diræ pestis afflamine,
Clamat voce compatienti:
Sufficit, manum contine.
Aufugit mors ex illâ die
Et cessavit quassatio:
Et vitæ Parentis MARIÆ
Nunquàm cesset laudatio.
Votivâ te voce rogamus,
Alma spes Albiensium,
Ut coram Deo placeamus
In lumine viventium. Amen.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Gumpenb. Imag. 356.

In diocesi Albiensi, in Galliâ, unâ leucâ ab Urbe Albiâ colitur Beata Virgo in Sacello quopiam supra collis verticem ædificato, quod Derche, seu Dreche vulgare nomen habet. Antiquus est is cultus, et constans traditio, Effigiem, quæ ibi colitur à Pastoribus inventam fuisse, et à vertice illius collis in subjectam planitiem delatam ad Ecclesiam parrochialem, cujus adhùc hodiè supersunt vestigia. Zelo tamen fidelium in colle fuit ædicula extructa, in quam, cum esset finita, sine hominum manibus fuit delata. Undè pietas et accursus major, quamquàm ipse reditus ad locum inventionis causam dedit struendi Sacelli. Tu.

Lect. 3. *et* 6. *de comm. in II. Noct.*

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia D. Cæsarii Nazianzeni.

Dialog. 1. resp. ad 38. *Interrogat.*

Quum plurimæ et innumerabiles essent mulieres, adhuc incorruptæ, solam tamen ex omnibus elegit «Deus» MARIAM, in ipsâ ineffabiliter uniens sibi, et copulans naturam nostram, quemadmodum divinus ille Vates inquit: Elegit nobis hæreditatem sibi, pulchritudinem Jacobi, quam dilexit, MARIAM perpetuo manentem Virginem significans, quæ nunquàm ad generandum progressa fuerat, aut fœtum in utero materno conceperat. Tu.

LECTIO 8.

Amplexus autem per eam, quæ ex ipsâ erat incarnationem sermonis è supernis exclamabat: Ecce filius meus dilectus, quo delector. (*Lect.* 9.) Quibus in verbis intelligit unicum illum ex se et ex perpetuâ Virgine natum nobis Filium Dei, sibi et nobis consubstantialem: ipsi quidem divinitate, nobis verò ratione carnis assumptæ. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. à Charitate.

Spinell. in Deip. p. 687.

Romæ, Sanctæ MARIÆ à Charitate ad Campum Martium, templum

cum adjunctâ domo piorum eleemosinis extruendum curavit Joannes Leonardus à Sancto Severino, Diœcesis Salernitanæ, qui, quod literarum studiis aliquandò operam dedisset, Literatus est dictus. Is magno puerorum bono hanc sibi curam propter Christum suscipiendam duxit, ut è quâlibet Nationè pueros, qui veluti errones humanâ ope destituti per compita vagabantur, conquisitis eleemosinis in hâc domo charitatis sub Beatæ Virginis præsidio educaret: et posteà adultos, quo vitam honestè sustentare possent, alicui opificio perdiscendo addiceret. Tu. Te Matrem.

Cum 2. *Vesper.*

DIE XXVIII. FEBR.

IN SOMNUM B. M. V.

Duplex.

Lection. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Bernardini Senensis:

Tom. 2. *Serm.* 51. *art.* 1.

LECTIO 4.

Somnus, qui abyssat et sepelit in nobis rationis et liberi arbitrii actus, et per consequens actum mercedi, non credo, quòd talia in Virgine fuerit operatus, sed anima ejus liberè, ac meritorio actu tunc tendebat in Deum. Undè eo tempore erat perfectior contemplatrix, quàm unquàm fuerit aliquis dum vigilavit. Undè ipsa: Ergo dormio, et cor meum vigilat, in contemplatione videlicet perfectâ à nullâ actione debilitatâ. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Ex verbis B. Dionysii Carthusiani.

Capit. 18. *in cantica ap. Chrysog.*

Hoc præclarissima Sponsa Verbi æterni sanctissima Virgo, præmenter dicere potuit, quia contemplatissimam vitam duxit, et ab exteriori immultu omni inordinato strepitu et curâ superfluâ, atque inquietudine culpæ penitùs absistens et sopita, vigilantissimâ mente Deo vacavit, pro Ecclesiâ exoravit, actibusque virtutum in termino excellentiæ perfectissimis jugiter fuit intenta. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Denique in summo corporali cor ejus pervigil fuit: et ex assiduâ assuefactione perfecta insistendi Divinis ex ardentissimâ et exercitatissimâ charitate, ex splendidissimâ et exuberantissimâ sapientiâ sibi infusâ, et contemplatione in vigiliis penè aut prorsùs penè, aut prorsùs continuè etiam tempore somni vigili corde fuit Deo conjuncta et pro comissâ sibi Ecclesiâ vigilare non cessavit. Tu. ℟.

Homil. de comm. pro Duplicib.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Panormitanæ à Miraculis.

De effigieb. siculis.

Anno salutis millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, sexto idus Maji, Imago Deiparæ, quæ Panormi in pariete ad plateam maritimam depicta erat, multis et singularibus prodigiis initium fecit. Egenus ob gravem herniam, quâ viscera è corpore prominabant, ope Virginis repentè sanatum per vias incedens exclamabat. Eâ statim divulgatâ famâ, quamplurimi undiquè accurrere ad imaginem venerandam, atque à Virgine multiplicatis signis, templum quod hodiè exlat, erectum fuit, et ob miraculorum copiam Sanctissima Virgo à miraculis Effigies illa nomen accepit. Tu. Te Matrem Dei.

Cum II. Vesp.

FESTA MARTII.

DIE I. MART.

B. MARIÆ V. DE CUBIS.

Simplex.

LECTIO 1.

Balingh. Kalend. marian. sub hâc die.

Anno millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, sub hâc die et octo sequentibus apparuit Deipara cuidam puellæ porcos pascenti in quodam loco proximo villæ dictæ Cubas, quinque milliaribus dissito à Matrito in Hispaniâ: quarum apparitionum festivitas annuè magno hominum concursu ibi celebratur. Tu. ℟.

LECTIO 2.

Erat autem ista puella Ives dicta, admodùm amans beatæ Virginis, cui Virgo præcepit, significaret populo loci, ubi ipsamet crucem fixerat, extrueretur templum in ejus honorem. Quod summâ diligentiâ intrà annum perfectum est, in quo et innumera miracula ad Deiparæ preces facta sunt. Templo additum est monasterium Religiosorum Ordinis tertii Sancti Francisci, quod ingressa est Beata Joanna à Cruce in quo et floruit virtutibus et sanctitate. Tu.

LECTIO 3.

Commem. B. V. Taracensis à Castro.

Ex Pageto in Historiis Deip.

In Urbe Tarasci in Provinciâ devotissimè colitur Imago miraculosa Beatæ Virginis, quæ decimo quinto sæculo à Brianzone traditur allata, vel à quodam Huberto eremitâ, ac priùs in sacello, quod erat ante castrum, à quo nomen accepit, collocata, posteà in aliud elegantius ipsi structum in alpinarum montè duobus fermè ab urbe leucis fuit deducta. Quotannis solemnissimâ pompâ Tarascum defertur, ubi et quadraginta diebus summo cordium fervore, maximâque devotorum frequentiâ honoratur: quibus transactis iterùm ad sacellum alpinarum transportatur. Sanctissima Effigies lignea est, puerum brachio sustinet, pretiosissimis induta vestibus à pietate fidelium. Tu. Te Marem.

Vesper. de sequenti.

DIE II. MART.

VITÆ INTERIORIS B. M. V.

Duplex majus.

IN I. VESPER.

℣. Elegit eam Deus. ℟. In habitaculum sibi.

Ad Magnif. ant. Elevavit me spiritus et introduxit me in atrium interius, et ecce repleta erat gloriâ Domini Domus.

Oratio.

Deus qui Beatam MARIAM semper Virginem spiritualibus gratiæ donis cumulando, eam imagini Filii tui mirabiliter conformem effecisti: concede, ut fideli virtutum ipsius imitatione, Christum in nobis exprimere valeamus. Qui tecum.

AD MATUTIN.

Invitat. Exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo.

Lect. 1. Noct. de Comm. Vitæ contempt.

IN II. NOCT.

Ex libro S. Ambrosii Ep. de Virginibus. *Libr.* 2.

LECTIO 4.

Sit vobis tanquàm in imagine descripta Virginitas, vitaque Beatæ MARIÆ de quâ velut in speculo refulget species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquàm in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est magistri? Quid nobilius Matre Dei? Quid splendidius eâ, quam splendor elegit? Quid castius eâ, quæ corpus sine corporis corruptione generavit? Tu. ℟.

LECTIO 5.

Nam de cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solùm corpore, sed etiàm mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens: intenta operi, verecunda sermoni, arbitrum mentis solita, non hominem, sed Deum quærere: nullum lædere, benè velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Quandò ista vel vultu læsit parentes? quandò dissensit à propinquis? quandò fastidivit humilem? quandòdirisit debilem? Quandò vilavit inopem? Eos solos solita cujus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum. Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 51.

In illo tempore: Descendit JESUS cum Parentibus ejus, et venit Nazareth, erat et subditus illis. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi.

Homil IX. in Luc. c. 10.

O quàm magna multitudo dulcedinis Dei fuit in beatâ Virgine, quandò Spiritus Sanctus super eam venit, et virtus Altissimi obumbravit ei, et de eodem Spiritu Sancto concepit? Quid de Deo non sapiebat, in quâ sapientia Dei latebat, et in cujus utero corpus sibi aptabat? *Lect.* 8. Christus est, ait Apostolus, Dei virtus, et Dei sapientia, et in eo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi: Christus autem in MARIA. Ergò Dei virtus, et Dei sapientia, et omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei in MARIA. Tu. ℟.

LECTIO 8. (*Lect.* 9.)

Hæc conservabat omnia verba Angelorum Pastorum, Magorum, nec non ipsius Filii sui, conferens in corde suo. Nemo unquàm sicut ipsa gustavit, quàm suavis est Dominus. Inebriabatur ab ubertate domûs Dei, et torrente voluptatis ejus potabatur. Nec mirum, quoniàm apud eam, imò in ea erat fons vitæ, de quo manabat cuncta perfectio utriusque vitæ. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Foroliviensis.

Spineli p. 693.

Forolivii in Æmiliâ, apud Collegii Societatis JESU templum, super aram maximam asservatur celebre in eâ regione Deiparæ filium in gremio foventis simulacrum è ligno, cubitali ferè magnitudine, in cujus tergo aliquantulùm excavato, non exigua pars vestis ejusdem Deiparæ inclusa reconditur. Ea Imago olim Brunsvichii in Germaniâ vetustis fuit nobilitata miraculis, ubi in Silvâ à nobili quodam Equite fe-

ras agitante in trunco arboris pervetusto reperta fuit, et in templo ubidèm cum opulento virginum coenobio exædificato reposita. Verùm utheranâ grassante hæresi, cum non eo quo par erat honore haberetur, Forilivium auctoritate Erici Ducis Brunsviensis translata, magnâ confluentium veneratione colitur, ubi etiàm pluribus coruscat miraculis. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Ep. *Spec. B. V. Lect.* 14.

177. Pulchritudo vitæ et morum MARIÆ tanta fuit, ut meritò in Canticis de ipsâ dici possit: Tota pulchra es, Amica mea. Pulchra utique in vitâ, pulchra in morum disciplinâ, et tota pulchra: tota, certè tota. Tu.

Cum 2. *Vesper.*

DIE III. MART.

B. M. V. DE OLIVARIO.

Simplex.

LECTIO 1.

Lanuza. Histor. Arag. t. 2. *c.* 33.

In pago Esterquelio non longè à Montalbano in Aragoniâ, Templum ex Divæ Virgini sub titulo de Olivario ab Ægidio de Astrosillo Barone Esterquelii decimo sexto sæculo excitatum. Hujus autem templi hæc fuit origo: quidam Petrus Nobes, vir pius, cui gregum Ægidii cura erat, de nocte super agmina vigilans, splendidam lucem, olivarum sui Domini agrum illuminantem, et in medio lucis super olivæ arborem Deiparam sedentem conspexit, à quâ et mandatum accepit, ut Esterquelianis apparitionem nuntiaret: nec manum à facie (hoc enim erat signum ipsi præstitum) movere potuit, donec ejus verbis populus credidit. Tu.

℣. Ægidius sacræ fundavit templa MARIÆ, ℟ Nox ubi victa fuit, sempèr habendo diem. ℣. Cœlesti dono, quo micat aula Dei.—Nox.

LECTIO 2.

Vulgatâ igitur prodigii famâ supplicatio ordinatur, et beatæ Virginis Imago in Esterquelii Ecclesiam trasfertur, et iterùm nocte ad olivam ipsa revertitur. Quarè Ægidius in apparitionis loco Sacellum erigi curavit, notâ Virginis voluntate: et Jacobus Aragoniæ Rex novum templum formâ valdè magnificum, et juxta templum cœnobium pro patribus de Mercede ædificavit. Ara major est ante arborem, in quâ Diva Virgo apparuit, et Sanctissima ejus Imago inter duos olivæ ramos in eodem altari reposita. Miracula ibi plurima fiunt, ingensque est ibi devotio. Tu.

℟. Petrus Nobesius vigilans super agmina Pastor, ℟ Tàm prece quàm voto dat placitura Deo... ℣. Muneribus sacris dotasti altaria Christi. —Tam.—Gloria.—Tam.

LECTIO 3.

Comm. B. V. Venetianæ à Sanitate.

Ex Pougelo in Histor. Imag. Deip.

Venetiis celebris est Imago Beatæ Virginis, cui nomen de Sanitate: sanè antiquissima est, nam à Cretelensi Insulâ, ubi in Ecclesiâ Sancti Titi ab antiquò colebatur, delata fuit Venetiam, Insulam vastantibus Turcis. Anno verò millesimo sexcentesimo trigesimo primo in Templo ipsi à fundamentis à Senatu populoque Venetiano erecto in gratiarum actionem ob liberatam à peste urbem per Virginem locata fuit, à Sanitate nomine accepto, ubi et hodiè clara miraculis magnâ devotione frequentatur. Tu. Te Matrem.

Vesperæ sequentis.

DIE IV. MART.

PRUDENTIÆ B. M. V.

Duplex.

In utrisque Vesper. Ad Magnific. *ant.* Virgo prudentissima! quò progrederis, quasi aurora valdè rutilans? Filia Sion, tota formosa et suavis es, pulchra ut luna, electa ut sol.

Oratio.

Dirige, quæsumus Domine, omnes actus nostros in beneplacito tuo, ut qui Prudentiam sanctissimæ Genitricis tuæ devotè recolimus, in omnibus ipsam imitari valeamus. Qui vivis et regnas.

AD MATUTIN.

Lection. de Scripturâ Fili mi, *ut in Festis IV. Infantiæ p.* 66.

IN II. NOCT.

Sermo S. Antonini Arch. Florentini. *De B. V. c.* 17. §. 4.

LECTIO 4.

De prudentiâ Beatæ MARIÆ canit Ecclesia: Quo progrederis, Virgo prudentissima? Prudenter conservabat omnia verba hæc, quæ de Filio dicebantur parvulo, in corde suo, scilicet cum his, quæ scripta erant de eo, ut dicit Beda. Prudenter occultabat diabolo suam virginitatem. Prudenter evasit persecutionem Herodis fugiens in Ægyptum cum eo. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Qui moderatur labia sua prudentissimus est, inquit Salomon in Proverbiis. Nulla autem pura creatura ita moderata est, nam panca reperitur locuta, et valdè rationabilia et utilia. Cum angelo brevitèr, interrogando de modo ejus quod sibi nuntiavit. Et hoc intellecto, voluntati ejus se totam subdendo. Ecce, inquit, ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Cum Filio autem pro defectu vini postulando, cum ait: vinum non habent, et ad ministros ad obedientiam ejus exhortando, cum ait: Quodcumque vobis dixerit, facite. Et iterùm Filio invento in templo ait: Fili, quid fecisti nobis sic? Pater tuus et ego dolentes, quærebamus te. Diffusè autem cum Deo locuta est, quandò canticum Deo gratias agendo edidit. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 28.

In illo tempore: Ingressus angelus ad MARIAM dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valentini.

Conc. in 1. *in Ann. B. V. M.*

Cogitabat, inquit, qualis esset ista salutatio. Cogitabat, inquam, ut prudentissima, ut disertissima, ut sapientissima, ne fortè aliquo diluderetur præstigio, eloquium animæ subtili mentis examine ponderabat, ne aut facilè crederet, et illuderetur, aut cunctantiùs hæreret, et cuiparetur. Non facilè credit MARIA angelo loquenti, quia jevitèr credidit Mater Eva serpenti. Tu. ℟.

Benedict. Cujus Prudentiam.

LECTIO 8.

O bone Deus, feminæ femina quid præstat? Poterat namque Evam intentæ fraudis colubri commonere figura, si mens nec læva fuisset. Quid enim à serpente speclare poterat, nisi virus? Non agni aut ovis speciem diabolus assumere permissus est, non vultu angeli splendore coruscо, ne esset potestas in fraude, excusatio in credulitate. Compellentem sibi figuram assumpserat zabulus, et quæ intùs latentis nequitiæ, exteriùs præberet indicia.

Sed dum citò credidit femina levis, neque virulenta colubri verba discrevit, seipsam universamque generis sui posteritatem celeriùs prodidit. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Nequè enim difficileesset deprehendere fraudem, si profanum ejus attendisset sermonem. Cur, inquit, præcepit vobis Deus: imò cur non præcipiat, Deus ò miser, qui omnium est Dominus. Cur, ò maledicte, non se Dominum monstret Deus omnium quæ condidit verbo? Quid insolentius? Quid procaciùs, quàm ab omnium conditore Domino dati præcepti rationem perquirere? Jussionis injunctæ causam expetere? Non tale quidquam angelus sonuerat Virgini, sed gratiam præfatus, Dominum adesse dicebat. Tamen Virgo prudentissima, tàm decoro aspectu, tàm pio affatu non facilè præbet assensum. Sed cogitabat, inquit, qualis esset ista salutatio. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Prudentiæ meæ inclinate aurem vestram, ut multiplicentur vobis anni vitæ.

℣. ℣. *br.* Virgo prudentissima.

CANON.

Ex D. Thoma Arch. Valentino. *In festo Natal. Dom. Conc.* 1. *n.* 2. 478. «MARIA.» Virgo tenera et gravida; Virgo publici nescia, domi assueta, Virgo super omnes feminas Prudentissima.

Can. 2. *Vesper.*

DIE VI. MART.

REVERSION. B. M. V. DE ÆGYPTO.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

CAPITULUM *Matth.* 2. 20. Surge, et accipe Puerum, et Matrem ejus, et vade in terram Israel, defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. *Hymn. et ℣ de Comm.*

Ad Magnif. *ant.* Adimpletum est, quod dictum fuit à Domino per prophetam: ex Ægypto vocavi Filium meum.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui familiam tuam ex Ægypto vocasti, et in terram Israel incolumem reduxisti: concede propitius, ut qui super hanc terram peregrini non habentes manentem civitatem, futuram inquirimus, cum JESU, MARIA et JOSEPH ad cœlestem patriam pervenire valeamus. Per eumdem Dominum.

AD MATUTIN.

Invitator. Christum redeuntem de Ægypto. ℣. Venite, adoremus.

HYMNUS 215. *Sec. ab Hoz.*

Angelus at denuò cœlesti
Missus ab aulâ,
Nuntius et celer
Herodis obitûs atri.
Dixit ut exires Ægypto
Protinùs almâ
Prole, et è conspectu
Raptus in alta fuit.
Fidelis et Domino parere
Ancilla parata,
Quod tristis pridèm iter,
Nunc modò læta facis.
Vix veneras victrix Averni,
Virgo MARIA,
Nazareth, lætitiæ fertur
Ad astra sonus.
Gloria summa Patri,
Sit par tibi gloria Nate:
Gloria sit compar,
Spiritus alme, tibi. Amen.

IN I. NOCT.

De Oseâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 11. 1. Sicut manè transiit, pertransiit Rex Israel. Quia puer Israel, et dilexi eum: et ex Ægypto vocavi filium meum. Vocaverunt eos, sic abierunt à facie eorum: Baalim immolabant, et simulacris sacrificabant. Tu.

℣. Adimpletum est, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: ℣ Ex Ægypto vocavi Filium meum. ℣. Surge JOSEPH, accipe Puerum et Matrem ejus, et vade in terram Israel.—Ex Ægypto.

LECTIO 2.

Et ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis: et nescierunt, quòd curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum: et declinavi ad eos, ut vesceretur. Tu.

℣. Surge et accipe Puerum et Matrem ejus, ℣ Et vade in terram Israel. ℣. Defuncti sunt enim, qui quærebant animam Pueri.—Et.

LECTIO 3.

Non revertetur in terram Ægypti, et Assur ipse Rex ejus: quoniàm noluerunt converti. Cœpit gladius in civitatibus ejus, et consummet electos ejus, et comedet capita eorum. Et populus meus pendebit ad rediium meum: jugum autem imponetur eis simùl, quod non auferetur. Tu.

℣. Consurgens JOSEPH, accepit Puerum et Matrem ejus, ℣ Et venit in terram Israel. ℣. Obedivit statim voci angeli.—Et.—Gloria.—Et venit.

IN II. NOCT.

Sermo S. Simeonis Metaphrastes. *Vel alius auctor. Serm. de B. V.*

LECTIO 4.

Postquàm autem excessit Herodes ex humanis, Angelus in somnis JOSEPHO apparet in Ægypto, et jubet Infantem accipere, et proficisci in terram Israel. Quàm multæ, ò Christi Mater, fuerunt tibi casuum inæqualitates? Quàm multæ rerum mutationes? Ecce enim rursùs quidem fuisti soluta ab exilio, et ad propriam reverteris regionem, et eum, qui tibi malefacere aggressus fuerat, Ipsa potiùs vidisti malè periisse. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Cum domum autem venisses, rursùs invenis malorum successionem, et vides filium tyranni, qui fuit tui Filii (proh dolor) insidiator, pro eo regnantem. Sed rogaverit quispiam ex studiosis: quomodò Archealus Judææ imperabat, Pontio Pilato tunc Præsidente? Nunquid nuper decesisset Herodes, et nondùm in multa regnum esset divisum, illius Filius intercà habebat imperium? Tu. ℣.

LECTIO 6.

Non est autem Evangelistæ supervacanea Patris quoquè adjectio. Pro Herode, inquit, patre ejus: ut scilicet à fratre dislinguerétur, ut qui ipse quoquè Herodes vocaretur similiter. Venit ergò JOSEPH Nazareth, ut qui in somnis responsum accepisset, ita enim divinus ait Matthæus, simùl et periculum fugiens, et vòlens habitare in patriâ. Ut autem magis posset confidere, responsum accepit à Patre. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 2. 19. In illo tempore: Defuncto Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis JOSEPH in Ægypto. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri. *Comm. in Matthæum.*

Ex hoc loco intelligetur non solùm Herodes, sed et Sacerdotes et Scribas eodem tempore necem Domini

fuisse meditatos. Qui consurgens accepit Puerum et Matrem ejus: Non dixit: accepit filium suum et uxorem suam, sed Puerum et Matrem ejus, quasi nutritius, non maritus. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Audiens autem, quòd Archelaus regnaret in Judæâ pro Herode patre suo, timuit illò ire. Multi labuntur errore propter ignorantiam historiæ, putantes eumdem esse Herodem, à quo in passione suâ Dominus irridetur, et qui nunc mortuus esse referatur. Ergò Herodes ille, qui cum Pilato posteà amicitias fecit, hujus Herodes filius est, frater Archelai. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Quoniàm Nazaræus vocabitur. Si fixum de Scripturis posuisset exemplum, nunquàm diceret: Quod dictum est per prophetas; sed simpliciter; quod dictum est per prophetam. Nunc autem pluraliter prophetas vocans, ostendit se non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum. Nazaræus, Sanctus interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat. Tu. Te Matrem.

In Laud. et in 2. *Vesper. Capit. de* 1. *Vesper.*

Ad Benedict. *et ad* Magnif. *ant.* Admonitus JOSEPH in somnis secessit in partes Galilææ, et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, eo quòd Archelaus regnaret in Judæâ pro Herode patre ejus.

CANON.

Ex S. Joanne Chrisostomo.

Cap. 2. *Matth. Homil.* 2.

479. Eunte MARIA in Ægyptum, et redeunte, nisi desponsata JOSEPH fuisset, quis ministerium ei tantæ necessitatis impleret? Nam in primâ quidem facie MARIA Puerum nutriebat, JOSEPH conservabat. Reverà autem Puer et Matrem nutriebat, et JOSEPH tutabatur. Tu.

Cum secund. Vesper.

DIE VII. MART.

D. VIRG. SALEMITANÆ.

Simplex.

LECTIO 1.

Octav. Cajet. de effigieb. Siculis. Templum Salemitanæ Virginis quod à Latomiis dicitur à non procul distantibus Latomiis prope oppidum Salemem in Siciliâ erectum fuit circa annum millesimum quingentessimum. In eo depicta Imago annuntiatæ ab Angelo Virginis in ipso pariete visitur, quæ tertio idus Maji, anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto magnum edidit prodigium. Cum enim paupercula peperisset, nec lac in uberibus esset ad infantulum enutriendum, omni ope destituta, puero jam ob inopiam in ulnis afflante animam, ad Deiparam confugere statuit, ac septies templum Virginis Annuntiatæ invisere. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Eo igitur itinere suscepto, invisâque jam semèl Virgine, ab ipsâ enixè lactis gratiam expetiit: obtestata etiàm est per ea ubera, quæ omnium Conditori cibum præbuere. Non passa irritas fundi preces hujusmodi alma Mater: nam per quietem illi pauperi mulieri astitit, quæ sicca ubera pressabat manu, et lac ex illis in vasculum defluebat. Esperrecta ad id mulier, lacte manantia sensit ubera, in ipso lecto. Festum diem divæ Virginis celebrant oppidani Octavo Kalendas Aprilis. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Guimaraviensis de Olivâ.

Gumpenb. 976.

Joannes Primus Rex Lusitaniæ ad honorem Deiparæ tria molitus est templa: primum Bataliæ, cui à Victoriâ nomen dedit: alterum Olysipone, quod de Scalâ vocavit: tertium Guimaravii, cui cognomentum de Olivâ dedit, quæ fornici proximo innacens in honoribus est. Hoc Rex bis peregrinus visitavit, tantùmque argenti Deiparæ dedit, quantùm opus erat ad pondus æquandum sui corporis cum catafractus incederet. Victorias huic Deiparentis Statuæ adscribebat. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequent.

DIE VIII. MART.

SS. CAPILLORUM B. M. V.

Dupl. majus.

Ad Magnific. *ant.* Caput tuum sicut Carmelus, et comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.

Oratio.

Dirige, quæsumus, Domine, cogitationes nostras in beneplacito tuo, ut qui sanctissimos Capillos Genitricis tuæ devotè veneramus, mentes nostras continuò in te intentas habere possimus. Qui vivis.

Lection. 1. *Noct. de Communi.*

IN II. NOCT.

De Epistolâ Osmundi Ep. Asturicensis ad Idam comitissam Bononiensem.

Extat inter vetera analecta Mabillonii.

LECTIO 4.

Quoniàm, tua summa prudentia investigare, insuper invenire desiderat, qualitèr civitas Astorica Reliquias tantas capillorum Sanctæ MARIÆ Dei Genitricis habuerit, et undè invenerit, sanctæ petitioni tuæ et investigationi piissimæ satagere, prout in sententiis librorum nostrorum invenimus, sub brevitate decrevimus. Invenimus namquè, quòd persecutione gentilium urgente Jerosolymam, septem Discipuli Torquatus et Iscius cum cæteris quinque Hispaniam navigarent, deferentes eas, et alias quam plurimas usque Toletum pervenerunt. Rex verò Hispaniæ, et omnis populus ejus honorificè susceperunt eas, et in magnâ reverentiâ læti eas, sicut decebat habuerunt. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Cumque iterùm gens Sarracenorum Hispaniam perurgeret, Episcopi et omnes viri Religiosi ad nostras alpes, videlicet Asturicenses, quæ ab Astoricâ habent nomen, confugêre, et quidquid præcipuum ducebant, asportaverunt, et in civitate nostrâ Astoricâ, atque Oveto omnia reconderunt. Nos verò posteri sic eas habentes, et præceptio nostri Regis, videlicet, Adefonsi, non obviantes, misimus vobis de melioribus et dignioribus magnam partem, obsecrantes, ut sitis memoratrix Astoricensis Ecclesiæ. Valete, Rex verò Adefonsus hanc cartam scriptam circitèr annum millesimum, quinquagesimum nonum, vidit, et legit, et quæcumque scripta sunt, propriâ manu confirmavit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Gumpenb. Imag. 893.

Sanctissimi Capilli Beatæ Virginis multis in templis asservantur, et maximo afficiuntur cultu, quos creditum est hactenùs à Sanctâ Veronicâ unâ cum Sancto Sudario Romam allatos tempore Tyberii. In Siciliæ regno in urbe Plasæa, in Bavariâ in monasterio Beatæ Virginis Elatensi: in Hispaniâ Oveti, in Galliâ Trecis et Anniciis, in Belgio, Aquisgrani, Brugis et alibi, in ma-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ximâ veneratione sunt. Romæ etiàm plurimis asservantur Ecclesiis: scribit Onophrius Sanctam Helenam templo Sanctæ Crucis in Jerusalem, quod in urbe Romæ ipsa struxit, inter alias reliquias reposuisse partem Sanctorum Capillorum Beatæ Virginis: et Pancirollus quam plurima nominat templa, quibus eos asservari Romæ, asserit. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia B. Alberti Magni Ep.
De laudib. B. V. libr. 5. *c.* 2. *n.* 1.

Bene autem cogitationes Virginis comis comparabiles sunt, et capillis, propter multas propietates capillorum. Capilli MARIÆ, id est, cogitationes sunt graciles humilitate, molles benignitate, flexibiles obedientiâ et compassione, exangues sine carnali affectione, insensibiles patientiæ lenitate, subtiles ineffabili Deitatis contemplatione, tenues voluntariâ pauperiate, macilenti et abstinentiâ et sobrietate, longi perseverantî finalitate, insoneri non remurmurantes in tribulatione, rotundi æternitatis desiderio et amore, jugiter crescentes continuâ meliore, quandòque se erigentes æterarum inquisitione, cœlestium contemplatione, intentionis rectitudine. Ideò comparantur comæ ejus elatis palmarum. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Quandòque se demittentes suipsius discussione, quandòque crispantes, quandòque super humeros defluentes, id est, deorsùm fluentes piâ compassione, quandò simùl constricti studio disciplinæ: sæpiùs ablati lacrymosâ et devotâ Filii et cœlestium compassione: pexi et discriminati, ordinatissimâ discretione: undè cogitabat qualis esset ista salutatio. Ecce discretio. In capite, id est, Christo capite aureo, radicati fide spe et charitate. Ipsi capiti immediatè adhærentes sincerâ dilectione, quæ amantem unit amato, ab ipso capite inferiùs dependentes verâ humilitate. Ipsum caput, à quo oriuntur, id est, Christum præcipuè adorantes gloriosâ magnificatione, et calefacientes piâ oratione. MARIA enim est Abisag, quæ pedes, id est, affectus viri David frigescentes calefacit ad amorem nostrum. Quandòque in tricam colligit Trinitatis et unitatis fide. Quandòque mitrâ, vel peplo, vel capilegio coercuit secretorum cordis absconsione. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Fulvi, crocei, sive aurei per charitatem, candidi vel quasi argentei per castitatem. Nigri et quasi corvini per pœnitentiam et dolorem. Quasi canescentes per sapientiam, maximè quandò post Filii ascensionem contulit cum apostolis de veritate, et totâ serie evangelii. Quasi rutilantes per Filii patientis amarissimam compassionem, et ipsius passionis jugem recordationem: quasi enim tincta erant cogitationes Virginis in semper recenti memoriâ dominicæ passionis. Hujusmodi capillis, id est, meditationibus, et cogitationibus sanctis ornabatur coram Deo mens ipsius Beatæ Virginis, et erat magna pars illius internæ pulchritudinis, quam Rex regum Christus Dominus concupivit, et dilexit. Item in his capillis caput ipsius, id est, mens ab omni frigore infidelitatis, et ab omni

æstu cujuslibet concupiscentiæ protegebatur, et horum gratia ipsi Deo, Trinitati, et sanctis Angelis amabilis habebatur. Tu. Te Matrem.

Cum secundis Vesper.

DIE IX. MART.

PROFECTION. B.V. IN JERUSAL.

Duplex.

Non propria de comm. pro tempore.

AD MATUTIN.

De libro Exodi.

LECTIO 1. *c.* 23. 14.

Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. Solemnitatem Azymorum custodies. Septem diebus comedes Azyma, sicut præcepi tibi tempore mensis novorum, quando egressus es de Ægypto: non apparebis in conspectu meo vacuus. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Et solemnitatem messis primitivorum operis tui, quæcumque seminaveris in agro. Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. Ter in anno apparebit omne masculinum coram Domino Deo tuo. Tu. ℣.

LECTIO 3. *Deut.* 16. 16.

Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit: in solemnitate azymorum, in solemnitate Hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus; sed offeret unusquisque secundum quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quem dederit ei. Tu. ℣.

IN II. NOCT.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.
De Virginib. libr. 2.

LECTIO 4.

Quamvis Mater Domini Beata Virgo, discere tamen præcepta Domini desiderabat, et quæ Deum genuerat, Deum tamen scire cupiebat. Quid quòd annis omnibus ibat in Jerusalem solemni die Paschæ, et ibat cum JOSEPH? Ubique in Virgine comes singularium virtutum est pudor. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Hic individuus esse debet virginitatis, sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur MARIA sine pudoris sui custode processit. Hæc est Imago Virginitatis. Talis enim fuit MARIA, ut ejus unius vita omnium disciplina sit. Si igitur auctor non displicet, opus probetur, ut quæcumque sibi ejus exoptat præmium, imitetur exemplum. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Quantæ in unâ Virgine species virtutum emicant? Secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obsequium. Virgo intra domum, comes ad ministerium, Mater ad templum. O quantis illa Virginibus occurret! Quantis complexa ad Dominum trahet dicens: hæc thorum Filii mei: hæc thalamos nuptiales immaculato servabit pudore! Tu.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 41.

In illo tempore: Ibant Parentes JESU per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ. Et reliqua.

Homilia D. Eusebii Episcopi.
Lom. 1. *post Epiph. Serm. Bibliot. max. P. P. t.* 5. *p.* 1.

Dixit modò in proximo superiori versu Evangelista, quia ibant Parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ. Religiosi parentes per annos singulos ibant in Jerusalem, ut legem audirent, sacrificiis participarent.

solemnitatibus interessent, et ejus adhuc umbræ serviebant, cujus jam tenebant veritatem. Tota enim illa solemnitas Christi passionem et resurrectionem, et cætera, quæ de eo scripta sunt significabat. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Erant igitur simùl JESU in solemnitate, qui totius erat causa solemnitatis. Permixtus turbis videbatur, ab omnibus in lege et prophetis prædicabatur, in sacrificiis significabatur, et à nemine cognoscebatur, quia duplici velamine tegebatur: indè velamine literæ, hinc carnis parietis. Undè scriptum est. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Ipse jugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis, et in omnibus sacrificiis offerebatur. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Mater quoquè ejus multa ibi lege, et prophetis cantari audiebat, quæ de ipsâ dici intelligebat, et in se jam completa sciebat: qualia sunt ecce Virgo concipiet et pariet filiam: itemque et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et multa alia. Meritò igitur per annos singulos veniebant, ubi suas laudes ab omni populo prædicari audiebant. Tu. Te Matrem.

Ad Bened. *ant.* Ibant parentes JESU per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ.

Vesperæ à capit. sequentis.

DIE X. MART.

B. V. M. HYMNI ACATHISTI.

Duplex.

Lect. I. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Colvener. Kalend. mar. p. 446.

Sabbato quintæ hebdomadis quadragesimæ celebratur Constantinopoli hoc Beatæ Virginis festum propter varios ab Heraclio contra Cosroen pugnante victorias. Probat hoc festum longè, latèque Gretserus ex rituali Græcorum, in quo post multa sic legitur. Propter hæc igitur tàm admiranda à castissimâ Dei Genitrice opera patratia præsentem diem festum celebremus. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Acathistos verò, quasi carens sessione dictus est: quòd totus populus totâ nocte stando hymnum Deiparæ concinuerit: quodque cum in omnibus aliis ædibus ex more sedere liceat, in istis divinæ Matris erecti omnes stantes auscultamus. De eâdem festivitate extat in Bibliotecâ Babaricâ Oratio hoc titulo: Oratio recitata die Acathisto. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Narratio utilis ex veteri Historiâ collecta, et in memoriam revocans inexpectatum illud miraculum factum, quandò Persæ et Barbari regiam hanc Civitatem obsederunt, qui et perierunt divinam ultionem experti. Civitas verò illæsa permanens, intercessione Deiparæ, quotannis ex illo tempore hymnum gratiarum agendarum causâ concinit: diem illum Acathistum, quasi sessionis expertem nominamus. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 28.

In illo tempore: Ingressus Angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum. Et reliqua. Hom. S. Amphilochii Iconiensi Ep.

Orat in S. Deiparam.

Ave gratiosa, Dominus tecum. Ave desiderata nobis lætitia. Ave gloriatio Ecclesiæ. Ave nomen dulce spirans. Ave divinè fulgens, admodùmque gratiosa facies. Ave perquàm venerabile monimentum.

Ave vellus salutare et spirituale. Ave lumen indula Mater splendoris nescientis occassum. Ave intemeratissima Mater sanctitatis. Ave pellucidissima fons vivifici laticis. Tu. ℣.

LECTIO. 8.

Ave sis incomprehensionis Mater inexplicabilis. Ave novus ille juxta Isaiam tomus scriptionis novæ, cujus fidi testes angeli, atque homines. Ave alabastrum illud unguenti santificationis. Ave sis bona mercatrix denarii virginitatis. Ave seu figmentum, sed quod fictorem habeat circumplecti. Ave sis minima capacitas illum capiens, quem nulla res capiat. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Quis porrò illius, qui scientiâ est antiquior, generationem enarrabit? Quid admiremur divinumne et ineffabilem partum, an conceptum inexplicabilem? Non potest oratio complecti quæ superant rationem. Non circumscribit animus, quæ sunt supra intellectum. Quanquam enim præsumit scriptor stylo exarare Matrem dispensationis: nullâ tamen ratione modum partûs edicere potest. Tu. Te Matrem.

Cum 2. *Vesperis*

DIE XI. MART.

B. M. V. DE VALLE-VENARIA.

Semiduplex.

Lection 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Gononus in Chronic. Deip. ann. 571.

Circa finem sexti sæculi Beatus Munio, insignis Anachoreta, pœnitentiam agens in montibus disterciis divinitùs jussus est inquirere imaginem Beatæ Virginis in Valleveneris, signaque data ad preliosum illum thesaurum inveniendum fuerunt fons de pede, seu radice quercûs scaturiens, examen apum et fulgor mirabilis procedens de Imagine, quæ latebat in quercu. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Cum Munio revelationem cuidam Dominico socio suo Sacerdoti revelasset, ambo per concava vallium, per montium et scopulorum altitudines inquirire cœperunt. Cumque venissent ad quemdam locum inaccessibilem, ferro aliisque instrumentis fecerunt sibi viam: ingredientesque Imaginem Beatæ Virginis in concavo quercûs, et signa, sicut Munioni Eremitæ fuerat revelatum, invenerunt. Manserunt ergò ibi angelicam plusquàm humanam ducentes vitam. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Volens autem Deus thesaurum inventum manifestare mundo, fecit, ut sancti Eremitæ visitareatur à pluribus. Soror etiàm Munionis, quæ dudùm cæca erat, audiens, quæ de fratrum sanctitate dicebantur, venit absque læsione aliquâ per semetipsam ad locum prædictum: ubi meritis beatissimæ Virginis MARIÆ visum recepit. Indè multò magis hic locus celebrari cœpit. Tu. ℣.

Homilia de Comm. pro Semidupl.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Massiliensis de Guardiâ.

Guesnay. Annal. Massiliens.

Ecclesiam Beatæ Virginis de Guardiâ Massiliæ fundavit, et aliquot reditibus auxit quidam Petrus nomine, civis Massiliensis, cui fundos montis de Guardiâ vectigales à censibus obnoxios trudiderat Guillelmus secundus Abbas Sancti Victoris, conditione tamen interpositâ, ut ibi ædem Virgini Deiparæ sacram ex-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ædificaret. Hanc literis apostolicis stabilivit, simùl et privilegiis ornavit Honorius tertius anno millesimo ducentesimo decimo octavo. Cultum diva Virgo eo in loco ingentem accipit, tum à Massiliensibus, tum etiam ab exteris illùc ex toto ferè orbe confluentibus. Undè miraculis coruscat insignibus, ut ex appensis tabellis satis apparet. De Guardiâ indè cognominatur, quòd ex præ altâ turri ibi excubiæ ac vigiliæ publicæ ad civitatis custodiam agerentur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Inocentio Papâ Tertio. *Monachis Vallisoren. Sexto idus Mar. Pontif. an.* 15.

480. Personas vestras cum omnibus bonis vestris, quæ in præsentiarum justè et rationaliter possidetis, aut in futurum poteritis adipisci, firma vobis et illibata permaneant, et ea sub-Beatri Petri et nostrâ protectione suscipimus. Tu. *Cum* 2. *Vesper.*

DIE XIII. MART.

AMISSION. PUERI JESU.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiph. et capitul. de Laudib.

HYMNUS 217. *S. Ansel. Ep. Lucens.*

Dum Puer duodecim
Annorum moratur
In templo Jerusalem,
Matrem contristatur.

O quis novit gemitus
Virginis dolentis,
Suum Unigenitum
Triduò quærentis!

Cur sic ille fecerit,
Piè conquerentis?
Hoc dolore vulneres
JESU, cor lugentis.

O quàm sæpè æstimo,
Dixit Mater Christi:
Heu meum solatium,
Cur me reliquisti?

Quo, mi Natè unice,
Heu quo tu ivisti?
Redi, precor, Fili mi,
Redi Matri tristi.

Parce, una Trinitas,
Unitas que trina:
Pater, Fili, Spiritus,
Majestas divina:

Parce qui creasti nos
Ne fraus sempertina
Nos credentes opprimat,
In morte ruinâ. Amen.

Ad Magnif. ant. Ego plorans, et oculus meus deducens lacrymas, quia longè factus est à me consolator.

AD MATUTIN.

Invitator. Christum JESUM remanentem in Jerusalem: ℣ Venite, adoremus.

HYMNUS 218. *Maerk.*

In Patris esse rebus
Cum nesciebas Filium,
Visa es tribus diebus
Pallere sicut lilium.

Clamans per angiportus,
Fili! replebas æthera:
Dictura plùs, obortus
Dolor præmebat cætera.

Et tu, beata Trinitas,
Fac ut fruar favoribus,
Quos indidit Divinitas
Matris meæ doloribus. Amen.

IN I. NOCT.

De Canticis Canticorum.

LECTIO 1. 3. 2.

Surgam et circuibo civitatem: per vicos et plateas quæram quem dilexit anima mea: quæsivi illum, et non inveni. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem: nunquem diligit anima mea vidistis?.. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. Tu.

℟. O mœrore et anxietate plena

Dei Mater! ℣ Audio singultus cordis tui, cerno lacrymas tuas. ℟. Fierinè potest, ut dulcissimus Filius tantam Matrem, quam præ millibus elegit, tamdiù affligit?—Audio.

LECTIO 2. 5. 9.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto ò pulcherrima mulierum! qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos? Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, caput ejus aurum optimum: comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus. Tu.

℟. Quem in Ægypto inter idolatras salvum conservasti, ℣ Amisisti inter populum electum, et quidem in civitate sanctâ. ℟. Tibi condoleo, tibi compatior, tibi con lacrymo, nec adhuc satior.—Amisisti.

LECTIO 3.

Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima. Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis: talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem, Quò abiit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? Quò declinavit dilectus tuus, et quæremus eum tecum? Tu.

℟. Fulcite me languoribus, stipate me doloribus, ℣ Dolore, amore langueo. ℟. Quandò tibi non cernitur tribus diebus pusio, quæ plaga, quæ confusio.—Dolore.—Gloria.—Dolore.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bonaventuræ Ep. *Meditat. vitæ Chr. c.* 14.

LECTIO 4.

Consummatis diebus festis, recedentibus parentibus, JESUS in Jerusalem remansit. Cum ergò Mater et JOSEPH per diversas vias incedentes, venerunt in sero ad locum, ubi dicta explebatur, et ubi hospitari deberent. Videns Domina JOSEPH sine Puero, quem cum ipso rediisse credebat, quærit ab eo: Ubi est Puer? Et iste: ego nescio: non rediit mecum. Tecum enim rediisse credebam. Tu.

℟. Cœpit autem contristari ipse, et uxor ejus cum eo: ℣ Et cœperunt ambo simùl flere. ℟. Nolite flere, salvus perveniet Filius vester, et salvus revertetur ad vos, et oculi vestri videbunt illum.—Et cœperunt.

LECTIO 5.

Tunc illa dolore vehementi concussa, cum lacrymis dixit: non redùt mecum. Video, quòd non benè Filium meum custodivi: et velociter cœpit ire per domos, et quàm decenter potuit, illas serò circuibat, quærens de ipso et dicens: Vidistis vos Filium meum? Et vos vidistis ne Filium meum? et vix præ dolore et ardore se sentiebat. JOSEPH verò sequebatur eamdem cum fletu. Tu.

℟. Flebat igitur Mater ejus irremediabilibus lacrymis, atque dicebat: ℣ Heu, heu Fili mi, ut quid te misimus peregrinari! ℟. Omnia simùl in te uno habentes, te non debuissemus dimittere à nobis.—Heu, heu.

LECTIO 6.

Quo non invento, qualem requiem habere poterant? Tu ipse cogita, et maximè Mater, quæ ipsum arctiùs diligebat. Et licet à notis confortaretur, non tamen poterat consolari. Quid enim perdere JESUM? Conspice benè ipsam, et vehementer compatere, quia in angustiâ est anima sua: nunquàm ex quo nata fuit usque tunc, fuit in tantâ. Tu.

℟. Illa autem nullo modò consolari poterat, sed quotidiè exiliens circunspiciebat. ℣ Et circuibat vias omnes, per quas spes remeandi vi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

debatur, ut procùl videret eum, si fieri posset, venientem. ℣. Heu, heu, Fili mi, ut quid te misimus peregrinari!—Et.—Gloria.—Et.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 2. 41.

In illo tempore: Ibant Parentes JESU per omnes annos in Jerusalem, in die solemni paschæ. Et reliqua.

Homilia S. Titi Bostrorum Ep.

Expos. in cap. 2. Luc.

Nunquid, obsecro, quærebant eum tanquàm qui periisset, aut ab itinere, ut solent pueri, aberrasset? Absit. Neque enim sapientissimæ Virgini Matri, cui plurima jam ante de illius divinitate patefacta, compertaque erant, tale quippiam in mente venire potuit. Sed nec ipsi etiàm JOSEPHO. Tu.

℣. Adjuro vos, filiæ Jerusalem: si inveneritis quem diligit anima mea, * Nuntiate ei, quia amore langueo. ℣. Nunquid quem diligit anima mea vidistis?—Nuntiate.

Bened. Cujus Angustias.

LECTIO 8.

Quærebant autem illud, perindè ac si quis scripturam, vel abditam Scripturæ cujuspiam sententiam quærat. Constat namque anxiè ac dolenter illum inquirere: non quidem, ut errantem, aut falsam, aut fallentem, sed ut veram, mysticamque doctrinam continentem, necdum tamen proditam. Ad eum ergò modum, et illi quærebant Dominum nostrum JESUM-Christum, solliciti enim erant, ne forsitàm ab eis discessisset, ipsosve deseruisset. Tu.

℣. Quò abiit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? Quò dilectus tuus declinavit. ℣. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, et quærimus eum tecum.—Quò.—Gloria.—Quò.

LECTIO 9.

Commemoratio Nostræ Dominæ de Livron.

Uno milliari ab oppido Caylus in Diœcesi Montalbanensi Sacellum est Deiparæ sacrum sub vulgari titulo de Livron, non minùs beneficiis ab ipsâ collatis, quàm fidelium devotione percelebre. Ad tergum Imaginis ejus ligneæ, vestibus indutæ, quæ in altari principe colitur, alia antiquior coloribus expressa conspicitur, et sub eâ depictus mortifer draco, qui circa proximum antrum commorans, et quotquot ad ejus latibulum accedebant, interficiens, ipse ope Virginis occisus occasionem dedit, ferunt, ut hoc templum extrueretur, et à Liberatione nomen acciperet. Ingens fit ad hanc Deiparæ effigiem etiam dissitorum accursus: à circumstantibus verò pagis quotannis quoque solemnibus supplicationibus frequentiatur. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Longè factus est * à me consolator meus: Quis nunc consolabitur me!

2. Filiæ Jerusalem * numquid quem diligit anima mea, vidistis?

3. Fuerunt mihi * lacrimæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidiè: ubi est Deus tuus?

4. Quæsivi * quem diligit anima mea, quæsivi illum inter cognatos et notos, et non inveni.

5. Plùs doluit * Virgo de Filii amissione, quàm aliquis Martyr dolorem sentiat de animæ à corpore separatione.

CAPITULUM. *Cant.* 3. 2.

Surgam, et circuibo civitatem: per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea: quæsivi illum et non inveni.

HYMNUS. 219. *Caryophil.*

Quærebas Puerum, Virgo
Mœstissima, JESUM,
Quali animam gladio
Transfodiente tuam?
Ille inter proceres
Agitans arcana sedebat,
Et responsa Deo digna
Loquente dabat.
Sume futurorum
Præludia, Virgo, dolorum
Inferat ut summus
Gaudia summa dolor.
Gloria summa Patri,
Sit par tibi gloria, Nate:
Gloria sit compar,
Spiritus alme, tibi. Amen.

Ad Bened. *ant.* Puer non comparet, et ego quò ibo? Deficit in dolore vita mea; et cor meum conturbatum est in me.

Oratio.

Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut qui dolentes cum Beatâ Virgine MARIA, Filium tuum requirimus, cum ipsâ per gratiam illum invenire mereamur. Qui tecum.

Antiph. Longè. *Capitul.* Surgam. *de Laud.*

℣. ℟. *br.* Quæ Filium tuum amissum dolens quæsivisti.

CANON.

Ex D. Thomâ Archiep. Valentino. *In Dom. Infr. oct. Epiph.*

481. Magna perditio perdere Salvatorem. Dolebat Virgo, quoniàm totum cœlestem thesaurum Divinitatis et Majestatis amiserat. O quot bodiè sunt, qui perdunt JESUM, nec dolent! Tu.

IN II. VESPER.

Antiph. Capitul. et hymnus de Laudibus.

℣. Dilectus meus candidus et rubicundus.

℟. Electus ex millibus.

Ad Magnif. *ant.* Et requirebant eum inter cognatos et notos, et non invenientes reversi sunt in Jerusalem, requirentes eum.

DIE XIV. MARTII.

D. V. SAVONENSIS DE CONSORTIO

Semiduplex.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Gumpenb. Imag. 186.

Savonensis templi ruinosa vetustas coegit, ut casuros paulò post lapides ipsi diruerent, ut ampliorem formam darent novo. Jamque anno millesimo sexcentesimo septimo nihil aliud supererat, quod curiosus inspector fortè de antiqui templi ruderibus inveniret, præter unam rotundi operis figuram, duodecim adhuc pedes altam, in quâ Virginis Imago erat depicta. Die decimâ quartâ Martii hæc quoque columna jussa est ab Arquitecto in terram dejici, sed cum nullus esset, qui cunctantes urgeret imperio, nemo sponte suâ primus manus ad moveri voluit, et Deiparam in figuram offendere. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Sed ecce oculis omnium expectantium visa est nullo ictu tentata muri crustra, digitum non amplius unum crassa à muro divelli totam secum Imaginem ferens, sex palmos altam, tres latam, non sine ingenti intuentium lætitiâ: quam tamen penè totam metus abstulit, quo timebatur tenuissima muri pars obitura in partes, ubi vel terram lapsa teligisset, vel manibus murarii inconcinniùs fuisset tractata. Proximus autem operarum, abjecto ligone, in genua procidens brevibus verbis excusat Virgini necessariam temeritatem, rogatque suis manibus excipi dignetur. Hæc affa-

tus labentem crustram utroque brachio molliter excessit, locoque decenti collocavit. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Ipsa columna licet loricam suam amiserit, intacta permansit, et hodiè in Sacello locum suum obtinet, assertura posteris factum de veritate rei dubitantibus. Episcopus æris campani festo sono cives ad obsequia Virginis accivit, die altero supplicationem, quâ potuit pompâ instituit, rogavitque eam ovibus Pastor Virginem, ut primum hoc nonultimum beneficium esse vellet, pro quo urbs Savonensis gratias ei deberet. Annuit Beata Virgo, etenim Savonenses beneficiis eumulavit, nec hodiè cessat, uti nec urbs Savonensis cessat esse grata Deiparæ. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Hom. S. Antipatris Bostrorum Ep. *Orat. de S. J. Bapt. et de B. Deip.*

Quænam autem est hæc Virgo, quæ Deo visa est prestantior universis potestatibus? Quænam ea est, quæ eum, qui capi non potest, continet in utero? Quænam ea est, quæ fert in ventre eum, ad quem non potest accedi? Quænam ea fuit, quæ intercessit, ut igneo humanitatis admoveretur ignis divinitatis? Quis primi parentis renuntiavit uxori id quod nunc peragitur mysterium? Tu. ℟.

LECTIO 8.

Quis dicet, ab eâ, quæ fuerit olim condemnata, intùs in ventre, scilicet, habitum fuisse indicem atque præcursorem, quæque audivit: in dolore paries filios tuos: eam venisse, illum portantem qui nobis annuntiavit doloris solutionem? Papæ quantus honor, et quæ verbis exprimi non potest mutatio! (*Lect. 9.*) A paradiso separavit Deus primum creatum hominem, et ipsum cepit, quæ ab eo descendit. Qui pelles in paradisso consuit, tegitur in utero. In quam primum parentem irâ percitus expulit, in eam misericordiâ commotus advectavit. Tu.

LECTIO 9.

Commemor. B. V. de Vallicellâ. *Spinelli p.* 687.

Sancta MARIA à Vallicellâ Romæ in regione Parionis dictâ à situ aliquantulùm depresso, vocatur et Ecclesia Nova, quòd de novo structa: Idem Ecclesia à puteo albo, qui ibi erat, Gregorius Decimusterlius Pontifex, anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, hoc templum antèa exiguum Patribus congregationis Oratorii attribuit, qui in eodem loco aliud templum formâ, amplitudine, et ornatu satis conspicuum excitarunt. In hoc templo illud in Deiparæ honorem peculiare est, quod omnia etiàm ejusdem templi sacella ipsi Deiparæ dicata cernuntur, uno tantùm excepto, in quo Sancti Philippi Neri corpus decenter asservatur: et præcipuè altare princeps, in quo devotissima Virginis Imago radiis undequaquè circumfusa specialissimè colitur. Tu. Te Matrem.

Cum 2. Vesper.

DIE XV. MART.

D. V. CARNUTENSIS.

Simplex.

LECTIO 1.

Spinelli, Balinghem etc.

Carnuti, cathedralis ædes magnificentissima Deiparæ est posita à Christianis olim in loco, ubi ante Christi adventum, Druidæ Galliarum sapientissimi, eidem Deiparæ nondùm natæ aram sub terram profundè excavatam hâc inscriptione: Virgini parituræ: insignem dicarant, quemadmodùm olim Athenienses Ignoto Deo aram struxere. Hanc speluncam versus annum, quadragesimum sextum à Christo nato Sanctus Potentianus Deiparæ dedicavit. ℟.

LECTIO 2.

Posteà verò Ecclesiam Carnutensem Caroli Calvi regiâ liberalitate structam, postmodùm à Fulberto Carnutensi Episcopo (cui ægro è sacro ubere lac Deipara præbere dignata est) renovatam largitionibus Canuti Angelorum Regis traditur. In ejus templi cryptâ puteus ostenditur, dictus Sanctorum fortium, in quem magnus Christianorum numerus, cum Christi fidem susceppissent, Quirino Proconsule, est præcipitatus. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Commemoratio Victoriæ Beatæ V. Carnutensis.

Balingh. Kalend. mar. die 15. *Mart.*

Carnuti in Galliâ festum Deiparæ in gratiarum actionem ob mirabilem victoriam, ejus ope obtentam contra hæreticos. Obsidebatur ab his Carnutum, quod in solius Virginis præsidio spem suam collocarat omnem, quam irridentes hæretici, blasphemantes jactabant non plùs posse in eam civitatem MARIAM, quàm olim Dianam Ephesi. At contrarium reipsà expertos fidem fecit rei eventus, nam talis fuit vis Deiparæ in hostes, ut coacti sunt ab obsidione cessare, indèque magnâ suorum jacturâ atque infamiâ recedere. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Urbano Papâ Secundo.

Ep. ad Cler. et pleb. Carnot.— Concil. Tom. 26. *p.* 624.

482. Nos quidem ìàm pro Beatæ MARIÆ sempèr Virginis devotione et reverentiâ, tàm pro nostri officii debito, Ecclesiæ vestræ dilectionem, profectionem et curam specialiùs *impendimus*. Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE XVI. MART.

INVENTIONIS PUERI JESU.

Duplex majus

Ad Magnific. *ant.* Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.

Oratio.

Præsta, quæsumus Omnipotens Deus, ut qui gaudium Beatæ MARIÆ Virginis in Inventione Pueri JESU celebramus in terris, æterna gaudia perfruamur in cœlis. Per eumdem.

AD MATUTIN.

Invitat. Filium MARIÆ inventum in templo in medio Doctorum sedentem, Venite, adoremus.

HYMNUS 220. *Caryoph.*

Dum triduo quærit puerum
Virgo anxia JESUM,
Quæ sunt æterni
Quærit et ipse Patris.

Quis Pater, et Mater?
Quid me, inquit, quæritis ambo?
Bis mihi prognato est
Unus, et una Parens.

Tu mihi vera parens,
Me dicito quærere natum;
Natus ego veri
Munia quæro Patris.

Gloria summa Patri,
Si par tibi gloria, Nate:
Gloria sit compar,
Spiritus alme, tibi. Amen.

Lection. 1. *Noct. ut in die* 13. *Mart. p.* 636. ℟. *de Comm.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.
Homil. infra oct. Epiph.

LECTIO 4.

Indica mihi, dilectissima Domina mea, Mater Domini mei, quid tibi fuerit animi, quid stuporis, quid gaudii, cum dulcissimum Filium tuum Dominum JESUM invenires, non inter pueros, sed inter doctores, cum omnium oculos in ipsum intentos, omnium cerneres aures ad ipsum arrectas: cum de prudentiâ ejus et responsis pusilli et magni, docti pariter et indocti loquerentur? Tu.

℟. Et factum est post triduum invenerunt illum in templo, * Sedentem in medio Doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. ℣. Gavisa est gaudio magno Mater videns JESUM.—Sedent.

LECTIO 5.

Inveni, inquit, quem diligit anima mea; tenebo illum, nec dimittam. Tene, ô dulcis Domina, tene quem diligis, et triduanam ejus absentiam multiplicatis deliciis recompensa. Fili, quid est, quod fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, et ego dolentes quærebamus te. Tu.

℟. Et dixit Mater JESU ad illum: * Fili, quid fecisti nobis sic! Ecce Pater tuus et ego dolentes quærebamus te. ℣. Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.—Fili.

LECTIO 6.

Iterùm, Domina mea, dico tibi, quid dolebas? Credo non famem, non sitim, non inediam timebas Puero, quem Deum noveras; sed tantùm subtractas vel ad modicum ineffabiles præsentiæ ejus delicias querebaris. Tàm enim dulcis est Dominus JESUS gustantibus eum, tàm speciosus ad videndum, tàm suavis ad amplectendum, ut brevis ejus absentia maximi doloris materia sit. Tu.

℟. Fili, quid fecisti nobis sic? * Ecce Pater tuus, et ego dolentes quærebamus te. ℣. Quid est quod, me quærebatis? Nesciebatis quia in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?—Ecce.—Gloria.—Ecce.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 43.

In illo tempore: Factum est post triduum, parentes JESU invenerunt eum in templo. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis.
Serm. de Sept. Verb. B. M. V. art. 3. *c.* 1.

In nullo enim alio Scripturæ loco legitur eam vocasse filium, nisi in hoc quinto Verbo. Filius enim à filos, quod est amor denominatur, et in ore matrum gustum gerit tenerrimi, ac præcordialissimi dulcoris: et maximè quandò est tanta ætatis, quanta est filiatio Dei. Porrò omnis amoris signum superatur in hoc verbo, Fili. Lingua profectò in amore plùs nequit, dicens, Fili. Nihil in amore brevius, nihil efficacius ad proferendum. Cum dicitur, fili, tota commoventur viscera matrum, cum prolem nomine filiali denominant. Non potuit ampliùs Virgo Mater continere affectum, cum in verbo expressivi amoris erumpit: non aliundè ipsum denominans, nisi quòd ipse sit Filius, ipsa Mater, nullam loquendi copiam plùs apponere valuit, quàm filiale nomen. Tu.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis me, * Quia inveni Filium meum, quem perdideram. ℣. In Domino gaudebo, et exultabo in JESU Filio meo.—Quia.

Bened. Cujus lætitiam colimus.

LECTIO 8.

Et addit: quid fecisti nobis sic? Non increpantis, sed admirantis est verbum, ut mysticè insinuatur, quòd cum Sponsus ab animâ abest, intelligentia admiratur in tali exercitio ordinem sapientiæ Dei, nec comprehendere potest altissimos modos sponsi in absentiâ et reditione suâ, semper tamen multiplicitèr amorosos. Hanc autem admirationem quodammodò voluit sapientia Dei Christus Matrem suam experiri, et verbis propriis Virgini demonstrare, tanquàm promotor Matris, et exercitator in viâ amoris. Tu.

℟. Benedico te, Domine Deus Israel: * Quia ecce ego video JESUM filium meum. ℣. Et glorificabant eum JOSEPH videlicet, et uxor ejus, et ceperunt ambo flere præ gaudio.—Quia.—Gloria.—Quia.

LECTIO 9.

Cum inquit: Ecce Pater tuus et ego dolentes quærebamus te: defert humilis Virgo viro, quem in loquendo præponit, seque præposterat, quoniàm omnium bonorum morum atque virtutum est norma, ut mulieres suis deferre maritis discant, non tantùm in aliis, sed etiàm in sermone: mysticè enim gustus iste afflictivus est, et amarus, et excitativus, ac mentis promotivus in altivolo discessu amati ex perditione dilecti, quo anima tota ab ipso dependens, quiescere non potest, semper zelotypa, ne ex aliquâ culpâ discedat. Ex quo sequitur, quòd circuit quærens dilectum, ab omni creaturâ petit auxilium, ut inveniat quem diligit affectio, aliàs, anima sua. Hunc dolorem fuisse in eâ virtuosissimo modo Mater ostendit, cum ait: dolentes quærebamus te. Tu. Te Matrem.

Ad Bened. *ant.* Factum est post triduum, invenit MARIA puerum JESUM in templo.

℣. ℟. *br.* Quæ amissum Filium in templo gaudens invenisti.

CANON.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino.
Conc. in Dom. infr. Oct. Epiph.

483. Mater tribus diebus reperit. David post peccatum tribus syllabis: Peccavi. Nam justus diù potest quærere, quem ardentèr desiderat. Peccator, si non statim adsit, recedit. Tu.

Ad Magnif. *ant.* Fili, quid fecisti nobis sic? Pater tuus et ego dolentes quærebamus te.

DIE XVII. MART.

MARTYRII B. M. V.

Duplex 2. *Classis.*
Non prop. dicuntur de Comm. vitæ Dolorosæ.

IN I. VESPER.

HYMNUS 221. *Brev. Rom.*

Stabat Mater dolorosa
Juxta crucem lacrymosa
Dum pendebat Filius.

Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem
Pertransivit gladius.

O quàm tristis et afflicta,
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti.

Quæ mœrebat et dolebat
Pia Mater, dum videbat
Nati pœnas inclyti.

Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio.

Quis non posset contristari,
Piam Matrem contemplari
Dolentem cum Filio.

Pro peccatis suæ gentis
Vidit JESUM in tormentis
Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem Natum
Morientem desolatum,

Dum emisit Spiritum.
Eja Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris;
Fac, ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam. Amen.
℣. Tuam ipsius animam.
℟. Doloris gladius pertransivit.

Ad Magnific. *ant.* Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus, et dolor meus in conspectu meo semper.

Oratio.

Deus in cujus passione secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosæ Virginis et Matris MARIÆ doloris gladius pertransivit: concede propitius, ut qui Martyrium ejus venerando recolimus, passionis tuæ effectum consequamur. Qui vivis.

Completor. de Domin.

AD MATUTIN.

Invitator. Martyrium gloriosæ Virginis celebrantes: Christum pro nobis passum, venite, adoremus.

HYMNUS 222.

Stabat solutis lacrymis
Dilecta Mater Filio,
Cum cæderetur innocens
Amor parentis filius.
Heu quantus erupit dolor!
Cum veste nudos textili
Artus vibrata faciebus
Strinxere nervo verbera.
Cum regis inclíti caput
Horrente spinâ floruit,
Orbisque gessit Artifex
Inane sceptrum dexterâ.
Arctis ligatum nexibus,
Ut vidit ad necem trahi,
Manante sparso sanguine
Sequens premit vestigia.
Clavis forantur ferreis
Ambo pedes, ambæ manus:
Quanto fragore malleus
Pervasit aures Virginis?
Quis est homo tam ferreus,
Quem non dolor tantus premat,
Cum stante Matre, Filius
Crucem cruore purpurat?
Te, summe JESU, poscimus,
Sicut tuus mundat cruor,
Sic nostra fac præcordia
Dolo: MARIÆ molliat. Amen.

Lection. 1. *Noct. de Comm. Vitæ dolorosæ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernarni Abbatis.

In sign. magn.

LECTIO 4.

Martyrium Virginis tàm in Simeonis prophetiâ, quàm in ipsâ Dominicæ pastoris Historiâ commendatur. Positus est hic, ait sanctus senex de puero JESU, in signum, cui contradicetur: et tuam ipsius animam (ad MARIAM autem dicebat) pertransibit gladius. Verè tuam, o Beata Mater, animam pertransibit, alioquin non nisi eam pertransiens carnem Filii tui penetrarel. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Et quidem posteà quàm emisit spiritum tuus ille JESUS, ipsius planè non affligit animam crudelis lancea, quæ ipsius aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirùm anima jam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat avelli. Tuam ergò pertransivit animam vis doloris, ut plusquàm martyrem non inmeritò prædicemus, in quâ nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. Tu. ℟.

LECTIO 6.

An non tibi plusquàm gladius fuit sermo ille reverâ pertransiens animam, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritûs: Mulier, ecce filius tuus! Joannes tibi pro

Filio traditur, servus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodò non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quandò et nostra, licèt saxea, licèt ferrea pectora sola recordatio scindit. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 34.

In illo tempore: Dixit Simeon ad MARIAM Matrem JESU: ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel. Et reliqua.

Homilia Sancti Hildephonsi Arch. Toletani.

Serm. 2. *de Assumptione.*

Si martyres martyrio coronati dealbarunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine agni, nihilominùs hæc beata et venerabilis Virgo candidior nive prædicatur: eo quòd etsi corpora martyrum pro Domino supplicia pertulerunt, nihilominùs hæc admirabilis Virgo in animâ passa, teste Domino, comprobatur: ait enim Simeon, vel Dominus ad eam. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Tu. ℟.

Benedict. Cujus Martyrium.

LECTIO 8.

Quòd si gladius usque ad animam pervenit, quandò ad crucem stetit, fugientibus Apostolis, cum videret Dominum pendentem, etiàm plusquàm Martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quàm mœroris est intùs gladio vulnerata. Parata enim stetit, si non deesset manus percussoris. ℟.

LECTIO 9.

Beata Dei Genitrix plusquàm Martyr fuit, quæ nimio amore vulnerata, testis exitii Salvatoris, et pro mœrore in animo cruciatum sustinuit passionis. Propterea igitur, quia hæc Virgo et Mater ineffabilis est, donis in præsentiarum munerata, privilegiis sublimata divinis credere oportet, quòd hodie omnimodò cœlesti illustratur glorià, ut nullus in terris possit dignè laudabilis venerari. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

HYMNUS 223. *Br. Rom.*

Sancta Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè.
Tui Nati vulnerati
Tam dignati pro me pati
Pœnas mecum divide.
Fac me tecum piè flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta crucem tecum stare
Et me tibi sociare
In planctu desidero. Amen.
℣. Regina Martyrum. ℟. Ora pro nobis.

Ad Benedict. *ant.* Beata Virgo, quantò plùs amavit, tantò plùs doluit, tantoque ipsius martyrium gravius fuit.

Ad horas omnia de comm. vitæ dolorosæ.

℣. ℟. *br.* Quæ Regina Martyrum digna fuisti.

CANON.

Ex S. Hieronymo Presbytero.

In Serm. B. V. Flor. Patrum.

p. 439.

484. MARIA, quia mente passa est, plusquàm Martyr fuit: nimirùm et ejus dilectio ampliùs fortis quàm mors: quia mortem Christi suam fecit. Tu.

IN II. VESPER.

HYMNUS 224. *Brev. Rom.*

Virgo Virginum præclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.

Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Fac me cruce inebriari
Et amore Filii.
Flammis ne urar succensus,
Per te Virgo sim defensus
In die Judicii.
Christe, cum sit hinc exire,
Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriæ.
Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur
Paradisi gloria. Amen.

℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnific. *ant.* Torcular calcavi solus et non erat vir mecum: solùm una mulier, quæ juxta crucem meam stabat, omnia vulnera, quæ ego suscepi in corpore, suscepit in corde.

DIE XVIII. MART.

OCCURSUS B. M. FILIO PORT. CRUCEM.

Duplex.

Non propria dicuntur de comm. Vitæ dolorosæ.

Oratio.

O bone JESU, pulchriludo Angelorum, qui etiàm in carne assumptâ visus es speciosus formâ præ filiis hominum, ac landèm pro nostrâ salute ad mortem festinans, à Matre Sanctissimâ conspectus sine specie, et sine decore, quæsumus per tuum in eam amorem, ut nobis dolores illius commorantibus, suorum gaudiorum tribuas participationem. Qui vivis.

AD MATUTIN.

HYMNUS 225. *Maerkel.*

En fert trabale lignum,
Flagrisque JESUS icitur,
O Mater! ecce signum,
Cui porrò contradicitur.
Eheu crucem ferenti
Corpus pluit cruoribus,
Et cor tibi parenti
Submergitur doloribus.
Et tu, beata Trinitas,
Fac, ut fruar favoribus,
Quos indidit Divinitas
Matris meæ doloribus. Amen.

Lect. 1. *Noct. de eodem comm. cum ℣℣. sequentib.*

℟. 1. Fulcite me languoribus, stipate me doloribus, * Amore JESU langueo. ℣. Ne quære, quare langueo dolore. Amore.

℟. 2. Duo MARIÆ lumina instar duorum fontium spargunt amoris flumina. * En fronte sub fenerrimâ amoris humor enitet. ℣. Plue sanguineis lacrymis anima! Age me dolor, ô dolor! exanima. En fronte.

℟. 3. Sequebantur JESUM multa turba populi et mulierum, * Quæ plangebant et lamentabantur eum. ℣. Dolor his lacrymis meus elicitur, meus his lacrymis amor afflictur.—Quæ.—Gloria.—Quæ.

IN II. NOCT.

Sermo D. Georgii Nicomædiensis.

Serm. 8. in S. M. assist. cruc.

LECTIO 4.

Quis enim vero ejus viscerum depascentem flammam cogitaverit, quo tempore Filium ad spontaneam procedentem mortem conslans adspectabat? Ut, inquam, velut agnus innocens, Dei ille Agnus duceretur, ut velut reus traheretur, ipse qui tollit peccatum mundi, ut leni patientiâ homicidarum ferret audaciam: quàm lenitèr ad eos haberet; quàm dulcissimo intueretur aspectu; quàm blandè alloquerentur: quàm impositam sibi crucem imperturbatè susceperit. Tu.

℟. O mœstam et afflictam Matrem! O fatalem occursum! * Vidisti ne unquàm, dulcis Virgo, tuum Filium in tantis doloribus? ℣. Sub trabali cruce gemens, fractisque viribus cadens it in calvariæ locum.—Vidisti.

LECTIO 5.

Priusquàm enim Simeon ille Cyræneus iis occurreret, qui opus urgebant, docet Scriptura fuisse ei crucem impositam. Sic quoquè mulierum, quæ unâ comitabantur, plangebantque, lacrymæ vehementiorem ei dolorem incusserunt: haud quaquàm vero illæ, sed Dominus lenissimus ille ad eas sermo: Filiæ Jerusalem, nolite fiere super me. Tu.

℟. Agnoscisne, Virgo, faciem tui Unigeniti cruore oppletam, sputis fœdatam, alapis lividam? * Respice in faciem Christi filii tui. ℣. Ipse cum innocente Isaac lignum ad locum sacrificii portat.—Respice.

LECTIO 6.

Quàm voce hâc cor MARIÆ immanitèr decerptum est! Quàm totum concussum! in quam grande, impotensque incendium ardoris ejus flamma erupit! Quis enim auditis verbis ejusmodi non fuisset flexus? Non cerâ omni evasisset mollior? Non fuisset motus ad misericordiam, tametsi saxeus valdè ac inflexibilis? Tu.

℟. Sequar te, Fili mi, quocumque ieris: * Quis mihi tribuat ut moriar pro te! ℣. Tua cruenta vestigia lambens devotè sequar te, Fili mi.—Quis.—Gloria.—Quis.

Homilia de Comm. Vitæ dolor. pro duplicib.

℟. Ex vestigiis Filii mei cognoscebam incessum ejus: * Quò enim procedebat, apparebat terra infusa sanguine. ℣. Mœstissima Mater mœstissimo Filio occurrit.—Quò.

℟. Heu! quò properas, quò vevis Mater? * Cruciatu meo cruciaberis, et ego tuo. ℣. JESU fili mi, Fili mi JESU, quis mihi tribuat, ut pro te moriar!—Cruciatu.—Gloria.—Cruciatu.

LECTIO 9.

Comm. B. Virginis de Lagheto.

Ex Pougeto, in Histor. Deiparæ.

Antiquissimum Sacellum Beatæ Virginis de Lagheto in Liguriâ, tribus à Niciensi urbe leucis, ferè ruinâ collapsum, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo fuit restauratum, ac in eo devotissima Imago Virginis locata, quæ statim cœpit miraculis claroscere. Tres verò post annos, fidelium eleemosinis novum templum cum Hospitio fuit structum, viaque commodior aperta, depressis montibus, ad Sacellum, cuitandem anno septuagesimo quarto ejusdem sæculi Carmelitarum cœnobium est adjunctum. Plures Sabaudiæ Principes hanc Imaginem invisentes ingentibus ditarunt muneribus, à quibus spoliata in Gallicanis revolutionibus cum fuerit, nova fidelium pietas ei obtulit, et quotidiè nunc offert. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XIX. MART.

SOLEMNITAS SS. SPONSI B. M. V.

Duplex 2. Classis.

IN I. VESPER.

Antiph. et Cap. de Laudib. Psalmi de Solemnit.

HYMNUS 226.

Matris intactæ venerande Conjux,
Testis et custos nivei pudoris,
Quid Deo plenam meditaris anceps
Linquere Sponsam.
Anxium cœlo tibi missus ales
Firmat. Hinc Virgo tibi vitâ major:

Mente sedatâ, modò nasciturum
Numen adoras.
Vix Puer natus, venit ecce præpes
Nuntius Patri: fuge, dixit, Infans
Quæritur, Matrem Puerumque tutas
Transfer in oras.
Tu nihil contra per opaca noctis
Protinùs Matrem Puerumque transfers:
Dirigit gressus, aperitque calles,
Dum silet Infans.
Ora mox solvet, Solymas per urbes
Quem dolens quæres, comitante Matre,
Hunc senes inter Puerum stupebis
Mira loquentem.
Nostra te summum celebrent Parentem
Ora, te summo Genitum parente:
Par sit amborum tibi laus per omnes,
Spiritus, ævum. Amen.

℣. Ora pro nobis Sancte Pater JOSEPH.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnif. ant. Ave JOSEPH juste, fili David, vir MARIÆ, de quâ natus est JESUS, qui vocatur Christus.

Complet. de Domn.

AD MATUTIN.

Invitat. Laudemus Deum nostrum * In veneratione Sanctissimi Sponsi Virginis MARIÆ.

HYMNUS 227. *Brev. antig.*

Sublimis es quàm tu procùl
Supra vicem mortalium!
JOSEPH, cui nec sunt pares
Sortis decore cedites.
Tu pane vescentem tuo
Regis, tueris, educas:
Quo providente jugibus
Cibis aluntur omnia.
Conjux pudicæ Virginis,
Dum Mater illa fit Dei:
Infans Deus quidni suum
Te jure Patrem nominat.
O par beatum Conjugum!
O amplior cœlo domus,
Æternus in quâ se Deus
Matri, Patrique subdidit.

Doxolog. de Tempore.

IN I. NOCT.

Ant. 1. JOSEPH nunc cum MARIA super choros angelorum præmictur.

2. Vir caput est mulieris: caput MARIÆ erat JOSEPH.

3. Vovit MARIA Virginitatem, vovit et ipse JOSEPH.

℣. Faciamus Virgini MARIÆ.

℟. Adjutorium simile sibi.

Lect. 1. *Noct. ut in die* 23. *Januar. p.* 563.

℟. Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam viro, * Cui nomen erat JOSEPH, et nomen Virginis MARIA. ℣. Desponsata erat Virgo benegnissima justo, ac sapientissimo viro, totius Trinitatis consilio. Cui.

℟. JOSEPH, noli timere accipere MARIAM conjugem tuam, * Quod enim in eâ natum est * de Spiritu Sancto est. ℣. Ecce Virgo concipiet et pariet Filium. Quod.

℟. Nonne hic est JESUS Filius JOSEPH, * Cujus nos novimus Patrem et Matrem. ℣. Invenimus JESUM, Filium JOSEPH à Nazareth. Cujus. Gloria. Nonne.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Si JOSEPH est vir MARIÆ, est et Pater Domini.

2. Fecit me Dominus quasi patrem regis, et dominum universæ domûs ejus.

3. Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet.

℣. Erat JOSEPH pulchrâ facie

℟. Et decorus aspectu.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Homilia 2. super Missus.

LECTIO 4.

Qualis et qualis homo fuerit beatus JOSEPH, conjice ex appellatione, quâ, licet dispensatoriâ, meruit honorari adeò, ut pater Dei et dictus, et creditus sit: conjice et ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubitas interpretari. Simùl et memento magni illius quondàm Patriarchæ venditi in Ægypto, et scito ipsius istum non solùm vocabulum fuisse sortitum, sed et castimoniam adeptum, innocentiam assecutum, et gratiam. Tu.

℟. Ascendit JOSEPH à Galilæâ de civitate Nazareth, * In Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethleem. ℣. Ut profiteretur cum uxore sibi desponsatâ prægnante. —In Jud.

LECTIO 5.

Si quidèm ille JOSEPH fraternâ ex invidiâ venditus, et ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfiguravit: iste JOSEPH Herodianam invidiam fugiens Christum in Ægyptum portavit. Ille Domino suo fidem servans, Dominæ noluit commisceri: iste Dominam suam Domini sui Matrem, Virginem agnoscens, et ipse continens fideliter, custodivit. Ille data est intelligentia in mysteriis somniorum: isti datum est conscium fieri atque participem cœlestium sacramentorum. Tu.

℟. Et venerunt Pastores festinantes, et viderunt MARIAM et JOSEPH, et * Infantem positum in præsepio. ℣. JESUM, qui putabatur Filius JOSEPH.—Infant.

LECTIO 6.

Ille frumenta servavit non sibi, sed omni populo: iste panem vivum è cœlo servandum accepit tàm sibi, quàm toti mundo. Non est dubium, quin bonus et fidelis homo fuerit iste JOSEPH, cui Mater desponsata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus et prudens, quem constituit Dominus suæ Matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidelissimum. Tu.

℟. Surge, et accipe Puerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum: * Et esto ibi usque dum dicam tibi. ℣. Herodes enim quærit Puerum ad perdendum eum.—Et esto.—Gloria.—Surge.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Ipse JESUS erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius JOSEPH.

2. JOSEPH vir erat MARIÆ, de quâ natus est JESUS, qui vocatur Christus.

3. Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego dolentes quærebamus te.

℣. Justus germinavit sicut lilium.

℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 1. 18.

Cum esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homil. 2. sup. missus.

Dicitur JOSEPH fuisse de domo David. Verè enim de domo David: verè de regiâ stirpe descendit vir iste JOSEPH, nobilis genere, mente nobilior. Planè filius David, non degenerans à Patre suo David. Prorsùs inquam filius David, non tantùm carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione: quem tanquàm alterum David Dominus invenit se-

cundum cor suum, cui tutò committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum. Tu.

℟. Defuncto Herode Angelus Domini apparuit in somnis JOSEPH in Ægypto, dicens: * Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et vade in terram Israel. ℣. Defuncti sunt enim, qui quærebant animam Pueri.—Surge.

Benedict. Cujus Sanctum Sponsum.

LECTIO 8.

Planè filius David, cui tanquàm alteri David incerta et occulta sapientiæ suæ manifestavit, et dedit illi non ignarum esse mysterii, quod nemo principum hujus sæculi agnovit; cui denique datum est, quod multi reges et prophetæ cum vellent videre, non viderunt, audire et non audierunt, non solùm videre et audire, sed etiàm portare, deducere, amplecti, osculari, et nutrire, et custodire. Tu.

℟. Descendit JESUS cum eis, et venit Nazareth, * Et erat subditus illis. ℣. Fecit me Dominus quasi Patrem Regis et Dominum universæ terræ.—Et erat.—Gloria.—Descendit.

LECTIO 9.

Non tantùm autem JOSEPH, sed et MARIA descendisse credenda est de domo David. Alioquin non esset desponsata viro de domo David, si non esset et ipsa de domo David. Ambo igitur erant de domo David, sed in alterâ completa est veritas, quàm juravit Dominus David, altero tantùm consocio, et teste adimpletæ promissionis. Tu. Te Mat.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Mulieris bonæ * beatus vir: numerus annorum illius duplex.

2. Confidit in eâ * cor viri sui, et spoliis non indigebit.

3. JOSEPH virejus, * cum esset justus, dilexit illam corde perfecto.

4. Fidelis servus et prudens, * quem constituit Dominus super familiam suam

5. Quem constituit * Dominus suæ Matris solatium, et suæ carnis nutritium.

CAPITULUM. *Genes.* 49. 26.

Benedictiones Patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite JOSEPH, et in vertice Nazaræi inter fratres suos.

HYMNUS 228. *Brev. Rom.*

Cœlitum Joseph decus atque nostræ
Certa spes vitæ, columenque mundi,
Quas tibi læti canimus, benignus
Accipe laudes.

Te Salor rerum statuit pudicæ
Virginis sponsum, voluitque Verbi
Te Patrem dici, dedit et ministrum
Esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo jacentem,
Quem chorus vatum cecinit futurum,
Aspicis gaudens humilisque Natum
Numen adoras.

Rex Deus regum, dominator orbis,
Cujus ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus famulatur æther
Se tibi subdit.

Laus sit excelsæ Triadi perennis,
Quæ tibi præbens superos honores,
Dat tuis nobis meritis beatæ
Gaudia vitæ. Amen.

℣. Magna est gloria ejus.

℟. In salutare Dei.

Ad Benedict. *ant.* JOSEPH vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

Oratio.

Deus, qui ineffabili providentiâ beatum JOSEPH Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsum eligere dignatus es: præsta quæsumus, ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Qui vivis.

AD PRIMAM.

Ant. Mulieris. *Capit.* Benedict. ℣. ℟. *br.* Quæ justo JOSEPH desponsata fuisti.

CANON.

Ex D. Augustino Episcopo.

Ap. D. Thom. de Villan. Conc. 5. *de Annunt.*

485. JOSEPH fili David: ille Deus, qui scripsit mirabilia in lege suâ; ipse fecit mirabilia in Conjuge tuâ. Quod legisti in libris tuis, aspice in MARIA oculis tuis: ut dignè dicas canticum David patris tui: sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, quam Deus fundavit in æternum. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Genes.* 49. 25.

Deus Patris tui erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus desuper.

℟. *br.* Faciamus * Virgini MARIÆ.—Faciamus. ℣. Adjutorium simile sibi.—Virgini.—Gloria.—Faciamus.

℣. Erat JOSEPH pulchrâ facie.

℟. Et decorus aspectu.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Genes.* 49. 22.

Filius accrescens JOSEPH, filius accrescens, et decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum.

℟. *br.* Erat JOSEPH * Pulchrâ facie.—Erat. ℣. Et decorus aspectu.—Pulchrâ.—Gloria.—Erat. ℣. Mulieris bonæ beatus vir. ℟. Numerus annorum illius duplex.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Prov.* 28. 20.

Vir fidelis multùm laudabitur, et qui custos est Domini sui glorificabitur.

℟. Constituit eum Dominus * Dominum domûs suæ.—Constituit. ℣. Et principem omnis possessionis suæ.—Dominum.—Gloria.—Constituit.

℣. Tu eris super domum meam.

℟. Et ad tui oris imperium cunctus populus obediet.

IN II. VESPERIS.

Psalmi de Solemnit. Antip. et Cap. de Laudib.

HYMNUS 229. *Brev. Rom.*

Iste, quem læti colimus fideles,
Cujus excelsos canimus triumphos,
Hâc die JOSEPH meruit perennis
Gaudia vitæ.

O nimis felix! nimis ò beatus,
Cujus extremam vigiles ad horam
Christus et Virgo simùl astiterunt
Ore supremo.

Hinc stygis victor, laqueo solutus
Carnis ad sedes placido sopore,
Migrat æternas, rutilisque cingit
Tempora sertis.

Ergo regnantem flagitemus omnes,
Adsit, ut nobis, veniamque nostris
Obtinens culpis, tribuat supernæ
Munera pacis.

Sint tibi plausus, tibi sint honores,
Trine, qui regnas, Deus, et coronas
Aureas servo tribuis fideli
Omne per ævum. Amen.

℣. Gloria et divitiæ in domo ejus.

℟. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Ad Magnific. *ant.* Ecce fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

Oratio de Laudibus.

DIE XXI. MART.

OBEDIENTIÆ B. M. V.

Duplex.

Ad Magnif. *ant.* Eva inobediens et sibi et universo generi humano causa facta est mortis. MARIA verò Virgo Obediens, et sibi et universo generi humano facta est causa salutis. *Oratio de Comm.*

Lect. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni, Ep. *De laudib. B. M. V. l. 4. c.* 28.

LECTIO 4.

De obedientiâ MARIÆ dicit ipsa: anima mea liquefacta est per incendium charitatis, parata videlicet instar metalli liquefacti, decurrere in omnes modulos divinæ voluntatis: ut dilectus loquutus est ad me per Gabrielem postulans me in Matrem, cui me obtuli in ancillam; sciens, quoniàm qui se humiliat, exaltabitur. Nota quod proprium est metalli liquefacti descendere. Sic fecit MARIA obediendo, cum postulata in Matrem Dei, quod fuit ei summa dignitas, se nominat ancillam, quod fuit summa humilitas. Et ideò animæ suæ attribuit liquefactionem, quæ est propriè metalli. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Item ratione obedientiæ comparatur auro MARIA, ubi dicitur arca, thronus, solium. Comparatur ferè omnibus vasis templi, et tabernaculo quæ fuerant aurea. Aurum enim tractabilius est omnibus metallis, et quantò tractabilius, tantò subtilius, operibus faciendis competentius. De quo videlicet auro fabricatum est artificio Spiritûs Sancti vas illud admirabile, opus excelsi, in quo Filius Dei comedit favum suum cum melle suo, bibit vinum suum cum lacte suo. Item in obedientiâ MARIÆ impletum est, quod olim prædixerat Dominus per Joelem: obedientiam se malle, quàm sacrificium, et scientiam Dei. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Item ratione obedientiæ potest ipsa dicere cum Filio suo illud Isaiæ. Erige manè, manè erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem. Elegantèr verba disposuit, cum priùs sibi erectam aurem perhibuit quàm apertam. Manè dicit MARIA erectam ei aurem quæ ab initio ætatis ad verba cœlestia paratum habuit auditum, et docuit nos habere. Erexerat autem, et aperuerat Dominus auditum MARIÆ, undè quasi juvencula erectam aurem habens, facilè et libenter suscepit verba angelica, in quibus turbata est: quæ etiàm nullum verbum audisse legitur in Evangelio ante illud. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 28.

In illo tempore: Ingressus angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum, Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis.

Serm. de Laud. Virginit. art. 2. *c.* 9.

Sicut ex inobedientiâ primæ nostræ parentis sumus condemnati; ita per obedientiam MARIÆ Virginis sumus à morte peremptoriâ liberati: ideò hæc obedientia ab Evâ rejecta, à MARIA gratanter recepta, continuè Virgini suadebat optare salutem mundi: ideò divinæ voluntati subdi, et omninò sub divino imperio ejus voluntatem anihilari. Undè auditâ Domini voluntate de conceptu Filii sui, volentèr

atque lætantèr, etiàm velocitèr angelo ait: Ecce: quasi dicat: ecce volenti corde, lætanti facie, atque veloci opere adimpleo, quidquid divinæ fuerit beneplacitum voluntati. Tu. ℣.

Bened. Cujus Obedientiam.

LECTIO 8.

Et in hoc Beata Virgo MARIA docet esse obedientes. Primò volentèr, id est, volenti corde. Debet enim majori justa præcipienti respondere, quod apostolus ait: Domine, quid me vis facere? Quia ut dicitur Ecclesiastico: melior est obedientia, quàm stultorum victimæ quia hâc mactatur voluntas propria, ibi verò voluntas aliena. *Lect.* 9. Secundò debent obedire lætantes, id est, lætâ facie: undè Bernardus: hilaritas in vultu, dulcedo in sermone multùm decorant obedientiam subsequentis: nubilosa verò corporis compositio, et facies tenebris obscurata devotionem ab animo recessisse signat. Tertiò debent obedire promptè, id est, prompto opere, sicut psalmus ait: in auditu auris obedivit mihi: et alibi viam mandatorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Cracoviensis.

Balingh. sub. die 17. *April.*

Cum Tartari Rusiam, et Voliniam popularentur, Sanctus Hiacinthus Kiomæ agebat, et ingresso in templum locuta est Imago Beatæ Virginis MARIÆ. Cur me, inquit, Hiacinthe, solam relinquis? Curludibrio barbarorum exponis? Cur tecum me, et Filii mei Sacramenta non effers? His admonitus, Sacerdotis habitu indutus, alterâ verò prægrandem ex alabastro Virginis Imaginem apprehendit, et nullam inveniens navim Boristensi aquæ se commisit, ac cicco vestigio ingentis Iconis pondere onustus profundissimum flumen trajecit, ac tandèm Cracoviam pervenit inculumis. Piam illam sarcinam Imaginis Deiparæ Cracoviæ in templo sui ordinis Sanctissimæ Trinitatis reliquit. Tu.

Ad Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* O verè ancilla, quæ neque dicto neque facto, neque cogitatu unquàm contradixit Altissimo, nihil sibi libertatis reservans, sed per omnia subdita Deo.

Ad Magnif. *ant.* Anima mea liquefacta est, ut dilectus loquutus est.

DIE XXIII. MART.

CONSTANTIÆ B. M. V.

Duplex.

Officium fit ut in tempore Passionis.

IN I. VESPERIS.

HYMNUS 230. *Maerkel.*

Eamus è vestigio,
Eamus ad spectaculum;
In Golgotæ fastigio,
Doloris est miraculum.

Clavis ibi trabalibus,
Dum fixa membra defluunt,
Et quinque de canalibus
Cum morte vitam depluunt.

Duo MARIÆ lumina
Instar duorum fontium,
Spargunt amoris flumina
Inter pretosa montium.

En fronte sub tenerrimâ
Amoris humor emitet:
Quam, Virgo, me pulcherrima
Tui doloris pœnitet!

Quin lacrymas hinc dirigis?
Genæ tuæ sunt lividæ;
O Virgo, si me diligis,
Mecum dolores divide.

Faxit beata Trinitas,
Ut gaudeam favoribus,
Quos indidit Divinitas
Matris meæ doloribus. Amen.

Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui Constantiam beatissimæ Virginis recolimus, forti animo simus semper in adversis, ut morum similitudine similes ei effectu, post ipsam ad cœlestia regna perducamur. Per Dominum.

AD MATUTIN.

Invitator. Stabat Virgo MARIA in magnâ Constantiâ juxta Crucem, * Dum pendebat ex eâ Filius ejus Christus.

HYMNUS 231. *Maerkel.*

Fulcite me languoribus,
Stipate me doloribus,
Amore JESU langueo,
Dolore, amore langueo.
Arâ Crucis ex horridâ,
Sub zonâ amoris torridâ
Natus meus suspenditur,
Amor meus distenditur.
Amor doloris malleo
Figit manus; hinc palleo:
Dein pedi pes figitur;
Meum cor hinc affligitur.
Instar latronum vilium
Pendere cerno Filium:
Amoris est consensio,
Quod sentit ille, sentio.
Ejus cruci confixa sum,
Quem nil dolens enixa sum:
Externa Crux est lignea,
Interna Crux est ignea.
Qui me dolor depascitur,
Amoris igne nascitur,
Et sentio cor dividi,
Tam sunt dolores vividi.
O Unitas! O Trinitas!
O Numinis divinitas!
Fac ut doloris nubilum
Sit in perenne jubilum. Amen.

Lection. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

De Constantiâ Beatissimæ Virginis dici potest, quòd ipsa semper steterit firma in justitiâ et sanctitate, quia nunquàm in aliquod peccatum vel minimum lapsa est. Audivit enim præceptum Altissimi: Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitiâ, et timore. Stetit MARIA in servitio Dei operibus justitiæ firmata: undè de illâ dicitur in Proverbiis: Manum suam misit ad fortia, id est, ad ardua virtum opera. Tu.

℣. Sua Constantiâ vicit Virgo sexum, vicit hominem, et passa est ultrà humanitatem, * Torquebatur enim magis ob tormenta Filii, quàm si torqueretur in se. ℣. Stetit semper juxta Crucem JESU in magnâ constantia orans pro illis qui eum cruci affixerant. Torqueb.

LECTIO 5.

Stetit quoque MARIA in fide JESU-Christi, et in maximis adversis constantissima ac patientissima. Constantissima; nam, cunctis amicis et discipulis in passione fugientibus, in gloriam totius feminei sexûs inter tot pressuras Filii sui constanter ipsa sola stetit usque ad mortem in fide JESU Christi firma. Patientissima; nam, etsi animam ejus totam pertransiret et possideret vis immensi doloris, tamen, ut decet pudicitiam virginalem, non se laniabat in tantâ amaritudine, non maledicebat, non murmurabat, nec vindictam hostium à Deo petebat, sed firmissimè, velut immota pelagi rupes, quæ sese multis circum latrantibus undis mole tenet, semper stetit. Tu.

℣. Licet Virgo confossa acuto cor doloris spiculo, * Nil malo externata tanto turbidum ore protulit, nilque prorsùs indecenter egit aut incondite. ℣. Sed suum dolorem acerbum temperabat fortiter. Nil.

LECTIO 6.

Constantiam denique hanc Deiparæ

terræ illius declarabat consistentia, de quâ Ecclesiasticus: Generatio præteriit, et generatio advenit, terra autem in æternum stat. Præteriit siquidem Petrus, quandò cum reliquis Ecclesiæ Principibus fugit. Advenit generatio, cum latro credidit, et in paradisum pervenit. Terra autem hæc virginea stat in æternum, quia divinum æternumque fructum proferens, immobilis stetit in fide Christi, et charitate. Undè Ecclesia in triduano Passionis officio omnes candelas extinguit, unicâ abscondità relictâ, quæ Beatam Virginem significat, quia in fidei lumine constans stetit, fugientibus discipulis, quos posteà omnes illuminavit. Tu.

℣. Ut pelagi rupes magno veniente fragore * Quæ sese multis circum rugientibus aquis firma tenet. ℣. Sic MARIÆ mens fidelis cæteris lapsantibus, firma mansit more rupis passionis tempore.—Quæ.—Gloria.—Quæ.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus et soror Matris ejus MARIA Cleophe, et Maria Magdalene. Et reliqua

Homilia B. Guillelmi Abbatis.

Ap. Crysogon. p. 162.

Ubi ad hoc ventum est, ut bajulans sibi crucem JESUS exiret in eum, qui dicitur Calvariæ locum, tollebat et ipsa, Virgo scilicet, crucem suam, crucem interioris hominis sui, et sequebatur eum crucifigenda cum eo. Undè dicitur statura tua assimilata est palmæ. Siquidem per palmam, quâ manus victoris antiquo ritu ornatur, insigne illud et victoriosum crucis lignum signatur, cui nimirum Evangelista laturam piæ Matris assimilatam insinuans: Stabat, inquit, juxta crucem JESU Mater ejus. Tu.

℣. Pressa sub ingenti ceu pondere palma virescit, * Sub cruce sic floret Genitrix Virgo Dei. ℣. Tua, Virgo, statura palmæ comparata est ardnæ. Sub.

Benedicamus. 8. Cujus Constantiam.

LECTIO 8.

Quis tam piam Matrem dulcissimo Filio in cruce morienti astantem, acerrimi doloris ambigat crucem intùs tolerasse? Planè ille foris, et illa intùs patiebatur crucem. (*Lect.* 9.) Stabat illa juxta crucem sui JESU, atque eo ipso sibimet quodammodò erat in cruce erecta, stando juxta crucem Filii, ipsa quodammodò per affectum maternum facta erat crux: sic ergò cum staret juxta insignem illam palmam, statura ejus assimilata est palmæ. Tu.

℣. Quamvis, quot Christus ipse semivivo in corpore vulnerum gerebat ictus, * Tot quoque ipsa saucia Virgo plagas ferret intus anxia in præcordiis; ℣. Haud locum complevit omnem questibus mulierbriter.—Tot.—Glor.—Tot.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Gregnana.

Canon libr. 5. *c.* 2.

Quatuor ferè ab urbe Herdæ milliaribus, in regione, quæ Gregnana dicitur, sub eodem nomine Diva Virgo in quodam Sacello ingenti cultu afficitur. Imago ejus, quæ ibi asservatur, ididem sub rubo, bove indice, à Pastore inventa traditur: lapidea est, colore suffusco: puerum sinistro genu sedens sustinet: palmo alta. Ad eam magnus fit fidelium accursus, præcipuè die vigesimâ quintâ Martii. Hoc Sacellum antiquissimum est, nam jam

ab anno millesimo trigentesimo quadragesimo pluribus indulgentiis ditatum fertur. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 232. *Maerkel.*

Calvaria est amoris,
Et est doloris vinea:
Sunt præla vinitoris
Clavi et corona spinea.
Dum fixus Christus JESUS
Crucisque calcat torculum,
Amor dolore lassus
Premit MARIÆ corculum.
MARIA, quandò petra
Sensu doloris scinditur,
Diesque nocte tetrà
Lugel, tibi cor finditur.
Deposta membra ligno,
Sed membra cassa lumine,
Foves sinu benigno
Lavas doloris flumine.
Cum Filio sepulto
Lapis sepulchro advolvitur,
Tibi MARIÀ multo
Dolore vita solvitur.
Sedens ad antra tumbæ
Mœsto susurro murmuris,
Instar gemis columbæ
Et plangis instar turturis.
O Mater, fac dolorum
Per hanc amaritudinem,
Cœlestium bonorum
Gustum suavitudinem.
O Numen! O Divinitas!
In unitate Trinitas,
Fac ut doloris nubilum
Sit in perenne jubilum. Amen.

CANON.

Ex D. Ambrosio Episcopo.
apud Chrisogon. p. 164.

486. Lego «Virginem» stantem juxta crucem Domini, non lego plorantem: stare namque in illâ cordis amaritudine magnæ adscribitur Constantiæ, abstinere à lacrymis summæ verecundiæ annotatur. Cohibebat illa lacrymas præ pudore, stabat sublimissimâ quadàm animi magnitudine; itaque nec dolor excussit lacrymas, nec animum pœna dejecit, quia hinc pudor honestus, hinc fortis Constantia decertabant. Tu.

IN II. VESPER.

HYMNUS 233. *Maerkel.*

Sub vesperæ crepusculum
JESU supra corpusculum,
Dolore Mater ebria
Nato facit funebria.
Supra cadaver flectitur,
Et brachiis amplectitur,
Et stringit inter ubera
Frontis cruentæ tubera.
Deindè junctis vultibus
Cœlum ferit singultibus
Frontique dum frons jungitur,
Spinis acutis pungitur.
O Virgo, cui das osculum?
Spinas habes, non flosculum;
Flos ille jam sublatus est,
Qui te parente natus est.
Genæ rubent non floribus,
Sed vulnerum liquoribus;
Supt hæ cruoris lineæ
Rosæ coronæ spineæ.
Has osculando pungeris,
Sic vivis et depungeris;
Nam præ dolore cor tuum
In lacrymis est mortuum.
O Unitas! O Trinitas!
O Numinis Divinitas!
Fac ut doloris nubilum
Sit in perenne jubilum. Amen.

DIE XXIV. MART.

IN VIGILIA ANNUNTIAT. B. V. M.

Simplex.

Hæc vigilia omittitur, si solemnitas Annuntiation. transferatur ad tempus paschale. Omnia de feriâ.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 1. *c.* 1. 29.

In illo tempore: Cum audisset MARIA angelum, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Hom. 4. *super missus.*

Audisti, quia concipies, et paries filium: Audisti, quòd non per hominem, sed per Spiritum Sanctum: expectat angelus responsum, tempus est enim, ut revertatur ad Dominum, qui misit illum. Expectamus et nos, ò Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis: statim liberabimur, si consentis. Tu. ℣. *de ferid.*

LECTIO 2.

Hoc supplicat à te, ò pia Virgo, flebilis Adam cum miserâ sobole suâ exul de paradiso: hoc Abraham, hoc David. Hoc cæteri flagitant Sancti Patres, patres scilicet tui, qui et ipsi habitant in regione umbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat. Nec immeritò, quandò ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Da Virgo, responsum festinanter. O Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant et superi. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Ipse quoquè omnium Rex, et Dominus, quantùm concupivit decorem tuum, tantùm desiderat et responsionis assensum: in quo nimirùm proposuit salvare mundum. Et cui placuisti in silentio, jàm magis placebis ex verbo: cum ipse tibi clamet de cœlo: O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam, ipse se faciet videre salutem nostram. Nunquid non hoc est, quod quærebas, quod gemebas, quod diebus et noctibus orando suspirabas? Responde itaque citiùs angelo, imò per angelum Domino. Responde verbum, et suscipe Verbum. Profer tuum, et concipe divinum. Emitte transitorium, amplectere sempiternum. Tu. ℣.

Preces in Laud. et in Primâ.

Oratio.

Deus, qui per Incarnationem Filii tui in utero immaculato Beatæ Virginis MARIÆ mundum reparare dignatus es: concede propitius, ut qui tantam prævenimus festivitatem, per fidem in cordibus nostris ipsum concipere mereamus. Qui tecum vivit, et regnat.

CANON.

Ex Paulo Papâ Quinto.
Const. 253. *an.* 1615.—*B. R. Tom. V. p.* 4. *pag.* 183.

487. Immensæ bonitatis Creator omnium Deus... ad magnum et ineffabile implendum «Incarnationis» mysterium ex omni creaturâ MARIAM Virginem purissimam atque sanctissimam de regiâ stirpe prælegit. Tu.

Vesperæ de sequent.

DIE XXV. MART.

SOLEMNITAS ANNUNTIATIONIS B. M. V.

Duplex 1. *Class. cum Oct.*

Hæc Solemnitas transfertur ad primam diem non impeditam, si occurrat in Domin. Passion. seu Palmar. aut in hebdom. majori, vel infra Octav. Paschæ. Octava verò non transfertur, sed omittitur.

IN I. VESP.

Ant. 1. Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum.

Psalmi de Solemnitat. ut in I. Vesp.

2. Aperiatur terra nostra, et nobis germinet Salvatorem mundi.

3. Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, ut salvos nos facias.

4. Descende sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.

5. Benedicentur omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.

CAPITULUM. *Zach.* 2. 10. Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus.

℣. Virgo Israel, usquequò dolens averteris? * Generabis Dominum, oblationem novam in terrâ: ambulabunt homines in salvationem. ℣. Emitte agnum, Domine, de petrâ deserti ad montem filiæ Sion.—Generabis.—Gloria.—Virgo Israel. *Et dicitur tantùm hâc die in Vesper.*

HYMNUS 234. *Brev. Gallic.*

Hæc illa solemnis dies
Dies salutis nuntia,
Quâ missa cœlo tristibus
Venere terris gaudia.
Unius omnes crimine
Casu gravi lapsi sumus:
Ut ipse lapsos erigat,
Descendit in terras Deus.
Qui Patris æterni sinu
Æterna proles nascitur,
Obnoxius fit tempori,
Sinum nec horret Virginis.
Mortale corpus induit
Orbi piando victimam,
Ut innocenti sanguine
Scelus nocentum diluat.
Qui cuncta complet Numine,
Nostros se in artus colligit;
Ut nos reducat ad Deum,
Est ipse nobiscum Deus.
Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par tibi laus, Spiritus,
Quo dante Virgo concipit,
Manetque sempèr integra. Amen.

Hæc Doxolog. dicitur per octav.

℣. Ulinam dirumperes cœlos, et descenderes.

℟. Tange montes, et fumigabunt.

Ad Magnif. *ant.* Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem MARIAM, desponsatam viro, cui nomen erat JOSEPH.

Orat. de Laudib. Compl. de Domin.

AD MATUTIN.

Invitator. Verbum Dei incarnatum de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine, * Venite, adoremus.

HYMNUS 235. *Apud Marrac.*

Jam mittit præmium hæc Dei Filia
Ad Dei Filium, nardus et præmia,
Hæc, misso nuntio in cœli solium,
De cœli solio eduxit nuntium.
In ventis oculos, qui missus fuerat,
Misso velocior intrat, qui miserat:
Amicis ostium patet cœlestibus,
Urbis hæc cœlestium non patet hostibus.
Nam monit Virginem turris humilitas,
Et ambit humilem muros virginitas:
Hæc intrat humilis, quòd est mirabile,
JESUS mirabilis castellum humile.
Hunc ventris gremium, capit hic spatia,
Nullum hoc spatium, nec mundi gremia:
Est hoc in sæculum novum miraculum,
Tanto miraculo miratur sæculum.
Collatum simili nihil est mirabile,
Huic mirabili quis vidit simile?
Hæc virum peperit, nec virum noverat,
Hunc virum noverat, necdum pepererat.
Novis in utero virum et puerum,
Vir est à puero, intrat in uterum:
Hinc nobis oriens, nunquàm commoritur,
Quo mundus omnis per mortem oritur.
Nos apud Filium reos concilia,
Reis consilium da regis filia,
Ut trahat homines ad se dux virginum,
Clamat ad Virginem gemens cor hominum. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Missus est Angelus * Gabriel ad MARIAM Virginem desponsatam JOSEPH.

Psalm. 8. Domina Dominus noster. *p.* 4.

2. Ne timeas, MARIA, * invenisti gratiam apud Deum.

Psalm. 15. Conserva me. *p.* 25.

3. Ecce concipies, * et paries Filium, et vocabis eum JESUM.

Psalm. 44. Eructavit. *p.* 30.

℣. Angelus Domini nuntiavit MARIÆ.

℟. Et concepit de Spiritu Sancto. *Lect. ut in Dom.* 1. *Advent. p.* 100.

℟. 1. Ecce jam venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum in terras, * Ut incarnaretur de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine. ℣. Propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos Deus, Filium suum misit in similitudinem carnis peccati.—Ut.

℟. 2. Canite tubâ in Sion, vocate gentes, annuntiate populis, et dicite: * Ecce Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. ℣. Annuntiate et auditum facite: loquimini, et clamate.—Ecce.

℟. 3. Quomodò fiet istud, angele Dei, quoniàm virum non cognosco? * Audi MARIA Virgo: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. ℣. Ecce Rex tuus venit tibi justus, et salvator, et habitavit in medio tui.—Audi.—Gloria.—Quomodò. *Infra octav.* Audi.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Quomodò fiet * istud, quoniàm virum non cognosco?

Psalm. 45. Domina, refugium. *p.* 30.

2. Spiritus Sanctus * superveniet in te, et virtus Altissimi obumbravit tibi.

Psalm. 49. Deus Deorum. *p.* 31.

3. Quod nascetur * in te Sanctum, vocabitur filius Dei.

Psalm. 63. Exaudi Deus. *p.* 34.

℣. Ecce Ancilla Domini.

℟. Fiat mihi secundum verbum tuum.

Sermo S. Joannis Chrysostomi. *In Luc. c.* 1. *in Nativ. S. Joan. Bapt.*

LECTIO 4.

Post sextum mensem conceptionis Joannis, qui est octavo Kalendas Octobris, sextus mensis Martius, principium anni, quia princeps et primarium omnium, ipso mense conceptus et passus est... Ex die igitur conceptionis Joannis octavo Kalendas Octobris, usque Octavo Kalendas Aprilis, quandò Angelus Gabriel ingressus est ad MARIAM, et salutavit eam, dicens: Pax tecum quia invenisti gratiam apud Deum. Quæ audito hoc verbo conturbata est, et cogitabat intra semetipsam, quæ esset ista salutatio. Tu.

℟. Suscipe verbum, Virgo MARIA, quod tibi à Domino per Angelum transmissum est: * Concipies et paries Deum pariter et hominem. ℣. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. ℟. Concipies.

LECTIO 5.

Cui dixit Angelus: Ne timeas, MARIA, quia invenisti gratiam apud Dominum: Ecce concipies in utero et paries Filium, et vocabis nomen ejus JESUM. Hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur: et dabit illi Dominus sedem David patris ejus,

et regnabit in domo Jacob in sæcula, et regni ejus non erit terminus. Cui respondit MARIA. Et quomodò hæc cognoscam, cum virum non noverim? Et dixit illi Angelus: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: propterquod is qui nascetur Sanctus, vocabitur Filius Dei. Tunc MARIA fidâ sermone dixit: Ecce Ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum. Tu.

℟. Spiritus Sanctus in te descendet MARIA: * Ne timeas, habebis in utero Filium Dei. ℣. Ecce Virgo concipiet, dicit Dominus.—Ne timeas.

LECTIO 6.

Fuit igitur, quandò hæc Angelus ad MARIAM nuntiavit, octavo Kalendas Aprilis, qui et ipse est dies æquinoctialis ad inchoationem lucis, jam enim detersâ caligine à mundo, lux in mundum advenichat, sicut Joannes in Epistolâ suâ dicit: quia tenebræ transierunt et lumen verum jam lucet. Conceptus est ergò Dominus noster Octavo Kalendas Aprilis, mense Martio, qui est dies Paschæ Passionis Domini, et Conceptionis ejus. In quâ enim die conceptus est, in eâdem et passus est. Tu.

℟. Ne timeas, MARIA Virgo ad verbum Angeli: * Quod enim ex te nascetur Sanctum vocabitur filius Dei. ℣. Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.—Quod.—Gloria.—Ne timeas.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Ne timeas, * MARIA, quoniàm non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Ps. 68. Salvum me. *p.* 35.

2. Ecce Elizabeth * cognata tua, et ipsa concepit Filium in senectute suâ.

Ps. 101. Domina, exaudi. *p.* 42.

3. Ecce Ancilla Domini, * fiat mihi secundum verbum tuum.

Ps. 131. Memento. *p.* 48.

℣. Et Verbum caro factum est.

℟. Et habitavit in nobis.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Damasceni.

Orat. in ann. B. M. V.

Rex cœlestis misit ad Virginem ministrum suum Gabrielem, ut ipsam salutatione lætitiæ compellaret, certioremque faceret esse se à Creatore electam, dicendo: Ave gratiâ plenâ, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Et quomodò benedicta non esset, et gratiâ plena, cum quâ creaturarum Dominus fuit, copulando sibi ex eâ templum, quo opem generi suo efferret? Hodiè qui formavit res omnes visibiles, et invisibiles, effinxit sibi imaginem humanam. Hodiè qui produxit omnes creaturas spirituales et materiales, produxit sibi carnis figuram. O misericordiæ Creatoris abyssum, et excellentiam descensûs eius! Tu.

℟. Benedicta et venerabilis es, Virgo MARIA, * Quæ de cœlo suscepisti prolem, et mundo genuisti Salvatorem. ℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.—Quæ.

Benedict. Cujus Annuntiationem.

LECTIO 8.

Quandò Angelum vidit MARIA, turbata est ob sermonem ejus secumque cogitare cœpit: undenàm esset ista salutatio. Angelus verò dicit ei: Ne timeas, MARIA: nacta es gratiam Dei. Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus JESUM. Profectò gloriosa hæc et illustris inter mulieres gratiam nacta est apud Deum, cum ab eo electa est, ut corpus ex ipsâ sumeret, compingeretque ex sancto ejus sanguine, ut eâ non fuerit antèa puritate similis, nec post futurus pari sanctitate prædituS. Tu.

℟. Beata es Virgo MARIA quæ Dominum portasti creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo. ℣. Ave MARIA gratiâ plena, Dominus tecum.—Genuisti.

In diebus infra Octav. omittitur.

LECTIO 9.

Quam ob rem omnes simùl eamus, senes et adolescentes, ætate graves et juniores ad honorandam Dominam nostram, ac nostræ naturæ Reginam, laudibus prædicantes puritatis ejus decorem, perpetuam virginitatem reverentes, altitudinem denique sanctitatis ejus honorantes, dicamus, ò gloria filiarum! O Matrum decus! O genitricem viro incognitam! O Virginem Filio gravidam! O mirabilem, quo missi à Deo prophetæ perculsi sunt, et cujus gloria Angelos superat! Propitia sis servorum tuorum, qui auxilium tuum implorant deprecationibus. Tu.

℟. Virgo Israel, usquequò dolens averteris? * Generabis Dominum, oblationem novam in terrâ: * Ambulabant homines in salvationem. ℣. Emitte agnum, Domine, de petrâ deserti ad montem filiæ Sion.—Generabis.-Gloria.—Virgo.

In diebus infr. Oct. Generabis. *Et dicitur post* 8. *Lectionem.*

AD LAUDES

et per horas antiphonæ.

1. Ave, MARIA, * gratiâ plena, Dominus tecum.

Psalmi de Domin.

2. Paries Filium * et vocabis nomen ejus JESUM.

3. Hic erit magnus * et filius Altissimi vocabitur.

4. Regnabit * in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.

5. Ecce Elizabeth * cognata tua, et ipsa concepit Filium in senectute suâ.

CAPITULUM. *Zach.* 2. 10.

Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui.

HIMNUS 236 *Santeuil.*

Cœlestis ales nuntiat
Implenda mox mysteria;
Virtute fœcundâ Deus
Illapsus implet Virginem.

Qualis stupendo gloria
Te, Virgo, de partu manet?
Conceptus in tuo sinu
Natus Dei nunc est tuus.

De virginali sanguine,
Quem nulla labes inficit,
Tingente Sancto Spiritu,
Christi caro compingitur.

Nobis per hunc mortalibus
Latescit esca cœlitum:
Nos pascit infantes homo,
Qui pascit angelos Deus.

Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par tibi laus, Spiritus,
Quo dante Virgo concipit,
Manetque semper integra. Am.

℣. Ave, MARIA, gratiâ plena.
℟. Dominus tecum.

Ad Benedict. *ant.* Ecce ancilla Domini: * fiat mihi secundum verbum tuum: et Verbum caro factum est.

Oratio.

Deus qui hodiernâ die Verbum tuum in beatæ Virginis alvo incarnari voluisti: fac nos ita præsentem solemnitatem peragere, ut tibi placere valeamus. Per eumd.

AD PRIMAM.

Ant. Ave. *capitul.* Lauda et. *de Laud.*

℣. ℟. *br.* Quæ Verbum Dei de Spiritu Sancto concepisti.

CANON.

Ex Gelasio Papâ Primo.

Ep. 2. *ad Laur. Ep.—Conc. Tom. X. p.* 93.

488. Confitemur Dominum nostrum JESUM Christum... de Sanctissimâ Virgine MARIA incarnatum, et perfectum hominem ex animâ rationali, et corporis susceptione... Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Isai.* 7. 14.

Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum, et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

℟. *br.* Angelus Domini * Nuntiavit MARIÆ.—Angelus. ℣. Et concepit de Spiritu Sancto.—Nuntiav.—Gloria.—Angelus.

℣. Ecce ancilla Domini.

℟. Fiat mihi secundum verbum tuum.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Luc.* 1. 32.

Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum: et regni ejus non erit finis.

℟. *br.* Ecce * Ancilla Domini.—Ecce. ℣. Fiat mihi secundum verbum tuum.—Ancilla.—Glor.—Ecce.

℣. Et Verbum caro factum est.

℟. Et habitavit in nobis.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Is.* 11. 1.

Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

℟. *br.* Et Verbum * Caro factum est.—Et.

℣. Et habitabit in nobis.—Caro.—Gloria.—Et Verbum.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

IN II. VESPER.

Antip. et capit. de Laud. Psalm. de Solemnitatib.

HYMNUS 237. *Muret.*

Ad te sydereis missus ab arcibus
Cum venit Gabriel, Virgo, renuntians,
Te summo ante alias complacitum Patri
Mox Matrem Domini fore.
Turbatâ tibi tunc purpureus genas
Sparsit mente pudor, nescia quòd viri,
Casto Sponsa licet, pectore virginem
Senatûr te forè noveras.
Verùm idem subitò nuntius addidit:
Istos pone metus: nam tibi datum est,
Ut virgo maneas, et tua compleat
Sanctus viscera Spiritus.
Tunc ore ex roseo vox tibi prodiit,
Testis mirificæ certa modestiæ:
Ecce ancilla Deo subdita, nil moror,
Fiat quod Dominus jubet.
Simplex æterei Numinis Unitas,
Quæ disiuncta eadem est, veraque
Trinitas,
Æternis vigeat sempèr honoribus
Et terrâ simùl et polo. Amen.

℣. A sæculo non est auditum.

℟. Novum quod fecit Dominus super terram.

Ad Magnif. *ant.* Ecce completa * sunt omnia, quæ dicta sunt MARIÆ ab Angelo: concepit de Spiritu Sancto, et effecta est Mater ipsius Dei.

Completor. de Dominicâ.

Quandò hæc solemnit. transfert. ad tempus pasch. Officium fit omninò ut in die Annunt.

DIE XXVI. MART.

B. V. GUADALUPENSIS.

Duplex.

Lection. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Baliagh. Kalen. mar. die 26. *Mart.*

Alphonso secundo regnante in Hispaniâ, anno millesimo trecentesimo decimo tertio, apud Guadalupenses reperta est Imago Deiparæ innumeris miraculis illustris. Fama est Divum Leandrum Hispalensem Episcopum à Sancto Gregorio munus unà cum commentariis in Job accepisse, et apud clerum et populum solemni pompâ susceptam summo in honore fuisse. Pii aliquot Hispalenses Sarracenorum sævitiam fugientes, eam ne ludibrio iis foret, secum detulerant, et in eo antro Guadalupensi eam contiderunt, unà cum libro Historiam rei continente, et campanâ ære fusâ. Sexcentis ferè annis ea Imago ibi delituit, donec beatæ Virgini placuit eam sequenti modo revelare. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Boarius, qui urbem Cacelensem incolebat, vaccam amiserat, quæ cum per saltum invium erraret, eam tandèm in loco, ubi jam est templum reperit, sed mortuam. Cumque exerto cultro pellem extraheret, repente animal surrexit, quod boario ingenti metu perculsi. Sed momento ad se reversus, Deiparam splendentem vidit, quæ dixit, ne timeret. Ad urbem, inquit, mox perge, clerum convoca, ut hic fodientes imaginem meam inveniant. Subjungente Boario, quid si mihi non credant? Tunc Deipara, vade confidentèr. Nam ubi domum perveniès, filium tuum, quem mortuum invenies, ad vitam redire jubebo: istudque signi dabis, vera esse quæ revelo. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Itaque clerum ac populum convocat, visionem enarrat, et quæ à Deiparâ audivit, filiumque vitæ restitutum ostendit, et ad Imaginem refodiendam eos adduxit. Fodientes autem loco designato, in antro Imaginem Beatæ MARIÆ Virginis unà cum libro et campanâ reperiunt, omnia ita integra, ac si eo die posita. Cui læti in aram extemporariam extruunt. Alphonsus posteà et Joannes Rex templum magnificentissimum extruxere, tribus magnis fornicibus tectum, gratâ symetriâ partium insigne. In ejus aræ maximæ ingens sacrarum statuarum ordo visitur, inter quas media est Beatæ Virginis Imago, quæ grato aspectu et majestate, tum amorem, tum reverentiam inluentium conciliat. Miraculorum quæ ad eam Imaginem Deus patrat, non est numerus. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extolens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis.

Serm. de Natiu. B. V. M. c. 11.

Sola benedicta Virgo MARIA plùs fecit Deo, vel tantùm, ut sic dicam, quantùm fecerit Deus toti generi humano. Credo enim certè quòd mihi indulgebit Deus, si nunc pro Virgine loquar. Congregemus in unum, quæ Deus homini fecit. Primò namque Deus formavit hominem de limo terræ;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sed MARIA formavit eum de purissimis sanguinibus suis et de purissimâ carne suâ, quæ prævalet omnibus rebus mundi. Secundò Deus impressit homini decorem imaginis suæ: sed gloriosa Virgo impressit in eum imaginem suam. Nam sicut ipsa erat pulchrior omnium feminarum, sic JESUS est pulchrior et speciosior formâ præ filiis hominum. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Tertiò Deus fecit hominem sine passionibus famis, sitis, frigoris, et consimilium, sed sedula Mater JESU, et præ cunctis hominibus pia, omnibus passionibus ejus occurrebat, scilicet fami, siti, nuditati, frigori, calori, sicut status pauperrimus exigebat, et hoc cum maximâ patientiâ suâ. Quartò vestivit Deus hominem pelliceâ veste: sed Virgo benedicta vestivit eum in præsepio suis pauperculis pannis, et processu temporis tunicam inconsutilem ei fecit, quæ prævaluit omnibus vestibus mundi. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Quintò docuit Deus hominem sapientiam: sed sapiens et prudentissima Virgo MARIA docuit Christum puerilia aliqua fugere, et sequi eam. Sextò nutrivit Deus hominem de fructibus paradisi: sed beatissima Virgo nutrivit Christum de suo sacratissimo lacte, ubere de cœlo pleno, cujus minima stilla prævalet omnibus fructibus paradisi terrestris ac totius mundi. Reddendo ergò singula singulis, scilicet, quæ fecit Deus homini, et quæ fecit Deo Beata Virgo, videbis quòd plùs fecit MARIA Deo, quàm homini Deus, ut sic pro solatio dicere liceat, quòd propter Beatam Virginem, quam tamen ipse fecit Deus, quodammodò plùs obligetur nobis, quàm nos sibi. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de infra Octav.

DIE XXVII. MART.

DE III. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

Oratio. Sacram. Gelas.

Exaudi nos, Domine, Sancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui per Beatæ MARIÆ sacri uteri divinæ gratiæ obumbrationem universum mundum illuminare dignatus est; majestatem tuam supplices exoramus, ut quod nostris meritis non valemus obtinere, ejus adipisci præsidiis mereamur. Per Dom.

AD MATUTIN.

HYMNUS 238. *L. Massorill. Fulg.*

Quis tuas, Virgo veneranda, laudes
Exequi dignis valeat camœnis?
Cui parem vitæ probitate nulla
Protulit ætas.

Nuntius cœlso venit as olympo,
Diva, le flexis genibus salutat,
Et Sacramentum tibi pandit altum
Omnipotentis.

Tunc subdit sedes uteri pudici
Patris æterni generosa proles,
Atque mortales sine fine vivens
Induit artus.

Quemque complecti nequeunt
Potentem
Regna stellati spatiosa cœli,
Ventris angusto latitat cubili
Parvulus Infans.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto,
Regnat in ævum. Amen.

Lect. 1. Noct. de Fer. occurr.

IN II. NOCT.

Ex libro S. Hildephonsi Arch. Toletani de Virginitate.

LECTIO 4.

Quomodò fiat, quæris, de origine interrogas, de ratione perscrutaris, de apparientiâ requiris, de ordine sciscitaris. Audi inauditum oraculum, considera insuitatum opus, animadverte incognitum arcanum, attende invisum factum: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Tota invisibiliter Trinitas concepitionem operabitur in te, sola persona Filii Dei in corpore tuo nascitura carnem assumet de te. Ideoque quod concipietur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Erit enim hic magnus, hic Deus virtutum, hic rex omnium sæculorum, hic factor omnium rerum. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Ecce beata tu inter mulieres, inteintegra inter puerperas, Domina inter ancillas, Regina inter sorores. Ecce ex hoc beatam te dicent omnes generationes, beatam te noverunt omnes cœlestes virtutes, beatam te prædicant omnes vates, beatam te celebrant omnes nationes. Beata tu fidei nostræ, beata tu animæ nostræ, beata dilectioni nostræ, beata præconiis et prædicationibus meis. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virgi desponsatam viro. Et reliqua.

Hom. S. Gregorii Neocæsariensis Ep. *Orat. 2. in Annuntiat.*

Ad castissimam Virginem missus est Gabriel incorporeus, ad eam, quæ in corpore vitam transigebat incorruptam, in castitate ac virtutibus viventem. Et ad ipsam veniens primùm illud ave gratiâ plena, Dominus tecum, ipsi sic adnuntiat. Ave, gratiâ plena: Tu enim, quæ revera gaudio sunt digna agis, quoniàm immaculatam induta es vestem, et cingulo continentiæ, ac pudicitiæ cincta es. Ave gratiâ plena, quæ supercœlestis lætitiæ vas es, atque receptaculum. Ave gratiâ plena, nam per te gaudium omni dispensatur creaturæ, genusque humanum antiquam recuperat dignitatem. Ave gratiâ plena, quoniàm in ulnis tuis Creator universorum geslabitur. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Ipsa verò in hoc turbata est verbo, nam ad quoscumque virorum affatus erat insolita: et quietem atque silentium, ut continentiæ ac castitatis matrem amplectabatur: eumque puritatis, atque integritatis immaculatum simulacrum esset, aspectum ipsa angelicum, sicut plures ex prophetis, non reformidavit: quoniàm et affinitatem quandam ac similitudinem vera virginitas cum angelis habet. Studiosè quippe Sanctissima Virgo tam jadem Virginitatis conservabat, et ne extingueretur, providè diligenterque curabat. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Limanæ de Rosario.

Gumremb. 1026.

Hanc Deiparæ statuam è ligno incognito sculpiam tulere secum Hispani, cum primum Peruanum regnum ingrederentur. Justæ magnitudinis est, et in templo Patrum Dominicanorum. Anno millessimo quingentesimo trigesimo quinto, ipsâ invocatâ sexcenti Hispani, quibus solemne semper fuit, Deiparæ se ante pugnam commendare ducenta millia barbarorum devicere: visa enim est ipsa in prælio, et ab utrisque observata eâ omnino figurâ, apparuisse, quâ in hâc Sanctâ Statuâ colitur. Diva Rosa Limana quidquid voluit pro se et aliis impetravit, et nunquàm sine

solatio ab eâ digressa est. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Sancto Felice Papâ.

Ep. 3. ad Petr. Fullonem.—Conc. Tom. X. p. 22.

189. Patris inimum substantiale Verbum ac Deus per Sanctæ Virginis auris illapsum conceptionem ineffabiliter operatum est. Tu.

Vesper. Dupl. ut in 2. Vesper. Annunt. Oratio sequentis.

DIE XXVIII. MART.

CONSILII B. MARIÆ V.

Duplex.

Omnia ut in die Annunt. nisi transferatur.

Oratio.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, ut qui donum Consilii in Beatissimâ Virgine celebramus, Spiritu Consilii repleri possimus. Per Domin.... ejusdem Spiritus.

Lection. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Antonini Arch. Florentini. *Le B. V. c. 18. §. 3.*

LECTIO 4.

Donum Consilii est habitus, quo homo accipit quod agendum est, quasi per certitudinem à Spiritu Sancto edoctus supra humanam rationem. Vel consilium est donum quo Spiritus Sanctus nos dirigit in omnibus, quæ ordinantur in finem vitæ æternæ, sive sunt de necessitate salutis, sive non. Hoc dono et gratiâ plena fuit Virgo beata super viatores, quod sic probat Albertus. Tu.

℣. Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus: ℟ Quia meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. ℣. Qui agunt omnia cum consilio meo, regnant sapientiâ. Quis.

LECTIO 5.

Cum venerit ille Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem, scilicet de agendis ad salutem; sed Spiritus Sanctus venit improportionabiliter in Beatâ MARIÂ, magis quàm in quemlibet viatorem purum, et in conceptu Filii, et in die Pentecostes, cum esset cum Apostolis, quandò venit in specie ignis; ergò in agendis maximè fuit edocta per donum consilii. Tu.

℣. Si intraverit sapientia cor tuum, et scientia animæ tuæ placuerit: ℟ Consilium meum custodiet te sempèr. ℣. O Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis: custodi legem et consilium.—Consilium.

LECTIO 6.

Item secundum Philosophum cujus est operari, ejus est et operanda cognoscere. Et cujus est in omnibus, et præ omnibus benè operari, ejus est super omnes operando cognoscere, et benè discernere, quod pertinet ad consilium. Sed Beata MARIA fuit perfectissima observatrix et mandatorum et consiliorum Dei super omnes; ergò habuit cognitionem consiliorum circa agenda per donum consilii. Fuit et amicissima et familiarissima Domino super omnes, undè et edocta de rebus secretis. Tu.

℣. Audi consilium, et suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis: ℟ Cor boni consilii statuet tecum. ℣. Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium.—Cor.—Gloria.—Cor.

Homilia ut in die 7. Januarii p. 341. cum seq. Responsoriis.

℣. Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificii non dissolvetur: ℟ Sic et cor confirmatum in cogitatione consilii. ℣. Audi fili mi, et accipe consilium intellectûs, et ne abjicias consilium meum. —Sic.

Bened. Cujus Consilium colimus.

℣. Scientia Virginis tanquàm inundatio abundavit. ℟ Et consilium illius sicut fons vitæ perennis. ℣. A mari enim abundat cogitatio ejus, et consilium illius ab abysso magnâ.—Et cons.—Gloria.—Et cons.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Trevirensis.

Baligh. Kal. mar. die 25. Mart.

Anno Domini millesimo quadrigentesimo nono Jacobus de Sirch Archiepiscopus Trevirensis dedicavit Basilicam Beatæ MARIÆ Virginis ab urbe Trevirensi tertio circiter lapide. In eâ plurima fiunt miracula occasione Imaginis ejusdem Virginis in eâ collocatæ. Quam Imaginem priùs rusticus quidam vinitor, Deiparæ et casilitatis amator, in summo stipite in loco deserto terræ infixo devotionis suæ alendæ causâ collocarat. Posteà ejusdem Virginis monitu eidem donunculam extruxit, et in ejus muro hanc Imaginem collocavit. Ubi cum miracula plura fierent, et innumeræ quotidiè ab adventantibus fierent oblationes, Sacellum paulò majùs erectum est, et postmodùm circa Sacellum Basilica viginti et sex passuum longitudinis ædificata. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Antonino Arch. Florentino.

Titul. 15. c. 19. §. 3.

190. Consilium est donum quo Spiritus Sanctus nos dirigit in omnibus, quæ ordinantur in finem vitæ æternæ, sive sint de necessitate salutis sive non. Hoc dono et gratiâ plena fuit Virgo Beata super omnes viatores. Tu.

Vesperæ de infra octav.

DIE XXIX. MART.

DE V. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS 239. *L. Mansor. F.*

O nimis felix, superumque regi
Gratior cunctis aliis Puella,
Pulchrior lunâ, nitidoque vincens
Lumine Phœbum.

Te choridivam celebrent superni
Vocibus lætis, fidibus canoris,
Et tuum sanctum populi frequentes
Numen adorent.

Namque cœlorum Dominum potentem,
Quem nec immensus capiebat orbis
Ventris angusti niveo tulisti
Virgo cubili.

Hoc pium munus superi Parentis,
Quo stupet cœlum, stupet alma tellus,
Nulla te præter veteris recepit
Femina legis.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Lection. 1. Noct. de fer. occurr.

IN II. NOCT.

Sermo S. Augustini Ep.

Serm. 291. in Nativ. S. Joan. Bapt.

LECTIO 4.

MARIA propositi sui memor, et sancti voti conscia, quia noverat, quid veverat, dicendo: quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco? modum quæsivit, non de Dei omnipotentiâ dubitavit. Quomodò fiet istud? Annuntias mihi Filium, habes meum paratum animum, dic mihi modum. Potuit enim Virgo Sancta metuere, aut certè ignorare consilium Dei, quomodò eam vellet habere filium, quasi improbasset Virginis votum. Quid enim si diceret: Nube, conjunge te viro? Non diceret Deus, accepit enim vo-

tum Virginis quomodò Deus. Et hoc ab illâ accepit, quod ipse donavit. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Dic mihi ergò, nuntie Dei, quomodò fiet istud? Vide Angelum scientem, illam quærentem, non diffidentem, non se negavit instruentem. Audi, quomodò: erit virginitas tua: tu tantùm crede veritatem, serva virginitatem, accipe integritatem. Quoniàm integra est fides tua, intacta erit et integritas tua. Denique audi: quomodò fiet istud: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbravit tibi: quia fide concipis, quia credendo in utero habebis, propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Quid est, quæ postea paritura es? Unde meruisti? Unde hoc accepisti? Undè, inquam, tibi hoc tantum bonum? Virgo es, Sancta es, votum vovisti: sed multum quod meruisti, immò verò multum quod accepisti. Nam undè hoc meruisti? Fit in te, qui fecit te: fit in te per quem facta es: immò verò per quem factum est cœlum et terra, per quem facta sunt omnia: fit in te Verbum Dei caro, accipiendo carnem, non amittendo divinitatem. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo, ad civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia S. Titi Bostrorum Ep.

In cap. 1. *Luc. exposit.*

Sacratissimam Deiparamque Dominam nostram viro de familiâ Davidis desponsatam asserit Evangelista, per hoc utiquè indicare volens, ex eodem illo Davidis genere, undè JOSEPH, qui illam duxerat, ortum habebat, ipsam quoquè inculpatissimam Virginem fluxisse. Nam secundum legis præscriptum alienæ tribus mulierem matrimonio sibi jungere fas non erat. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Ave gratiâ plena. Quandoquidèm Deus ad Evam dixerat: in dolore paries filios: propterea angelus gaudium, per quod dolor olim decretus, solvatur, Virgini denuntiat: Ave, inquit, gratiâ plena. Dominus tecum. Quod dicit, hùc tendit, ne existimes, Virgo, me absonum, aut mollem aliquem sermonem ad te deferre, cujusmodi innuptas puellas juvenes nonnunquàm solent: divinus est enim quem adfero: quippe cum hoc ipso, quod Dominum tecum esse aseram, oblatæ salutationi Dei memoriam admisceam. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Cordubensis de Fonte Sancto.

Gumpenb. Imag. 3.

Statua Deiparæ de Fonte Sancto, quæ Cordubæ honores accipit, propè quemdam fontem, ipsâ Virginis indice, reperta creditur. In urbem deindè deportata, brevi cœpit miraculis clarere. Aragoniæ Rex febribus laborans in hujus fontis aquâ salutem invenit. Avinctis præsertim et captivis nunquàm sine operæ pretio invocata fuit. Ante hanc Imaginem orans Thomas Sanchez, theologus insignis, linguæ, quam impeditam priùs habebat, usum in omnem eloquentiæ ornatum expeditum, ab ipsâ Virgine non sine miraculo accepit. Tu.

Te Matrem.

CANON.

Ex D. Ambrosio Episcopo.

De Sacram. 1. 4. *c.* 3.

491. Non ex virili semine generatus est, sed natus de Spiritu Sancto ex Virgine MARIA, utero editus est virginali, similis per Dei omnia Filio Dei. Tu.

Vesper. ut in 2. *V. Annuntiat.*

DIE XXX. MART.

B. V. M. A CRYPTA.

Semiduplex.

Omnia, ut in die Annunt. nisi transferatur.

Semiduplex.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Octav. Cajet. de effigieb. siculis.

Ad sinistram Panormitani sinûs ripam antrum erat, et in eo effigies depicta Virginis Deiparæ lacerum Filii corpus sustentans gremio. Abjectum priùs fuerat antrum, et nauticæ gentis augurium, ibi nulla habita sacræ Imagini veneratione: sed anno salutis millesimo quingentesimo sexagesimo quarto sanctissimæ Parasceves die, dum Pueri luderent in eo antro ante Virginis Iconem, animadvertunt magnam sudoris et lacrymarum copiam ex fronte oculisque Deiparæ emanare: exterriti prodigio pueri prosiliunt, et rem prædicant per vias. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Ad eorum nuntium mulier, quæ ibi fortè versabatur, et lateris dolore laborabat magnâ spe in Virginem conceptâ, si infirmi corporis partem obliniret, ad antrum properat festina, uti prior omnium ingressa, velut ex alterâ piscinâ, cœleste beneficium acciperet. Nec irrita spes evenit, nam ingressa specum, admotoque corpori sudore virgineo repentè sanitatem recepit: actis Virgini gratiis sana mulier vulgo miracula enarrat, quibus rebus commotus populus, undiquè ad novum gratiarum fontem concurrit. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Elargita est tam plurimis sua dona Virgo præsertim iis, qui majori cum fiduciâ ad se confugerent, quòd celeberrimum extitit nomen illius antri. Inter cætera prodigia vocem muto ab ortu suo dedit, infantem è matris utero distortum sanavit, mortali vulnere sauciam Catanensem curavit, Græcam à septem dæmonibus liberavit, et infinita sanè miracula edidit, quæ longâ serie in ejus templo videntur in tabulis defixa. Indè statim auro oblita fuit imago, antrum argento contectum, ubi nobilis, ac præ dives ara constructa, ipsum antri tectum cœlo ornatum aureis stellis distincto, extra antrum templum erectum est, summâque pietate ab omnibus colitur. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Homil. de Comm. pro Duplic. si transferatur.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliq.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

In Luc. libr. 2.

Ecce, inquit, ancilla Domini: contingat mihi secundum verbum tuum. Vide humilitatem, vide devotionem. Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est. Simùl ancillam dicendo, nullam sibi præroga-

tivam tantæ gratiæ vindicavit, quæ faceret, quod juberetur. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum. Habes obsequium, vides votum. Ecce enim ancilla Domini apparatus officii est. Contingat mihi secundum verbum tuum conceptus est voti. Quàm citò ergò etiàm de impari conditione credidit MARIA. Quid enim làm impar, quàm Spiritus Sanctus et corpus? Quid tam inauditum, quàm virgo prægnans contra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cujus carior cura est Virgini? Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commem. B. V. de Carrasumada.

Camòs libr. 5. c. 4.

Sub vulgari titulo de Carrasumada, tribus milliaribus à Turribus Sicoris, è monticulo exurgit Sacellum Deiparæ Sanctissimæ sacrum, in quo quædam ejus imago, ferè palmo alta, colore nigra, in throno sedens, JESUMque dextero brachio sustinens, ibidèm sub herbâ ab ove, ut fertur, inventa, jam à pluribus sæculis asservatur, et impensè à fidelibus totius regionis colitur. Sacellum cui domus Eremitæ est adjuncta, paupertate potiusquàm divitum ornamentis nitet, nec Altare princeps tantæ Dominæ respondet. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de infra Octav.

DIE XXXI MART.

DE VII. DIE INFRA OCT.

Semiduplex.

Lect. 1. *Noct. Fer. occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Eleutherii Ep. Tornacensis.

Serm. in Annuntiat. B. V.

LECTIO 4.

O vocem angelicam, plenam suavitatis, et lætitiæ! Cum enim dixit: Ave MARIA, salutationem cœlestem Virgini exhibuit: cum autem dixit: gratiâ plena, ostendit exclusam esse illam sententiam, per quam primi parentes longè à Deo facti sunt, et restitutam superna benedictionis gratiam, per quam liberati à servitute intra paradisum introducti sunt. O Virgo benedicta! O Virgo à Conditore mundi præelecta! Illum, qui ante omnia sæcula genitus est, absque Matre ab æterno Patre, concipies Mater effecta absque alicujus viri copulatione. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Ibi enim auricula uxor fuit, angelicus autem sermo maritus exiit. Virgo concipies, et post partum Virgo permanebis, et Filius Dei in te descendit, et qui ascensurus erat cum sublimitatis potentiâ, et clarilatis suæ gloriâ ad orientem, convertat gratiam majestatis suæ ad occidentem. Non te confundat auditus: non te perturbet conceptus. Non est enim iste conceptus necessitas, sed Dei inæstimabilis potestas. Vestietur carne, et in tuo virginali utero se recondet, et Filius Dei filius hominis esse incipiet permanens esse quod erat. Incommutabilem namque illum credimus, sed misericorditer assumens, quod non erat, ut in te comprehendi possit, quem totus orbis capiulare non potuit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Per hunc conceptum non minorabitur virginalis castitas, sed magis in te ampliabitur castitatis integritas. Mater conditoris facta es, cum ipse esset apud Patrem, et cum nascerctur ex matre, mansit apud Patrem. Semper enim cum Patre, quia absque principio non habet initium temporale. Semper enim cum Patre, qui permanet absque initio et fine. Facta es scala cœlestis, virga Aaron præ cæteris floruisti, id est, præ cæteris virginitate digna splenduisti. Facta es scala, in quam gloria cœlestis descendit ad inferiora, quatenùs humilitas ad cœli subveheretur altiora. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliq. Homilia S. Andreæ Cretensis Ep.

In salutatione Angelica.

Ad thalamum in quo Virgo erat, cum pervenisset Angelus, aperto clam ostio ad eam ingressus est, et mansuetâ admodùm voce Virginem compellavit, dicens: Ave gratiosa: Dominus tecum. Qui ante te, hodiè una tecum est, et ex te paulò post nascetur. Illud quidèm ab æterno, hoc verò ad tempus. Non fuit contentus gaudii signa prodidisse, nisi lætitiæ quoquè auctorem in utero Virginis deprædicasset. Hoc enim quod ait: Dominus tecum, ipsum adesse Regem clarè significat: totum, inquam, eum in ipsâ esse in corpus coactum, ut etiàm nihil de propriâ ejus gloriâ asserit. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Ave gratiosa, Dominus tecum. Salve lætitiæ organum, per quod delicti nostri condemnatio expiata est, ac veri gaudii plena facta compensatio est. Salve verè benedicta, Salve illuminata: Salve magnificum divinæ gloriæ templum: Salve consecratum regis palatium: Salve, thalame, in quo Christo humanitas desponsata est. Salve, electa Deo, antequàm nata fueris: Salve divina cum hominibus reconciliatio. Salve thesaure vitæ immarcessibilis: Salve cœlum, solis gloriæ cœleste tabernaculum. Salve Dei ager amplissime, quem nullus alius locus, nisi tu solus, comprehendere potest. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Ave gratiosa: Dominus tecum, qui dicebat: fiat lux, fiat firmamentum, ac reliqua deincèps magnificæ creationis ejus opera. Salva sis immensi gaudii Genitrix: salva sis novæ gloriæ arca, in quâ Dei Spiritus delapsus quievit: arca in quâ novæ sanctificatio gloriæ. Qui suâpte naturâ sanctus, in utero virginali, seu naturæ officinâ quoad incarnationem seipsum conclusit: non quidèm, ut quod esset, immutaret, mutari quippè non potest, sed ut quod non erat assumeret, humanitatis enim studiosus est. Salve urna aurea, quæ eum fers, qui dulce manna reddit, ac mel à petrâ ingrato Israeli elicuit. Salve Seraphici mistici antracis fibula. Salve contemplativæ cognitionis intellectuale speculum, per quod celebres Spiritûs prophetæ incredibilem Dei ad nos descensionem mysticè adumbraverunt. Tu. Te Matr.

CANON.

Ex D. Augustino Episcopo.

Serm. de Sanct. 38.

192. Meritò Beata MARIA singulari à nobis præconio extolitur, quæ singulare commercium mundo præbuit, cum tantùm se ad cœli fastigia sublimavit, ut Verbum in principio apud Deum manens, de supremâ cœli arce susciperet. Tu.

Vesp. de sequenti ut in I. Vesp. Annunt.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON ® DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

FESTA APRILIS.

DIE 1.

OCTAVA ANNUNTIAT.

Duplex majus.

Oratio.

Deus qui Unigenitum tuum, tibi cœternum, ex MARIA Virgine hominem in plenitudine temporis fieri voluisti: præsta, quæsumus, ut ejus Incarnationis mysterio adoptionem filiorum recipiamus. Per eumdem Domin.

AD MATUTINUM.

HYMNUS 240. *J. Commiru.*

Quam tibi fausto tulit ore quondàm
Fidus interpres Gabriel Tonantis:
Ne vela dulci renovare cantu,
Diva, salutem.
Hoc ave dum nos canimus, sequestram
Esse te pacis, veniæque discas:
Hoc ave, fato meliore, nomen
Corrigat Evæ.
Soltibus mœstis, age, deme vincla,
Et suas cæcis tenebras: malique,
Dic, metu pulso, veniat bonorum
Copia dives.
Scilicet mentem, tenerumque Matris
Indui pectus decet in clientes:
His decet Christum prece demereri
Imperiosa.
Qui salus lucis radio paternæ
Orbis, ut commune nefas piaret,
Conditor rerum tua non refugit
Esse propago.
Patris ac Nati recinendo laudes
Mutuum linguæ celebrent amorem:
Omnis et mundi plaga tres in uno
Numine adoret. Amen.

IN I. NOCT.

De libro Genesis.

LECTIO 1. *c.* 24. 1.

Erat autem Abraham senex, diérumque multorum: et Dominus in cunctis benedixerat ei. Dixitque ad servum seniorem domûs suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli et terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, et indè accipias uxorem filio meo Isaac. Posuit ergò servus manum sub femore Abraham Domini sui, et juravit illi: super sermone hoc. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Tulitque decem camelos de grege Domini sui, et abiit, ex omnibus bonis ejus portans secum profectusque perrexit in Mesopotamiam ad urbem Nachor. Cumque Camelos fecisset accumbere extra oppidum juxta puteum aquæ vesperè, tempore, quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit: Domine Deus Domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodiè, et fac misericordiam cum Domino meo Abraham. Ecce ergò sto prope fontem aquæ, et filiæ habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam, ut bibam; et illa responderit: Bibe, quin et camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparasti servo tuo Isaac: et per hoc intelligam, quòd feceris misericordiam cum Domino meo. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Necdum intra se verba compleverat, et ecce Rebeca egrediebatur, filia Bathuel, filii Melchæ uxoris Nachor, fratris Abraham, habens hydriam in scapulâ suâ, puella decora nimis, virgoque pulcherrimâ, et incognita viro: descenderat autem ad fontem, et impleverat hydriam ac revertabatur. Occurritque ei servus, et ait: Puxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydriâ tuâ. Quæ respondit: bibe, Domine mi, celeriterque deposuit hydriam super ulnam suam, et dedit ei potum. Cumque ille bibisset, adjecit, quin et camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. Tu. ℣.

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *Conc. 2. in Ann. B. V.*

LECTIO 4.

Hujus autem tam eximiæ legationis figuram gessit servus ille fidelis Abrahæ, quem sanctus Patriarcha in suam patriam destinavit, quærere filio suo unico uxorem, adjuratum prius, ne de filiabus Chanaam suscipiat. Qui pulcherrimam Rebeccam ad fontem reperiens, accepto prius connubii, quod quærebat, indicio, quod cum camelis libenter adaquasset, eam inauribus, et munusculis subarrhavit, et habito consensu parentis, filio Domini sui copulandam adduxit. Venit ergò legatus ad mundum: Virginem ad fontes aquarum reperit, id est, divinas scripturas rimantem, et de profunditate literæ mirificos haurientem haustus. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Miratur cœlestis paranimphus tantum Puellæ decorem, tam eximiam Virginis pulchritudinem. Qualis namque fuerat, Scriptura commemorat. Puella, inquit, decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro, descenderat ad fontem et impleverat hydriam aquæ, et revertebatur. Humilitate descenderat, virginitate placerat, hydriam suam repleverat: sic namque eam Angelus salutat. Ave gratiâ plena. O plenam, et plenissimam

hydriam! ex quâ omnis potatur rationalis natura! Bibit nuntius, bibunt incœrvi camelli: Angelos et homines satiasti ex tuâ plenitudine, MARIA. Quis enim ex hâc tuâ non potatur hydriâ! Ex hâc Angelus gloriam, justus gratiam, peccator veniam, mœstus lætitiam, captivus indulgentiam bibit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Omnes bibunt ex eâ, neque minuitur hydria. Bibit quoque Omnipotens ipse, et inebriatus amore, oblitus majestatis properat ad dilectam: ac velut Unicornii filius, gremio Virginis capitur, carnis nexibus irretitur sicut scriptum est: dilectus, quemadmodùm filius Unicornium. Hanc ergò sacram Virginem inauribus argento vermiculatis, divitiisque potentis Domini nuntius subarrhavit, virgineis aureis miranda ingerens sermone polito mysteria, datoque consensu, filio Domini sui perpetuo connubio desponsavit: ut in ejus sacro uteri thalamo Deus et homo jam non sunt duo, sed una caro, una persona, unus Deus et homo Dominus noster JESUS-Christus. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliq.

Homilia S. Fulgentii Episcopi.

De Incarnat. et grat. J. C.

Beata igitur MARIA Deum Verbum secundum quod caro factum est, et concepit, et peperit: cujus utero Verbum Deus non carnem, in quâ conciperetur, infuli, nec ex eâ materiam conceptæ, sive informatæ non ipse Deus concipiendus; sed tantùm nasciturus assum-

psit: sed ex eâ et in eâdem Virgine humanæ carnis naturam, secundum quam temporaliter Deus sempiternus conciperetur, et nasceretur, accepit. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Ipsa quippè acceptio carnis fuit conceptio virginalis: neque enim in utero sanctæ illius et Matris, et Virginis illa spiritualis et ex Deo Patre sine initio genita Verbi Dei natura poterat absque carne temporaliter concipi, sicut nec caro sine Verbi Dei unitione potuit aliquatenùs nullius viri coitu seminata in intimo vulvæ virginalis innasci. Hanc ergò carnem tunc ex se natura Virginis concipientis exhibuit, cum in eâ Deus concipiendus advenit. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Non est igitur aliquod intervallum temporis æstimandum inter conceptæ carnis initium, et concipiendæ majestatis adventum. Una quippè fuit in utero MARIÆ Virginis conceptio divinitatis et carnis, et unus est Christus Dei Filius in utràque naturâ conceptus, et macula vitiatæ propropaginis indè inciperet aboleri, undè in unoquoque nascentium videbatur existere. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 241. *Caryophil.*

Offert salutem nuntius
Nullis datam mortalibus:
Ave Puella, gratiâ
Quæ plena fies plenior.
Tu nil salutis Angelo
Refers, sed unam cogitas,
Quàm grande sit negotium
Quod Angelus pronuntiat.
Non tu salutem nuntias,
Dum re salutem concipis,
Et verba profers paucula
Verbo Dei plenissima.

Doxologia de Octavâ.

CANON.

Ex Vener. Bedâ Presbytero.

Ap. D. Bonav. Spec. c. 18.

193. Terra nostra dabit fructum suum, quia Virgo MARIA, quæ de terrâ corpus habuerat, Filium genuit, divinitate quidem Deo Patri cœqualem, sed sibi carnis veritate consubstantialem. Tu.

IN II. VESPER.

HYMNUS. 242. *Jac. Balde.*

Dulcis Ave pleno se cujus gratia cornu
Effudit intra viscera:
Et placuisse dedit
Immenso. Dominus tecum, qui temperat orbem.
Ille, ille præsentissimus,
Interiorque tibi.
O mulier, cunctas inter fatalis amari;
Inter beatas feminas,
Sæcula, quot tulerunt,
Quotque ferent: Ille, ille tuâ qui ludet in aulâ,
Gestante major parvulus,
Parvulus Omnipotens:
O quibus ille bonis intra vallatur et extra!
Non germen ullum lætius
Prodiit ex utero.
Sancta Dei Mater, precibus namque omnia flectis,
Orare Natum sedula,
Solve reos scelerum.
Nunc dum vita manet, dum Spiritus hos regit artus,
Et cum suprema proximæ
Ingruet hora necis. Amen.

DIE III. APR.

DUODECIM GRATIARUM B. M. V.

Duplex.

Lection. 1. *Noct. de Feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis.

Serm. 2. *de Pur. art.* 1.

LECTIO 4.

Beata Virgo post Annuntiationem hubuit duodecim gratias, quæ pos-

sunt appropiari duodecim stellis radiantibus in coronâ capitis sui. Prima fuit novus habitus virtutis, quantum erat conveniens Matri Dei, quia in eâ erant omnes virtutes et scientiæ. Secunda fuit dolor, et compassio, quàm Virgo beata ferebat omni creaturæ, ut dolore et compassione, quantùm erat decens et conveniens illi creaturæ, ei compararetur: quia omnis creatura erat præclusa à viâ paradisi ante incarnationem Christi, et ideò compatichatur ei. Tertia est, quia in aliquâ parte suæ mentis ipsa erat impassibilis per singularem gratiam, sibi datam, ut participaret cum sanctis, quandò Christus fuit in ejus utero. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Quarta, quia ejus spiritus erat pacificus et quietus. Nam mens ejus fuerat læta de Deo residente in eâ per novem menses in omni pace et quiete, et ideò spiritus ejus erat pacificus. Quinta erat altissimi sensus, qui fuerunt in ipsâ beatâ Virgine, quia sicut in corpore sunt quinque sensus corporales, qui vivunt ex quatuor elementis et nutriunt animam secundùm Deum et recipiunt animam ipsam virtutes in Deo, quos sensus gloriosa Virgo habebat super omnes creaturas, ita tantò magis participat illis, quia dormiendo contemplabatur plùs in Deo, quàm quisquam alius vigilans. Sexta dolor inconsiderabilis, quia dum ipsa Virgo gratiosa habuisset Christum in utero, participabat, et sensiebat cum Christo passiones, et gaudia amando proximum, et dolendo de offensis secundum longitudinem, et trasversum crucis Christi. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Septima est invariabilis amor ejus, qui sempèr fuit invariabilis tàm in Creatore quàm in creaturâ. Octava fuit meritum, plùs enim meruit Virgo gloriosa in uno suo consensu conceptionis filii Dei, quam omnes creaturæ, sive angeli, sive homines in cunctis suis actibus motibus et cogitationibus. Nona fuit potentia faciendi miracula, et quanquàm vivendo non legitur Beata Virgo fecisse miracula, tamen Christus in nuptiis faciens de aquâ vinum adeam miraculum illud retulit. Decima est dominatio, tot enim famulæ serviunt gloriosæ Virgini, quot servunt Trinitati. Undecima, quia omnes scientiæ erant in Beatâ Virgine irradiatæ. Duodecima, quia omnium linguarum intelligentias habebat: Undè illud: Beatam me dicent omnes generationes. Tu. ℣.

Homilia de Comm. pro Duplicibus.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Tobetanæ.

Lanuza Histor. Arag. 1. 3. 6.

In pago Tobet dicto, in Aragoniâ templum est Divæ Virgini anno millesimo sexagesimo sexto die tertiâ Aprilis dicatum, ut ex veteri missali, quod ibi asservatur constat: satis ornatum est et magnificum, ac ob ingentia beneficia, quæ illic Virgo dispensat, valdè frequentatum. Imago Deiparæ quæ in eo techâ argenteâ colitur, à Sancto Lucâ depicta creditur: quàm dono accepit Rex Martinus à quodam rege Franciæ atque in Tobetanâ æde anno millesimo quadringentesimo collocari jussit, cum ipsius Beatæ MARIÆ capillis, ut ex ejusdem Martini Regis diplomate liquet. Tu. Te Matrem.

Cum secundis Vesper.

DIE VI. APRIL.

S. M. DE POPULO.

Duplex.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Spinelli de fest. et templ. Deip. Sancta MARIA de Populo, sub colle hortorum religiosissimi ordinis Eremitarum Sancti Augustini Romæ, piisimâ ejusdem Deiparæ Imagine, à Sancto Lucâ depictâ, nobilitata est: hoc in loco subter nucis arbore cineres impissimi ac scelestissimi Neronis, qui primus in Christianos persecutionem movit, condebantur, inoeque dæmones tanquàm ex proprio depositio iis, qui illuc præteribant, nimium in modum erant infesti. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Quarè Paschalis secundus anno millesimo nonagesimo nono, ubi hæc divinitùs cognovisset, indictâ supplicatione ad locum accessit, nucem præcidi, ac impios cineres in Tyberim projici jussit, aramque extruxit, quam, multis in eâ reconditis reliquiis, consecravit. Gregorius nonus circa annum Domini millesimum ducentesimum vigesimum septimum Imaginem Deiparæ à Sancto Lucâ depictam, ex loco qui dicitur Sancta Sanctorum perlatam cum omni clero ac populo in hoc templo reposuit. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Sixtus quintus eidem templo titulum Cardinalitium dedit, septem altaria, instar templorum Sancti Petri, et Pauli designavit, easdemque indulgentias quas habet Sancti Sebastiani Templum, est elargitus, utque eorum commoditati, qui septem urbis Ecclesias obeunt, consuleret, eis potestatem fecit, ut loco Sancti Sebastiani hanc Ecclesiam visitarent. Tu. ℟.

Homilia de Communi pro Duplicib.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Lauffensis in Umbrâ.

Gumpenberg. 306.

In pago Lauffenæ superioris Austriæ in monte vicino Fromberg Statua Deiparæ Gypsea inventa traditur, quæ paulò major quatuor pedibus alta est. Delata in subjectam planitiem, hospitium non recusavit, nec, ut sæpè solet, in montem est regressa. Templum statim ædificatum est, et quia montis amæna umbra Templum majore diei parte tegit, sortita est MARIA in Umbrâ. Et verè umbra fuit ad eam confugientibus, quod per antiqua anathemata è muris pendentia abundè testatur. Phrenetico hic maximè morbo mederi Deiparam fama est. Tu. Te Matrem.

Cum 2. Vesper.

DIE VIII. APR.

D. V. GRÆCA.

Simplex.

LECTIO 1.

Gumpemb. Imag. 137.

Ravennæ in Italiâ in templo Canonicorum Sancti Augustini, operis magnifici sacellum est, in cujus altari colitur Imago Deiparæ græco lapide in superficie insculpta, tres non omninò palmos lata, plus quinque alta. Græcæ nomen Imagini dedere verba græcis literis adscripta, à quibus Mater Dei esse intelligatur. Olim sub annum millesimum centesimum, cum ad portam urbis ripæ vicinam Religiosi sedem cum templo haberent, quòd à Portu nomen acceperat, Petrus quidam Religioso cœtui præfuit, nobilis Ravennas, qui postquàm templum in meliorem formam reduxit, in hoc cœnobio concessit. Tu. ℟.

LECTIO 2.

Eo igitur tempore nuntiatum est Deiparæ statuam in littore consedisse. Adfuit propere simùl ad

tanti prodigii nuntium urbs penè tota ad littus effusa, et religiosissimus quisque civium eam arripere æquis contendit: mirâ tamen lubricitate ex omnium manibus semper elapsa est. Itaque vox omninò una: Virgo profanas manus dedignatur: vult sacras. Et venerunt non pauci Religiosorum et Clericorum, qui tentarent, num sacram statuam trudere, vel trahere poterant: sed eorum manibus æque ac sæcularibus subtracta est, irrito conatu. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Omnium votis ergò, proximi Monasterii Archimandrita expetitur, vocatur, nec renuit, sed indictâ suis supplicatione ad portum progreditur, Virginem flexis genibus rogat, peccatoris manus ne aversetur. Auditæ preces sunt et decumanus fluctus jam ab oculis ereptam statuam, inspectante populo, devolvit. Illa templo Imago honores accepit à populo, et nomen moretæ, quod subfusco colore esset imbuta facies. Anno millesimo quingentesimo tertio novum templum accessit in urbe, et templo cœnobium adjunxere. Ultimum altare, quod Thaumaturga Imago accepit, anno millesimo sexcentesimo trigesimo factum est: nec hodiè desinit Virgo esse Ravennantibus propitia. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de feriâ.

DIE X. APR.

D. V. BOLONIENSIS.

Duplex.

IN I. VESPERIS.

HYMNUS 243. *Joan. Commirii.*

Venit festa dies nunc, age, labere
Cœlo Virgo parens, supplicibus vocat
Quo Bolonia votis
Cultu nobilis Urbs tuo.
Illic delubra tibi thuris odoribus
Fumant perpetuis: hic et imaginem
Ardent nocte dieque
Circum mirificam faces.
Illam, ludibrio ne foret impiis,
Septam nube cavâ sustulit Aliger,
Errantisque profundo
Commisit fidei ratis.
Æternus sit honos Ingenito Patri,
Bis Nato paribis gloria Filio,
Et sancto sit Amori
Sæculis omnibus et locis.
Amen.

Quando hic Hymn. non dicit. in Vesper, dicitur cum Hymno ad Matut. sub una Doxologiâ.

AD MATUTIN.

HYMNUS 244. *Joan. Comm.*

O signum populis grande fidelibus
Curæ, Virgo, inaæ Nil Erebi minas,
Hostilemve furorem
Hoc sub præsidio timent.
Veli pinus inops, remigio carens
Ita secura noti per tumidum mare,
Monstratoque reponit
Pignus littore creditum.
Priscis in marinos adde favoribus
Munus non levius: da tibi serviant;
Solâ prole minorem
Da te perpetuò canant.
Æternus sit honos ingenito etc.

Lect. 1. Noct. Fer. occurr.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Gump. imag. 669. *ex Belforest.*

Extruxit Clotarius secundus Gallorum rex, qui obiit anno sexcentesimo trigesimo, templum Deiparæ Virgini in Urbe Bononiensi. In hoc tanquàm miraculoso Ludovicus undecimus in testimonium pietatis suæ Bononiam Virgini solemniter donavit, et Dominam fecit et appellavit totius tractûs, corde puri auri oblato pondere bis mille aureorum, et sanciâ lege, ut qui in ævum futuri essent successores,

tantumdem præstarent, MARIAM que ejus tractûs Dominam recognoscerent. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Gumpen. imag. 390.

Imago Deiparæ Bononiensis ab Angelis illata dicitur anno sexcentesimo trigesimo tertio, quam cives non sine lætissimâ pompâ excepêrunt. Ita miraculis clara fuit, ut eam secum abtulerit Henricus octavus, angliæ Rex, anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, inter cætera urbis direptæ spolia. Cæterùm iterùm recepîâ urbe ab Henrico secundo Galiorum Rege anno millesimo quingentesimo quinquagesimo, coactus est etiàm Sanctam Imaginem reddere Henricus Rex Angliæ, quæ sedi suæ restituta, ut prius, miraculis clarere cœpit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Tandèm hæresi invalescente Sancta Statua ab hostibus fidei in ignem conjecta licet fuerit, comburi tamen nunquàm potuit. Conati securibus eam assulatim dejicere, nec hoc valuerunt. Itaque in puteum vicini castelli abjecta est, et indè à Domina castri sub noctem extracta, atque in occulto, sed honesto loco reposita, velut in templo honores accepit ab herâ (quæ erat catholica), et hera à Virgine marili ad fidem conversionem. Quadraginta annis hoc in castro Sancta Statua mansit, donèc anno millesimo nono urbi Bononiensi reddita est, ubi etiàm nunc inter delicias civium numeratur. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2.

In illo tempore: Dixit Simeon ad MARIAM Matrem JESU: Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel. Et reliqua.

Homilia S. Antonii Paduani Pbri.

Ex Dom. infra Oct. Natiy. Domin.

Dolor, quem Beata MARIA sustinuit in passione Filii sui, fuit quasi gladius, qui ipsius animam pertransivit. Hoc est quod dicit Isaias: antequàm parturiret, peperit. Nota, quòd Beatæ MARIÆ duplex fuit partus: unus in carne, alter in spiritu. Partus carnis fuit virgineus, et omni gaudio plenus, quia Virgo peperit sine dolore gaudium Angelorum. Unde dicit eum Sarâ: Risum fecit mihi Dominus: quicumque audierit, congaudebit mecum. Beatæ MARIÆ debemus corridere, et congaudere in Filii ejus Nativitate. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Debemus et ei condolere in Filii ejus passione, cujus animam pertransivit gladius. Et tunc fuit secundus partus dolorosus, et omni amaritudine plenus. Nec mirum, Dei Filium, quem Spiritu Sancto cooperante, Virgo conceperat, Virgo pepererat, videbat ligno clavis affigi, inter latrones suspendi. *(Lect. 9.)* Quid mirum, si gladius ejus pertransivit animam? Attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus. Antequàm ergò parturiret in passione, peperit in Nativitate. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Condinensis.

Gumpenb. Imag. 298.

In pago Condini Civecesis Tridentinæ Beatæ Virginis Imago est, JESUM brachio gestantis, in telâ picta, nec major quàm papiraceum integrum folium, in quo literas scribimus. Anno millesimo sexcentesimo vigesimo visa est lacrimas fundere, et lacrimæ à Magistratu ecclesiastico ritè examinatæ, se probarunt esse miraculosas: quapropter templo parrochiali illata fuit Sancta Imago, et novo altari decorata. Hinc ad eam accurrens populus fiduciâ plenus, vota fecit et votorum se reum fecit. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 245. *Communitii.*

Virgo terrarum pelagique custos,
Quam vocat Matrem soboles Tonantis,
Ad preces gentis famulæ benigno
Respice vultu.

Has enim præsens coluisse sedes
Diceris postquàm tua turbulenti
Per maris fluctus tenuit propinquum
Litius imago.

Sentiunt promptum populi levamen
Rebus afflictis, sterilis fefellit
Cum seges sulcos, pluviusve pestem
Attulit Auster.

Urbis in cladem tibi dedicatæ,
Bella dum sævis meditatur armis,
Non semèl fugit tonitru minaci
Territus hostis.

Te colunt reges, pedibusque proni
Sceptra submittunt. Tibi pro tributo
Aureis sacras onerare gaudent
Cordibus aras.

Supplicum votis facilis moveri
Virgo, si nostri placuere cantus,
Fac tui cœlo celebremus olim
Festa triumphi.

Laus Patri rerum Domino perennis,
Par decus Nato, Patre non minori,
Æquus amborum sit honos amori
Omne per ævum. Amen.

IN II. VESPER.

HYMNUS 246. *J. Communitii.*

Naufragi felix Cynosura mundi,
Quæ Deum gaudes peperisse Virgo,
Non priùs junctos socians pudori
Matris honores.

Exulam tu quæ miserata sortem
Sedibus lætos patriis reponis,
Digna pro tali meritò vocari
Janua cœli.

Patris ac Nati recinendo laudes,
Mutuum linguæ celebrent Amorem:
Omnis et mundi plaga tres in uno
Numine adoret. Amen.

DIE XII. APR.

B. M. V. DE REFUGIO.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus, ut nunquàm à tuâ benignitate deserantur, quos sub Beatissimæ Virginis protectione misericordièr constituisti. Per Dominum.

AD MATUTIN.

HYMNUS 247. *Gabr. Madalen.*

Nautis amicum sydus et anchora,
O diva, Salve, Virgineo Deum
Enixa partu, quo beatæ
Cœlicorum paruere sedes.

Quam missus alto pertulit aliger,
Audi salutem, concilia polo
Terras nocentes, vertat Eva
Nomen; Ave canat omnis ætas.

Abrumpe mœstis vincula sonlibus,
Mentesque sacro lumine recrea,
Averte casus imminentes,
Supplicibus meliora posce.

Ostende Nato pectus, et audiat
Per te suorum vota clientium,
Qui sortis humanæ miserius
Te potuit Genitrice nasci.

Æterna summo gloria sit Patri,
Natoque, necnon Spiritui Deo,
Numenque tres unum, futuris
Posteritas colat usque sæclis. Am.

Lectio 1. Noct. de Ferid.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

In meditat. super Salve Reg.

LECTIO 4.

Nimius amor, quo erga te sumus

inebriati intrinsecùs, cogit nos ad te, Domina, suspirare. Omnibus es amabilis, omnibus affabilis, omnibus delectabilis, sedes sapientiæ, fluvius clementiæ, radius deitatis : nec est qui se abscondat à calore tuo. Quis ergò ad te, Domina, non suspirabit ? Amore suspiramus, etiàm et dolore. Undiquè nos angustiæ premunt. Quomodò ergò ad te non suspiremus, solatium miserorum, Refugium expulsorum, liberatio captivorum, regina bellatorum, Domina universorum, etiàm inimicorum, nec est, qui tuæ voluntati valeat obviare. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Sic afflicti, sic miseri ad te suspiramus, gementes et flentes in hâc lacrymarum valle. Heu, Domina, non vides, quòd totaliter sumus amaritudinè pleni ? Intùs sumus gementes, exteriùs flentes, in loco lacrymoso jacentes: onerati peccatis geminus, aggravati molestiis flemus, abundantes miseriis in valle lacrymarum sumus, tuum subsidium implorantes. Quid amplius dicam ? Nec sufficio, nec scio omnia detestabilia hujus vallis enarrare. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Eja ergò Advocata nostra. O laudabilis clementia Salvatoris, qui sic afflictis tàm nobile subsidium dignatus est elargiri: et ideò non est timendum, quin misereatis miseris, ad illam partem inclinans sententiam, quam defendis, ut nobis exhibeas gloriam, quam peperisti. Non ergò restat Domina, nisi ut illos misericordes oculos ad nos convertas. Eja ergò Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Non dubitamus Domina, quin si nostræ aspexeris miserias, non possit tua miseratio suum retardare effectum, et facere mirabiles, nec non et amabiles illos tuorum radios oculorum, quibus nos allicis ad amorem, et ad plenam ducis salutem, ne venenatos oculos basilisci timeamus. Tu. ℣.

Homilia de Comm. pro Duplicib.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Pratensis de Carcere.

Gumpenberg. Imag. 334.

Pratensis civitas decem millibus passuum Florentiâ distat. Hic Beatæ Virginis templum est præ cæteris miraculosum. Imago Deiparæ picta in muro Carceris publici supra cancellatam captivorum fenestram, jam olim fuit. JESUS dexterâ florem, sinistrâ aviculam tenet: quem Mater sedens sustinet. Cum jam desertis carceribus Sanctissima Virginis Imago ibi tamen staret, et plurima ibi patraret prodigia, templum è veteribus illis ruinis ei ædificatum fuit. Festum autem sexto Julii supplicatione quàm solennissimâ celebratur. Tu. Te Matrem.

Cum 2. *Vesperis.*

DIE XIV. APR.

INTELLECTUS B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritûs Sancti, ut qui donum Intellectûs in Beatissimâ Virgine veneramus, Spiritu intelligentiæ repleri possimus. Per Dominum nostrum JESUM.... in unitate ejusdem.

Lect. I. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Antonini Arch. Florentini.

LECTIO 4.

Fuit cognitio Beatæ Virginis talis per donum intellectûs, quòd cognoscebat lumen increatum, non quidem per speciem, sicut Beati, nec etiàm per imaginationem, vel vestigium, vel signum prout est medium inter apprehensionem, et signatum, sed sicut lumen solis est medium conjungens visibile et visum. Mirabilem autem hanc cognitionem Intellectûs de Beatâ MARIA ponit Albertus per novem conclusiones sive privilegia. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Harum prima est perfecta cognitio, sine medio, Dei Trinitatis, quam habuit in vitâ per specialissimam gratiam. Secundum est perfecta cognitio mysterii Incarnationis, et hanc habuit per gratiam et singularem experientiam. Tertia est cognitio suæ prædestinationis, quam habuit per revelationem et causam. Quarta est animæ suæ et spirituum per species propria cognitio, quam habuit dispositivè per naturam, completivè per gratiam: et secundum hanc vidit angelos, animas et dæmones. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Quinta est perfecta cognitio omnium ad statum vitæ pertinentium, quam habuit per gratiæ infusionem, et inspirationem. Et hæc comprehendit perfectissimam cognitionem scripturarum, operandorum et contemplandorum. Sexta est cognitio circa se futurorum, quam habuit per revelationem, et in speculo lectionum. Septima est omnium ad statum patriæ pertinentium per cognitionem quam habuit per naturam, gratiam, et contemplationem. Nona est quòd habuit et matutinam et vespertinam cognitionem: matutinam per gratiam, vespertinam per naturam et gratiam. Et sic replevit eam, scilicet, animam suam Spiritus Intellectûs. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2.

In illo tempore: Ingressus Angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Et reliqua.

Homilia Sancti Bonaventuræ Ep.

In Spec. B. V. Lect. 6.

Gratia certè vitæ et veritatis consistit in Spiritûs Sancti donis. Per septem enim dona fuit gratia vitæ et veritatis in MARIA. Gratia veritatis ordinavit MARIAM in veritate supra se, infra se, intra se, et extra se. Gratia, inquam, veritatis ordinavit MARIAM in veritate supra se per donum sapientiæ: infra se per donum consilii; intra se per donum scientiæ. Tu. ℣.

Bened. Cujus donum intellectûs.

LECTIO 8.

Gratia utique veritatis ordinavit animam MARIÆ in veritate supra se, in sapientissimâ fruendorum contemplatione: infra se in consultissimâ fugiendorum prævisione: intra se in certissimâ credendorum cognitione. (*Lect.* 9.) Gratia autem vitæ ordinavit vitam MARIÆ in bona vitæ respectu diaboli, respectu proximi, et respectu Dei..... In bona vitæ erga diabolum per donum fortitudinis: erga proximum per donum pietatis: erga Deum per donum timoris. Gratia utique vitæ ordinavit vitam MARIÆ erga diabolum in fortissimâ resistentiâ; erga proximum in pissimâ benevolentiâ: erga Deum in fortissimâ reverentiâ. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commem. B. V. de Victoriâ.

Sacra quædam Deiparæ Imago sub titulo de Victoriâ in oppido Villarejo de Salvanès Diœcesis Toletanæ mirificè colitur. Ejus origo historiâ non caret, nam è manibus San-

cli Pii Quinti accepta à Ludovico de Requesens hispanarum copiarum quæ ad Echinadas Insulas adversus Turcas unà cum venetianis et pontificiis sub Joanne Austriaco iere, duce, in hujus primâ navi toto belli tempore habita, et nomen à Victoriâ ab acceptо ibidèm per Deiparam triumpho obtinuisse fertur. Quanti autem Mariophili etiàm nunc hanc sacram Iconem faciant, ex cultu ibi ei tributo et præcipuè ex solemnitate, quâ die septimâ Octobris, quotannis honoratur, facilè ostenditur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bernardino Senensis.

De exaltat. B. V. art. 1. *c.* 2. 194. Gloriosa Virgo est signum magnæ intelligentiæ: signum enim ducit in signati cognitionem; sic Virgo MARIA super omnem aliam creaturam ducit in sapientiam et intelligentiam Filii sui et Dei. Tu.

Cum secund. Vesper.

DIE XVI. APR.

B. M. V. REGINÆ PACIS.

Duplex.

Oratio.

Deus, à quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera; da servis tuis, beatissimâ Virgine Reginâ pacis intercedente, illam, quam mundus dare non potest pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublatâ formidine, tempora sint tuâ protectione tranquilla. Per Dom.

Lection. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Ex Bernardino de Bustis, Marial. Serm. 1. *Ass.*

LECTIO 4.

Beata Virgo nobis Deum reconciliavit; undè in hujus reconciliationis factæ signum, angeli in ejus partu ritione cecinere: gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus. Hæc est illa Mulier sapientissima quæ Davidem filio suo Absaloni reconciliavit, et quæ Deum reconciliavit generi humano: Hæc est illa columba innocentissima, quæ portavit ad arcam Noe ramum olivæ virentibus foliis, per hoc indicans Deum hominibus reconciliatum. Tu.

℣. Virgo latæ pacis index, pacti et auspex fœderis * Patris inter Numen alti, et inter humanum genus. ℣. Cui probat columba, in arcam tremilem quæ detulit. Patris.

LECTIO 5.

Rich. de S. Laur. libr. 12. *de Laudib. B. V. M.*

Virgo MARIA est oliva valdè speciosa. Hæc Oliva est signum pacis: per ipsam enim finita est guerra, sive bellum, quod Eva fecerat inter Deum et hominem, inter corpus et animam. Illa est illa columba, quæ cessante diluvio ramum olivæ in ore suo detulit ad Noe in Arcam, Deum humano generi reconciliatum demonstrans, et sic ipsa Virgo designatur per olivam, quæ est signum pacis, et per columbam, quæ est avis pacifica. Tu.

℣. Columba est Virgo gratiâ repleta lota, totaamore candido. * Quæ fuit Puella felle cassa amarulentiæ. ℣. Cassa felle tristis iræ, forma pacis Principis. Quæ.

LECTIO 6.

Hugo de S. Caro Cardin.

Ego murus et ubera mea sicut Turris. Beata Virgo murus est stabilis et firmus, nobis ad defensionem et munitionem datus, super quem Dominus fabricavit propugnacula argentea... Ubera ipsius sunt nobis, fœcunditatem ejus virgineam in memoriâ tantâ habentibus, turris. Quâ suâ fœcunditate facta est apud Deum quasi pacem reperiens, pacem, inquam, illam quam perdiderant primi parentes. Undè ei dictum est ab Angelo: Invenisti gratiam apud Dominum. Ipsa reperit pacem inimicis, salutem perditis, indulgentiam reis, misericordiam desperatis. Tu.

℣. Regina pacis olivæ sese apertis ritè campis comparat consitæ, * Suam patere sen.pèr indulgentiam innuens, opemque cunctis uberem poscentibus. ℣. Ipsa enim est pax nostra, et reconciliatio nostra. Suam. Gloria. Suam.

In III. Noct. Homil. de Comm. pro Duplicib.

℣. 7. Sempèr est Virgo cunctis liquorem fundere gratiæ parata; * Cunctis ferre misericordiam et indulgentiam pacis. ℣. Nec quæri quisquam invocatam definisse debet sibi. Cunctis.

℣. 8. In nequiores piissima viscera gestat, peccatores admittit, reos conciliat, miserosque omnes juvat factis benignis. * Tale quid semper facit Reginæ pacis clementia. ℣. Hæc enim obtinet virtus in almâ principatum Virgine. Tale. Gloria. Tale.

Cum 2. Vesper.

DIE XVII. APR.

D. V. SICHEMENSIS.

Semiduplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS 248. *Just. Lips.*

Diva, quæ gaudens iterare dona,
Erigis lapsos, trepidisque robur
Addis et servas variis periclis
Undiquè cinctos.
Clamat hoc ætas vetus, ista clamat:
Belgica hoc Hallis, Gradisque vidit,

Et palam jam nunc videt in propinquo
Colle Sichemi.
Hic tui vultûs modica est imago,
Sed potens, præsensque levare noxas,
Quas neget curare vel Æsculapi
Docta medela.
Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Lect. 1. *Noct. de feriâ occurr.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Justus Lip. in D. V. Sichemensi.

In Sichemâ oppido, quinto milliario à Lovanio, uno circitèr à Disthemio abjuncti finibus, medio illinc milliari Collis exurgit, in cujus parte divæ Virginis Icuncula erat in quercu defixa, et accolis culta à tali principio fertur. Ajunt enim ante annos centum fuisse pastorem, qui oves in ejus tractu pascens reperiam humi imaginem susulit, in sinum condidit, certus eum donum secum auferre. Sed dum agitat, ecce membra ejus stupere, pedes utique non movere, et quasi frutex, aut stipes ibi stare. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Cum verò hora ejus rediùi esset lapsa, herus infortunii anxius pastorem requirens, eò accurrit, et reperit defixum stantem, et quæ gesta simplicitèr narrantem. At tile mentis melior imaginem statim recipit, et timidâ religione in vetere suâ sede et quercum reponit. Eoque facto, Pastor velut vinculis liberatur, et venerali uterque Numen, domum abeunt, rem denarrant, et vicinium totam religione implent. Ab deindè miraculo jàm famâ in multâ et cultu magno fuit, et locus

celeber factus est. Sed evenit, ut ilia Imago perierit anno millesimo quingentesimo octogesimo, incertum quâ vi aut casu et post septem annos alia suffecta est, arculæ ligneæ imposita et quercui ibidèm affixa. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Anno vero millesimo sexcentesimo secundo, majore in dies concursu Godefridus Pastor Sichicmensis veneratioui augendæ detractam arbòre, in sacello modico, quod è tabulis juxta struxerat, rite et piè collocavit. Sed enim vero cum id angustum turbis esset, sacellum à lapide secto inchoatum absolutumque est, et Divæ dicatum, sacratumque ab Archiepiscopo Mechlensi, tanto hominum è dissitis etiàm locis conventu ut id quoquè inter mirauda, si non miracula censeri mereatur. Hoc factum est anno millesimo sexcentesimo quarto, et ex eo Imàgunciila perseverat. Tu. ℟.

Homilia de Communi pro Semid.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Biellensis de Oroppa.

Gumpenb. 410.

In montibus civitatis Biellæ adjacentibus de Oroppa nuncupatis, sacellum Deiparæ sacrum est, magnificentissimo Templo inclusum, non Italiæ solùm, sed exteris quoquè gentibus frequentatum, et miraculis clarum. Ibi Beatissimæ Virginis Imago è cedrino ligno confecta, pro opere Sancti Lucæ constanter ab antiquo habita, atque à Sancto Eusebio Episcopo Vercellensi Vercellas asportata et indè in Oroppæ montibus collocata in eo parvo sacello asservatur. Ad eam fit ingens peregrinorum accursus, ita ut aliquandò ad quinquaginta millia hominum se extendit. Templi parietes non alio peristromate ornantur quàm pictis tabulis, quibus miracula ab ipsâ Virgine parata proponuntur. Tu. Te Matrem.

Cum 2. Vesper.

DIE XIX. APR.

D. V. GRANATENSIS.

Simplex.

LECTIO 1.

Gumpenb. Atlas Mar. im. 153.

Granatensis Virginis Statua trium est cubitorum, servaturque in magnifico Cathedralis templi sacello, concursu populi toto anno continuo, maximè tamen ipsâ Virginis assumptæ octavâ, quâ præcipuum festum celebratur. A Ferdinando et Isabellâ regibus catholicis hic sedem accepit, et circumvehi solitam in castris quoquè traditio est. Tu. ℟.

LECTIO 2.

Hoc certum est, cum Metropolis regni Granatæ cœpta esset, militesque ad castrum, quod supererant expugnandum properarent, reges cum hâc statuâ constitisse Sigilis fluvii: cumque victores super muros circumactis per aerem vexillis solemne illud contentissimâ voce ingeminarent: Granata, Granata pro Ferdinando et Isabellâ, reges in terram se abjecisse coram JESU et MARIÆ hâc statuâ. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Reginæ inventum creditur, quòd in Regno Granatensi, horâ tertiâ post meridiem pulso æris campani cives admoneantur, perindè ac manè, meridie, et vesperè fieri solet: Rex item novo inventu, quovis die per omnem annum novos diversosque cultus Sanctæ Virginis statuæ decrevit, qui per multum temporis fuerunt accuratè observati. Tu. Te Matrem.

Vesperæ sequentis.

DIE XX. APR.

B. V. DE MEDIOLANO.

Semiduplex.

Lect. 1. Noct. fer. occurr.
IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Colven. Kalend. mar. p. 294. 295.

Sacelli Beatæ MARIÆ Virginis in templo Sancti Petri in foro Valentiauis ædificandi Domino Joanni de Tornaco Abbati Sancti Joannis, causam præbuit posita quædam ibidèm Imago chartacea, à quodam tibicine urbis Enghianæ, qui tunc Valencenas incolebat, Joanne dicto, allata Mediolano, cui ob hoc Beatæ MARIÆ de Mediolano nomen indultum fuit, per quam beatissima Virgo MARIA virtutem suam rebus prodidit. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Ac primùm vigesimo Aprilis anni millesimi quadringentesimi octogesimi famam sibi peperit, reddita protinus mulieri, Mariæ Lebrun nuncupatæ, incedendi facultate, cui ab anno amplius uno, vel nervorum solutione, aut humorum malignitate prærepta erat. Undè factum est, ut eo ipso die perelegans sacellum, ubi ea Imago Deiparæ Virginis servaretur, et populus eam coleret, extrui jusserit ex multis donariis, quæ jam tunc et deindè plura colligebantur. Facta est autem hujus sacelli consecratio die vigesimâ septimâ Maji ejusdem anni. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Hujus ædiculæ recentèr conditæ, et miraculorum, quæ in dies per beatam Virginem patrabantur pervulgatâ famâ etiàm è dissitis locis fidelium fiebat concursus, qui salutarem illic opem obtinebant. Quod olim adeò frequens fuit, antequàm hæretici, anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, illam Beatæ Virginis Imaginem lacerassent, ut sacelli parietes multis scipionibus, fulcris subalaribus, sigillis, et anathematibus post adeptam sanitatem prælexterentur. Tu. ℟.

Homilia de Commun. pro Semiduplicibus.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Apibus.

Camòs t. 8 c. 7.

Sanctissimæ Deiparæ pulcherrima Effigies propè oppidum Bagnols Diœcesis Elnensis sub titulo de Apibus non exiguè colitur pluribus abhinc sæculis in perantiquo Sacello, quod ex circumstantibus ruinis grandius antèà fuisse abs dubio apparet. Sacra Imago quæ non invenula, sed ibidèm in diruto Monialium cœnobio venerationem habuisse creditur, sempèr miraculis claruit. Præcipuè hanc Sacello sequens fuit proprium prodigium, quòd clausi clavibus ferrisque clauderetur, sempèr apertum à quolibet primo veniente inveniebatur. Tu. Te Matrem.

Vesperæ sequentis.

DIE XXI. APR.

BENIGNITATIS B. MARIÆ V.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Benignitatem Beatæ Virginis MARIÆ devotè recolimus, ejus fructus in nobis experiri mereamur. Per Dominum.

AD MATUTIN.

HYMNUS 249. *L. Massorilli.*

Diva stellato residens olympo,
Redde te nostris precibus Benignam,
Et tuos servos humiles ab omni
Labe tuere.

Vidimus quantas dederit ruinas
Hostis humani generis cruentus,
Tu leves duros Genitrix labores
O pia nostros.

Da venenosas procùl ire pestes,
Da tuis auras famulis salubres,
Syderum vires reprimens nocentum
Numine Sancto.

Neu fames atrox, miseranda egestas
Torqueat Christi populos fideles:
Uberes fructus jubeas feracem
Gignere terram.

Bella de nostris violenta terris
Transfer ad pingues Orientis oras,
Quas tenet durus Machometus aspis,
Vipera mordax.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto,
Regnat in ævum. Amen.

Lect. 1. Noct. fer. occurr.

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.
In signum magn.

LECTIO 4.

Nec ipsa Mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: invenietur equidem locus ejus in hâc (hominis cum Deo) reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum nec alter nobis utilior, quàm MARIA. Crudelis nimirum Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiàm ipsi viro virus infudit: sed fidelis MARIA, quæ salutis antidotum et viris et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis: illa sugessit prævaricationem, hæc injecit redemptionem. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Quid ad MARIAM accedere trepidat humana fragilitas? Nihil austerum in eâ, nihil terribile: tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam. Revolve diligentiùs Evangelicæ historiæ seriem universam, et si quid forìè increpatorium, si quid durum, si quod deniquè signum vel tenuis indignationis occurrerit in MARIA, de cætero suspectam habeas, et accedere verearis. Quòd si, ut verè sunt, plena magis omnia pietatis et gratiæ, plenæ mansuetudinis et misericordiæ, quæ ad eam pertinent, inveneris, age gratias ei, qui talem mediatricem benignissimâ miseratione providit, in quâ nihil possit esse suspectum. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Deniquè omnibus omnia facta est, sapientibus, et insipientibus copiosissimâ charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi. Captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, angelus lætitiam, deniquè tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam, ut non sit, qui se abscondat à calore ejus. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c. 11. 27.*

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia Sancti Hildephonsi Arch. Toletani.

Serm. 4. de Assumpt. B. V. M.

Igitur Sancta et venerabilis Virgo MARIA, Mater Domini nostri JESU-Christi secundùm carnem ex semine Abrahæ, orta ex tribu Juda, virga de radice Jesse, clarâ ex stirpe David, filia Jerusalem, Stella maris, ancilla Dei, regina gentium,

et Domina regum, Sponsa Domini, Mater Christi, Conditoris templum, Spiritûs Sancti sacrarium, velut columba speciosa, pulchra ut luna, electa ut sol, signaculum fidei, reparatio Evæ, introitus vitæ, janua cœli, decus mulierum, caput virginum, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium. Tu. ℟.

Bened. Cujus Benignitatem.

LECTIO 8.

Multiplicatur ut cedrus Libani, florens ut palma, velut oliva fructifera, in Domo Dei Virgo Sancta, Virgo prudens, et una ex numero prudentium Virginum. Virgo pulcherrima, Virgo pudica, corpore decora, animo fulgida, fide perspicua, mente præclara, amore virginitatis devota, ad obediendum parata, ministerio sibi credito cauta, in persecutione pacifica, in passione Christi mente compassa est. *Lect. 9.* A prophetis Dei prædicata, à philosophis sanctis præfata, ab Archangelo salutata, à Spiritu Sancto fœcundata, atque ab eodem obumbrata. Seminis viri ignara, prole filii fœcunda, Virgo innupta, ex filio fœta, fide concipiens: Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Sancho-Abarca.

Ex Officio proprio Tausensi Clero concesso.

Cum enim in sinu præruptæ rupis Beatissimæ Virginis MARIÆ imago puerum JESUM suis ulnis gestans, anno millesimo quingentesimo sexagesimo nono, tum primùm innotuerit, rei nuntio accepto, Tausiensis oppidi (in Aragoniâ) Clerus populusque, solemni indictâ supplicatione, ad montem pervenientes, exsculptam Imaginem adorant, et ad suam Ecclesiam cum gratiarum actione transtulerunt. Ibi miraculis præfulgens, per universam Hispaniam adeò celebris evasit, ut ad eam invisendam passim populi currant, spiritualia indè haurientes incrementa virtutum, nobilique structo sacello, magnâ veneratione colitur, à loco, ubi inventa fuit, de Sancho-Abarca communiter appellata. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Petro Damiano, Ep.

Serm. de Natiy. B. V.

495. Scio, Domina, quia Benignissima es, et amas nos amore invincibili, quos in te et per te Deus tuus summâ dilectione dilexit. Et quoniàm amor non nisi amore rependitur, ideò redamare eam pro virili studeamus. Tu.

Cum 2. Vesper.

DIE XXIII. APR.

D. V. FLORENTINÆ DE ANNUNTIATA.

Duplex.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus qui humanæ fragilitati condolens, eique clementèr miserèri decernens, Verbum tuum ex gloriosâ Beatâ MARIA semper Virgine incarnari voluisti, præsta, quæsumus, ut ipsa jugiter tuam misericordiam nobis obtineat in cœlis, cujus Commemorationem celebramus in terris. Per eumdem.

AD MATUTIN.

HYMNUS 250.

Vox ecqua dignas pro meritis tibi
Tot atque tantis solvere gratias?
Quæ debilas tibi decentèr
Lingua queat memorare laudes?

Tu sola Virgo et Mater es inclyta,
Deiparensque et Filia: tu decus,
Lumen, jubar, salus et una

Spes generis columenque nostri.
Primæva Mater dum faciles nimis
Aures doloris vocibus improbi
Præbet Draconis, universam
Exitio sobolem peremit.
Tu Diva sævi faucibus eripis
Serpentis Evæ progeniem, sacro
Dum spiritu gravis, salutis
Artificem paris atque mundi.
Æterna Summo Gloria sit Patri,
Natoque necnon Spiritui Deo:
Numenque tres unum futuris
Posteritas colat usque sæclis. Am.

Lection. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Apud Bollan. tom. 4. August. Vit. S. Philip. Benit.

Insigne est templum Beatæ MARIÆ Virgini Annuntiatæ dicatum in urbe Florentinâ apud Patres Servitas. Ibi olim antequàm extrueretur, in crudo recentique adhuc muro Imago Virginis, quam de caphagio vocabant, temperalis non oleo, sed aquâ coloribus effigiata proslabat, quæ cum temporum injuriâ inter ædificiorum ruinas esset obliterata, Patres ejus sibi memoriam renovandum esse ducentes etiàm ad obliteratæ prototypon iisdem coloribus, et in simili crudi areâ pingendum curare statuerunt sub formâ Annuntiationis mysterii. Tu.

℣. Talis in hoc templo mirâ virtutis Imago sedet, multis inclyta prodigiis: * Hanc urbs nostra colit. ℣. Et quælibet extera tellus orat præsidio tutior esse suo.—Hanc.

LECTIO 5.

Accersito ergo pictore, qui multis precibus ad opus se comparari voluit, et captâ picturâ, archangeli Gabrielis Imago jam in pariete spirare videbatur: ipsa etiàm beatæ Virginis effigies, præter faciem, caput et cervices, sub oculos perfecte prodierat, cum ecce pictor supremam manum Imagini impositurus, repentè totis artubus, sed manibus præcipuè contremiscere, exalbescescere vultus, denique animo linqui cœpit, et velut nunquàm penicillum contrectavisset, omnis ars, atque industria pingendi ex animo evanuisse visa. Tandèm divino quondam sopore correptus, et paulò post sibi redditus, Imaginem intuetur, quàm in illo mentis conticinio perfectam viderat, jam collo, vultu et capite, ad quæ manus pridiè exprimenda torpuerat, expressis summo stupore recognoscit. Tu.

℣. Cujus ope à variis sanantur corpora morbis, et ferè curatur vulneris omne genus. * Hoc figmenta probant sub multis cerea formis. ℣. Factus et incolumis sexus uterque docet. Hoc.

LECTIO 6.

Pervolgato rei successu, fit totius urbis, atque omnium ordinum accursus, et habitis Imagini justis honoribus, frequentis senatus consultu Respublica decrevit, uti hæc verba: Divina Sancta MARIA, Mater Gratiarum: subscriberentur, quæ hodiè, antiquo caracthere subscripta visuntur. Et illud admirandum est, quòd divinam quamdam vim illi vultui inditam esse, vel maximè convincat, quòd sic admissi vix prima virginei oris lineamenta ad faces videant, cum solvi statim in lacrymas, ac prorumpere in singultus ac gemitus, internæ compunctionis indices, ac pectora palmis plangere incipiant universi: atque adeò illi etiàm, ut frequentèr fateri solent, qui non tam pietate quàm curiositate ac rei insolentiâ ducti occurrunt. Tu.

℣. Hic nova Religio Servorum dicta MARIÆ ex tenui cœpit surgere principio, * Cujus parva brevi per mundum gloria crevit. ℣. Maxima divinæ facta Parentis.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliq.

Homilia S. Anasthasii Episcopi.

Homil. 2. *in Ann. B. V.*

Magnus quidem Gabriel fausta Virgini nuntiat, dumque miscet sermones, Unigenitus Dei Filius virginalem subiit uterum: capitque ventrem, quem omninò cœlum non capit... Hominum Opifex factus est homo, Matrem sibi ex nobis comparans ipse unicus per naturam Dei Filius, carnem ex eâ nobis consubstantialem assumens. Tu. ℣.

LECTIO 8. *Orat.* 1.

Jure ilaque meritò cum eâ, quæ gaudium suscepit, gaudeamus, Deique nostri Matrem in hæc verba cum Gabriele salutemus: Ave, gratiosa, Dominus tecum: quòd facta sis nobis salutis via, ascensusque ad superos, ac locus requietionis, refrigeriique tabernaculum, in quo Dominus habitavit. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Quamobrem cum omnibus generationibus te solam beatam in mulieribus dicemus: quam neque sol, voluptatis flammam immittens, adussit, neque fluxa vis lunæ noctù læsit. Non enim decidisti in commotionem pedem animi, sed eo fixo in petrâ, indeflexa mansisti: teque Dominus custodivit, in te solus ingrediens, ac ex te egrediens clausamque et obsignatam in æternum servans. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Gregorio Papâ Decimo.

Const. 80. Ad uberes §. 3. an 1578. *Tom. IV. p.* 3. *p.* 358.

496. Clemens Papa Quartus visitantibus Ecclesiam Annuntiatæ de Florentiâ concedit quadraginta dies indulgentiarum. «Similiter alii Pontifices» plures alios dies indulgentiarum concessere. Tu.

Vesperæ à capit. sequentis.

DIE XXIV. APR.

PRÆEXCELLENTIÆ B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Spiritum humilitatis, quæsumus, Domine Deus noster, cordibus nostris infunde, et qui Præexcellentiam Beatæ Virginis MARIÆ celebramus in terris, eam ipsâ exaltari mereamur in cœlis. Per Dominum.

Lect. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis.

De B. V. Serm. 61. *art.* 4. *c.* 3.

LECTIO 4.

Persona Beatæ Virginis tantæ superexcellentiæ est, quòd nec in personis creatis, nec in personis increatis, nec in personis creatis, ut angelis et hominibus, invenitur hæc incogitabilis dignitas, scilicet, quod habeant Deum filium, nisi in unâ personâ divinâ, quæ est Patris, et in una personâ humanâ, quæ est Matris. Sanè privilegium hoc isti soli personæ concessum est, quod sicut impossibile est personæ Filii, vel personæ Spiritûs Sancti generare Deum pro eo quod in eis non est natura cum primitate fœcunditatis, nec intellectûs, cum actu dicitur aliquod verbum, sive cum fœcunditate et potentiâ ad producendum imaginem, sicut in Patre est. Tu. ℣. *de Comm.*

LECTIO 5.

Undè sicut impossibile est Patri producere aliud Verbum pro eo, quod hoc Verbum genitum sit perfectissimè, et totam potentiam generandi exhausit in Patre; ita impossibile est mulierem aliam posse parere Deum, nisi per novam potentiam aliam collatam à Deo, quod certum est, nunquàm futurum esse. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Potentia enim concipiendi et pariendi Deum, quæ naturæ humanæ copulata fuit, secundum quod dicimus Christum fuisse in lumbis Patrum, secundum corpulentam substantiam descendit ab Adam usque ad Virginem. Et fuit impossibile ad actum in aliquam mulierem deduci, nisi in MARIAM Virginem, quæ potentia ità per nativitatem Christi exhausta est de naturâ suâ, quòd quicumque diceret, aliquam personam divinam esse humanandam in aliquo secundum corpulentam substantiam, esset, ut impiissimus hæreticus, puniendus. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Dyonisii Alexandrini. *In resp. ad Quæst. 5. contra Samosaten.*

Et signata est porta tabernaculi integra et incorrupta et inviolata, manu enim Dei clausa est, et digito ejus signata est. Neque mann hominis Sacerdos noster electus est, neque tabernaculum ejus ab hominibus fabricatum, sed Spiritu Sancto et virtute Altissimi protegitur illud sempèr laudabilissimum Dei tabernaculum MARIA Deipara et Virgo. Tu. ℣.

Bened. 8. Cujus Præexcellentiam.

LECTIO 8. *Respons. ad Quæst.* 10.

Ipse est, qui descendit ad Abraham, ipse qui descendit ad Moysen, ut liberaret populum, et qui nunc novissimis diebus propter nos venit, non in figurâ ignis, sed conceptus in ventre Virginis MARIÆ, superveniente Spiritu Sancto in eam, et Matrem incorruptam à pedibus usque ad caput benedictam servavit, sicut ipse solus novit modum conceptûs et ortûs sui. *Lect.* 9.

Hæc est quam Isaac prævidens dicebat Jacob: Det tibi Dominus benedictionem cæli desupèr, et benedictionem terræ habentis omnia. Qui enim è cœlo descendit Unigenitus Deus Verbum, gestatum est in utero, et genitum ex paradisso virginali habente omnia: hæc sunt Spiritus Sanctus, qui supervenit in eam, et virtus Altissimi qui obumbravit ei, et quod natum est Sanctum, puer JESUS qui est Deus fortis. Tu.

LECTIO 9.

Commemoralio B. V. à Viridario. *Octav. Cajetan. de effig. sicut.*

In oppido Sancti Angeli in Siciliâ templum est Beatæ Virginis, cui nomen à Viridario. Cum propè illud pervenisset Turcarum pirata Barbarosa, anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, qui ad eam Siciliæ oram populandam appulerat, quæ illi oppido proxima est, ex Deiparæ Imagine magnum jubar emicuit, cœlestique vi adeò illorum perstringit oculos, ut referre gradum coacti fuerint. Fugalis eâ luce barbaris, confluxere oppidani omnes ad liberatricem Virginem, ejusque Imaginem sudore manantem, sive ut alii auctores sunt, sanguineo sudore respersam invenere: tantaque fuit divini licoris copia, ut in calice reposuerint. Accidit id nono Kalendas Maji, quo die hujus prodigii, beneficiique memoria celebratur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabil. *die* 8. *Dec.* 1854.

497. «MARIAM Deus» longè ante omnes Angelicos Spiritus, cunctosque Sanctos cœlestium omnium charismatum copiâ de thesauro divinitatis depromptâ, ità mirificè cumulavit, ut ipsa ab omni prorsùs peccali labe sempèr libera, ac tota pulchra et perfecta eam innocentiæ et sanctitatis plenitudinem præ se ferret, quâ major sub Deo nullatenùs intelligitur, et quam præter Deum nemo assequi cogitando potest. Tu.

Vesperæ à Capit. sequenti.

DIE XXV. APR.

APPARIT.

B. V. DE BONO CONSILIO.

Duplex.

Oratio.

Bonorum omnium largitor, Deus, qui Genitricis dilecti Filii tui speciosam Imaginem mirâ apparitione clarificare voluisti: concede, quæsumus, ut ejusdem Beatæ MARIÆ Virginis intercessione ad cœlestem patriam felicitèr perducamur. Per eumdem.

AD MATUTIN.

HYMNUS 251. *Ex Offic. prop.*

Plaude festivo, pia gens, honore,
Dum Genestani veneraris ædem:
Quâ Dei Magnæ Genitricis alma
Splendet Imago.

Hæc ubi mirâ specie repentè
Obtulit sese populis videndam,
Multa mox secum bona ferre nostras
Visa per oras.

Ipsa tunc ægris aderat, molestos
Corporis morbos, animique pellens
Longè et ærumnas Latio imminentes
Ipsa fugebat.

Virgo quàm magnis decorata signis,
Nunc quoquè effulges, miseris juvamen
Affer, et fusis patiens clientum
Annue votis.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Lect. 1. *Noct. de script.*

IN II. NOCT.

Ex libro S. Ambrosii Ep. de Virginibus. *cap.* 5.

LECTIO 4.

Veni ergò Eva, jam MARIA: quæ nobis non solùm Virginitatis incentivum attulit, sed etiàm Deum intulit. Undè lætus et exultans tantò munere, dicit Isaias: Ecce Virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus: Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus. Undè hoc munus? Non de terrâ utique, sed de cœlo vas sibi hoc per quod descenderet Christus, elegit, et sacravit templum pudoris. Per unam descendit, sed multas vocavit. Undè et speciale MARIA Domini hoc nomen invenit, quod significat, Deus ex genere meo. Dictæ sunt et ante Mariæ multæ: nam et Maria soror Aaron dicta fuit: sed illa Maria amaritudo maris vocabatur. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Venit ergò Dominus in amaritudinem fragilitatis humanæ, ut conditionis amaritudo dulcesceret verbi cœlestis suavitate, et gratiâ temperata. Hoc significavit fons

Mara per lignum dulcoratus, eo quod populus nationum amarus ante peccatis, vel carò nostra temperamento passionis dominicæ in usus alteros mutaretur. Egregia igitur MARIA quæ signum sacræ virginitatis extulit, et intemeratæ integritatis pium Christo vexillum levavit. Et tamen cum omnes ad cultum virginitatis Sanctæ MARIÆ advocentur exemplo, fuerunt, qui eam negarunt virginem perseverasse. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Ex Officio proprio.

Et ut nihil non sublime esset in hâc Sanctissimâ Virgine, quam angelus gratiâ plenam salutavit, non sine divino consilio factum est, ut ejus etiàm imagines summo essent in honore, et prodigiis miraculisque clarescerent. Quas inter ea tribus abhinc sæculis præcipuo honore colitur, quæ, Paulo secundo sedente, mirabiliter apparuisse in pariete Ecclesiæ Patrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in oppido Genestani Prænestinæ Diœcesis ex Pontificiis Diplomatibus, et supparibus monumentis comprobatur, quibus permotus Pius papa sextus præfatis ejusdem oppidi cœnobitis officium proprium concessit septimo Kalendas Maji, ipso scilicet apparitionis die recitandum, ac deindè illud die, quæ immediatè subsequitur pro ejus recitatione in postremo assignatâ ad universum prædictum ordinem sub ritu duplicis majoris extendit. Tu. ℟.

Homilia de Comm. pro Duplicib.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Heilbrunensis de Urticeto.

Balingh. die 25. April.

Cum die Divo Marco sacrâ procederet, ut in Litaniis majoribus fieri solet, Clerus Heilbrunensis oppidi cum populo in supplicatione ad vicinam Ecclesiam Boechingem extra muros; erat juxta viam à latere paululùm declecendo ultrà portam urbis in muro cujusdam agelli imago Deiparæ, ad quam nemo veneraturus accedebat ob viam lutosam, et altitudinem urticarum in circuitu muri. At cum ad urbem processio illa rediret, magnam ad illam Imaginem populi multitudinem invenit, quæ divinitùs inspirata eò eâdem horâ convenerat Deiparam in loco illo neglecto veneratura cum variis donis. Ex eo tempore concursus ille inchoatus durat usque nunc, ubi et penè infinita fiunt miracula ad invocationem Virginis. Tu. Te Matrem.

Vesper à Cap. seq. ut in comm. Dedicat.

DIE XXVI. APR.

DEDICAT. S. M. SUPRA MINERVAM.

Duplex.

Offic. fit juxt. rubr. temp. paseh. Lect. I. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Spinelli de Festis et templ. Deip.

Sancta MARIA supra Minervam, sic dicta à proximo Minervæ Chalcidiæ delubro, quod Pompeyus magnus, mithridiaco bello confecto, multisque regnis ac gentibus in Romani Imperii ditionem reductis, ex hostium manubriis dicavit. Ejus delubri vestigia in hortis sacri ordinis Prædicatorum, quibus hoc Deiparæ templum est demandatum, adhuc cernuntur. Tu. ℟. Magnum hæred.

LECTIO 5.

Paulus quartus hoc templum Cardinalium titulo insignivit. In eodem

Deiparæ templo ad lævam summi altaris sacellum pulchrè structum cum religiosissimâ Deiparæ Imagine extat, in quo florentissima, et nunquàm laudata Rosarii sodalitas in urbe est erecta. In ejusdem Sacelli arâ corpus, quod nunc in altari principe reconditur Sanctæ Catherinæ Senensis Virginis præclarissimæ ex tertio ordine Prædicatorum, cujus opera in Gregorio undecimo revocando ex Gallia in urbem, magno Reipublicæ Christianæ bono singulariter eluxit, pluribus sæculis veneratum fuit. Tu. ℟. Verè Dominus.

LECTIO 6.

Ibidèm aliud quoquè Sacellum à Joanne Turrecremata Cardinali Ordinis Prædicatorum, viro doctissimo Beatæ Virgini Annuntiatæ dicatum est: ubi ab eodem sodalitas est instituta, quæ compluribus puellis nubilibus dotem assignat, quam summus Pontifex solemni pompâ in illud templum veniens die ipso Annuntiationis Beatæ Virginis suis manibus eisdem distribuit. Quod templum ultimis hisannis instauratum excultumque est ingenio Hieronymi Blanchedi, Pio nono Pontifice maximo. Tu. ℟. In multitudine.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam Castellum, et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua. Homilia S. Thomæ Arch. Valentini.

Conc. 6. in Assump. B. V.

Si littera Evangelii diligentèr tractetur, et sensum non historicum, sed misticum consulamus, videbimus qualitèr sola littera historia sit non aperta sed occulta Matris Dei: et quàm brevitèr sub typo alieni nominis Virgo Dei Genitrix sit descripta. Castellum forte voluntas humana est. Quid fortius, quàm quod liberum est, nec valet ad aliquid cogi? Quid fortius, quàm quod non potest possideri quàcumque vi, sed solâ spontaneâ voluntate? Sed mulier quædam: mulier, gloria mulierum, corona mulierum excepit illum in domum suam. Hæc recepit in uterum suum, in corde suo. Tu. ℟. Benedic Domina.

LECTIO 8.

Intravit ergò JESUS in quoddam Castellum. Ingressus ejus est Incarnatio ejus: janua verò per quam ingressus est, Virgo MARIA est. Ipsa est porta mundi, et porta cœli: per hanc Deus ingreditur mundum, et per hanc peccator ingreditur cœlum. Per hanc Deus descendit ad hominem, et per hanc homo ascendit ad Deum. *Lect.* 9. Dicat ergò MARIA: Porta facta sum cœli: janua facta sum Filio Dei. Hæc est gloriosa Sunamitis, quæ Prophetam omnium Prophetarum, et hospitio recepit, et intra cordis sui domum cœnaculum illi fecit, et in eo lectulum, et mensam, et sellam, et candelabrum ei posuit. Tu. ℟. Domus mea.

LECTIO 9.

Commem. S. MARIÆ in Aquiro.

Spinelli de templ. et fest. Deiparæ.

Sancta MARIA in Aquiro propè circum Flavinium, ubi olim Isidis fanum, vel, ut alii malunt in Equirio, sic dicta est à ludis Equiriis, qui Equorum, et currurum causâ in campo martio in honorem Martis à Romulo instituti die decimâ tertiâ Maji exercebantur, et illuc transibant. Hoc templum Deiparæ ab Anasthasio Papâ fundatum inter antiquas cardinalium diaconias connumeratur, eique nunc collegium Orphanorum de Urbe est attributum. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Gregorio Papâ Decimotertio.

Const. 128. Ut Sanctissimum.

an. 1580.—*Tom. IV. p.* 3. *p.* 161.

498. Erectionem et institutionem Archiconfraternitatis sub invocatione Annuntiationis Beatæ MARIÆ Virginis supra Minervam de Urbe auctoritate apostolicâ tenore præsentium approbamus et confirmamus. Tu.

Vesperæ à capitul. sequentis.

DIE XXVII. APR.

DIVITIARUM B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Respice, quæsumus, Domine nimiam servorum tuorum paupertatem, ut qui immensas gratiæ divitias Beatissimæ Virginis MARIÆ recolimus, thesauris cœlestibus nos abundare concedas. Per Dom.

Lect. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni Ep.

De laud. B. V. libr. 4. *c.* 21.

LECTIO 4.

Videndum est nunc de divitiis Beatæ Virginis. Et primò notandum est, quòd ipsa dicitur thesaurus Domini. Undè Salomon: Infinitus est thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei propter disciplinæ dona commendati. Thesaurus est, ubi diversarum operum divitiæ, quasi minutatim recluduntur, ut quasi simùl in unum, ibi cumulum reperiantur. MARIA ergò thesaurus, quia in eâ, ut in Gazophilacio reposuit Dominus omnia dona gratiarum, meritorum, virtutum et prærogativarum, donorum et charismatum: et de thesauro largitur ipse larga stipendia suis militibus, et operariis. Et istæ sunt divitiæ, quæ addunt amicos plurimos, scilicet, Deum, Angelos et homines Sanctos. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Idem de multitudine divitiarum suarum, quæ non temporales, carnales, corruptibiles, sæculares, sed æternæ, spirituales, incorruptibiles, et cœlestes fuerunt, et sunt, et erunt, dicit MARIÆ Spiritus Sanctus: Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Multæ filiæ, id est, virtutes angelicæ, et animæ sanctæ congregaverunt divitias diversarum virtutum et operum, meritorum et præmiorum. Tu discretivè, ò Beata Virgo, supergressa es universas excellentiâ humilitatis, virginitate fœcunditatis, et fœcunditate virginitatis, nam virginitas non exclusit in te fœcunditatem, nec fœcunditas virginitatem violavit, quod est tibi gloria singularis. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Idem de multitudine divitiarum suarum gloriatur ipsa, et dicit cum sapientiâ: mecum sunt divitiæ et gloriæ, opes superbæ et justitia. Quasi dicat: contemnentibus sibi servire, et se diligere: si amor meus non movet vos ad quærendum et diligendum me, saltem cupiditas moveat vos, quia mecum sunt divitiæ et gloriæ, id est, divitiæ gloriosæ, quæ scilicet faciunt possessores suos gloriosos: temporales autem divitiæ dicuntur stercora, ut ex ipsâ virtute vocabuli vilescant. Sed spirituales divitiæ scilicet virtutes, merita, et bona opera sunt opes superbæ, id est, supereminentes, non ima petentes. Vel opes virtutum dicuntur superbæ ab effectu, quia faciunt hominem superbum sanctâ superbiâ, quæ est indignatio contra vitia, et peccata. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 28.

In illo tempore: Ingressus Angelus ad MARIAM dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventuræ Ep.

Speculi. B. V. cap. 8.

Attendite, quòd Dominus universalis, qui cum MARIA est, ipse est Dominus opulentissimus propiciatè, ut testatur Propheta: Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum, et qui habitant in eo. Domini certè est non solum terra et plenitudo ejus, immò etiàm cœlum et plenitudo ejus. Domini hujus omnia sunt propria, cœlum, terra, corporalia, et spiritualia, omnis gratia, omnis natura, omnis cœlestis gloria, omnia sunt Domini propria. Dominus ergò hic ditissimus est. Hinc dicit Apostolus: Idem Dominus omnium dives in omnes qui invocant illum. Tu. ℣.

Bened. Cujus divitias.

LECTIO 8.

Ecce MARIA, quantus Dominus est, quàm opulentissimus Dominus est, qui tecum est. Et quia Dominus opulentissimus opulentissimè est tecum, ideò tu es opulentissima, sive ditissima secum, ita ut verè tibi dici possit illud Proverbiorum: multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Filia Agnes, filia Lucia, filia Cecilia, filia Agatha, filia Catharina, et multæ aliæ filiæ et multæ aliæ virgines sanctæ, multæ animæ justæ congregaverunt divitias virtutum et gratiarum, divitias meritorum et præmiorum, sed tu MARIA universis divitiis supergressa es excellentissimè universas. Tu. ℣.

LECTIO 9.

O quàm dives est MARIA in gloriâ, quæ tam dives fuit in miseriâ! O quàm dives est in cœlo, quæ tam dives fuit in mundo! O quàm dives est in animâ suâ, quæ tàm dives fuit in carne suâ, ut etiàm Beatus Bernardus exclamans dicat: O dives in omnes et super omnes MARIA, de cujus substantiâ modica pars assumpta totius mundi sufficit solvere delicta. Dominus ergò tecum, ò MARIA opulentissima. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino.

Conc. V. in fest. Annunt.

499. Multitudinem Divitiarum spiritualium et gloriæ quas Deus posuit in Virgine, intellectus humanus nequit apprehendere. Abyssus enim profunda est Virgo, et mysteriorum et virtutum. Tu.

Cum II. Vesp.

DIE XXIX. APR.

D. V. RACCUHENSIS.

Semiduplex.

Lect. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Octav. Cajetan de effig. Siculis.

Templum est Raccuiæ in Siciliâ sub titulo Sanctissimæ Virginis Annuntiatæ circa annum millesimum quadringentesimum ædificatum, cui aliquot adjuncta cubicula, ubi à Beatæ Virginis piis colentibus peregrini excipi, et ægroti curari solent. Verum anno millesimo quingentesimo quinquagesimo admirando fuit Beatæ Virginis Annuntiatæ simulacro marmoreo nobilitatum, quod iis sub quorum tutela templum illud erat, pietate ac fervore commoti coemerunt. Post viginti et tres autem annos, mirum fuit, quod in ipso Virginis simulacro obtigit: quâdam enim die Aprilis mense ante meridiem exsudare Virginis effigies mirum in modum

cœpit, ita ut universus populus illùc accurrit lacrymis, precibusque divinam opem implorans, et ipsius Deiparæ pacem enixiùs exposcens. Tu. ℟.

LECTIO 5.

A procuratoribus templi autem statim Archipresbyter evocatus, campanas omnes pulsavit, sacrumque sudorem, in purum Calicem collegit summâ cum reverentiâ, inter quos nonnulli, qui viderunt, sanguinem fuisse testantur. Tam admirabili visu omnium commoti animi, è quibus vir pius apprimè Virginis cultor Blascus Natali cum adesset ad tantum miraculum, clarâ voce Virginem precatus promittit, si ab omni infortunio omnes liberasset Sanctissima Virgo, brevi advocaturum fratres minores Sancti Francisci, ibique cœnobium, templumque curaturum, ut construatur. Illicò etiàm coronam argenteam pretioso lapide ornatam almæ Virginis simulacro ornavit. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Convenerunt illùc etiàm, ut Virginem venerarentur omnes illius loci confraternitates, quâ in re mirùm etiàm obtigit, nam crucifixi Sanctissimâ Imago, quam Confraternitas Sancti Sebastiani de more præferebat, ad conspectum sudantis Matris, statim et ipse sudore cœpit madere, inspectantibus populo, Cleroque cum Archipresbytero, qui sacratum sudorem collegit, et in eodem calice cum materno reposuit. Accolæ etiàm omnes ad tantærei famam et privatis, et publicis supplicationibus accessere ad adorandum Deiparam. Stetit deindè promissis Blascus, et sequenti anno Fratres minores accersivit. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 34.

In illo tempore: Dixit Simeon ad MARIAM Matrem JESU: Ecce positus est hic in ruinam, et resurrectionem multorum in Israel. Et reliqua.

Homilia S. Timothæi Presbyteri Jerosolymitani.

Orat. de prop. Simeon.

Hinc accidit, ut nonnulli putarent Matrem Domini gladio interfectam, atque cruentâ morte affectam, qualem Martyres vitæ exitum habuisse. Propterea quod dixit Simeon: Quin tuam quoquè ipsius animam penetrabit gladius, sed non ita se res habet. Ensis enim à fabro excusus, corpus dividit, animam non disecat. Undè etiàm supra omnes inculpata, et omnibus modis Sancta Virgo per illum, qui domicilium habuit in eâ, qui eam in supera loca assumptam traduxit, usque adhuc immortalis est. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Quid igitur vult dicere Simeon ad Virginem: quin tuam quoquè ipsius animam penetrabit gladius, ut detegentur ex multis cordibus cogitationes. Gladium hoc loco, qui animam transeat, Simeon dolorem Virginis dixit, quem latura erat: quippe quæ putaret, se amisisse eum, qui veneral, ut quæreret eos, qui pericrant. (*Lect. 9.*) Quòd autem dolor animam Virginis invaserit, ratè se amisisse eum, qui ipsius, id est, Virginis Filius appellabatur, audiebas modo dicentem Evangelistam: et cum annos duodecim natus esset JESUS. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Betharamo.

Ex monumentis.

In oppido Lestrella in montibus Pireneis, Sacellum est Beatæ Virginis sacrum, miraculis percelebre,

eo in loco situm, ubi ejus Sanctissima Imago à quibusdam pastoribus fuit inventa pluribus abhinc sæculis. Bis hoc Sacellum fuit omnicò vastatum: nam decimo sexto sæculo hæretici illud ferro et igne destruxère, et cum iterùm esset reædificatum, in gallicanis revolutionibus in fine præteriti sæculi fuit quoquè secundâ pro vice destructum. Miraculosæ Imaginis, quæ ad Hispaniam in primâ vastatione deducta ruinam effugit, loco, aliam Archiepiscopus Auxitanus, Leonardus de Trappis, anno millesimo sexcentesimo decimo sexto, solemni pompâ deposuit, quæ hoc ultimo tempore, cum initio hujus sæculi Sacellum antiquo cultui fuerit restitutum, ingenti fidelium veneratione frequentatur. Tu.

Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXX. APR.

JUSTITIÆ B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Præsta quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui in nostris operibus fiduciam non habemus, dum Sanctissimæ Genitricis tuæ celebramus Justitiam, æternæ mereamus præmia vitæ. Qui vivis.

Lect. 1. Noct. fer. occurr.

℟. 1. Quia induit me Dominus indumento justitiæ, * Ego in justitiâ apparebo coram Domino. ℣. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.—Ego.

℟. 2. Ego in viis justitiæ ambulo, * Ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. ℣. Ambulate per vias justitiæ, et sequimini me, quia direxit Deus gressus meos.—Ut di em.

℟. 3. Servans semitas justitiæ, et vias meas custodiens, * Tunc intelliges justitiam, et judicium, et æquitatem, et omnem semitam bonam. ℣. Qui operatur justitiam, habitabit in tabernaculo Dei.—Tunc.—Gloria.—Tunc.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni, Ep. *Quæst. super Missus. q.* 5.

LECTIO 4.

Duæ sunt partes justitiæ, scilicèt declinare à malo, et facere bonum. Sed utrumque istorum habuit beatissima Virgo super omnes puros viatores: ergo justitiam habuit super viatores. Quòd autem beatissima Virgo declinationem à malo habuit excellentiùs omnibus viatoribus, patet ex hoc, quòd sola ipsa viatrix fuit, quæ nunquàm peccavit. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Undè Augustinus: exceptâ hâc Virgine, de quâ propter honorem Domini, cum de peccatis agitur, nullam volo habere quæstionem: sed si omnes sancti, et sanctæ convenirent et dicerent, quòd peccatum non habemus, quid responderemus eis, nisi quod dicit Sanctus Joannes: si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipsi decipimus, et veritas in nobis non est? Tu. ℟.

LECTIO 6.

Excellit etiàm omnes in operatione boni: in eo enim quod Deum genuit, qui omnia regeneravit, tantum effectum boni protulit de se, quòd nullius puræ creaturæ effectus illi in dignitate vel utilitate poterit coæquari. Itèm opera misericordiæ, quæ fiunt ex compassione, et relevatione miseriæ, et propter hoc dicitur misericordiæ opera: sed sunt opera justitiæ, ad quæ omnes tenentur, ut patet in discussione ultimâ: Esurivi, et non dedisti mihi

manducare: ubi fit disceptatio, et adjudicatio damnatorum per hujusmodi operum omissionem. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 28.

In illo tempore: Ingressus Angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratiâ plena: Dominus tecum. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventuræ Ep.

Spec. B. V. c. 9.

Attendite, carissimi, quòd Dominus noster specialis, qui est cum MARIA, ipse est Dominus justissimus æquitate, sicut benè de Domino isto in Psalmis dicitur: Justus Dominus et justitias dilexit... Ecce MARIA, qualis Dominus est, quàm justissimus Dominus est, qui tecum est. Et quia Dominus justissimus est tecum, ideò et tu es justissima secum.

Bened. Cujus Justitiam.

LECTIO 8.

Tu enim es Virga Aaron recta, florida et fructifera. Recta, immò rectissima per justitiam et æquitatem. Florida per Virginitatem. Fructifera per fœcundilatem. (*Lect.* 9.) Quæ enim esset Virga recta, si non virga Aaron esset recta? Quæ anima esset justa, si non MARIA esset justa? Hoc est quod Bernardus dicit: Quis justus, si non MARIA justa, de quâ ortus est sol justitiæ? Dominus ergò tecum, ô MARIA justissima. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Sancto Joanne Damasceno.

Spinelli.

Cum Sanctus Joannes Damascenus, exortâ Iconomachorum hæresi, eam acerrimè confutasset, Leonis Isauri Imperatoris Constantinopolitani in eum odium usque adeò concitavit, ut cum ei in Sarracenorum ditione degenti, apertâ vi nocere nequiquàm posset, efflctam Epistolam ad Sarracenum principem misit Isaurus, quâ ad occupandum Damascum ab ipso Joanne invitabatur. Sarracenus acceptam Epistolam Joanni ostendit, qui cum illam fecisse negassel, dexteram illicò amputari jubet, et in foro suspendi. Joannes maximè dolens ad Dei Genitricem confugit, et ante ejus imaginem provolutus enixè deprecatus est: At postquàm aliquantulum obdormissel, experrectus excisam manum sanatam conspexit, manente quâdam lineâ, ut verissima excisio ostenderetur. Imago autem ante quam Joannes Deiparam oravit, Venetias delata in templo Pacis religiosè asservatur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bernardo Abbate.

Serm. 9. *ex parvis.*

500. Justitiæ præfert insigne *Deipara*, ubi se ancillam Domini confitetur. Nam quòd justorum sit confesio, testatur qui ait: Veruntamen justi confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo. Tu.

Vesperæ à Capit. sequentis.

FESTA MAJI.

DIE I.

CONVERSATIO B. V. CUM FILIO RESURR.

Duplex.

Omnia de Comm. temp. paschali.

Lect. 1. *Noct. fer. occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Hildephonsi Arch. Toletani.

Serm. 5. *in assumpt. B. V.*

LECTIO 4.

Si enim scire volumus quid Dei Genitrix post Resurrectionem Domini, antequàm ipse cœlos ascenderet, agebat, sine dubio loca Dominicæ Nativitatis, Passionis, sepulturæ et resurrectionis frequentèr circumiens invisere cupiebat. In eisdem etiàm locis lacrymas fundebat, et sanctissimi oris sui oscula dulcissima imprimebat. Deindè ad notum sibi refugium, apostolicum videlicet contubernium, post intuitum dominicorum locorum, cum gaudio remeabat. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Apostolorum conventui nobili contubernio sempèr adhærebat sanctissima Virgo: cum illis sempèr habitabat, seseque Dominicis conspectibus frequentèr præsentari gaudebat. Eam verò optimam partem, quam Soror Marthæ Maria in specie et figurâ gerebat, Deigenitrix reverâ firmissimè retinebat, et cum apostolis de humanis Christi actibus, ut verius ac specialius conferebat, ut ab eâ discerent, qualiter arcanum tanti mysterii et ipsi crederent, et lucidiùs aliis enarrarent, et cum oportunum fuerit, sine omni ambiguitate scriptis mundo transmitterent. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Sermo S. Hieronymi Presbyteri.

Serm. de Assumpt. inter ejus opera.

Quamvis jam in Spiritu essel, tamèn dum in carne vixit, carnalibus movebatur sensibus, et ideò quàm sæpè locorum recreabatur amplexibus. Forlassè ergò præ nimio amore in loco, quo sepultus Deus dicitur, interdùm habitasse eam credimus, qualenùs piis pasceretur internus amor obtutibus. Sic namque locus medius est, hinc indè constitutus, ut adire posset ejus Ascensionis vestigia, et locum sepulturæ et resurrectionis, ac omnia in quibus passus est, loca invisere: non quòd jam viventem quæreret cum mortuis, sed ut suis consolaretur aspectibus. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 20. 1.

In illo tempore: Una sabbati Maria Magdalene venit manè, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, et vidit lapidem sublatum à monumento. Et reliqua.

Homilia V. Ruperti Abbatis.

De divinis Offic. 1. 7. *c.* 25.

Verissimè ergò Matri Filius resurgens apparuit; sed illa, ut ab initio cœperat, ita et nunc conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Quod si idcircò verum non videtur, quia nullus Evangelistarum hoc scriptis attestatur, consequens est, quòd nunquàm post Resurrectionem suam visus sit Matri, quia quandò, vel ubi illi apparuerit, nullus eorum nominatim edixit. Sed absit hoc ab illo, qui in lege suâ Patrem et Matrem honorare præcepit. Absit, inquàm, ut Matrem propter se doloris gladio transverberatam tam durâ negligentiâ Filius inhonoraverit. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Non sic Apostolicæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sensit veritas, quæ hanc beatam Jerusalem in principio lætitiæ suæ proposuit, Si enim omnis anima timens Dominum, sic benedicitur, ut videat, bona Jerusalem, et videat filios filiorum suorum, pacem super Israel. Et ideò dicitur, et est quoquè ipsa Jerusalem, quod est visio pacis: quantò magis ista lèr qualèrque beata Virgo dicenda est Jerusalem, quæ benedicta inter omnes mulieres vidit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

manducare: ubi fit disceptatio, et adjudicatio damnatorum per hujusmodi operum omissionem. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 28.

In illo tempore: Ingressus Angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratiâ plena: Dominus tecum. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventuræ Ep.

Spec. B. V. c. 9.

Attendite, carissimi, quòd Dominus noster specialis, qui est cum MARIA, ipse est Dominus justissimus æquitate, sicut benè de Domino isto in Psalmis dicitur: Justus Dominus et justitias dilexit... Ecce MARIA, qualis Dominus est, quàm justissimus Dominus est, qui tecum est. Et quia Dominus justissimus est tecum, ideò et tu es justissima secum.

Bened. Cujus Justitiam.

LECTIO 8.

Tu enim es Virga Aaron recta, florida et fructifera. Recta, immò rectissima per justitiam et æquitatem. Florida per Virginitatem. Fructifera per fœcundilatem. (*Lect.* 9.) Quæ enim esset Virga recta, si non virga Aaron esset recta? Quæ anima esset justa, si non MARIA esset justa? Hoc est quod Bernardus dicit: Quis justus, si non MARIA justa, de quâ ortus est sol justitiæ? Dominus ergò tecum, ô MARIA justissima. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Sancto Joanne Damasceno.

Spinelli.

Cum Sanctus Joannes Damascenus, exortâ Iconomachorum hæresi, eam acerrimè confutasset, Leonis Isauri Imperatoris Constantinopolitani in eum odium usque adeò concitavit, ut cum ei in Sarracenorum ditione degenti, apertâ vi nocere nequiquàm posset, efflctam Epistolam ad Sarracenum principem misit Isaurus, quâ ad occupandum Damascum ab ipso Joanne invitabatur. Sarracenus acceptam Epistolam Joanni ostendit, qui cum illam fecisse negassel, dexteram illicò amputari jubet, et in foro suspendi. Joannes maximè dolens ad Dei Genitricem confugit, et ante ejus imaginem provolutus enixè deprecatus est: At postquàm aliquantulum obdormissel, experrectus excisam manum sanatam conspexit, manente quâdam lineâ, ut verissima excisio ostenderetur. Imago autem ante quam Joannes Deiparam oravit, Venetias delata in templo Pacis religiosè asservatur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bernardo Abbate.

Serm. 9. *ex parvis.*

500. Justitiæ præfert insigne *Deipara*, ubi se ancillam Domini confitetur. Nam quòd justorum sit confesio, testatur qui ait: Veruntamen justi confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo. Tu.

Vesperæ à Capit. sequentis.

FESTA MAJI.

DIE I.

CONVERSATIO B. V. CUM FILIO RESURR.

Duplex.

Omnia de Comm. temp. paschali.

Lect. 1. *Noct. fer. occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Hildephonsi Arch. Toletani.

Serm. 5. *in assumpt. B. V.*

LECTIO 4.

Si enim scire volumus quid Dei Genitrix post Resurrectionem Domini, antequàm ipse cœlos ascenderet, agebat, sine dubio loca Dominicæ Nativitatis, Passionis, sepulturæ et resurrectionis frequentèr circumiens invisere cupiebat. In eisdem etiàm locis lacrymas fundebat, et sanctissimi oris sui oscula dulcissima imprimebat. Deindè ad notum sibi refugium, apostolicum videlicet contubernium, post intuitum dominicorum locorum, cum gaudio remeabat. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Apostolorum conventui nobili contubernio sempèr adhærebat sanctissima Virgo: cum illis sempèr habitabat, seseque Dominicis conspectibus frequentèr præsentari gaudebat. Eam verò optimam partem, quam Soror Marthæ Maria in specie et figurâ gerebat, Deigenitrix reverâ firmissimè retinebat, et cum apostolis de humanis Christi actibus, ut verius ac specialius conferebat, ut ab eâ discerent, qualiter arcanum tanti mysterii et ipsi crederent, et lucidiùs aliis enarrarent, et cum oportunum fuerit, sine omni ambiguitate scriptis mundo transmitterent. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Sermo S. Hieronymi Presbyteri.

Serm. de Assumpt. inter ejus opera.

Quamvis jam in Spiritu essel, tamèn dum in carne vixit, carnalibus movebatur sensibus, et ideò quàm sæpè locorum recreabatur amplexibus. Forlassè ergò præ nimio amore in loco, quo sepultus Deus dicitur, interdùm habitasse eam credimus, qualenùs piis pasceretur internus amor obtutibus. Sic namque locus medius est, hinc indè constitutus, ut adire posset ejus Ascensionis vestigia, et locum sepulturæ et resurrectionis, ac omnia in quibus passus est, loca invisere: non quòd jam viventem quæreret cum mortuis, sed ut suis consolaretur aspectibus. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 20. 1.

In illo tempore: Una sabbati Maria Magdalene venit manè, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, et vidit lapidem sublatum à monumento. Et reliqua.

Homilia V. Ruperti Abbatis.

De divinis Offic. 1. 7. *c.* 25.

Verissimè ergò Matri Filius resurgens apparuit; sed illa, ut ab initio cœperat, ita et nunc conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Quod si idcircò verum non videtur, quia nullus Evangelistarum hoc scriptis attestatur, consequens est, quòd nunquàm post Resurrectionem suam visus sit Matri, quia quandò, vel ubi illi apparuerit, nullus eorum nominatim edixit. Sed absit hoc ab illo, qui in lege suâ Patrem et Matrem honorare præcepit. Absit, inquàm, ut Matrem propter se doloris gladio transverberatam tam durâ negligentiâ Filius inhonoraverit. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Non sic Apostolicæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sensit veritas, quæ hanc beatam Jerusalem in principio lætitiæ suæ proposuit, Si enim omnis anima timens Dominum, sic benedicitur, ut videat, bona Jerusalem, et videat filios filiorum suorum, pacem super Israel. Et ideò dicitur, et est quoquè ipsa Jerusalem, quod est visio pacis: quantò magis ista lèr qualèrque beata Virgo dicenda est Jerusalem, quæ benedicta inter omnes mulieres vidit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Filium suum, pacem super omnem verum Israel, scilicet Christum, de quo ait Apostolus: ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Ipsa præ omnibus, ipsa ante omnes vidit hanc nostram pacem, ipsa est Jerusalem pulchra, electa, suavis et formosa, quam viderunt filiæ Sion et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt. Dum ergò hanc hodiernâ statione sancta Romana Ecclesia in principio lætitiæ suæ, ut dictum est, proposuit, non hoc æstimavit, quod pacem super Israel venientem, id est, Filium suum propter justificationem nostram resurgentem ipsa non viderit. Te Matrem.

Cum 2. Vesper.

DIE II. MAJI.

D. V. ILLITURGENSIS DE CAPITE.

Simplex.

LECTIO 1.

Gumpenb. Atlas mar. Imag. 160. Illiturgi, in vertice montis ad septentrionem siti, templum Deiparæ est, loca Bœticæ celeberrimum, quod de Caboza, seu Capite montis, in quo stat nomen habet. Sancta statua cubito major non est, cujus origo Pastori debetur, qui tintinnabuli sono insolito ad arbonem deductus est, in quâ unâ cum ipso tintinnabulo hanc Deiparæ statuam invenit. Jussus est à Deiparâ ipsâ pastor monere cives, ut templum extruerent: paruere illi servato in rei memoriam tintinnabulo, quod, migrante sanctâ Statuâ, simùl asportari sempèr solet. Tu. ℣. *de ferid.*

LECTIO 2.

Plurima in hujus Imaginis historiâ inveniuntur, quæ raritate suâ mullas alias superant. Valdè enim est, campanam in loco cum Imagine invenire: rarum quoquè est, quod civitas ulla, nec oppidum sit toto in regno Bœtico, in quo non sit confraternitas huic sanctæ Imagini dedicata: hoc non magnum modò, sed universalem totius regni affectum arguit: illud tandem, non quidem rarum, sed inauditum, quod primi quique etiàm nobiles certatim advolent, eumque humeris impositam nudis pedibus deportent per montes, per valles, certentque quis longiùs. Hoc nempe est ire ad cœlum. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Commem. B. V. Cestochoviensis.

Spinelli p. 248.

In Poloniæ regno in Monteclaro, Cestochovia dicto, Imago Deiparæ magno fidelium concursu religiosissimè colitur. Fuit hæc sanctissima Imago à Sancto Lucâ depicta, et ab Helenâ Augustâ Jerosolimis Constantinopolim translata, quam Nicephorus Imperator Carolo Magno, is autem Leoni Rusiæ Principi dedit. Tandèm Rusia in Provinciam Poloniæ redacta Vladislaus Opoliensis Dux, anno millesimo trecentesimo octogesimo secundo, eam in Montem clarum, transtulit. Cicatrices autem, quæ in ejus facie cernuntur ab Hussitis et Tartaris fuerunt inflictæ, et nullis unquam obduci coloribus potuerunt. Multa hujus Virginis interventu miracula eduntur: inter alia septem mortui sunt ad vitam revocati, multi energumeni liberati, cæci, moribundi, naufragantes, captivi, variisque morbis affecti, divinam opem senserunt, et in dies multi varia divinitùs auxilia experiuntur. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE III. MAJI.

MANSUETUDINIS B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui Mansuetudinem Sanctissimæ Genitricis tuæ veneramus, ipsam imitantes, miles simus et humiles corde, ut terram viventium possidere possimus. Qui vivis et.

AD MATUTIN.

HIMNUS 252 *J. Commirii.*

Virgo te monstra precibus parentem:
Editus nobis tuus ille vocem
Matris agnoscet, neque vota surdâ
Respuet aure.
Dote si Numen tibi singulari
Virgines inter dedit esse Mitem,
Solve nos vinclis scelerum, tuisque
Dotibus orna.
Virgo da puram sine labe vitam,
Tramitem tuum superas ad ædes
Pande, ubi mentes oculique JESU
Gaudia libent.
Patris ac Nati recinendo laudes,
Mutuum linguæ celebrent amorem:
Omnis et mundo plaga tres in uno
Numine adoret. Amen.

Lectio 1. Noct. de Fecid.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni Ep. *Super missus quæst.* 89.

LECTIO 4.

Est mansuetudo secundùm Glossam tractabilitas: tractabilis autem est, qui habet bonos mores: boni autem mores sunt per virtutes: Beatissima autem Virgo habuit virtutes in summo: ergo tractabilis fuit in summo. Item tractabilis est, qui est omnibus conformis, et conformabilis. Tractabilis igitur est omnibus omnia. Istud autèm potest esse duobus modis, vel genera singula singulorum, sicut Paulus, qui effectus est Judæis Judæus, vel secundùm singula generum, et ille est simpliciter omnia omnibus: et hoc fuit beatissima Virgo: ergò beatissima Virgo fuit tractabilis in summo. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Item argui potest ex eo quod Ecclesia interpretatur eam diversis statibus, et propietatibus assimilando, dicens: ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. Item: in me omnis gratia vitæ et veritatis. Item: quasi cedrus exaltata sum in Libano. Ex quibus omnibus argui potest, quòd ipsa est omnibus conformabilis, et ideò omnibus summè tractabilis. Item Paulus fuit omnia in omnibus secundùm assimilationem: beatissima autèm Virgo secundùm veritatem. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Item Paulus diversis hominibus et statibus se pro tempore et loco conformavit secundùm similitudinem et consuetudinem, et condescensionem: Beatissima autèm Virgo simùl et sempèr diversis temporibus, et etiàm oppositis se conformavit secundùm rem et veritatem rei simùl. Etenim secundùm rem et matribus se conformavit, et viduis et hominibus et angelis: et ideò fuit improportionabiliter tractabilis. Item Jacobi primo capite dicitur: In mansuetudine suscipe insitum Verbum. Glossa: cum mansuetudine contra iram. Qui minùs habet de irâ, magis habet de mansuetudine: beatissima autèm Virgo minùs habuit de irâ, immò omninò caruit irâ: ergò habuit mansuetudinem in summo. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 45.

In illo tempore: Factum est post

tridùum, invenerunt JESUM Parentes ejus in templo. Et reliqua.

Homilia S. Dionysii Alexandrini. *Resp. ad Quæst. VIII. cont. Paul. Samosat.*

Et requirebant eum inter cognatos, et notos. Scriptum est: In die tribulationis meæ Deum exquisivi: manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus. Deipara quidem reversa est, ut quæreret Dominum suum, et Deum factum Filium suum. Ipsa quidem pedibus circuibat quærens non absentem, sicut ipse Dominus docet, cum ait: In iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse. Tu. ℣.

Benedict. Cujus Mansuetudidem.

LECTIO 8.

Rursùs dictum fuit per Prophetam, quærendum esse Dominum cum clamore. Ait enim Mater Domini mei Deo meo: Dolebamus quærentes te. Scriptum est enim in Oseâ Prophetâ: In Spiritu Sancto clamaverunt, inquit, et rogavernnt me, et illic locutus sum eis. Dominus autem Deus Omnipotens erit memoriale ipsorum. (*Lect.* 9.) Vides ubi inventus est, qui quærebatur cum clamore? Illic locutus est eis Dominus dicens: Quærebatis me; nesciebatis, quòd in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? In domo repererunt me, ait per Prophetam. In Evangelio autem dicit: in iis quæ Patris mei sunt, oportet me esse. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Bonâ Liberatione.

Pouget de Imagnib. Deip.

Lutetiæ Parisiorum colitur in Ecclesiâ Congregationis Sancti Thomæ de Villanovâ quædam Beatæ Virginis Icon, quæ priùs in Sancti Stephani templo plurimis sæculis cultum acceperat sub titulo Bonæliberationis, eò quod ad eam Sanctus Franciscus Salesius terribili desperationis tentamine oppressus confugiens, statim liber evasit. Hæc imago in Gallicanis furoribus vendita, à piâ muliere, ut ab excidio eriperetur, empta fuit, quæ eam, Pio septimo approbante, munere dedit Sacello divi Thomæ, ubi et nunc ingenti cultu à Parisiensibus afficitur. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 253. *G. Madalenet.*

Regina cœtus virginei, unicè
Mansueta, culpas elue, et invicem
Præsta benignos obsequentes,
Moribus et niveos pudicis.

Fac, Diva, puri labis eant dies,
Rectaque gressus dirige, quo tuæ
Nos prolis aspectu fruique
Sydereâ mereamur aulâ.

Æterna summo gloria sit Patri,
Natoque, necnon Spiritui Deo,
Numenque tres unum futuris
Posteritas colat usque sæclis.
Amen.

CANON.

Ex D. Bernardo Abbate.

In Sign. magn.

501. Revolve diligenter Evangelicæ Historiæ seriem universam, et si quid fortè increpaturum, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in MARIA, de cætero suspectam habeas, et accedere verearis. Tu.

Cum 2. Vesperis.

DIE IV. MAJ.

B. M. V. DE LUMINEUS.

Semiduplex.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Gumpenb. Imag. 180.

Miraculosissimæ Imagini de Lumi-

nibus apud Sanseverinates in Italiâ primum cultum dederunt Angeli. Luca Serratorius honestus vir anno millesimo quingentesimo sexagesimo suprà portam domûs suæ Beatæ Virginis Imaginem locavit. Viginti quatuor annos ipsa omnibus aeris injuriis exposita stetit illibata; sed nullo cæterà vel cultu, vel miraculo insignis. Anno verò millesimo quingentesimo octogesimo quarto, die decimâ sextâ Januarii visa lumina sunt circa Imaginem è cœlo delapsa, nunc radii nunc facis figuram referentia. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Res altero mane per urbem Deiparæ devotam à civibus sparsa coegit populum ad venerationem et preces. Indè non modò urbici, sed etiàm accolæ advolarunt. Nec defuere miracula, quæ Virgo petentibus dedit, omnem vel vanitatem, vel suspicionem superantia. At verò incredulæ posteritati consulturus Lucas Tardoli Illustrissimi Episcopi Vicarius, ad juris normam eos examinavit, qui conspectorum luminum testes se obtulere. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Undè firmata egregiè veritas est testibus omnium ordinum permultis, et exceptioni omni majoribus, qui conspecta à se lumina, nunc è cœlo, nunc è lauretanâ orâ ad Imaginem properantia, asserebant. Nec minùs feliciter successit in perpetrata miracula inquisitio, quorum et numerus et illic loci raritas momentum sanè maximum addunt; si quispiam fortè homo Philosophus conspectorum luminum splendorem inter phœnomena aeris numerare velit. Tu. ℣.

Homilia. O Virgo Sancta. *Ut in die 26. Januar. p. 370. cum ℣ℜ. de hoc tempore.*

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Modicensis.

Octav. Cajet. de effigieb. sicul.

Anno salutis millesimo sexcentesimo decimo quinto, quarto nonas Maji inventa fuit Icon Sanctissimæ Deiparæ supra collem ab oppido Modica parùm distantem ante solis ortum. Statim inventæ Sanctæ Imaginis universum oppidum fama pervasit, exciæ gentes concurrunt, et collem alacres conscendunt. Sed auxit accensam jam in omnium pectoribus pietatem cujusdam puellæ Beatricis resurrectio, quæ per casum morina, ejus matre Deiparam deprecante, ad vitam incolumis rediit. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE V. MAJI.

GAUDIORUM B. MARIÆ V.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiph. et capit. de laudibus.

HYMNUS 254. *Parn. Virgin.*

Gaude, Virgo Mater Christi,
Quæ per aurem concepisti,
Gabriele nuntio.

Gaude, quia Deo plena,
Peperisti sine pœnâ
Cum pudoris lilio.

Gaude, quia Magi dona
Tuo Nato fuerunt bona,
Quem tenes in gremio.

Gaude, quia juxta legem
Obtulisti mundi Regem
In templi sacrario.

Gaude, quia tui Nati,
Quem dolebas mortem pati,
Fulget resurrectio.

Gaude Christo ascendente,
Qui in cœlos, te vidente,
Motu fertur proprio.

Gaude Virgo, quia emisit
Paracletum quem promisit
Sanctorum collegio.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
FACULTAD DE TEOLOGÍA
BIBLIOTECA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Gaude, quæ post ipsum scandis,
Et est honor tibi grandis
In cæli palatio.

℣. In Domino gaudebo, alleluia.

℟. Et exultabo in JESU, filio meo, alleluia.

Ad Magnif. ant. Secundùm multitudinem dolorum meorum consolationes Dei lætificaverunt animam meam, alleluia, allel.

Oratio de Laudib.

AD MATUTIN.

Invitator. Gaudia Beatissimæ Virginis MARIÆ recolentes: * Christum ejus Filium adoremus Dominum, alleluia, allel.

HYMNUS 253. *S. Thom. Cant.*

Gaude flore virginali,
Quæ honore speciali
Transcendis splendiferum
Angelorum Principatum,
Et sanctorum decoratum
Dignitate numerum.

Gaude, Sponsa clara Dei,
Nam ut clara lux diei
Solis datur lumine;
Sic in facis orbem verè
Tuæ faciei resplendere
Lucis claritudine.

Gaude, splendens vas virtutum,
Cujus pendens est ad nutum
Tota cœli curia:
Te benignam et felicem
JESU dignam Genitricem
Venerans in gloriâ. Amen.

IN I. NOCT.

Lect. 1. *Noct. de Comm.*

℟. 1. Missus est Angelus ad MARIAM Virginem, ut nuntiaret ei Incarnationis Mysterium, et dixit: * Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum, alleluia, allel. ℣. Gaude Virgo, Mater Christi, quæ per aurem concepisti, Gabriele nuntio.—Ecce.

℟. 2. Impletum est tempus pariendi, Et peperit MARIA Filium, * Deum pariter et hominem, alleluia, allel. ℣. Gaude, quia Deo plena, peperisti sine pœnâ cum pudoris lilio.—Deum.

℟. 3. Intrantes Magi domum invenerunt Puerum cum MARIA Matre ejus: * Adoraverunt eum, et obtulerunt illi aurum, thus, et myrrham, alleluia, allel. ℣. Gaude, quia Magi dona tuo Nato fuerunt bona, quem tenes in gremio. —Adoraver.—Gloria.—Adoraver.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Bading. Kalend. mar. 29. *Decemb.*

Divo Thomæ Cantuariensi Episcopo familiare fuit dies singulos iteratâ septiès salutatione angelicâ Virginem colere in honorem septem gaudiorum, quibus cum Filio in terris fuit delibuta. Sunt hæc: Annuntiatio, Visitatio, Natalitia Christi, trium regum adoratio, Inventio Filii, lætissima Resurrectio, in cœlos Ascensio. Virgo Mater se illi videndam fortè obtulit, et gratum, inquit, mi Thoma, obsequium tuum est. Sed quid tantùm meministi, eorum gaudiorum, quibus afficiebar in terris? Recole etiàm ea in posterum, quibus nunc fruor in cœlis: namque omnem tam hæc, quàm illa honorantem, in horâ exitûs solabor, exhilarabo, Filioque meo dilectissimo sistar. Tu.

℟. Impleto purgationis tempore Virgo MARIA puerum JESUM præsentavit in templo, * Et Simeon accepit eum in ulnas suas, alleluia, allel. ℣. Gaude, quia juxta legem obtulisti mundi Regem in templi sacrario.—Et Simeon.

LECTIO 5.

Mirè exultans Divus Thomas, et quânam, inquit, ratione, Domina mea suavissima, hoc præstare possim, cum quænam ea sint, penitùs ignorem? Septenâ, subintulit Virgo, salutatione etiàm hæc gaudia honorabis. Sunt porrò talia. Primò: Gaudeo, quia secundum Sanctissimam Trinitatem supra rem omnem purè creatam primos honores obtineo. Secundò quia intemeratæ Virginitatis aureolâ omnes angelorum ac Sanctorum ordines longè antecello. Tertiò, quia ingens lumen gloriæ meæ adinstar solis curiam cœli illustrat universam. Tu.

℟. Christus resurgens à mortuis, * Statim primò Matri suæ apparuit, alleluia, alleluia. ℣. Gaude, quia tui Nati, quem dolebas mortem pati, fulget resurrectio.—Statim.

LECTIO 6.

Quartò, quia omnes cœli indigenæ me ut Deiparam venerantur, et colunt. Quintò, quia à Filio nacta sum facultatem quidlibet impetrandi. Sextò, quia olim in terris mihi immensa collata fuit gratia, meisque clientibus jam in cœlo ingens gloria à Filio præparata est. Septimò quia gloria mea novis surgit incrementis ad diem usque extremum, et indè penetrabit in omnem æternitatem. Has laudes idem Sanctus Thomas in Rytmos redegit, qui in certis Ecclesiis loco sequentiarum decantantur. Tu.

℟. Videntibus illis, JESUS elevatus est: Nubes suscepit eum ab oculis eorum, et ascendit in cœlum, allel., allel. ℣. Gaude Christo ascendente, qui in cœlos, te vidente, motu fertur propio.—Nubes.—Gloria.—Nubes.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundùm Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat JOSEPH. Et reliqua.

Homilia S. Andreæ Cretensis.

Orat. 2. *in Nat. B. V.*

Gaude, aveque gratiosa: gaude illustri splendore magnifica, per quam pulsis tenebris lumen vicissim inductum est. Gaude gratiosa, per quam cessavit lex et gratia illuxit. Gaude initium gaudii et maledictionis finis. Gaude verè gratiosa: Dominus tecum: illud virtute, hoc actu; nunc quidem tuum sibi uterum in hospitium aptans; tunc autem carnali ex te ratione magnum Incarnationis mysterium adamans. Tu.

℟. Erant omnes Apostoli perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et MARIA Matre ejus, * Et descendit super illos Spiritus Sanctus, allel., allel. ℣. Gaude Virgo, quia emisit Paracletum, quem promisit sanctorum collegio. —Et descendit.

Bened. Cujus Gaudia colimus.

LECTIO 8.

Gaude, quæ sola benedictionem, nempè Dominum sinu complexa es, ut primam pro aviâ maledictionem exueret. Gaude divinum virginitatis amplexa thesaurum, undè incorruptus prodiit partus, manserunt que nihilominus inviolatæ virginitatis divitiæ. Gaude casta Mater, ac Virgo lactans. Gaude diadema pulchritudinis, generis ac hominum Regina, regalibus undiquè magnificè decorata prærogativis. Gaude sacrum Christi delubrum, qui solus singulariter in Sanctis cœlorum secundum Ordinem Melchisedech Sacerdotio defunctus sit. Tu.

℟. Assumpta est MARIA in cœlum, * Gaudent Angeli, et laudantes benedicunt Dominum. ℣. Gau-

de, quæ post ipsum scandis, et est honor tibi grandis in cœli palatio. —Gaudent.—Gloria.—Gaudent.

LECTIO 9.

Gaude virga Aaron, radix Jesse, sceptrum David, regale indumentum, corona gratiarum, non scriptus virginitatis typus, sanctitatis bractea, rationale manifestationum. Salve legis ac gratiæ mediatrix, veteris novique Testamenti obsignatio, totius prophetiæ perfecta plenitudo, inspiratæ à Deo veritatis scripturarum achrosticis: Dei ac verbi animatus, ac mundissimus tomus, in quo sine voce ac scripto inscriptor ipse Deus ac Verbum quotidiè legitur. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

CAPITULUM. *Philipp.* 4. Fratres, gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete.

HYMNUS 256. *S. Thom. Cant.*

Gaude nexu voluntatis
Et amplexu charitatis
Juncta in altissimo:
Et ad votum consequaris
Quidquid Virgo deprecaris
A JESU dulcissimo.

Gaude, Mater miserorum,
Quia Pater sæculorum
Dabit te colentibus
Congruentem hic mercedem
Et felicis poli sedem
Regnis in cœlestibus.

Gaude, Virgo Mater Christi,
Tu quæ sola mernisti,
O Virgo purissima,
Esse tantæ dignitatis
Ut sis Sanctæ Trinitatis
Sessione proxima.

Gaude, Virgo Mater pura,
Certa manens et secura,
Quia tua gaudia
Non cessabunt, nec decrescent,
Sed durabunt et florescent
Per æterna sæcula. Amen.

℣. In Domino gaudebo, alleluia.
℟. Et exultabo in JESU Filio meo, alleluia.

Ad Benedict. *ant.* Gaude et lætare, Virgo MARIA, quia tu sola Mater Dei digna fuisti, et sedes ad dexteram Filii tui non cesans pro nobis exorare, alleluia, allel.

Oratio.

Perfunde, quæsumus, Domine, corda nostra celesti lætitiâ, ut qui sacrosancta gaudia Sanctissimæ Genitricis tuæ recolimus, per rerum mundanarum contemptum æternæ capiamus in cœlis gaudia vitæ. Qui vivis.

Ad Prim. Capit. de Laudibus.

CANON.

Ex Concilio Vaurensi.

An. 1368, *cap.* 127.—*Lab. col. concil. T.* 7. *col.* 1856.

502. Statuimus et ordinamus sub pœnâ excommunicationis, quòd singulis et continuis diebus Rectores et curati provinciarum nostrarum..... circa solis originem pulsent seu pulsare faciant unam campanam..... Et tunc omnibus et singulis qui..... ad honorem septem gaudiorum, quæ de Filio suo Beata Virgo habuit, septiès angelicâ salutatione, scilicet Ave Maria, eam devotè salutaverint, de injunctis pœnitentiis triginta dies misericorditèr relaxamus. Tu.

In 2. Vesp. Cap. et hymn. ut in primis.

Ad Magnif. *ant.* Gaudeamus omnes in Virgine MARIA omnia cœlestia ejus gaudia venerantes, ut ipsa intercedat pro nobis ad Dominum, alleluia, allel.

DIE VI. MAJ.

DEDIC. S. M. IN COSMEDIN.

Semiduplex.

Non prop. de Comm. Dedicationis. Lection. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Spinelli de festis et templ. Deip.

Sancta MARIA in Cosmedin, seu Schola græca, in Delubro ubi Etnicorum tempore erat ora, quæ vocabatur maxima, ad quam sontes ad veritatem jurejurando testandum adducebantur. Cum verò ejusmodi ora propè os cujusdam cloacæ sita esset, factum est, ut lapis ille perforatus, atque ori cloacæ superpositus, nostrâ ætate vulgò os veritatis appellaretur. Nomen verò Scholæ græcæ huic templo inditum videtur à proximo litterarum græcarum Gymnasio. Tu. ℟. Magnum hæreditatis.

LECTIO 5.

Sanctus Dionysius Papa circa annum ducentesimum sexagesimum domum suam, quæ eo in loco erat, in Ecclesiæ formam redegit, quæ à Deiparâ nomen accepit. Eam verò vetustate collapsam Stephanus tertius papa restituendam curavit, cum in Galliis desperatâ jam valetudine à Sancto Dionysio Areopagytâ incolumitatem anno septingentesimo decimo quarto esset consecutus. Tu. ℟. Verè Dominus.

LECTIO 6.

Tandèm eam ad Stephani obitum Paulus primus Pontifex ejusdem Stephani frater compluribus Sanctorum corporibus ibi reconditis, in honorem Sancti Dionysii Areopagitæ et sociorum perfecit, et consecravit. Mox Adrianus primus anno septingentesimo septuagesimo secundo illam mirificè exornavit, ut ab ædis ornatu dicta sit Sancta MARIA in Cosmedin. In ejusdem templi sacellum jussu Sancti Pii quinti Pontificis translata est Deiparæ Imago, quæ in cujusdam domûs pariete depicta multis clarebat miraculis. Deniquè inter antiquas Cardinalium Diaconias recenselur. Tu. ℟. In multitudine.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia D. Innocentii Papæ. *Inn.* 3. *Serm.* 1. *in assumpt. B. V.*

Castellum illud, quod intravit JESUS est Virgo MARIA, quandò Verbum caro factum est, et habitavit in nobis... Cum autem intrare sit de foris intùs accedere, quæri potest, et etiàm dubitatur, secundum quam naturam in istud castellum, id est, in uterum virginalem intravit. Non secundum divinam, cum ipse sine motu moveat universa, et totus sit semper ubique.. Sed non secundum humanam, cum Mater ejus MARIA non accepit exterius quidquam in uterum, sed concepit tantùm interiùs in utero. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Quid ergò dicemus? Quomodò ergò in castellum illud intravit?... Salvâ fidei majestate possumus respondere, quòd secundum Philosophos initium existendi, ingressus in substantiam appelletur: quæcumque res habet initium, habet pariter ingressum. (*Lect.* 9.) Ut dè cum Verbum Dei secundum humanitatem assumptam incœperit esse in utero Virginali, profectò secundum carnem intravit in illum, non deforis veniens, sed intùs assumens, juxta quem modum loquendi veritas ipsa testatur. Exivi à Patre, et veni in mundum: non quòd extra mundum accesserit, sed quòd intra mundum

processerit. Intravit ergò JESUS in quoddam castellum. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commem. B. V. de Aquilâ.

Lamuza Hist. arag. 1. 2. *c.* 34. Versùs annum millesimum quingentesimum vigesimum structum fuit Panizæ in Aragoniâ templum Divæ Virgini sub titulo de Aquilâ in monte ejusdem nominis, consilio cujusdam Eremitæ Montis-Serrati, qui Panizanos per decem et septem annos grandinis multiplicatâ pluviâ usque ad penuriam deductos, sic docuit placare Numinis iram. Vix, eo finito, supplicatione solemni Imaginem Deiparæ in eo collocarunt, et ipso in die beneficam pluviam de cælo accepère, et cum eâ naturalem feracitatem steriles siccitate agri, ita ut copiosissimas fruges eodem jam anno terra produxit. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE VIII. MAJ.

B. M. V. ODIGITRIÆ.

Duplex.

Lection. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Balingh. Kalend. mar. ante Majum

Festum Beatæ Virginis Odigitriæ, Constantinopoli quondàm, et modò etiàm, ubi aliquòd ei templum, vel Sacellum erectum est, ut Romæ, Neapoli, et alibi, præsertim in Siciliâ celebratur. Ejusmodi porrò festum habuisse videtur originem à quâdam Imagine Deiparæ à Divo Luca depictâ, quam Pulcheria Imperatrix in templo à se Constantinopoli excitato (cui nomen viæ ducum), collocaverat, cum fuso ejusdem Deiparæ, ac quibusdam Christi fasciis. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Insuper curavit, ut in templo isto, tertioque die Septimanæ pervigilium, et supplicatio peragerentur, quod ad hunc usque diem servatur, ait Nicephorus, qui florebat anno millesimo trecentesimo undecimo. Ad hoc quoquè templum et Imaginem Constantinopolitani suis in angustiis seu privatis, seu publicis confugiebant; nec frustrà, ut patet, ex Græcorum historiâ. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Hæc Imago ideò vocatur Odigitria, seu dedutrix, quia duobus cæcis apparuit Sancta MARIA, et deduxit eos ad suam Ecclesiam, et visum eis restituit. Hujus Imaginis exemplar simùl et cultus in Occidentis partes propagatus est, eique templum ac Sacella extructa, neque desunt varia ad eam miracula, ut appensæ tabellæ testantur. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 30.

In illo tempore: Ait ei Angelus: Ne timeas, MARIA, invenisti enim gratiam apud Deum. Et reliqua.

Homilia S. Titi Bostrorum Ep.

Exposit. in cap. 1. *Lucæ.*

Ne timeas MARIA. Quin verò vix fieri poterat, ut conturbata accuratè ad ea quæ Angelus dicturus erat, attenderet, quo ab omni animi commotione jam libera, divinum Sponsum sedatè excipiat, propterea Gabriel in ipso statim orationis vestibulo omnem illi metum adimit, dicens: Ne timeas, MARIA: invenisti enim gratiam apud Deum. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Quòd Angelus ait: invenisti gratiam apud Deum, hoc illi cum aliis multis commune erat, siquidem

multi alii ante ipsam, gratiam apud Deum invenerunt: at verò quod subjungit, nempè: ecce concipies in utero, et paries filium, est factæ promissionis proprium. *Lect.* 9. Dicit autem, quòd Dominum nostrum non aliundè quàm ex ipsomet Virginis utero, carnis nostræ substantiam suscepisse, planum faciat. Et vocabis nomen ejus JESUS: meritò JESUS appellatus est, qui salutis nostræ causâ in hunc mundum ingressus est. Quandoquidèm nomen hoc JESUS in græcam linguam translatum Dei salutem et sanitatem sonat. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemor. B. V. Pampelonensis de Viâ.

Gumpenb. 504.

Hæc Deiparæ Imago, quæ Sacellum habet in templo Sancti Saturnini, de Viâ nomen habet. Magnâ eam religione populus frequentat ob insigne miraculum, quo hùc deducta est. In ripâ Iberi amnis in opido Alfaro olim colebatur. Hinc ob insignem miraculorum famam pio furto à quibusdam sublata, ac Pampelonam allata est, sed repetentibus eam Alfarensibus injuriam conquestis, Regis Navarræ senatûs sententiâ Alfarum reducta est. Sed post paucos dies ad pristinam Divi Saturnini sedem, stipente populo Pampelonensi, rediit, Alfarensi populo ultrà repetere non auso. Pampelona beneficium agnoscit, et miris Statuam modis honorat: nec minùs Virgo in Pampelonenses est. Tu. Te Matrem.

Vesper. à Capit. sequentis.

DIE IX. MAJI.

TRANSLAT. DOMUS B. V. IN DALMATIAM.

Duplex.

Officium fit ut in die X. Decembr. p. 483. *præt. sequentia.*

Oratio.

Deus qui Beatæ MARIÆ Virginis Domum per Incarnati Verbi mysterium misericordiè consecrasti: concede, ut segregali à tabernaculis peccatorum, digni efficiamur habitatores domûs sanctæ tuæ. Per eumdem.

Lect. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Gononus. Chron. Deip. ad ann. 1292.

Anno millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, Deo dicata Domus, Incarnatione Dominicâ illustris, olim ab apostolis dedicata, et in formam templi redacta, è Syriâ paritèr cum religione dicessit, angelorum manibus è Nazareth in Dalmatiam, atque inter Tersactum et Flumen Deiparæ jussu sita est secundâ circiter noctis Vigiliâ. Ut primùm divinæ liberalitatis donum accolis lux ostendit, et si quid rei essent ignari, communi tandèm consensu statuunt illâ quidquid sit, profectò donum esse divinum; neque enim ædem illam repentè humo esse excitatam, sed aliundè Dei voluntate ac nutu utique adductam. Tu. ℣. O quoties.

LECTIO 5.

Celeritèr Tersactum et Flumen prodigiosi Scelli fama perlata, volentes ad visendum cupidinem, ægros ad spem valetudinis accendit. Alexander Antistes Tarjactensis, gravi implicitus morbo à familiaribus de divinâ illâ æde certior factus, cum vigente morbo deferri eò sine certo periculo vitæ nequiret, impensè Deiparæ opem imploravit, et votum vovit non magis salutis recuperandæ avidus, quàm cœlestis illius doni divinitùs cognoscendi. Nec in

casum missæ preces nam Beata Virgo nocte cœlo delapsa se illi obtulit, atque illam ædem ipsam esse sacram domum, ubi olim genita et fermè educata fuerat, significat, et in hujus veritatis signum protinùs Antisles sanatus fuit. Tu. ℣. Hæc est.

LECTIO 6.

Quia autem rei novitas hominum memoriam, et magnitudo superabat fidem, re cum Antistite communicatâ, placuit certos homines in Galilæam mittere totam rem intentiùs inspecturos. Quatuor igitur electæ et expertæ fidei Palestinam profecti, Nazarethum perveniunt. Ibi impensiùs inquirentes comperiunt ex incolis non tàm re quàm verbo, domum natalem beatæ Virginis, indè paulò ante sublatam, et ad locum domûs deductî, cernunt fundamenta, recentia sanctæ domûs avulsæ vestigia. Dimensi longitudinem et latitudinem areæ et fundamentorum crasitiem, reperiunt omnia cum translatæ in Dalmatiam ædis parietumque mensuris, quas ad id secum attulerunt, prorsus congruere, tempus quoque augusti sacelli illius ablati, avectique in Illiricum convenire. Ergò effusâ cum lætitiâ et gratulatione domum reversi exploratam veritatem renunciant. Tu. ℣. Hæc domus.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat JOSEPH. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In deprec. ad Glorios. Virgin.

Nec mirum, ò Domina, si tam copioso oleo misericordiæ tui cordis perfusum est solarium: cum illud inæstimabile opus misericordiæ quod prædestinavit Deus ante sæcula in redemptionem nostram, primùm in te à mundi Artifice sit fabricatum. Quandò enim placuit gratiæ supremæ ut habitaret in nobis, à quibus elongata fuerat, tu sola inventa es digna, ut in tuâ virginali aulâ Rex Regum, et Dominus dominantium à regalibus sedibus veniens primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret. Tu. ℣. Domus.

LECTIO 8.

Beneplacitum fuit Deo habitare in te, quandò ex ipsâ illibatâ carnis tuæ substantiâ quasi de lignis Libani architecturâ ineffabili domum sibi ædificavit Dei Sapientia: suffulsit eam septem columnis argenteis, ac reclinatorium aureum in eâ collocavit. Hi sunt septem Spiritus Dei, et hæc est unica illa Salvatoris femina in quâ solâ quæcitam in omnibus requiem invenit, atque in ejus sinum omnes thesauros absque mensurâ transfudit. Tu ℣. Virginis.

LECTIO 9.

Undè benè Spiritui Sancto in te complacuit, ò MARIA, cum divinis adeò mysteriis uterum tuum consecrare dignatus est. Ipse est enim ignis consumens, qui sanctissimam animam tuam tolo inflammavit seipso, atque splendore divinæ majestatis implevit: tuumque uterum ineffabili modo fœcundavit, fecitque ut Deum et hominem clausa conciperes, et post partum Virgo permaneres. Tu. Te Matrem.

Cum 2. Vesper.

DIE 3. MAJI.

D. V. FERRERIANA.

Simplex.

LECTIO 1.

Lanuz. Histor. Arag. l. 1. 31.

In oppido Herrera, in Aragoniâ,

Templum est Divæ Virginis, leucâ ab oppido dissitum, in quo maximè colitur. Ejus sanctissima Imago in majori arâ asservatur pretiosissimis induta vestibus. Origo autem hujus Templi jàm ab antiquo creditur apparitio Beatæ Virginis, cuidam rustico, qui in loco in quo nunc est Ecclesia, ligna, ut carbonem faceret, præparabat. Imago ibidèm inventa, ab oppidanis deducta fuit ad aliud marianum Templum, in ipso Herrera structum sub vulgari titulo de Cuesta; sed iterùm ad locum ubi priùs inventa fuerat, ipsâ reversâ, templum ei Herreriani fabricarunt. Tu.

℣. Vir bonus et rectus carbonum pulvere tinctus * Reginam vidit cœli, Christique Parentem. ℟. Felix quisquis eam supplicitèr colit.—Reginam.

LECTIO 2.

Hoc autem Templum excitatum fuit anno millesimo quingentesimo quarto, de Licentiâ Archiepiscopi Cæsaranguslani Alphonsi de Aragoniâ. Est ibi Confraternitas quædam Beatæ Virginis valdè insignis, innumeris indulgentiis à summis Pontificibus ditata quæ leges et statuta habet quibus Ecclesiæ ipsi ministret. Ingens fit in hunc locum fidelium accursus præsertim in Deiparæ Sanctissimæ solemnitalibus. Tu.

℣. Nam Deus Omnipotens personas despicit, * Atque corda petit, mentes habitare et pectora gaudet. ℟. Reginam vidit Cœli, Christi quæ Parentem.—Atque.—Gloria.—Atque.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Savonensis de Misericordiâ.

Pouget de Peregrinationibus.

Quatuor milliaribus ab urbe Savonæ in Italiâ apparuit Deipara cuidam Antonio probatæ fidei viro, decimâ octavâ die Martii anni millesimi quingentesimi trigesimi sexti, ipsique indixit, ut Dei indignationem populo nuntiaret, nisi eum pœnitentiâ flecteret. Hoc facere curarunt Savonenses, et ut facilius impetrarent, in ipso apparitionis loco Sacellum priùs ædificaruct, et deindè auctâ devotione, satis magnificum templum sub titulo de Misericordiâ. Savona ad hanc marianam Effigiem confugiens decimo sexto sæculo, bis à fame, semèl à Turcarum invasione, atque à peste fuit servata. Pius septimus cum Rege Sardiniæ eam die decimâ Maji eam visitavit anno decimo quinto præsentis sæculi, eique solemni ritu, propriâque manu, sacro in eo templo peracto, coronam donavit. Tu. Te Matrem.

Vesperæ sequentis.

DIE XI. MAJI.

FORTITUDINIS B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Corrobora, quæsumus, Omnipotens Deus, vires nostras in tui famulatu, ut qui Fortitudinem beatissimæ Virginis MARIÆ devotè veneramus, legitimè contra hostes salutis nostræ certantes in terris, cum ipsâ in cœlis coronari mereamur. Per Domin.

AD MATUTINUM.

Invitator. Fortitudinem Beatissimæ Virginis MARIÆ recolentes: * Christum ejus Filium adoremus Dominum, allel. allel.

Lection 1. *Noct.* Mulierem fortem *p.* 115.

IN II. NOCT.

Sermo. S. Bernardi Abbatis.

Humil. 2. *super missus.*

LECTIO 4.

Ut panca loquar de pluribus, quam

tibi aliam prædixisse Deus tibi videtur, nisi Beatam Virginem, quandò ad serpentem ait: Inimicitias ponam inter te et mulierem? Et si adhùc dubitas, an de MARIA dixerit, audi quod sequitur: Ipsa conteret caput tuum. Cui hæc servata victoria est, nisi MARIÆ? Ipsa proculdubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni sugestionem, tàm de carnis illecebrâ, quàm de mentis superbiâ dedoxit ad nihilum. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Quam verò aliam Salomon requirebat, cum dicebat: mulierem fortem quis inveniet? Noverat quippe vir sapiens hujus sexûs infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem: quia tamen et Deum legerat promisisse, et ila videbat congruere, ut qui vincerat per feminam, vinceretur per ipsam, vehementèr admirans, ajebat: Mulierem fortem quis inveniet? Tu. ℟.

LECTIO 6.

Quod est dicere: si ità de manu feminæ pendet et nostra omnium salus, et innocentiæ restitutio, et de hoste victoria; fortis omninò necesse est, ut providealur, quæ ad tantum opus possit esse idonea. Sed mulierem fortem quis inveniet? At ne hoc quæsisse putetur desperando, subdit prophetando: procul et de ultimis finibus pretium ejus. Hoc est non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terrâ, sed de cœlo, nec de cœlo proximo terris pretium hujus mulieris, sed à summo cœlo egressio ejus. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam Castellum, et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam. Et reliqua. Homilia S. Thomæ Arch. Valentini.

Conc. A. in Assump. B. V. M.

Quod castellum fortius, quod firmius, quod pulchrius, quàm Virgo sacratissima? Cujus animam sic Deus gratiâ firmavit, ut neque dicto, neque facto, nec cogitatu à Deo nunquàm declinaverit: O quàm fortissima turris anima illa sacratissima, quam nullis frandibus Dæmon valuit expugnare? Imò nec illam interiùs ausus est impugnare? *Lect.* 8. Hujus enim Castelli nunquàm vel unam primam Dæmon potuit obtinere: castrum non solum invincibile, sed etiàm impugnabile. Licet enim persecutionem ab hoste passa sit, non tamen tentationem in carne. Sicut scriptum est: Abimelech non tetigit eam. Tu. ℟.

Benedict. 8. Cujus Fortitudinem.

LECTIO 8. (*Lect.* 9.)

Intravit JESUS in quoddam Castellum, id est, in Virginis uterum, undè totum mundum ditioni suæ subjugavit. Statim enim, ut de Castello hoc egressus est, virilitèr agere cœpit; mundum scilicet invadere, tyrannum excludere, et propriam hæreditatem, spoliato dæmone, ad se reducere. Pastores à proximo, Reges à longiquo ad sui obedientiam celerrime trahens, undè et spoliatoris nomen sortitus est, sicut apud Isaiam legimus: voca nomen ejus, accelera, spolia detrahe; festina prædari. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Anconensis de Sancto Cyriaco. *Pouget.*

Celebris est Anconæ in Italiâ Imago Deiparæ, sub titulo Reginæ Sanctorum omnium, vulgò dicta etiàm Sancti Cyriaci, quæ mense Julio anni millesimi septingentesimi sexti, coram ingenti populo ipsam enixè deprecante, motu visibili oculos aperuit, ac mœstissimam Urbem hostium copiis opprimendam hoc novo prodigio circumspexit, et recravit, quod perquatuor menses sæpissimè fuit repetitum. Huic quoquè devotissimæ Imagini Pius Septimus, tertio idus majas anni decimi quarti præsentis sæculi, è captivate triumphali pompâ Romam progrediens, solemni ritu coronam imposuit, sacro in arâ principe ejusdem Ecclesiæ Cathedralis peracto. Hujus Coronationis anniversaria dies Anconæ Dominicâ secundâ Maji celebratur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Georgio Arch. Nicomediensi. *Orat. de Oblat. Deip.*

503. Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile.... Nihil tuæ resistit potentiæ, nil tuis repugnat viribus, omnia cadunt tuo jussu, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ potestati serviunt. Tu. *Cum 2. Vesperis.*

DIE XII. MAJI.

D. VIRG. ARAUCANÆ.

Simplex.

LECTIO 1.

Gumpenb. Atlas Marian.

In eâ parte terræ Araucanæ in regno Cilensi, quæ Imbubia dicitur, non multùm à mari mons est, et in monte spelunca ad hemycicli formam perfectissimè facta. Quem verò in usum natura locum tam benè efformaverit, intuenti apparet; nam statuam Virginis cum Puero in Brachiis eodem è saxo produxit, non insitâ vi, sed prodigio. Videre est eodem planè è saxo, ludentibus venis, capillaturam subfuscam, crispatam et è capite in humeros usque decore defluentem, vultum candidum et ad sculpturæ præcepta venustè prominentem, vestem colore rubeo, pallium foris flavo, intùs cœruleo imbutum. Tu. ℟.

LECTIO 2.

Et ne thesaurus ante tempus deprehenderetur, virgultis, vepribusque natura obtexit, dum puellus indus adveniret, qui tanti prodigii spectator primus, atque inventor haberi mereretur: ut nempe ex ore infantium et lactentium perficeretur laus MARIÆ, eo loco ubi lapides loquuntur, quandò homines tacent. Raptus enim in admirationem puellus: Vide, inquit, ô Mater, quàm speciosa Domina, hic stet, quàmque speciosum brachiis filiolum sustineat! Non nescia Mater hoc in frutelo inter saxa et rupes magnatum conjuges non meridiari, credidit tamen filiolo Mater, locumque accessit, ibique statuam, cui parem nunquàm viderat, conspexit. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Rapta primùm in admirationem, deindè etiàm et sine morâ clamore omnia implevit. Ita quod sæculis fortè pluribus secretum erat, paucas intra horas, familiæ beneficio in publicum abiit. Pervenit quoquè fama ad Patres Societatis JESUS, qui tum eâ regione fidei propagandæ causâ versabantur. Ili ocius ad locum se contulere, conspectoque prodigio, locum purgarunt, et fundamenta templi designarunt, quod ibidèm vicini Christiani, comparatâ materiâ struxerunt. Sed ut eorum pietati consuleret Episcopus vetuit honores Statuæ fieri publicos, dum tota ad fidem regio adjungeretur, ne fortè ab hostibus Christianorum diffringeretur, et posteritati tantus thesaurus subraheretur. Tu.

Te Matrem.

Vesp. de sequenti.

DIE XIII. MAJI.

DEDIC. S. M. DE ROTUNDA.

Duplex.

Omnia de Comm. Dedicat.
Lection. 1. Noct. de ferid.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Bened. XIV. in festis B. V. c. n. 18. Paucis ante Christi Domini ortum annis celebertimum templum Romæ Agrippa ædificavit Panthæon appellatum, quod fictitiis omnium gentium diis dedicavit. Circiter anno sexcentesimo decimo Beatæ Virgini et Sanctis Martyribus templum hoc consecrari Imperator Phocas à Bonifacio quarto Pontifice permisit, ubi quondàm non deorum sed dæmonum cultus erat, ibi deinceps omnium fieret memoria Sanctorum, et ex structuræ formâ vulgò Rotunda appellatur. Tu. ℣. Magnum.

LECTIO 5.

Celebris etiàm hujus templi fuit consecratio, cujus festi constitutus est dies decima tertia Maji, quo sacra cœremonia peracta est. Eam commemorat Beda in Martyrologio, et in Historiâ Angliæ. Magna quondàm fuit hujus festivitatis celebritas Romæ et in Gallià, ac de eis mentionem faciunt nostri temporis Martyrologia. Tu

℣. Verè Dominus.

LECTIO 6.

Nunc autem ejus Consecrationis Solemnitas Romæ in eâ dumtaxat celebratur, nec extra Romam eam celebrari comperimus. In hujus Ecclesiæ codice manuscripto legitur illata illùc esse duobus et triginta curribus ossa Sanctorum martyrum è diversis urbis cœmeteriis effosa, solemnitèrque comportata, ac decentissimè collocata. Tu. ℣. In multitudine.

IN III. NOCT.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia D. Innocentii Papæ Tertii.

Serm. 1. in Assump. B. V. M. Ad munimentum castelli duo sunt necessaria, murus et turris. Quæramus ergò, si tale fuerit hoc castellum. Sanè in hoc spirituali castello, quod est Dei Genitrix Virgo MARIA, murus exterior est virginitas corporis, turris interior est humilitas cordis..... De muro Virginitatis dicit ad Angelum quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco? Item de turri humilitatis eadem ad angelum ait: Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Habet ergò castellum istud murum virginitatis contra insultum luxuriæ habet turrim humilitatis contra incursum superbiæ..... Si quandò te luxuria carnis impugnat, ad hoc castellum procedere, muro virginitatis adhære, deprecare MARIAM. Quis unquàm invocavit eam, et non est exauditus ab eâ? *(Lect. 9.)* Si quandò te superbia mentis infestat, ad hoc castellum accede, turrim humilitatis ascende, deprecare MARIAM. Quis unquàm invocavit eam, et non est exauditus ab eâ? Hæc est Mater pulchræ dilectionis, et sanctæ spei, quæ pro miseris orat, pro afflictis suspirat, pro peccatoribus intercedit. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Agatensis de Gradu.

Gumpenb. 416.

Agatensis urbs in Gallià Narbonensi Sacellum habet Beatæ Virginis de Gradu, quod circa quintum sæculum jam stetisse affirmant, creduntque illud ipsum esse quod Sanctus Severus Episcopus struxit quodque scaturigine limpidissimæ fontis olim dicebatur Beatæ Virginis de Aquavivâ. Hoc Sacellum peregrinorum affluxu celebre vocatur de Gradu, id est, de Lapide, superquem, ut tradunt, visa est Deipara orare pro Agatensibus, ne Fidii jussu mare exundans inundaret urbem Agatæ. Lapis autem ipse is'e priusquàm in Sacello ampliato clauderetur, magno sempèr in honore fuit, et in eo Virginis Deiparæ vestigia monstrabantur. Tu.

Te Matrem.

CANON.

Ex Benedicto Papâ Decimoquarto. *Cons. 67. Ad Summi an. 1737.— Tom. 4. p. 522.*

304. Ecclesiæ Sanctæ MARIÆ de Rotundâ Dedicatio, utpote insignis christianæ fidei triumphus de extinctâ idololatriæ tyrannide, in Romanâ quidem Ecclesiâ, adhuc ipso die Consecrationis ejus, qui fuit tertio idus Maji, anniversariâ celebritate recolitur. Tu.

Vesper. à Capit. sequent. ut in Comm. Dedic.

DIE XIV. MAJI.

DEDIC. S. M. DE TABULIS.

Duplex.

Offic. fit. ut in Comm. Dedicat.

IN I. VESPERIS.

HYMNUS 237. *Ex offic. prop.*

En templa nos vocant tua,
Aris honorem ponimus
Stupentes ad miracula,
Hâc quæ die recolimus.
Messis cum sitit arida,
Agmen dimittis imbrium:
Tabes cum serpit improba,
Dei mittis auxilium.
Ille sacrarum quas tenes
Testudini stans ædium
Cadit, labentem sustines,
Magnamque protendis manum.
Hic inæquali cui febris
Artus depascit impetu,
Cui morbus incumbit gravis
Lue expeditur et metu.
Quocumque jaceant malo
Tu spem reducis languidis:
Præ doctiori medico
Tuis fidunt miraculis.
Sanare corpus quæ vales,
Medere morbis animi,
Et patriâ fac exules
Tandèm bealâ recipi. Amen.

Oratio.

Deus qui Beatam MARIAM sempèr Virginem innumeris in hâc Ecclesiâ miraculis decorasti: tribue quæsumus, ut sicut in ipsâ et per ipsam à morbis curamur in corpore, ita à peccatorum contagiis liberemur. Per Dom.

AD MATUTIN.

HYMNUS 238. *Ex offic.*

Festa dum redeunt gaudia, lucis
Virgo Mater, ades tu quoque nobis,
Nati nostra tui vota benignas
Communis Genitrix perfer ad aures.
Te sempèr facilem rebus in arctis
Urbs sensit proprio dedita cultu,
Et sacrata tibi templa verendis
Dudum prodigiis clara refulgent.
Quid non Virgo potes? sæ, è furentem
Nos tuta luem dextra repressit,
Et languente solo, sæpè perustis
Mittis frugiferos messibus imbres.
Tu morbos abigis, tu mala pellis:
Servati placido numine cives
Servare fidem factaque sacris
Mandarunt memores vota Tabellis.
O Patrona piam respice gentem,
Reddat vera fides quos rapit error:
Christum enixa parens optima nobis

Natos redde parens, nos quoque Christo.
Divinæ Soboli, qui dare Matrem
In terris voluit, gloria Patri:
Cujus Virgo parens, gloria Nato:
Quo fœcunda tibi gloria, Flamen.
Amen.

Lect. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

Ex offic. prop. B. V. de Tabulis.

LECTIO 4.

Inennte sæculo nono Sustantionenses Comites in Montepessulano Sacellum construxerunt, quod sub Argemiro Episcopo Magalonensi crevit in Ecclesiam, quæ Beatæ MARIÆ de Tabulis nuncupata est, seu ob tabellas ex voto in eâ appensas, seu quia sita juxta tabulas, seu mensas cambitorum, et mercatorum. Miraculorum frequentiâ, et populorum devotione percelebrem fuisse probant varia monumenta, et maximè insignia miracula, quæ anno millesimo centesimo octogesimo nono patrata sunt, quibus motus Joannes secundus de Montelauro Episcopus Magalonensis hodiernum festum instituit. Tu. ℟. Magnum mysterium.

LECTIO 5.

De miraculis frequentèr in eâ Ecclesiâ patratis mentionem faciunt Gregorius Nonus Summus Pontifex, et Joannes Archiepiscopus Narbonensis publicis diplomatibus. Pestilentiam sæpè sæpiùs ope Beatæ Virginis depulsam, pluviam obtentam, ægros sanatos, aliaque innumera beneficia concessa testantur instrumenta, quæ servantur in domo consulari Monspeliensi. Cæsarius Ordinis Sancti Bernardi scriptor auctor est, Medicos solitos fuisse ægros desperatos mittere ad Beatam MARIAM Monspeliensem, tanquam ad remedium efficax. Hanc Ecclesiam honorabiliore opere constructam Bernardus Episcopus Magalonensis, pluribus assistentibus Archiepiscopis consecravit anno millesimo ducentesimo trigesimo. Tu. ℣. Verè Dominus.

LECTIO 6.

Aliam Consecrationem hujus Ecclesiæ à Guidone Cardinali factam triginta et octo post annos referunt annales urbis. Verum Ecclesia illa tanto in honore habita, decimo septimo sæculis ab Hæreticis sæpiùs polluta et diruta, tandèm operâ et curâ Petri Fenolleti Episcopi Montispesullani reædificata est. Posteâ sic de novo constructam Franciscus Bosquetus ejusdem urbis Antistes, in parrochialem erexit, et Carolus Pradellus ejus successor solemniter consecravit decimaquartâ die Maji, anno millesimo sexcentesimo octogesimo quarto. Cui diei hoc festum in hoc Breviario assignatum est. Tu. ℣. In multitudine.

Homilia de Communi pro Duplici. Sunt qui castellum.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Silvasoniensis de Bono odore.

Gumpenb. 709.

Hæc Deiparæ statua initia venerationis suæ accepit non alio in loco, quàm in quo rusticus stipitem panxit, et stipiti statuam imposuit, operis et laboris socio fossore, mediâ nocte inter feriam quintam et feriam sextam Parasceves. Creditum est, ipsis affirmantibus, vix stipite cespiti infixa, odores cœlestes locum implevisse, quamdiù audissent angelorum cœlestem symphoniam, undè et nomen habet. Brevi sacellum ligneum ei structum, et posteà cum crevissent miracula, aucta fidelium pietas aliud lapideum ædificavit. Tu. Te Matr.

Cum 2. *Vesperis.*

DIE XVI MAII.

D. V. FATARELLENSIS DE MISERICORDIA.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui Beatam MARIAM semper Virginem MISERICORDIÆ Matrem esse voluisti: concede propitius, ut qui ejus imploramus auxilium, misericordiæ illius experiamur effectum. Per Dominum.

AD MATUTIN.

HIMNUS 259.

Tenere fletus quis queat æmulos
Pectus MARIÆ cum dolet anxium?
Quis possit æquos dum triumphat
Lætitiæ cohibere motus?

Licet gementes sidera transvolans
Nos Virgo natos liquerit orphanos:
Fovere pergit corde Mater,
Et miseros precibus juvare.

Quicumque mundi fluctibus exules
Luctantur, almæ Virginis invocent
Pectus: quietos post periculum
Illa dabit penetrare portus.

O Virgo, nunquàm surda vocantibus,
Reconde sacro pectore filios;
Tonantis ictus non veretur
Qui gremio tegitur MARIÆ.

Nos tristes cæci ludibrium maris
Ad tuta, Virgo, littora dirige:
Sis stella nobis quâ profunda
Nocte ratem dubiam regamus.

Sit summa semper laus tibi, Trinitas,
Quæ cor MARIÆ deliciis reples:
Fac nos aduret, quæ perurit
Virginum sacra flamma pectus.
Amen.

IN I. NOCT.

Lect. 1. *Noct. de Feriâ.*

℟. 1. Dulcis amica Dei, Mater Misericordiæ, miserere mei, et sis mihi portus requiei: ' Tu rege me, tege me, cura me, tu recrea me, allel. allel. ℣. Tu mea dux, mea lux, mea spes, tota mea res, mea vita, mea Mater. Tu rege.

℟. 2. O nimis dilecta Virgo, quam Dei felix manus omnibus perfugium ut esses, dedit et Misericordiæ Mater,' Me quoquè obtentu beato servulum tuum obtege, allel. allel. ℣. Ceu solet gallina pullos subter alas nudulos. Me.

℟. 3. Ad fidem qui hujus Parentis gratiamque confugit, anxiæ præsens levamen sentit ægrimoniæ protinùs,' Nam propè est Benigna cunctis ritè se invocantibus, allel. allel. ℣. Inque vitia defluenti pro suâ clementiâ est parata subvenire, lubricosque sistere. Nam. Gloria. Nam.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex monumentis.

Fatarellæ in Cathalaunià, duobus ab Ibero flumine leucis, per magnificum exurgit è colliculo, supra oppidum sito, Deiparæ Sanctissimæ sub titulo Matris Misericordiæ templum. Jam ab antiquo ibi erat sacellum divæ Virgini dicatum, intra turrim, quæ ad loci defensionem prominebat, situm. In eo Dertusensis Episcopus Martinus Cordoba et Mendoza Confraternitatem Sanctissimi Rosarii die decimâ sextâ Martii anno millesimo quingentesimo septuagesimo ipse instituit, quæ, triginta et quatuor delapsis annis, ad parrochiale templum divi Andreæ, eò quod senes et infirmi, præsertim in hyeme, ad turrim ascendere non valerent, die tertiâ Aprilis translata est. Tu.

℟. A finibus terræ ad te clamavi, dum anxieretur cor meum: ' Deduxisti me, quia facta es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici, allel. allel. ℣. Sicut turris

David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.-Deduxisti.

LECTIO 5.

Cum verò turris fulgurum ictibus perculsa, gravis et cœli injuriis nimis affecta, in ruinam collaberet, Clerus et proceres cum universo populo in grati animi monumentum ob indicibilia beneficia ab ipsâ sacralissimâ Deiparâ ab omnibus accepta, anno millesimo septingentesimo nonagesimo hoc novum templum excitare constituêre loco ipso, ubi priùs structa videbatur, ut et ipsum turris fortitudinis et defensionis esset. Nec sunt fraudati ab hoc desiderio suo et spe, nam ab innumeris ærumnis pluribusque flagellis, quæ in alia vicina oppida irrepsêre, Fatarellenses Misericordiæ ab ipsis acclamata Mater, non nisi patente, prodigio, sæpè sapius liberavit. Tu.

℣. Erat autem turris excelsa in defensionem civitatis, * Ad quam confugiebant simùl viri et mulieres, ut à periculorum experimento immunes evaderent, allel. allel. ℣. Turris munitissima, quam ædificavit Dominus in medio vineæ suæ.—Ad quam.

LECTIO 6.

Statua denique de cujus origine nec causâ tituli nihil liquet, in quâ Beatissima MARIA in hoc templo ingentissimè colitur, in altari principe asservatur. Marmore seu alio finissimo lapide creditur: quatuor palmis alta puerum lævâ sustinet, et dexterâ sinistram ejus tenet. Per grandi crystallo, è Lutetiâ Parisiorum expressè ad Fatarellam advecto anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto, munitur. Ad tergum Imaginis pulchra camera visitur, in quâ pluribus signis ex Bibliâ depromptis Deipara memoriæ objicitur. Incredibilis est, in hanc Virginem populi devotio, quæ copiosissimis eleemosinis totum hoc celebre templum extruxit, nec in dies, crescente impietate, decrescit. Ingens quoquè fit ad eam exterorum accursus. Tu.

℣. In MARIA se Deus clausit, ne thesauros suos clauderet MARIÆ, * Quos per MARIAM cœteris reclusit, allel. allel. ℣. Deriventur foras misecordiæ divinæ fontes.—Quos.—Gloria.—Quos.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Serm. 1. super Salv. Regin. inter ejus opera.

Justè Regina mundi, et Regina cœli dicitur, per quam utriusque creator et rector generatur. Verum quo pacto dicitur Regina Misericordiæ, cum misericordia non substantia sit, sed pietas supernæ clementiæ, vel affectio benigna rationalis creaturæ? Metonymicè ergò poterit intelligi, hoc est, per efficientem id quod efficitur, ut opus misericordiæ pro misericordiâ intelligatur. Tu.

℣. Quomodò potueris, ita esto misericors, * Omnibus misericordiam te implorantibus præstando. ℣. Miserere nostri, Domina, quæ Mater Misericordiæ nuncuparis.—Omn.

Bened. Cujus Misericordiam.

LECTIO 8.

Regina, gloriæ nomen et honoris, magnificentiæ et decoris, dulcedinis ac pietatis, amoris et honorificentiæ, sublimitatis et potentiæ, gubernationis et justitiæ, defensionis et gratiæ. Sancta Sanctorum hæc omnia nobis, et pro omnibus nobis, cui decantamus assiduè: Salve Regina Misericordiæ. Tu.

℣. Quoniàm misericordia tua magna est super me, * Eripe Domina, animam meam ex inferno inferiori, allel., allel. ℣. Misericordiâ tuâ, Domina, plena est terra.—Eripe.—Gloria.—Eripe.

LECTIO 9.

Possumus etiàm sic intelligere, quòd Regina misericordiæ dicitur, ut soli tribuamus divinæ misericordiæ, et non meritis, quod super omnem creaturam ipsa sanctitate ac dignitate præcellens, Reginæ vocabulo et honore sublimatur amplius: et jam in hoc convenientèr vocatur Regina Misericordiæ, quòd divinæ pietatis abyssum cui vult, ac quomodò vult, creditur aperire, ut quivis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinii sui suffragia præstat. Ea propter dicamus singuli dicamus assiduè: Salve Regina Misericordiæ. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 260.

Regina verè amabilis,
Mater Misericordiæ,
Dulcedo ineffabilis,
Tota desiderabilis.

Quandò tu nos illuminas,
Tunc lucet menti veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intùs fervet charitas.

Virgo dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium
Et omne desiderium.

Matrem omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite;
Matrem ardentèr quærite,
Quærendo inardescite.

Te nostra, Virgo, vox sonet,
Nostri te mores exprimant,
Te corda nostra diligant
Et nunc et in perpetuum.

Doxologia de Tempore.

℣. Mater Misericordiæ, allel.

℟. Miserere nobis, allel.

Ad Bened. *ant.* Habes in te, Misericordiæ Mater, vires et auxilium, turrim et defensionem portum et salutare refugium, allel. allel.

℣. ℟. *br.* Quæ Mater Misericordiæ nuncuparis.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Brev. Ad augend. 18. *Sept.* 1845.

505. Omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui Ecclesiam Beatæ MARIÆ Virginis sub titulo Matris Misericordiæ, sitam propè oppidum la Fatarella Dertusensis Diœcesis die secundâ Mensis Augusti... devotè visitaverint... ut omnes et singulas de Portiunculâ nuncupatus indulgentias... consequantur... ad septenium concedimus. Tu.

In II. Vesp. Ad Magn. *ant.* Ego murus et ubera mea sicut turris, ex quâ mille clypei pendent, armatura fortium in munitionem et defensionem populi mei, allelúia, allel.

DIE XVII. MAJI.

D. V. BARBASTRENS. DE PODIO.

Semiduplex.

Oratio.

Deus misericordiarum Pater, qui populum tuum Beatæ MARIÆ Virginis apparitione recreare dignatus es: concede ut hoc beneficium recolentes, tibi perpetuâ charitate adhærere, et ejusdem Virginis patrocinio perfrui mereamur. Per Dominum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lect. 1. *Noct. fer. occurr.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Offic. propr.

Clementissima Virgo, ut antiqua monumenta testantur, pio Pastori, cui nomen Balandranus suavissimis concentibus noctu admonito, super montem leucâ circitèr ad occidentem versùs Barbastro, apparens inter amygdali ramos, cum sibi deinceps fore sacrum indixit, injungens ut templum ibidem extrueretur, quo uberes gratias implorantibus opem suam, se collaturam spopondit. Fidem Barbastri cives narrationi statim adhibuerunt, quam testis probitas, miraque firmabat vultûs ejus claritas post apparitionem divinitùs enitescentis. Tu.

℣. Adducam eos in montem Sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis meæ: * Holocausta eorum, et victimæ eorum placebunt mihi super altari meo, allel., allel. ℣. Quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.—Holocausta.

LECTIO 5.

Supplici itaquè agmine clivum ascendentes, ligneum Deiparæ Simulacrum amygdali ramis insidens invenêre, quod humi provoluti venerati sunt, et effusas Deo ejusque Matri pro singulari beneficio gratias agentes; illud posteà in principe ará hujus ædis ex Virginis monitu ædificatæ religiosissimè posuerunt. Ille autem Pastor Balandranus, cui Deipara apparuerat, posteà Sacerdos factus, Sanctuarii curæ addictus est. Prodigiorum subindè fama brevi diffusa, et apparitionis veritatem comprobavit, et venerationem erga beatam Virginem à Podio ila propagavit, et auxit, ut templum hoc inter insignia Sanctuaria habitum fuerit. Tu.

℣. In pascuis uberrimis pascam eos, * Et in montibus excelsis Israel erit pascua eorum, alleluia, allel. ℣. Ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascentur super montes.—Et in.

LECTIO 6.

Quod Christi fideles pietate et fiduciâ permoti erga Virginem Matrem frequentissimè invisentes, gratiam Patrocinii benignissimæ Dominæ consequuntur. Ad augendum itaquè ac fovendum cultum erga Dei Genitricem Sanctæ hujus Imaginis, Festum cum officio et Missâ celebrari Gregorius decimus sextus indulsit. Quod quidem festum sanctissimus Dominus Pius Papa nonus Beatissimæ Virginis cultor eximius, in sequenti anno millesimo octingentesimo quadragesimo septimo, officio et Missâ propriis decoravit. Tu.

℣. Vox salutationis facta est in auribus meis: * Et undè hoc mihi, ut veniat ad me Mater Domini mei, alleluia, allel. ℣. Quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniàm visitas eum.—Et. —Gloria.—Et.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi; Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Theodoti Ep. Ancyræ.

Homil. lect. in Concil. Ephes. part. 3. *c.* 9.

O Virginem, quæ ipsum vicit deliciarum paradisum! Ille namque genus salivarum stirpium protulit ex virgine terrâ exortis plantis, hæc autem Virgo melior est illâ terrâ. Non enim pomorum protulit

arbores, sed virgam Jesse fructum salutarem hominibus afferentem. *Lect.* 8. Et illa terra virgo erat, et ista Virgo: sed ibi quidem arbores nasci præcepit Deus; hujus autem Virginis ipse Creator secundum carnem factum est germen. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Neque illa terra ante arbores plantaria suscepit: neque hæc ex partu virginitatem læsit. *Lect.* 9. Virgo paradiso gloriosior facta est. Ille enim Dei cultura factus est: hæc autem secundum carnem Deum ipsum excoluit, ubi voluit hominis copulari naturæ. Tu.

LECTIO 9.

Commem. B. V. cognomento Novæ.

Octav. cajet. de effig. siculis.

Panormi anno millesimo quingentesimo vigesimo Ædes Beatæ Virginis fuit extructa Cum enim quidam peregrinus nimium frigus vellet propellere, coiligens lignorum fragmenta, ut ignem accenderet, in tabulam, quæ pulei erat operculum, manum injecit, quam frustrà ictibus multis dissindere curavit. Re animadversâ, cuncti, ut erat, aliquid divini in eâ latere existimantes, absterso luto, quo tabula erat infecta, Virginis inesse effigiem viderunt, atque in genua provoluti repertum thesaurum adorant. Cognito ab Antistite prodigio, ut debitâ reverentiâ deferretur Icon Deiparæ in decentem locum, cum Clero eò advenit, suisque manibus eam supra aram constituit. Deindè eleemosinis confluentibus templum ædificatum est, quod ob lætum nuntium de felici rerum maritimarum eventu à Prorege acceptum, Sanctæ MARIÆ Novæ nomen accepit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Decreto S. Rituum Congregat.

Barbast. 15. *Jan.* 1847.

506. Sanctissimus Dominus noster Papa Pius Nonus... Officium proprium cum Missâ Beatissimæ Virginis MARIÆ de Podio civitatis Barbastrensis Apostolicâ Auctoritate approbavit, ac universo Clero Barbastrensi persolvendum concessit. Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE XVIII. MAJI.

NOBILITATIS B. MARIÆ V.

Dupl. majus.

IN II. VESPER.

Antiph. de Laudib. Reliq. de Comm. Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, qui de Nobilissimâ Matre Virgine MARIA nasci dignatus es, ut qui ejus Nobilitatem devotè celebramus, ipsius protectionem efficaciter sentire possimus. Qui vivis.

AD MATUTIN.

Invitator. Jubilemus Deo salutari nostro * In Nobilitate Beatæ Virginis MARIÆ.

HYMNUS 261. *S. P. Dam.*

MARIA, Virgo regia,
David stirpe progenita,
Non tam paternâ nobilis
Quàm dignitate sobolis,
Arcem nobilitatis
De prolis stirpe trahis:
Filia quidem regum
Sed Mater Regis regum
Tu nos avulsos veteri
Complanta novo germini:
Per te fit genus hominum
Regale Sacerdotium.
Sit tibi laus, Altissime,
Qui natus es ex Virgine:
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

Lection. 1. *Noct. de Comm.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis.

Serm. S. Joseph. art. 1. *c.* 1.

LECTIO 4.

Fuit Beata Virgo nobilior creatura omnibus creaturis, quæ in humanâ naturâ fuerint, aut possint, aut potuerint generari. Nam Matthæus ponens tres quaterdenas generationes ab Abraham usque ad Christum inclusivè, describit eam fuisse natam de quatuordecim Patriarchis, de quatuordecim Regibus, de quatuordecim Ducibus, secundum quod quidam periti memorant, et distinguunt prædictum Matthæi textum. Lucas quoque describens Nobilitatem ejus, exordiens ab Adam, et Eva demùm usquè Christum Genealogiam suam protraxit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Patet etiàm quòd Dominus JESUS Christus, qui sine Matre fuit in cœlis, et absque Patre in terris, totam à Virgine humanitatem recepit, atque dignitatem, quæ ad humanitatem sequuntur, scilicet, cognationis, ut diceretur filius David, et consanguinitatis, ut diceretur fratres habere à nobili parentelâ, totum hoc à Beatâ Matre suscepit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Quòd ultimus Dux, ultimus Rex, ultimus Patriarchâ totius Populi Israel, non aliundè habuit, quàm à Beatâ Virgine, ut ex hoc manifestè clarescat, quòd omnis nobilitas corporalis concessa humano generi in Adam, à Domino principaliter datum est, ut per multas generationes descenderet in Virginem Beatam, et per Virginem Matrem terminaretur in Christum Dei Filium benedictum. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi, filii David, filii Abraham. Et reliqua.

Homilia S. Petri Damiani Epi.

In Nativitate B. V. M.

Consuetudo quippè veterum fuerat, in Genealogiâ virorum vix aliquandò nomina ponerent feminarum. Si enim mulierum genus voluissent describere, per mulieres illud curabant aliquandò propagare. Attestatur nostræ assertioni Lucas evangelista, qui Zachariam Patrem Joannis per virile genus ostendere, Elizabeth verò per sexum curavit mulierem designare, Fuit, inquit, in diebus Herodis Regis Judææ Sacerdos quidam, nomine Zacharias de vice Abia, et uxor illius de filiabus Aaron, ut nimirùm congruè vir à viris, femina propagari à feminis. Tu. ℣.

Benè. Cujus Nobilitatem.

LECTIO 8.

Matthæus igitùr, qui viri proposuerat genus describere, illius scilicet, de quo per Prophetam dicitur: ecce vir oriens nomen ejus: eruditè per JOSEPH descendere voluit. MARIÆ verò parentes ponere superfluum judicavit. Qui ergò parentum MARIÆ notitiam habere desiderat, de semine eam Abrahæ, de tribu Juda, de regiâ stirpe David descendisse cognoscat. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Noverit quoquè eam cum Sacerdotali genere cognationis hubuisse propinquitatem. Undè ei per Angelum dicitur: et ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit Filium in senectute suâ. Et jure Redemptor noster de sacerdotali simùl et regiâ generatione carnem suscipere voluit, qui Rex ante sæcula existens, utpotè verus Sacerdos semetipsum Patri pro nobis suavitatis hostiam immolavit. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Quid nobilius * Dei Matre, quid splendidius eâ, quam splendor elegit, allel.

2. Ex semine Abrahæ * descendit, orta de tribu Juda, clarâ ex stirpe David, allel.

3. Regali ex progenie * MARIA exorta refulget, allel.

4. Hæc est nobilior * omnibus mulieribus super terram, allel.

5. Nobilitas tua, * Virgo MARIA, cunctas illustrat Ecclesias, et omnes lætificat animas sanctas, alleluia.

Capit. Hymn. et ℣. de Comm.

Ad Benedict. *ant.* Procùl, et de ultimis finibus Nobilitas Beatæ Virginis, quæ de Patriarchali, et Ducali, et Regali progenie gloriosa descendit, allel. allel.

CANON.

Ex Concilio Francofordiensi.

Ann. 794. *In Ep. Synod. Conc. ad præsul. Hispan.—Concilior. Tom.* 20. *p.* 114.

507. Nonne secundum sæculi Nobilitatem Beata MARIA Virgo ex regali et liberâ prosapiâ processit? Huic verò Virgini regiæ dignitatis Spiritus Sanctus accessit, et Filium ex eâ procreari fecit. Mirum si Spiritus Sanctus hominem ex eâ non potuit facere perfectum, et ingenuum. Tu.

In 2. *Vesper. antiph. ut in primis.*

DIE XIX. MAJI.

B. M. V. DE RUPE GALLIÆ.

Duplex.

Lect. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Baluzii. Kalend. mar. 19. *Maji.* Imaginis beatæ Virginis de Rupe Galliæ in Hispaniâ, Inventionis Historia hæc habet ex vetustissimis manuscriptis. Cum Parissis Simon Robanus (vulgò dictus Simon Vela) versaretur, semèl atque iterùm admonitus est per quietem, ut in Gallicâ rupe versus Occidentem Deiparæ Imaginem studiosè perquireret. Quâ rupe in Galliis toto frustrà quæsitâ quinquenio, in Hispaniam ad Divum Jacobum profectus, et Salamanticæ aliquandò commoratus Divam Virginem impensiùs orabat, ut sibi rupem Galliæ, ubi tandèm esset, certo aliquo indicio demonstraret. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Haud ita multò post Carbonarii indicio, atque aliorum responsa sequutus, cum ad eam Rupem, silvamque lætius pervenisset, post preces ibi fusas, per somnum ei oblata est Deiparæ species Filium gestantis in ulnis, multo lumine circumfusa: quæ jussit suam ex eo loco effosam Imaginem in summo montis apice collocari, ac ibidèm templum erigi. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Itaque anno millesimo quadringentesimo trigesimo quarto, die decimâ nonâ Maji Imaginem effodit, effosam in tuguriolum quoddam ex lignis raptim excitatis infert. Tantaque ibi miracula stalim fieri cœperunt, ut iis quotidiè increbescentibus ei templum erectum sit, quod à Joanne secundo Castellæ Rege sacro Ordini Divi Dominici traditum est. Situs est autem hic mons, seu rupes editissima in Salmanticensis Diœcesis confinio. Hispani suo idiomate vocant: la pegna de Francia. Tu. ℣.

Homilia de Comm. pro Duplicib.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Angelis.

Camòs hbr. 3. *c.* 2.

Sub titulo de Angelis propè oppi-

dum Sancti Martini in Diœcesi Gerundensi Sanctissima Virgo colitur in perantiquâ Imagine quæ luminibus cœlestibus, ut fertur, ostensa, inventa fuit in diruto Sacello ibidèm olim structo à quodam, si traditio non fallitur, Estephano Presbytero Jerosolymitano. Sacra Icon, plùs tribus palmis alta, lignea est; puerum sinistro brachio sustinet: non in medio altaris principis sed in cornu Evangelii collocata videtur. Alia quoquè ibi, at in alio altari, Deiparæ Imago in telâ depicta, quæ simùl cum ligneâ, quam involutam coopertamque servabat, fuit inventa, plurimis portentis nitet. Nomen ab Angelis, inter quos media alia et alia exlat, ex tunc jam oblinuit. Cultus ipsi tributus quàm ingens sit, tum ex perigrinationibus et solemnibus supplicationibus, quibus hoc Sacellum frequentatur, tùm ex eleemosinis pretiosissimisque donariis quibus ditatum fuit, facilimè ostenditur. Tu. Te Matrem.

Cum secundis Vesperis.

DIE XXI. MAJI.

DEDIC. B. M. DE MONTE VIRGINIS.

Simplex.

Officium fit de Comm. Dedicationis.

LECTIO 1.

Scripturæ feriæ occur.

LECTIO 2.

Spinelli p. 647.

Supra oppidum Mercuriale in Neapolitano regno visitur templum vetustate, ac religione nobilissimum Montis Virginis, quod in edito deserti, atque inculti montis jugo, Cybeles, quæ illic olim colebatur, superstitione deletâ, Sanctus Guilielmus veræ Dei Matri extruxit, et Episcopus Avellinus solemni ritu anno millesimo centesimo vigesimo sexto, mense Majo, die sacro Pentecostes consecravit. Ex quo factum est, ut singulis annis eo ipso die maximo fidelium concursu hoc Deiparæ templum celebretur. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Imago verò Beatæ Virginis, quæ templo nomen dedit, augustâ specie, atque humanâ majore formam refert sedentis in throno puerum JESUM in gremio confoventis: septem angeli sub thronum Christo, ejusque Genitrici astant. Eo in loco cibis quadragesimalibus tantùm uti licet, ita ut si quis alia diversa illud deferat, etsi casu vel oblivione, repentè cœlum ipsum excandescit, et ingentes pluviæ ac procellæ excitantur: quod sæpè comprobatum est. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Cœlestibus Papâ Tertio.

Bull. in approb. Congregat Mont. Virgin. §. 1. an. 1197.

In Bullar. Rom. Pontif. Tom. III. part. 1. *pag.* 61.

508. Monasterium Sanctæ Dei Genitricis et Virginis MARLÆ de Monte Virgine... ad exemplar Prædecessorum nostrorum felicis recordationis Alexandri Tertii, et Julii Tertii Romanorum Pontificum sub Beati Petri et nostrâ protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXII. MAJI.

SANCTITATIS B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacitò tuo, ut qui Sanctitatem Beatæ Virginis MARLÆ colimus, bonis operibus sempèr abundare mereamus. Per Dominum.

Lectio 1. *Noct. de Ferid.*

IN II. NOCT.

Sermo. S. Fulberti Ep. Carnutensis.

Sermo de B. Virgine.

LECTIO 4.

Si quis interroget, dicens: quid ergò putas, qualis olim in animâ fuerit, vel nunc sit hæc persona, quæ sic omnibus sanctis spectanda, atque imitanda proponitur? Veracitèr respondemus, quià longè perfectior, quàm nostrâ oratione demonstrari possit. Tamen ne ibi nihil dicere arguamur, ubi major affluit copia dicendorum, reservantes multa, atque magna facundis, saltèm pauca dicamus super hoc, et quæ facilè probentur audita. Hoc igitur in primis astruere fas est, quòd anima ipsius et caro, quam elegit, habitaculum sibi fecit Sapientia Dei Patris ab omni malitiâ et immunditiâ purissima fuerunt, affirmante Scripturâ, quoniàm in malevolam animam non introibit sapientia,, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Itèm è contrà confidentèr asserimus, quia nullo virtutum genere vacabat, cui plenitudinem gratiæ nuntius asserebat inesse. Quod attestante Archangelo, quamvis nemo sanâ mente diserebat, tamèn si quis adhùc pio desiderio quærat argumenta virtutum ex verbis et factis ejus, quæ Scriptura commemorat, tantò sibi facilius occurrent, quantò ipse quærendo fidelior erit. Sunt autem ex eis quædam omni ferè Christiano perspicua. Quis enim est, qui cum jucundâ admiratione non speculetur ipsius maturæ adolescentis fortitudinem, et prudentiam et fidem in colloquio angelico, ubi tàm constantèr eloquitur, tàm prudentèr interrogat, tàm facilè credit? Quis enim non videat, ac videndo non miretur justitiam ejus, quâ sic universa præcepta divinæ legis satagebat implere, ut nec ad se pertinentia inexpleta relinqueret? Tu. ℣.

LECTIO 6.

Verbi gratiâ: post partum enim purificatione legali, quam agebat, non egebat, quia virum in concipiendo non noverat. De temperantiâ quoquè ipsius superiùs dictum est, quæ Deo virginitatis lilium in humilitatis valle produxit. Cum ergò virtutibus supradictis facta ejus plena sint atque dicta, manifestum est non solùm attestatione angelicâ, sed etiàm rerum argumento nullum virtutis Beatissimæ Virgini defuisse. Depromebant itaquè virtutes in cogitatione, et affectu cordis ejus ineffabilem armoniam, quam ipsa creatrix, et inhabitatrix Dei Sapientia delectabatur audire, coruscabant foris superficie sermonis et actus, undè meritò possent homines glorificare Deum, et exempla salutis accipere. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 34.

In illo tempore: Exclamavit MARIA, et dixit: Magnificat anima mea Dominum. Et reliqua.

Homilia Sancti Hildephonsi Arch. Toletani.

Serm. 2. *in Assumpt. B. V.*

Hanc, quæso, fratres mei, audite Matrem Prophetissam Dei. Prophetissam dico, imò, ut ità dicam Evangelistam. Audite, quæso, Virgines, audiat omnis feminarum ordo humilitatem tantæ Virginis, et nolite credere, si non jàm completa sunt omnia quæcumque prædixit per eum, qui ipsam repleverat, Spi-

ritum viritatis. Ecce enim, inquit, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *(Lect. 8.)* Quapropter, quæso, respicite terras quascumque sol suo illustrat lumine, et videte, quoniàm jàm nulla penè est natio, nullaque gens, quæ Christum non credat, et ubicumquè Christus creditur et adoratur, venerabilis Dei Genitrix MARIA beata et felix, necnon et Virgo perpetua prædicatur. Et ideò fratres, parum est ab uno, vel à paucis dicere, quod ab omnibus ubiquè prædicatur et creditur. Tu. ℣.

Bened. Cujus Sanctitatem.

LECTIO 8.

Hoc itaque est, dilectissimi, quod dico, quia creditur. Et ecce per orbem terrarum ubiquè in omni gente, et in omni linguâ Beata Virgo MARIA pronuntiatur: et quot sunt homines, tot testes habet. Verùm siquidem dixerim, quia creditur esse apud Deum, et nunc fiduciàliùs ubiquè prædicatur, quia verè et fideliter beata creditur. Tamen quod prædictum est, in omnibus adimpletur, quia in terris beata et gloriosa dicitur: in cœlis verò ab omnibus sanctis conspicua collaudatur et præclara. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Triviensis de Lacrymis.

Ex Chrisogono, Disc. 5, n. 68.

In Episcopatu Spoletano prope oppidum Trivii Sacellum erat quodam in compito, in quo Divæ Virginis Imago depicta visebatur, quæ à plurimis anno millesimo quadringentesimo quarto lacrymas fundere visa fuit, quæ malorum Italiæ impendentium sat clarum erat prognosticon. Ejus rei fama plurimos ab usque Româ excivit, et collectæ mox eleemosinæ largissimæ templum inibi miræ magnitudinis ac specici ad divæ Virginis gloriam extructum est, quod in hodiernum usque diem templum Sanctæ MARIÆ de Lacrymis nuncupatur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Bull. Ineffabilis. die 8. Dec. 1854.

509. Deiparam «Sancti Patres appellarunt» propè puritatis et innocentiæ fontem, pulchritudine pulchriorem, venustate venustiorem, sanctiorem Sanctitate, solamque sanctam, purissimamque animâ et corpore. Tu.

Cum 2. Vesper.

DIE XXIII. MAJI.

D. V. CLARAMONTANÆ DE PORTU.

Simplex.

LECTIO 1.

Ponget, in Deip.

Claromonte in Auvernià templum est Beatæ Virginis sub titulo de Portu, quod Sanctus Avitus urbis Episcopus anno quingentesimo sexagesimo struxit, ingentibus opibus ditavit ac Deiparæ solemni cultu dedicavit. Post tria verò sæcula, à Normannis militibus ferro et igne vastatum Sanctus Sigo ejusdem urbis Pontifex in pristinum decorem magno studio restituit. Tu.

℣. Hoc templum Sanctus primò fundavit Avitus, * Inclitus Antistes nobilis et genere. ℣. Quod dicavit ovans Christo, Sanctæque MARIÆ, consibus et propriâ nobilitavit ope. —Inclitus.

LECTIO 2.

Miraculosa Beatæ Virginis Imago, quæ in eo colitur, asservatur in sacello subterraneo, infra chorum superioris Ecclesiæ structo, atque variis picturis mirè ornato. Hujus Iconis origo nescitur: lignea ipsa est, colore nigra, sedensque JESUM brachiis sustinet. Revolutionis gallicanæ tempore flammis damnata, speciali Dei providentiâ eripi, abscondi conservarique potuit, ac demùm in antiquum Sacellum restitui. Tu.

℣. Hoc Normannorum flammis gens usit acerba bachans, et strages heu! miseras faciens, * Sed Sigo hanc præsul prisco decoravit honore. ℣. Ut tibi Celsitonans affore aula micans.—Sed Sigo.—Gloria.—Sed.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Buxerianæ.

Gumpenb. 534.

Beatæ Virginis Buxerianæ, seu de Bussieres templum intra secundum ab urbe Nanceianâ milliare viâ Mussipontanâ in colle est, quod à Sancto Gancellino Tullensi Episcopo fundatum legitur. In tabulis antiquis habetur quoquè, ab ipso Christo Domino, augustâ suâ Genitrice, et magnâ sanctorum catervâ stipato, consecratum fuisse. Olim ei monialium Benedictinarum Cœnobium erat adjunctum, quod posteà virginibus nobilibus, seu canonicis sæcularibus fuit inhabitatum. Deipara Sanctissima eo in loco ad se venientibus plurima concedit beneficia. Tu. Te Matrem.

Vesperæ sequentis.

DIE XXIV. MAJI.

S. M. TITULO AUXILIUM CHRISTIANOR.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

HYMNUS 262. *Ex offic. prop.*

Sæpè dum Christi populus cruentis
Hostis intentum premeretur armis,
Venit adjutrix pia Virgo cœlo
Lapsa sereno.

Prisca sic Patrum monumenta narrant,
Templa testantur spoliis opimis
Clara, votivo repetita cultu
Festa quotannis.

En novi grates liceat MARIÆ
Canticis lætis modulis referre,
Pro novis donis resonante plausu
Urbis et orbis.

Te per æternos veneremur annos,
Trinitas summo veneranda plausu:
Te fide mentes, resonoque linguæ
Carmine laudent. Amen.

Ad Magnific. *ant.* Ecce MARIA erat spes nostra, ad quam confugimus in auxilium, ut liberaret nos, et venit in adjutorium nobis, allel. alleluia.

Oratio.

Omnipotens Sempiterne Deus, qui ad defensionem populi Christiani in Beatissimâ Virgine MARIA perpetuum Auxilium mirabiliter constituisti; concede propitius, ut tali præsidio muniti certantes in vitâ, victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dominum.

AD MATUTIN.

HYMNUS 263. *Ex offic. prop.*

O felix dies, memoranda fastis,
Quâ Petri sedes fidei Magistrum
Triste post lustrum reducem beatâ
Sorte recepit!

Virgines castæ puerique puri,
Gestiens clerus, populusque grato
Corde Reginæ celebrare cœli
Munera certent.

Virginum Virgo, benedicta JESU
Mater, hæc auge bona: fac precamur,
Ut gregem Pastor Pius ad salutis
Pascua ducat.

Te per æternos veneremur annos,
Trinitas summo veneranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguæ
Carmine laudent. Amen.

Lect. 1. Noct. de Communi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex officio prop. hujus festivitatis. Præsentissimum Deiparæ auxilium ad Religionis hostes profligandos, sæpè populus Christianus mirum in modum expertus est: ex quo factum est, ut Sanctissimus Pontifex Pius quintus post insignem victoriam, intercedente Beatissimâ Virgine à Christianis de Turcarum tyranno apud Echinadas Insulas reportatam, in Litaniis Lauretanis eamdem Reginam cœlorum, inter alia præconia, Auxilium Christianorum appellari constituerit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Sed illud in primis memorabile, est, atque explorati miraculi loco habendum, quod cum Romanus Pontifex Pius septimus, impiorum consiliis et armis ex apostolicâ Petri sede exturbatus, et arctâ custodiâ præsertim Savonæ per annos quinque, eoque ampliùs fuisset detentus, viis omnibus penitùs interclusis, ne Dei Ecclesiam regere posset, nullo similis persecutionis in priscis annalibus exemplo, inopinato et præ omnium expectationem contigit, ut ingenti plausu, ac veluti universi Orbis manibus Pontificio solio restitueretur. Quod et secundò accidit, dum iterùm commoto turbine, ab urbe discedens, sacro comitante Cardinalium collegio, Liguriam contendit. Verùm præsentissimo Dei beneficio, cessante procellâ, quæ grave minabatur excidium, Romam, plaudentibus præ novo gaudio populis, reversus est. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Ante tamèn, quod in votis habuerat et captivitate detentus exequi nequiverat, aureâ coronâ insignem Savonæ Imaginem Deiparæ Virginis, sub titulo Matris Misericordiæ, solemni ritu, propriisque manibus decoravit. Quam mirabilem rerum vicissitudinem idem Pontifex maximus Pius Septimus, totius eventûs intimè conscius, cum intercessioni Sanctissimæ Dei Genitricis, cujus potentem opem, et ipse impensè imploraverat, et ab omnibus Christi fidelibus implorari curaverat, acceptam meritò referret, in ejusdem Virginis Matris honorem sub appellatione Auxilii Christianorum solemne festum indixit perpetuò celebrandum, die mensis Maji vigesimo quarto, faustissimi sui in urbem reditûs anniversario, approbato etiàm Officio proprio, ut tanti beneficii distincta et perennis exiet memoria, et gratiarum actio. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliq.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In Nativitate B. V.

Intuere, ô homo, consilium Dei, agnosce consilium sapientiæ, consilium pietatis. Cœlesti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit. Redemptorus humanum genus, pretium universum contulit in MARIAM. Alliùs ergò intuemini quantò devotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius bonæ plenitudinem posuit in MARIA: ut proindè, si quid spei nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis ab eâ noverimus redundare, quæ ascendit delitiis affluens. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Totis ergò medullis cordium, totis

præcordiorum affectibus, et votis omnibus MARIAM hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per MARIAM Hæc, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis. *Lect.* 9. In omnibus siquidem et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Gidlensis.

Gumpenberg. 541.

Gidli pago ad ripam fluvii Varta in Poloniâ, anno millesimo quingentesimo decimo quinto, quidam Joannes Cirhek invenit inter arundum Statuam Deiparæ jacentem inter glebas, luce tamen insolitâ circumfusam, digito non altiorem, è lapide elaboratam, quâ adoratâ ausus est è terrâ levare. Domum reversus, muneris loco conjugi eam fert: quæ telâ mundâ eam involvit, et in arcam reponit, oblivioni tradilam. Cæcitas amborum fuit negligetæ Statuæ pœna. Sed Deiparam ex arcâ splendidâ luce coruscantem eorum famula conspiciens, conjugibus miraculum nuntiat. Res vero Parrocho nuntiata est, qui statuam templo intuli jusit, et vix egressa domo, cæci visum recepere. Statua è templo in agrum rediit, ubi priùs columnam pieniores erexere, deindè Sacellum, et tandèm justæ magnitudinis templum. Adsunt miracula ritè ab Episcopo probata: inter hæc quadraginta mortuorum excitationes ad vitam variis causis extinctorum. Tu.

Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 264. *Ex Offic. prop.*

Te Redemptoris, Dominiquæ nostri
Dicimus Matrem, speciosa Virgo,
Christianorum decus, et levamen
Rebus in arctis.

Sæviant portæ licet infernorum,
Hostis antiquus fremat et minaces,
Vi Deo sacrum populetur agmen,
Suscitet iras.

Nil truces possunt furiæ nocere
Mentibus castis, prece quâ vocata
Annuens Virgo fovet et supremo
Robore firmat.

Te per æternos veneremur annos,
Trinitas summo veneranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguæ
Carmine laudent. Amen.

Ad Benedict. ant. Ad te, ô Sancta Dei Genitrix, clamavimus, et per te venit Domini auxilium nobis, alleluia, alleluia.

CANON.

Ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis.

16. *Sept.* 1815. Urbis et Stat. Eccl. *Man. eccl.* 437.

310. Ad grati animi reddendum perenne testimonium Gloriosissimæ Virgini MARIÆ, quæ insperato sibi et populo fideli in auxilium venit, Pius papa Sextus peculiare Festum instituit in ejusdem Beatæ Virginis honorem peragendum tum in Urbe, tum in toto Ecclesiastico Statu sub titulo Auxilium Christianorum die vigesimâ quartâ Maji, signatâ quidem Pontificis regressu ad Petri sedem. Tu.

IN II. VESPER.

HYMNUS 265. *Ex offic. prop.*

Tanta si nobis faveat Patrona,
Bellici cessat sceleris tumultus
Mille sternuntur, fugiuntve turmæ,
Mille cohortes.

Tollat ut sancta caput in Sione
Turris, arx firmo fabricata muro,
Civitas David, clypeis et acri
Milite tuta.

Virgo sic fortis Domini potenti
Dexterâ, cœli cumulata donis,

A piis longè famulis repellit
Dæmonis ictus.
Te per ælernos veneremur annos,
Trinitas summo veneranda plausu;
Te fide mentes, resonoque linguæ
Carmine laudent. Amen.

DIE XXV. MAJI.

D. V. MESSANEN. A SCALIS.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De libro primo Regum.

LECTIO 1. *c.* 6. 1.

Fuit ergò arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus. Et vocaverunt Philisthiim Sacerdotes et divinos, dicentes: quid faciemus de arcâ Domini? Qui dixerunt: Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, et tunc curabimini: et scietis, quare non recedat manus ejus à vobis. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Nunc ergò arripite et facite plaustrum novum unum: et duas vaccas fœtas, quibus non est impositum jugum, jungite in plaustro, et recludite vitulos earum domi. Tollelisque arcam Domini, et ponetis in plaustro, et vasa aurea, quæ exsolvistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus ejus: et dimittite eam ut vadat. Et aspicietis. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Fecerunt ergò illi hoc modo: et tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, junxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluserunt domi. Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, et capsellam, quæ habebat mures aureos, et similitudines anorum. Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur pergentes et mugientes: et non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram: sed et satrapæ Philisihiim sequebantur usque ad terminos Bethsames. Et plaustrum venit in agrum Josue Bethsamitæ, et stetit ibi. Tu. ℣.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Octav. Cajet. de Effig. sicutis.

Anno millesimo ducentesimo vigesimo, Rege Siciliæ Friderico, secundis ventis navigium appulit Messanam ex Palestinæ regionibus, in quo sacra Virginis Imago in tabulâ depicta servabatur. Verùm simùl ac mercatores res suas Messanæ transegere, sublatis ancoris vela omnia ventis explicant, sed perindè ac mille funibus revinceretur navis, immobilis in modum scopuli hærebat. Undè, aliis adhibitis frustrà mediis, ut eam moverent, arbitrati sunt Virginis Effigiem, quam ferebant Messanam sibi sedem delegere: quarè ne Virgini obsisterent, rem aperiunt Præsuli, et ille Regi, et jam per urbem sparso miraculo, ad littus solemni pompâ procedilur, et sanctam Effigiem summâ cum reverentiâ capiunt. Navis verò sacro pondere levata, illicò progredi visa est. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Beata autem Imago, quo primùm in loco prope littus sita fuit, ibi adeò fixa stetit, ut nulla vi, nulloque pacto moveri potuerit. Cumque super eâ re consilium haberetur ab Antiste, Rege et Proceribus, decretum de communi sententiâ fuit, ut quemadmodùm olim Philisthæi de arcâ Domini fecerunt, ità prodigiosa tabula in plaustro ponerelur, reliclsque sine duce bobus, quocumquè ducerent, sequerentur. Fecerunt ergò illi hoc modo, et levis jam effecta tabula per

torrentis alveum qui est ad imos colles, super plaustrum evecta est: ibi erat templum Sanctæ MARIÆ à Valle, cui cœnobium Virginum adjunctum, , quò cum pervenissent boves, fixis pedibus, lætosque emittentes mugitus significare videbantur eum esse locum, quem præpotens Filius dilectæ Matri præparaverat. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Igitur in illâ æde sita fuit sacra Imago, quæ ædes deincèps sanctissimæ Deiparæ à Scalis dicta fuit, eò quod in eâ Icone scalæ pictæ erant ad latus, perindè quasi significaret veram cœlorum scalam Beatam Virginem esse. Cypri Regina ad hoc cœnobium de scalis multa quæ voverat munera amplissima misit. Francorum Regina ob accepta beneficia à Deiparâ aream sanctorum reliquiis plenam dono dedit. Nec inter Christianas tantùm Reginas hæc Sanctissima Icon culta est, sed ab ipsâ eliàm Turcarum Imperatrice donata fuit pretiosissima culcitra ex auro in accepti beneficii memoriam: tantùm etiàm apud barbaras gentes et infideles Virginis dextera valuit. Tu. ℣.

Homilia de Comm. pro Semidupl. Vesperæ à Capit. sequentis.

DIE XXVI. MAJI.

D. V. GENUENSIS DE VINEIS.

Semiduplex.

Lection. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Gumpenb. Imag. 252.

Sacra et miraculosa Deiparæ Imago, quæ sub de Vineis titulo Genuæ colitur, quia in vineis reperta fuit à quodam Genuensi Canonico, anno millesimo sexcentesimo tertio. Imagini subscriptus est annus millesimus centesimus sexagesimus tertius, undè perantiqua aposset, etsi origo et artifex nesciatur. Priùs sancta Statua in honestâ parte domûs posita, deindè locata fuit in angulo templi, qui sacelli formam ope murariorum accepit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

In novo Sacello posita, cœpit miraculis clarere. Etenim quamprimùm fuere, qui primos honores Virgini ideò primi ambiebant cumulare, ne posteri essent inter eos, quos à Virgine reportaturos beneficia sciebant. Et ipsa Virgo non distulit tot sæculis contractam operire manum, et làm ex corde petentibus plùs penè quàm peterant largiri. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Hinc posteà ingenuè Genuæ certatum est, quis fabricam ampliorìbus subsidiis fulciret. Templum quidem ædificatum non fuit: sed ille ipse templi postremus angulus in tàm sumptuosi Sacelli formam excrevit, ut ipsi templo, cujus pars erat, æmulum, peregrinos redderet dubios, templum ne, an Sacellum divitiis præstaret. Nequè huic liberalitati Genuenses finem facient, quamdiù Beata Virgo per hanc suam Statuam miracula patrare non desinet. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO. 7. *c.* 15. 1.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Ego sum vitis vera. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Tract. de Pass. Dom. c. 1.

Ipso Domino nostro JESU-Christo

UNIVERSIDAD DE NAVARRA · FONDO HISTÓRICO · BIBLIOTECA GENERAL DE HUMANIDADES

adjuvante, videamus quasdam propietates vitis terrestris, à quibus etiàm illius supercœlestis vitis propietates nominare possumus: nec tantum ea, quæ exterius ad culturam eidem exhibentur, considerèmus. Et primo quidem quòd plantari solet vitis in terrâ, non seminari, translata de suâ vite: quod ad conceptionem JESU mihi pertinere videtur. Vitis enim primò nata de vite est Deus genitus de Deo, Filius de Patre, coæternus et consubstantialis ei de quo genitus est. Sed ut majorem faceret fructum, plantatus est in terrâ, id est, in Virgine MARIA conceptus, factus quod non erat, manens quod erat. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Benedicta terra hæc omnium gentium proferens benedictionem. Verè benedicta, quæ, Deo dante benignitantem, tàm benedictum protulit fructum. Hæc est terra, de quâ scriptum est: terram non operabatur quisquam, sed irrigabatur à fonte ascendente de paradiso. Terra quippe hæc non accepit operationem humanam, ut conciperetur in eâ Filius Dei, sed aquâ Spiritûs Sancti irrigata fuit. Ita enim legis: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Rursùm de hâc terrâ scriptum est: aperietur terra, et germinabit Salvatorem: Aperta quidem fuit per fidem credens et obediens Angelo: germinavitque vitam salutarem, Salvatorem nostrum æternæ vitæ præmia largientem. Hâc itaque vite nostrâ in lucem editâ, quædam propietates culturæ vitis attinentes adhibitæ sunt. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXVII MAJI.

B. V. MATRI DIVINI PASTORIS.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui universum mundum inæffabili tuâ providentiâ regis atque gubernas; præsta nobis famulis tuis, ut intercedente Beatissimâ MARIA sempèr Virgine, quæ vigili custodiâ nos pascit, ab hostibus defensi, et fructus sui dulcedine pasti, ad cœlestem patriam securi perducamur. Per Dominum.

Lectio 1. *Noct. de Feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 18. *de Sanct.*

LECTIO 4.

O Beata MARIA, quis tibi dignè valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quæ solo tuo commercio reparandi aditum invenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones: et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Admitte nostras preces in sacrarium exauditionis tuæ, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fidâ mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus: excusa quod timemus, quia tu Spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum, et in te beatissimâ nostrorum est expectatio præmiorum. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Ex officio proprio.

Accipe insuper obsequium famulorum tuorum in universo orbe degentium, qui in multis magnisque periculis à te adjuti in grati animi argumentum, et in memoriam beneficiorum defensionis et protectionis hanc tuam festivitatem sub titulo divini Pastoris Matris celebrant, quam Pius septimus Pontifex maximus Etruriæ concessit, et fideles omnes te custodem vigilantem, ac cœlestia pabula suppeditatem cognoscant, invocent et revereantur. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In meditatione super Salv. Reg.

Ad te clamamus, ad te verè, quia tu sola Deum genuisti, tu sola interimisti universam hæreticam pravitatem. Ad te certè, quæ levas nos à fecibus peccatorum, quæ nos consolaris in cunnabulis vagientes, lactas parvulos esurientes, clamamus. Quare non clamaremus, Domina, qui vulnera sustinemus, plagas sentimus, qui inimicis undiquè circumdamur? Et clamamus angustiati, miseriis infinitis oppressi. Clamamus cordis anxietate, stomachi vacuitate, doloris acerbitate, aut fortè erga te amoris immensitate. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Quarè enim obdormis, Domina? Surge, adjuva nos. Clamamus etiàm ut nostram manifestemus necessitatem; quia clamare necessitas nos compellit. Quid nos ampliùs affligis? Si multùm tardaveris, vocem ammittam clamando, et ad te ampliùs vociferari nequibo. Heu mihi tunc quid faciam, cum nec exaudire me poteris, nec audire? Citò, citò, Domina, subvenias clamanti, ne in manibus deficiam inimici. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Curre, festina, Domina, et tuum nequissimum et infidelissimum servum ad te clamantem parcendo adjuva, et eripe de manu et periculo tui hostis. Si aliud te alicere, Domina, non deberet nisi quia tuus hostis audet nos servos tuos invadere frandulentèr, deberes ad nos quàm citiùs festinare. Curre, et libera nos, Domina, propter eorum superbiam reprimendam. Curre, ne dicant: ubi est eorum Domina, de ejus clementiâ confidebant? Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex S. Cyrillo Ep. Alexandrino.

Homil. Ephes. dict.—Concil. Tom. 6. *p.* 220.

311. Apparuit nobis unigenitum Dei Verbum Pastor ille bonus, et Agnus verus, quem Sancta Dei Genitrix, et nuptiarum expers MARIA è virgineis visceribus nobis peperit. Tu.

Vesperæ à Capit. de sequenti.

DIE XXVIII. MAJI.

DEDIC. ECCLESIÆ ILERDENSIS.

Duplex.

IN I. VESPER.

CAPITULUM. 2. *Reg.* 6. 2.

Surrexit David, et universus populus, qui erat cum eo, ut adducerent Arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in Cherubim super eam.

HYMNUS 266. *Salla.*

Ædes hæc Domino sacra, fidelium Illercæ, celebrans quam, pia concio, Solemni reboet pulsa sonoribus

Grates rite canentium.
Augustâ, recolis, quâ ceremonia
Christi sub titulo Matris ad æthera
Evectæ fuerit chrismate roscida
Dio dedita cultui.
Hæc qua magnificè structa parœcias
Princeps in varias munere regio
Mystarchæ eximiis fœdere perpeti
Nupsit compta decoribus.
Hùc qua in Davidicam sicuti regiam
Prisca ex hospiciis Obededomicis
E laurentiaco vecta Sacrario
Sit pacti Arca novissimi.
Ergò quàm locus hic suspiciendus est!
Excelsi Domus hæc: Janua cœlica:
Nunquàm supplicibus clausa rogatibus
Diæ curia gratiæ.
Hic quæ desiderat cumque salubria
Orans procidunsqui petit, impetrat;
Qui pravus veniam; qui probus exitum;
Pacem quilibet anxius.
Te Patris, Geniti, Flaminis unica
Collaudet, Deitas Trinaque perpetim,
Admiranda triplex, unaque machina
Tellus, Pontus, et Æthera.
Amen.

℣. Dilexi decorem domus tuæ.
℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ad Magnif. *ant.* Cumque tulisset David Arcam de domo Abinadab, divertit eam in domum Obededom; et habitavit Arca Domini in domo Obededom tribus mensibus, et benedixit Dominus Obededom et omnia ejus propter Arcam Dei.

Oratio de Laudibus.

Tempore paschali additur allel. *juxta Rubric.*

AD MATUTIN.

Invitator. Domum MARIÆ decet sanctitudo: * Christum ejus Filium adoremus in eâ.

HYMNUS 267. *Salla.*

Hâc die sanctum venerata Ilerda
Quod Deo templum memorat dicatum,
Hoc palestini nimiùm stupendi
Emicat instar.
Eminet reges pariles habendi
Gloriâ auctores; pietas eorum
Sive spectetur, dominata rerum
Sive potestas.
Illius David meritus parare
Prævios sumptus, licet æquus ipse,
Laude condentis caruit cruentus
Belligerator.
Nam creans pacem Deus, erigendæ
Hospitæ pacis domui, parenti
Prælulit natum Salomonâ regem
Pace beatum.
Voce sic Quinti vanuit Philippi
Hujus ædendi studium, vel æquâ
Hostico cincti madidâ cruore
Tempora lauro.
Structio cujus stabili beandi
Pace Soteris quasi sit Monarchæ
Filio ipsius Carolo relicta
Pacis alumno.
Gentis hebrææ benè plebs supremo
Numini dixit sibi conditoræ
Doma cordatæ sobolis Datori
Davide cretæ.
Ergo Ilerdensis pia plebs eidem
Dic bene, augusto Carolum Philippo
Quod dedit, per quem laqueata nostri
Culmina templi.
Summa adoretur Trias, una Virtus,
Qui Pater, Natus caro factus olim
Nos ob humanos, agiumque Pœuma
Cuncta creavit. Amen

IN I. NOCT.

Ant. 1. Viri Cariathiarim deduxerunt arcam Domini, et intulerunt eam in domum Abinadab.

2. Mittamus ad fratres nostros et ad Sacerdotes et Levitas et reducamus arcam Dei ad nos.

3 Et congregatus est omnis populus, ut adduceret arcam Dei de Cariathiarim.

℣. Ingredere in requiem tuam.
℟. Tu et arca sanctificationis tuæ.

De libro Apocalypsis Beati Joannis Apostoli.

LECTIO 1. *c.* 21.

Ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Tu.

℟. Ascendit David et omnis vir Israel ad collen Cariathiarim, * Ut afferret indè arcam Domini Dei sedentis super Cherubim. ℣. Et imposuerunt eam super plaustrum novum, tulerruntque eam de domo Abinadab. Ut afferret.

LECTIO 2.

Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: et mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt et vera. Et dixit mihi: Factum est. Ego sum alpha et omega: initium et finis. Tu.

℟. Noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David; sed divertit eam in domum Obededom Gethæi: * Mansitque ibi arca mensibus tribus. ℣. Et benedixit Dominus Obededom, et omnem domum ejus.—Mansitque.

LECTIO 3.

Et venit unus de septem angelis... et locutus est mecum dicens: Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem Sanctam Jerusalem descendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei: et lumen ejus simili lapidi pretioso tanquàm lapidi jaspidis, sicut crystallum. Tu.

℟. Adduxerunt arcam Domini de domo Obededom in civitatem David filii Levi cum gaudio, * Et constituerunt eam in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David. ℣. Cumque complesset David offerens holocausta et pacifica, benedixit populo in nomine Domini. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi Domum ad habitandum?

2. Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus.

3. Quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo.

℣. Hæc est domus Dei.
℟. Hoc altare in holocaustum Israel.

LECTIO 4.

Fr. Miquel.

Ecclesia Illergetana abs dubio non longè à primis temporibus nata, nihilominus non nisi sexti sæculi initio suam originem determinatè figere valuit; in quo in comperto est, Episcopum Andream dictum illam rexisse et gubernasse. Hunc novem Successores sine interruptione

seculi sunt, super eam sederunt, et gregi suo cœlestis doctrinæ panem distribuerunt. Rusticitas fermè feralis Gothorum, necnon Ariana lues, quâ erant infecti, illam verè vexarunt, sed non extinxerunt; immò imtavida et immobilis processit sub regimine suorum Pastorum inter turbines et vicissitudines illorum dierum usque ad Islamiticam dispersionem. In hâc truculentâ et valdè luctuosâ irruptione Ecclesia Illergetana disparuit: à suâ sede acerbitate persecutionis avulsa exulare coacta fuit, atque extorris et profuga per plurimos dies incedens tandem in Montem-Rotensem se recepit, ibique sedem posuit et munus Episcopale in Diœcesi Ilerdensi revixit. Hæc felix instauratio, si inter tot et tam infelices eventus, ita valet appellari, vidit sedentes super solium pontificale tredecim principes, qui servaverunt suum principatum, depositum fidei custodierunt, illudque intergrum illæsumque ad posteros traduxerunt. Tu.

℟. Multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti: * Non poteris ædificare domum Matri meæ, tanto effuso sanguine coram me. ℣. Qui veniet post te, erit vir quietissimus, et ob hanc causam pacificus vocabitur: ipse ædificabit domum.—Non.

LECTIO 5.

Anno millesimo centesimo quadragesimo octavo à Berengario Comite Barcinonensi expugnata et capta fuit Ilerda, et à jugo mauricæ servitutis redempta: qui inter primas curas Basilicam Cathedralem reposuit, quam occupandam et regendam venit illicò Guilielmus Perez, ultimus ecclesiæ Rotensis Episcopus. Hic, à quo incipit ultima Episcoporum series, quæ unà cum præsenti qui felicitèr tenet ejus gubernacula, enumerat jam sexaginta novem; qui omnes eam suâ dignitate nobilitarunt, suâ doctrinâ illustrarunt, suis operibus ædificaverunt, et suâ firmitate sustinuerunt: ingenti cum gaudio ipsius restitutionem recepit et celebravit. Hæc est Basilica Deiparæ Assumptæ dicata, quæ primo tertio sexti sæculi exorta, aliquotiès cursu temporum renovata, et actualis anno millesimo septingentesimo octogesimo secundo consecrata, tredecim jam cucurrit sæcula, et post adeò extensam durationem eadem in suo esse formalis subsistit, quin horridiores tempestates potuerint evellere, immò nec immutare. Undè merito annuatim celebratur solemnitèr festivitas ejus Dedicationis, et memoria ejus consecrationis recolitur. Tu.

℟. Domus quam ædificari volo Domino, talis esse debet ut in cunctis regionibus nominetur: * Præparabo ergo ei necessaria. ℣. Et ob hanc causam ante mortem suam omnes præparavit impensas. Præparabo.

LECTIO 6.

Felicia prorsùs Encænia! gratæ enim et peradmodùm salutaris Dedicationis ejus templi fit recordatio, quæ in altari principe Ecclesiæ excelso throno visitur. Deipara nempè Virgo, illa irradians Stella matutina, adeò clara et formosa, ut solis fulgor sit sui aspectu vera deformitas, et claritas lunæ obscuritas. Eam mirantur et celebrant cœlites beati, et jubilant omnes filii Dei. Ea est illa mirabilis Creatura, grande divinitatis prodigium meritò appellata, quæ ex masâ infectâ deducta, digna tamen suâ puritate fuit, ut Pater Æternus ipsam in filiam agnosceret; Verbum divinum

in Matrem eligeret, et in Sponsam sibi Spiritus Sanctus assumeret. Ea tandèm est illa candida et innocens Columba ante omnia tempora designata, ut templum esset, et sacrarium totius sanctissimæ Trinitatis; quodque in sinu purissimo MARIÆ invenitur. Undè nihil MARIA dignius, nihil sanctius, nihil perfectius. Opus est quod solus Opifex supergreditur. Tu.

℟. Consurgite, et ædificate sanctuarium Domino Deo, * Ut introducatur arca fœderis Domini, et vasa Domino consecrata in domum, quæ ædificatur nomini Domini. ℣. Nunc ergò prospera et ædifica domum Domino Deo tuo, sicut locutus est de te.—Ut.—Gloria.—Ut.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Suscitavit Dominus spiritum regis, ut ædificaret ei domum.

2. Hæc dicit Rex: regna terræ dedit mihi dominus Deus cœli, et ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum.

3. Quis ex vobis est in omni populo ejus? Sit Dominus Deus cum eo, et ascendat.

℣. Implebo domum istam gloriâ.

℟. Et in loco isto dabo pacem.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam Castellum, et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia D. Thomæ Archiep. Valentini.

In Assumpt. Conc. 1. p. 2. n. 1.

Exposita sit hactenùs allegoria historiæ: nunc juxta prothematis sententiam ostendendum, quomodò MARIA optimam partem non solùm elegerit, sed præelegerit. Quod sutis erit in aperto, si totum vitæ ejus discursum præ oculis habeamus. Quid enim aliud fuit vita MARIÆ, nisi jugis et continua contemplatio, fervor devotionis perpetuus, et spiritûs incendium non interruptum? Non lego de te, ò Virgo beata, miracula et prodigia multa; non longas in expeditione evangelicâ peregrinationes; non eleemosinas copiosas, quia undè eas faceres, non habebas; non ægrotorum curas et captivorum redemptiones; non amplissimas templorum extructuras, et cœnobiorum ditissimas dotationes. Omnis gloria filiæ regis ab intùs, in fimbriis aureis. Tu.

℟. Rex decrevit, * Ut domus Dei ædificaretur, et ut ponant fundamenta supportantia altitudinem et latitudinem ejus. ℣. Sumptus autem de domo regis dabuntur.—Ut domus.

LECTIO 8.

Non quòd illi deessent eximia Marthæ officia, tantò utique nostris clariora et excellentiora, quantò præstat, Deo in suâ persona, quàm in famulis deservire: sed hæc Marthæ occupatio ad partes MARIÆ prosequendas nullum erat sacræ Virgini impedimentum, sicut de ipsâ scriptum est: Ego dormio, et cor meum vigilat. (*Lect.* 9.) Ac si dicat: exteriùs quidem dormio officiis occupata, sed interiùs vigilo sempèr orationi intenta; ex quo enim in clarissimum divinitatis jubar hæc aquila perspicax et sublimis oculos suos defixit, nunquàm eos amplius ad terrena deflexit. Tu.

℟. A me præceptum est quid oporteat fieri, * Scilicet, ut de arcâ Regis, id est, de tributis studiosè sumptus dentur illis, ne impediatur opus. ℣. Et offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vitâ Regis

et filiorum ejus. Scilicet. Gloria. Scilicet.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Butsenit.

Camos l. 3. c. 3.

In regione dictâ Rufea, ubi olim oppidulum ejusdem nominis erat, quatuor ab Ilerdâ milliaribus, templum Sanctissimæ Virginis de Butsenit etiàm à dissitis populis maximè frequentatur. Imagini, quæ ibidèm, bove indice, vix inventa, dignos honores accepit, sacellum ædificatum fuit, quod anno millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo sævientibus bellis omninò diruium una cum sacrâ Icone disparuit. Quæ verò (si non eadem) in novo ei excitato satis magnifico templo asservatur, etsi parvula, pulcherima est, JESUM brachio sustinet, et suo insidet throno, è quo ad se confugientibus innumera beneficia liberaliter impertitur. Cæcutientes præcipuè et ocalorum quolibet malo affecti eam invisentes, optatum remedium, aliter inutiliter quæsitum, pluriès invenerunt. Tu Te Matrem.

AD LAUDES

Et per Horas Antiphonæ.

1. Ædificaverunt, ' construxerunt, jubente Deo, et jubente Rege, et compleverunt domum Dei istam.

2. Fecerunt ' autem Sacerdotes Dei et Levitæ Dedicationem domûs Dei in gaudio.

3. Et perfecta est ' domus in omni opere suo, et in universis utensilibus suis.

4. Complevitque Rex domum Domini, et omnia quæ disposuerat in corde suo ut faceret in domo Domini, et prosperatus est.

5. Audivit Dominus ' orationem Regis, et elegit locum istum sibi in domum sacrificii.

CAPITULUM. 2. *Reg.* 6. 2. Surrexit David, et universus populus qui erat cum eo, ut adducerent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in Cherubim super eam.

HYMNUS 268. *Salla.*

Principis jussu, supremo
Annuente Antistite,
Urbis ortodoxæ Ilerdæ
Corda mœstus prislinam
Sede mysticâ coruscam
Clerus ædem deserit.

Quem sacram secum Synaxim
Plebs ferentem prosequens
More flet, quo derelictas
Persicos ad fluvios
Abrahamo sati exulantes
Porticus sionias.

Una spes luctus acerbæ
Orbitatis temperat
Regiâ fide Philippi
Nixa templi postmodùm
Pro relicto edendi alius
Haud eidem disparis.

Israelis sic dolorem
Templo ab atmo diruto
Rursùs hujus construendi
Rege Ciro à persico
E prophetalis recepta
Leniit fiducia.

Jam, Creator alme rerum,
Qui fidem prophelicam
Ciricam per missionem
Præstitisti, quemplam,
Qui fidem præstet Philippi,
Quandò Cirum præbeas?

Qui secundus sceptra gestat,
Tertius sed nomine,
Ecce plus quàm Cirus ille,
Inclytus Philippides
Hoc novæ Ilerdensis ædis
Conditor placentior.

Nam priori liquit impar
Flenda spectatoribus
Illius recens, at hujus
Oppido præstantior,

Quam vetus structura, læta
Exhibet discrimina.

Laus perennis sit Parenti
Laus sit æqua Filio,
Flamini sit compar almo,
Una quæ divinitas
Totius gubernat orbis,
Quæ creavit, omnia. Amen.

℣. Fundata est Domus Domini super verticem montium.

℟. Et exaltata est super omnes colles.

Ad Benedict. *ant.* Sint oculi tui aperti super Domum hanc nocte et die, ut exaudias quodcumque oraverint in loco isto, et cum exaudieris, propitius eris.

Oratio.

Deus, qui nobis per singulos annos hujus Mariani templi consecrationis reparas diem, exaudi preces populi tui, et præsta, ut omnes, qui hùc deprecaturi conveniunt, ex quâcumque tribulatione ad te clamaverint, consolationis tuæ beneficia, ipsâ Beatissimâ Virgine intercedente, feliciter consequantur. Per Domin.

AD PRIMAM.

Ant. Ædificaverunt. *Capit.* Surrexit. *de Laudib.*

CANON.

Ex Calixto Papâ Tertio.

Const. Quamvis ad univers. *ann.* 1458. *asseruat. in Ecc. Ilerd.*

312. Quamvis ad universas orbis Ecclesias juxta pastoralis Officii debitum Apostolicæ dirigamus considerationis intuitum; tamen specialius ad Ecclesiam Ilerdensem, in quâ dudùm in adolescentiâ consitùi Canonicatum et Præbendam recolimus habuisse; ut illius status jugiter floreat, nostros persæpè diffundimus cogitatus. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. 1. *Esdr.* 7. 27. Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificaret Domum Domini.

℟. *br. de Communi.*

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Aggæi* 2. 10. Magna erit gloria domûs istius novissimæ plusquàm primæ, dicit Dominus exercituum: et in loco isto dabo pacem.

AD NONAM.

CAPITULUM. 1. *Mach.* 4. 56. Fecerunt Dedicationem Altaris diebus octo et obtulerunt holocausta cum lætitiâ, et Sacrificium salutaris et laudis.

In II. Vesper. ant. de Communi, à capit. sequentis.

DIE XXIX. MAJI.

SS. LACTIS ET ALIARUM RELIQUIARUM B. V.

Duplex.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Balingh. Kal. mar. die 28. *Maj.* Gaudent Veneti duobus præclaris virginei MARIÆ lactis pignoribus, quorum quidèm alterum eò Constantinopoli transmissum cum aliis pluribus reliquiis, Ducis Henrici temporibus, et in Parrochiali Sancti Prophetæ Simeonis æde ampliâ reconditum asservatur: alterum videre est in ducali Sancti Marci Templo simili inclusum ampullâ. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Hic verò thesaurus cum insigni reliquiarum copiâ tum Salvatoris nostri, tùm ejusdem Virginis MARIÆ, et aliorum Sanctorum relectus fuit anno millesimo sexcentesimo decimo septimo in quodam concavo sacrarii templi istius pariete. Omnia

autem sacra illa monumenta per vicos civitatis solemni ritu, eodem anno, Dominicâ in vigesimam octavam diem Maji recurrente, in supplicationem educta sunt, quâ quidem antehâc nulla, aut ad plausum festivior, aut ad splendorem illustrior, aut augustior ad pompam Venetiis fuit conspecta. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Pegmate igitur in formam pyramidis erecto, quod attalici panni amictu splendidissimè collucebat, quatuor circumquaque gradibus industriæ assurgentibus, compositis super aureis et argenteis locumentis, in quibus hæ beatissimæ Virginis reliquiæ collocatæ fuerunt. Primas obtinebat lac Virgineum, deindè rogæ ejus, palli vel linguli, palmæ, sepulchri particulæ constitutæ, inter quas sibi etiàm sedem vindicabant fragmenta loci, tùm illius, in quo mysterium Annuntiationis completum fuit, tùm illius, quem utero virgineo egressus Redemptor mundi primo suo beavit aspectu. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Cypriani Episcopi et Martyris.

De Nativit. Christi.

Angelica sanè non est credenda ibi ministeria defuisse, nec recesserat à venerabili pectore Matris Spiritus Sanctus, ad verbum Gabrielis elapsus. Possidebat domum suam, et templum, quod sibi consecraverat, adornabat: servabat sacrarium suum, et sanctimoniæ thalamum honorabat. (*Lect.* 8.) Lætificabant consolationes hujusmodi animam beneficiam, et tanti habitatoris reverentiâ concupiscentiarum ludibria abigebant: legem mentis lex carnis non infestabat, rebellio nulla quietem spiritûs affligebat. Tu.

Bened. Cujus Reliquias.

LECTIO 8.

Parvulus sugens ubera purâ alimoniâ utebatur, et fons sacri pectoris defecatum edulium ori mundissimo infundebat. (*Lect.* 9.) Sed et cor Matris quædam dulcedines, quæ humanum superant intellectum, imbuebant: eratque utrimque mira jucunditas, cum pia sanctæ Matris et devota humilitas, et Sancti Sanctorum immensa benignitas confuderatis affectibus mergerentur. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Comm. Nostræ Dominæ Ardentium.

Balingh. Kal. mar. p. 298.

Altrebati Festum nostræ Dominæ Ardentium, quod inchoatur ipso profesto venerabilis Sacramenti, et Dominicâ infra ejusdem octavam solemne admodum est, sacrô cereo subter augustum conopeum ad summam Ædem Virginis, committantibus primoribus urbis, delato, ac fusâ ibi prece, suum in locum pari pompâ relato. Fuit autem hic sacer cereus anno millesimo ducentesimo nonagesimo quinto à Virgine Matre duobus Histrionibus liberio, et Normanno traditus ad curandos eos, qui igne sacro incensi erant, epotâ aquâ, in quam ex illo guttæ aliquot stillaverant. Atque ipso statim dati pignoris indio centum quadraginta quatuor ab isto igne sacro statim sanati sunt. Gaudet tamèn isto privilegio cereus iste sacer, ut quantumlibet accendatur, numquàm minuatur. Tu. Te Matrem.

Cum secundis Vesper.

DIE XXXI. MAJI.

D. V. MESSAN. AB ALTO.

Simplex.

LECTIO 1.

Octav. Cujet. de Effig. sicutis.

Messanæ in Siciliâ in colle cappellâ dicto ædicula erat, in quâ duo religiosi viri vitam austeram degebant. Horum alteri, qui Nicolaus appelabatur, Diva Virgo per quietem visa præcepit, ut primâ luce Messanensem Magistratum adiret, suoque nomine diceret, ut eo in loco templum sibi ædificaret sub titulo Sanctæ MARIÆ ab Alto. Sed experrectus Nicolaus, nullâ illis fide habitâ, ad Magistratum ire neglexit, quarè sequenti nocte sub iratu vultu ei apparuit, increpuitque, et dedit ei signum hoc, ut à Magistratibus crederetur: Sub meridiem nitidissimam columbam è cœlo devolaturam, quæ tantum spatii volatu suo circumscribet, quantum templi amplitudinem volo. Tu. ℟.

LECTIO 2.

Nicolaus igitur, ut illuxit, ad juratos Patres accurrit, et visionem illis enarrat, qua propter Magistratus ad montem condictâ horâ conscendunt cum ingenti populo: et ecce meridiano tempore, delapsa columba arcâ Virginis templum describit, et iterum transvolat in sublime. Mox apertis fundamentis, Regina Constantia cum regio comitatu, cunctis propriis manibus ad Reginæ exemplum lapides comportantibus, Capperinæ Montem conscendit primumque ipsamet, quem tulerat, in fundamenta lapidem jecit: subindè reliqua hominum ac mulierum multitudo sua quisque saxa conjecit, tantusque fuit omnium ardor, ut brevi templum confectum est. Extat hæc historia in eodem templo in tabellâ descripta à Matthæo Rubino Messanensi Notario regio. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Nicopææ.

Gumpenb. Imag. 29.

Nicopæam, id est, victoriosam Virginis Deiparæ Imaginem, Divi Lucæ opus, jam dudùm in Palatii Constantinopolitani sacrario servarunt Imperatores Orientis, ne multò à corde suo abesset thesaurus. Numquàm illi sine hâc in hostes ibant, certi semper indubitatæ victoriæ. Ea propter adjutricem invictam, belli sociam appellarunt. Fuit Oriente Diva Nicopœia pluribus sæculis, dum deniquè ad Occidentem Dandalus Venetorum Princeps eam, deduxit. Venetiæ urbs obviam tantæ Patronæ effusa, mare implevit navigiis, et post mille triumphales lætitias ducali Sacello illata est. Sed erecto demùm magnifico altari, ut publico benè esset, in Divi Marci templo est reposita, ubi ingentibus beneficiis maximè claret. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

FESTA JUNII.

DIE 1.

SPECIOSITATIS B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Majestatem tuam, Omnipotens Deus, supplices deprecamur, et qui, exultantibus animis, beatissimæ semperque Virginis MARIÆ Speciositatem celebrare gaudemus, ejus gloriosis precibus et meritis ab instantibus malis, et à morte perpetuâ liberemur. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de ferid.

IN II. NOCT.

Ex verbis V. Viri Idiotæ in Contemplatione Beatæ Virginis. *c.* 3.

autem sacra illa monumenta per vicos civitatis solemni ritu, eodem anno, Dominicâ in vigesimam octavam diem Maji recurrente, in supplicationem educta sunt, quâ quidem antehâc nulla, aut ad plausum festivior, aut ad splendorem illustrior, aut augustior ad pompam Venetiis fuit conspecta. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Pegmate igitur in formam pyramidis erecto, quod attalici panni amictu splendidissimè collucebat, quatuor circumquaque gradibus industriæ assurgentibus, compositis super aureis et argenteis locumentis, in quibus hæ beatissimæ Virginis reliquiæ collocatæ fuerunt. Primas obtinebat lac Virgineum, deindè rogæ ejus, palli vel linguli, palmæ, sepulchri particulæ constitutæ, inter quas sibi etiàm sedem vindicabant fragmenta loci, tùm illius, in quo mysterium Annuntiationis completum fuit, tùm illius, quem utero virgineo egressus Redemptor mundi primo suo beavit aspectu. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Cypriani Episcopi et Martyris.

De Nativit. Christi.

Angelica sanè non est credenda ibi ministeria defuisse, nec recesserat à venerabili pectore Matris Spiritus Sanctus, ad verbum Gabrielis elapsus. Possidebat domum suam, et templum, quod sibi consecraverat, adornabat: servabat sacrarium suum, et sanctimoniæ thalamum honorabat. (*Lect.* 8.) Lætificabant consolationes hujusmodi animam beneficiam, et tanti habitatoris reverentiâ concupiscentiarum ludibria abigebant: legem mentis lex carnis non infestabat, rebellio nulla quietem spiritûs affligebat. Tu.

Bened. Cujus Reliquias.

LECTIO 8.

Parvulus sugens ubera purâ alimoniâ utebatur, et fons sacri pectoris defecatum edulium ori mundissimo infundebat. (*Lect.* 9.) Sed et cor Matris quædam dulcedines, quæ humanum superant intellectum, imbuebant: eratque utrimque mira jucunditas, cum pia sanctæ Matris et devota humilitas, et Sancti Sanctorum immensa benignitas confuderatis affectibus mergerentur. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Comm. Nostræ Dominæ Ardentium.

Balingh. Kal. mar. p. 298.

Altrebati Festum nostræ Dominæ Ardentium, quod inchoatur ipso profesto venerabilis Sacramenti, et Dominicâ infra ejusdem octavam solemne admodum est, sacrô cereo subter augustum conopeum ad summam Ædem Virginis, committantibus primoribus urbis, delato, ac fusâ ibi prece, suum in locum pari pompâ relato. Fuit autem hic sacer cereus anno millesimo ducentesimo nonagesimo quinto à Virgine Matre duobus Histrionibus liberio, et Normanno traditus ad curandos eos, qui igne sacro incensi erant, epotâ aquâ, in quam ex illo guttæ aliquot stillaverant. Atque ipso statim dati pignoris indio centum quadraginta quatuor ab isto igne sacro statim sanati sunt. Gaudet tamèn isto privilegio cereus iste sacer, ut quantumlibet accendatur, numquàm minuatur. Tu. Te Matrem.

Cum secundis Vesper.

DIE XXXI. MAJI.

D. V. MESSAN. AB ALTO.

Simplex.

LECTIO 1.

Octav. Cujet. de Effig. sicutis.

Messanæ in Siciliâ in colle cappellâ dicto ædicula erat, in quâ duo religiosi viri vitam austeram degebant. Horum alteri, qui Nicolaus appelabatur, Diva Virgo per quietem visa præcepit, ut primâ luce Messanensem Magistratum adiret, suoque nomine diceret, ut eo in loco templum sibi ædificaret sub titulo Sanctæ MARIÆ ab Alto. Sed experrectus Nicolaus, nullâ illis fide habitâ, ad Magistratum ire neglexit, quarè sequenti nocte sub iratu vultu ei apparuit, increpuitque, et dedit ei signum hoc, ut à Magistratibus crederetur: Sub meridiem nitidissimam columbam è cœlo devolaturam, quæ tantum spatii volatu suo circumscribet, quantum templi amplitudinem volo. Tu. ℟.

LECTIO 2.

Nicolaus igitur, ut illuxit, ad juratos Patres accurrit, et visionem illis enarrat, qua propter Magistratus ad montem condictâ horâ conscendunt cum ingenti populo: et ecce meridiano tempore, delapsa columba arcâ Virginis templum describit, et iterum transvolat in sublime. Mox apertis fundamentis, Regina Constantia cum regio comitatu, cunctis propriis manibus ad Reginæ exemplum lapides comportantibus, Capperinæ Montem conscendit primumque ipsamet, quem tulerat, in fundamenta lapidem jecit: subindè reliqua hominum ac mulierum multitudo sua quisque saxa conjecit, tantusque fuit omnium ardor, ut brevi templum confectum est. Extat hæc historia in eodem templo in tabellâ descripta à Matthæo Rubino Messanensi Notario regio. Tu. ℟.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Nicopææ.

Gumpenb. Imag. 29.

Nicopæam, id est, victoriosam Virginis Deiparæ Imaginem, Divi Lucæ opus, jam dudùm in Palatii Constantinopolitani sacrario servarunt Imperatores Orientis, ne multò à corde suo abesset thesaurus. Numquàm illi sine hâc in hostes ibant, certi semper indubitatæ victoriæ. Ea propter adjutricem invictam, belli sociam appellarunt. Fuit Oriente Diva Nicopœia pluribus sæculis, dum deniquè ad Occidentem Dandalus Venetorum Princeps eam, deduxit. Venetiæ urbs obviam tantæ Patronæ effusa, mare implevit navigiis, et post mille triumphales lætitias ducali Sacello illata est. Sed erecto demùm magnifico altari, ut publico benè esset, in Divi Marci templo est reposita, ubi ingentibus beneficiis maximè claret. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

FESTA JUNII.

DIE 1.

SPECIOSITATIS B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Majestatem tuam, Omnipotens Deus, supplices deprecamur, et qui, exultantibus animis, beatissimæ semperque Virginis MARIÆ Speciositatem celebrare gaudemus, ejus gloriosis precibus et meritis ab instantibus malis, et à morte perpetuâ liberemur. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de ferid.

IN II. NOCT.

Ex verbis V. Viri Idiotæ in Contemplatione Beatæ Virginis. *c.* 3.

LECTIO 4.

Speciositas tua Beatissima Virgo MARIA designatur per septuplicem speciem, quæ in sacrâ Scripturâ invenitur. Est namque species olivæ, de quâ legitur: quasi oliva speciosa in campis. Est species columbæ de quâ canitur: vidi Speciosam sicut columbam. Est species cœli, de quâ legitur: species cœli cum visione gloriæ. Est species ignis in nocte, de quâ scribitur: operiebat tabernaculum, quasi species ignis. Est species arcûs de quâ scribitur: vidi arcum, valdè speciosus est. Est etiàm species solis de quâ legitur: est enim speciosior sole. Tu.

℟. Vidi Speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum: * Cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus, alleluia, alleluia. ℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. ℟. Cujus.

LECTIO 5.

Species olivæ consistit inter cætera in viroris amœnitate. Sic tua species, ô Beatissima Virgo MARIA, consistit inter alia in fidei sinceritate. Species columbæ consistit in simplicitate, pulchritudine oculorum, colorum mutatione et varietate circa collum. Sic, ô Beatissima Virgo MARIA, species tua consistit in humilitate, in pulchritudine sanctorum cogitatuum, et doctrinæ varietate, quæ in collo intelligitur, quia doctrix fuisti doctorum, et Magistra apostolorum. Species Libani consistit in continuâ virgultorum fœcunditate, et delectabilium florum candore, et significat candorem tuæ fœcundæ Virginitatis. Species cœli est in visione gloriæ, et significat in te contemplationis sublimitatem. Tu.

℟. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, * Sancta Dei genitrix, allel. allel. ℣. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata juxta aquam in plateis. —Sancta.

LECTIO 6.

Speciositas ignis consistit in ardore et splendore. In te autem, ô Beatissima Virgo MARIA fuit ignis charitatis ardens, et splendens ante Deum, et nos miseros peccatores protegens. Arcus cœlestis fit ex radiis solis in humidâ nube, et significat Incarnationem Filii tui superbenedicti in te. Species solis consistit in splendentium radiorum emissione, et significat in te, advocata nostra Virgo MARIA, largam gratiarum effusionem in omnes, qui se convertuntur ad te, quæ es sole speciosior, et emissione gratiarum fœcundior. Tu.

℟. Ave MARIA, speciosior sole, speciosior igne: * Decor Carmeli et Saron, allel. allel. ℣. Ista est speciosissima inter filias Jerusalem.—Decor.—Gloria.—Decor.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ cui Nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat JOSEPH. Et reliqua.

Homilia S. Hesichii Presb. Jerosolymitani.

Orat 2. *in SS. Deipar.*

Jure procul dubio omnis grati animi lingua salutat Virginem et Deiparam, ac pro viribus Gabrielem Angelorum Principem imitatur. Itaque hic quidem dicit ei: Ave: ille verò acclamat: Dominus ex te, eò quod Dominus editus assumptâ carne apparuerit humano generi.

Iste cognominat eam matrem lucis: ille stellam vitæ: alius Dei thronum appellat: alius templum majus cœlo: alius cathedram non inferiorem cathedrâ cherubicâ. Tu.

℟. Vide arcum et benedic eum qui fecit illum: * Valdè speciosus est in splendore suo. ℣. Ego quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ.—Valdè.

Bened. Cujus Speciositatem.

LECTIO 8.

Alius item hortum non seminatum, fertilem, inculum, vitem uvarum feracem, valdè florentem, intactam, turturem mundam, columbam impollutam, nubem pluvias incorruptas continentem, specimem cujus gemma sole splendidior, fodinam, undè prodit lapis totam terram tegens, à nullo incissus: navem mercibus refertam, nulloque egentem gubernatore, thæsaurum locupletantem. Tu

℟. Pulcritudo ejus species cœli in visione gloriæ, sol in aspectu, * Species cœli, gloria stellarum allel. allel. ℣. Amica mea, columba mea, speciosa mea.—Species. Gloria. Species.

LECTIO 9. *Si transferatur.*

Alii similiter lucernam oris expertam, quæ à se ipsâ jugiter ardeat: arcam arcâ Noë latiorem, longiorem, illustriorem: illa erat animalium arca, hæc autem arca vitæ: illa corruptibilium animantium, ista verò vitæ incorruptibilis: illa ipsum Noe, hæc verò ipsius Noe factorem portavit: illa duas et tres contignationes et mansiones habebat, hæc autem universum Trinitatis complementum: quandò quidem et Spiritus Sanctus advenisset, et hospitabatur, et Pater obumbrabat, et Filius utero gestatus inhabitabat. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Legionensis de Regulâ

Gump. Imag. 51.

Statua Beatæ Virginis de Regulâ, quam pietas Hispanorum, Mauris Hispaniam vastantibus, eorum furori subduxit, subque terrâ abscondidit, inventa fuit anno millesimo trecentesimo trigesimo tertio, à quodam Canonico Regulari Cathedralis Legionensis, ipsâ Deiparâ eidem locum indicante. Admoto igitur cespite, reperta fuit Sanctissima Imago, cui sine morâ structum fuit templum et juxta templum cœnobium pro Canonicis regularibus, qui sacrum celebrarent: Denique locus omnis cessit cum sacrâ Statuâ Sancti Augustini Eremitis. Hanc Imaginem Deiparæ Hispani pietate suâ ità piam fecerunt, ut hodiè inter maximè prodigiosas totius regni, totiusque orbis Christiani haberi possit. Tu. Te Matr.

CANON.

Ex D. Thomâ Aquinate.

Serm. de Ann.-ap. Camós t. 3. *c.* 5.

513. Beata Virgo est speciosa, gratiosa, gloriosa. Speciosa propter candorem Virginitatis, rubor-em charitatis, rectitudinem sanctitatis et benignitatem humilitatis; propter flores desiderabilium morum, propter pulcherrima folia dulcium verborum. Tu.

Cum II. Vesp.

DIE III. JUN.

SEPT. VERBORUM B. M. V.

Duplex majus.

In 1. *Vesp. Capit. et orat. de Laud.*

AD MATUTIN.

IN I. NOCT.

De Epistolâ Catholicâ Beati Jacobi Apostoli.

LECTIO 1. *c.* 1. 19.

Scitis fratres mei dilectissimi, sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur. Si quis autem putat se religiosum esse non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Tu. ℣.

LECTIO 2. *c.* 3. 2.

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Potest etiam fræno circumducere totum corpus... Linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsâ benedicimus Deum et Patrem: et in ipsâ maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam? Nunquid potest, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam. Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bonâ conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Tu. ℣.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo B. Virginis. *c.* 6.

LECTIO 4.

Invenimus in Evangelio septem mellifluas sententias, de mellifluis MARIÆ labiis distillantes, et mellifluam labiorum ejus gratiam optimè indicantes, juxta illud canticorum: Favus distillans labia tua. Septem mellis stillæ sunt septem verba dulcissima MARIÆ, quæ ad Angelum, ad hominem et ad Deum legitur habuisse. Duo ad Angelum, duo ad hominem et tria ad Deum. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Ad Angelum MARIA habuit verbum castitatis, et verbum humilitatis. Verbum castitatis, quandò Angelo respondens dixit: Quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco? Verbum autèm humilitatis, quandò Angelo humiliter respondens dixit: Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. Item ad hominem habuit verbum charitatis, et verbum veritatis. Verbum charitatis, quandò matrem Præcursoris tàm affectuosè salutavit, quòd etiàm infans in utero ejus exultavit. Verbum veritatis, quandò deficiente vino ministro dixit: quodcumque dixerit vobis, facite. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Habuit autem MARIA ad Deum verbum gratulativum, querulativum, et compassivum. Verbum gratulationis MARIA ad Deum habuit in labiis, quandò pro eo quod Deus humilitatem suam respexit, dixit: Magnificat anima mea Dominum. Verbum querulationis, quandò Filio, per triduum amisso, dixit: Fili, quid fecisti nobis sic: Pater tuus et ego dolentes quærebamus te. Verbum compassionis, quandò in nuptiis Filio dixit: Vinum non habent. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 12. 34.

In illo tempore: Dixit JESUS Pharisæis: ex abundantiâ cordis os loquitur. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis.

De sept. Verb. B. V. M.

Quis inter puros homines melior homo potest excogitari, quàm illa quæ meruit effici Mater Dei, quæ novem mensibus in corde et in utero suo Deum hospitata est? Quis thesaurus melior, quàm ipse divinus amor, quo fornaceum cor Virginis ardens erat? De hoc igitur corde, quasi de fornace divini ardoris Virgo beata protulit verba bona, id est, ardentissimæ charitatis. Tu. ℣.

Bened. 8. Cujus Verba.

LECTIO 8.

Septem verba tantùm miræ sententiæ, et virtutis à Christi benedictissimâ Matre leguntur dicta, ut mysticè ostendatur ipsam fuisse plenam gratiâ septiformi. Cum Angelo bis tantùm locuta est. Quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco? et, ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Cum Elizabeth bis etiàm, scilicet primò illam salutando, secundò laudando, cum ait: Magnificat anima mea Dominum. Cum Filio etiàm bis: semèl in templo: Fili, quid fecisti nobis sic: secundò in nuptiis. Cum ministris semèl: quodcumque dixerit vobis, facite. Tu ℣.

LECTIO 9.

Et in his omnibus sempèr valdè parùm locuta est, excepto, quod in laudem Dei, et gratiarum actionem se amplius dilatavit, scilicet, cum ait: Magnificat anima mea Dominum: ubi non cum homine, sed cum Deo locuta fuit. Hæc septem verba secundum septem amoris processus et actus sub mùro gradu et ordine sunt prolata, quasi sint septem flammæ fornacei cordis ejus. Distinguamus igitur per ordinem has septem flammas amoris verborum Virginis benedictæ. Prima est flamma amoris separantis: secunda amoris transformantis: tertia amoris communicantis: quarta amoris jubilantis: quinta amoris separantis: sexta amoris compatientis: septima amoris consummantis. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES et AD PRIMAM.

CAPITULUM. *Prov.* 12. 14.

De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis: et juxta opera manuum suarum retribuetur.

℣. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, alleluia.

℟. Super mel ori meo, alleluia.

Ad Benedict. *ant.* Ex abundantiâ cordis loquitur os: bonus enim homo profert de thesauro cordis sui bona, alleluia, allel.

Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui septem melliflua verba Sanctissimæ Matris tuæ veneramur, nunquàm peccemus in verbo, sed in omnibus, ipsâ intercedente, placeamus. Qui vivis.

Cap. ad Prim. de Laudib.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Episcopo.

Spec. B. V. Lect. 6.

314. Considerate, carissimi, in MARIA gratiam labiorum, de quâ in Psalmo dicitur: Diffusa est gratia in labiis tuis. Tanta siquidem fuit gratia labiorum in MARIA, ut ipsa optimè per Judith signari possit, de quâ dicitur: Non est mulier talis super terram in aspectu, in pulchritudine et in sensu verborum. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Eccl.* 26. 18.

Mulier sensata et tacita non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Eph.* 4. 29.

Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad

ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Colos. 4. 6.*

Sermo vester semper in gratiâ sale sit conditus, ut sciatis, quomodò oporteat vos unicuique respondere.

In 2. Vesper. Cap. et Orat. de Laudibus.

DIE V. JUN.

PERFECTIONIS B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Bonitatem tuam, quæsumus, Domine, suppliciter deprecamur, ut qui Perfectionem Sanctissimæ Genitricis tuæ devotè recolimus, ab omnibus mentis et corporis periculis eruamur. Qui vivis.

Lect. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis. *Tom. 1. Ser. 61. c. 9.*

LECTIO 4.

Tanta est Beatæ MARIÆ perfectio, ut ipsa sit consummatio et perfectio totius creaturæ. Omnes enim naturas, et mundi perfectiones ultimâ suâ perfectione Virgo complevit. Deus quidem licet in mundi creatione nihil produxerit imperfectum, sed omnia perfecta sicut eorum exigebat natura, tamen ultimæ perfectionis consummatio usque ad partum Virginis dilatata est, et soli Virgini reservata. Omnia namque entia unum ens nobilissimum appetebant: viventia unum nobilissimum vivens: sentientia unum nobilissimum sentiens: conceptiones unum nobilissimum conceptum: nativitates optimum nascibile: rationalia singularissimum rationale: spiritualia excellentissimum spirituale. Et brevitèr omnes creaturæ appetebant unum quoddam optimum, purum creatum. Tu. ℣.

LECTIO 5.

His sic existentibus imperfectis provisum est mundo de unâ feminâ, super omnibus benedictâ, quæ unico suo partu omnibus generibus summam et ultimam perfectionem adduxit. Adverte diligens anima, quæ hæc benedicta Puella tantam perfectionem attulit universo, quòd ulterioris perfectionis non est capax. Nec Deus potest ordinariâ potestate ipsum perficere ulteriore perfectione: immò si ipse Pater vel Spiritus Sanctus de feminâ nasceretur, nihil accresceret orbi, quiâ quidquid nobilitatis, quidquid dignitatis, et quidquid divinitatis est, totum in orbe diffusum est et productum per Virginem in illo æterno supposito, quod generavit beatissima Virgo. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Nec Virgini magnum est, quòd perfectionibus orbis ultimam perfectionem adduxit, cum et ipsi universitatis Auctori nonnullas perfectiones adduxerit, puta æterno principio incœptionis exordium, eternitati divinæ temporalem periodum, infinitati immensæ quantitatem corpoream, speciei æternæ pulchritudinem novam, pro quibus omnibus scriptum est: omnis consummationis vidi finem, qui scilicet est Beata Virgo. Tu. ℣.

Homilia de Comm. pro Duplic. Bened. S. Cujus Perfectionem.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Bruxellensis de Victoriâ.

Baling. ex Molano die 3. Junii.

Bruxellæ Commemoratio Sanctæ MARIÆ semper Virginis, instituta ch gloriosam victoriam, quam hodiè apud Werongiam, in Archiepiscopatu Coloniensi, oblinuit Joannes primus, Lotharingiæ, Brabantiæ et Lemburgiæ Dux. Erat Werongia prædonum nidus, qui negotiatoribus ac peregrinis plurima inferebant damna. Quarè eam Joannes obsedit, ac cepit, et licèt decuplo plures essent hostes, obviam tamèn his processit, acerrimèque ipsemet pugnavit, ac post diuturniorem conflictum victor evasit, paucis è suis desideratis, multis verò è parte hostili peremptis. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Sancto Hieronymo Presbytero. *In Serm. B. V. Flores. Patr. p. 438.*

515. Sicut in comparatione Dei nemo bonus: ita etiàm in comparatione Matris Domini nulla «creatura» inveniter perfecta, quàmvis eximia virtutibus comprobetur. Tu.

Vesperæ à Capitul. sequentis.

DIE VI. JUN.

MANIFEST. S. M. IN COSMEDIN.

Duplex.

Oratio.

Bonorum omnium largitor Deus, qui Genitricis dilecti tui speciosam Imaginem mirâ apparitione clarificare voluisti: concede, quæsumus, ut ejusdem Beatæ MARIÆ Virginis intercessione ad cœlestem patriam feliciter perducamur. Per eumdem.

Lect. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

De Epistolâ S. Ignatii Ep. et Martyris ad Trallianos.

LECTIO 4.

Obturate igitur aures vestras, cum vobis quispiam loquitur excludens JESUM-Christum Filium Dei, qui natus est ex David, qui ex MARIA, qui verè genitus est ex Deo, et ex Virgine: verùm non simili modo... Verè genuit igitur MARIA corpus habens in se Deum habitantem, et reverà natus est Deus Verbum ex Virgine, vestitus corpore obnoxio iisdem passionibus nobiscum: verè conceptus est in vulvâ, qui omnes homines in vulvâ fingit, et corpus sibi fecit ex sanguine Virginis, hoc solùm excepto, quod nulla viri consuetudo intercesserit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Sermo S. Procli Arch. Constantinop. *Orat. 6.*

Hæc Virgo beata est quasi oliva fructifera plantata in domo Domini, ex quâ Spiritus Sanctus Domini corporis ramum accipiens, tempestate jactato humano generi delulit, fausté de cœlo annuntians pacem. Ipsa floridus ac immarcessibilis hortus, in quâ lignum vitæ plantatum universis liberè fructus immortalitatis præbet. Ipsa novæ creaturæ cœlestis globus, in quâ Sol justitiæ nunquàm occidens, omnem ab animâ omni peccatorum morlem fugavit. Ipsa virginum gloriatio, matrum exultatio, Ecclesiæ diadema, rectæ fidei expressa forma, pietatis signaculum, veritatis norma indumentum temperantiæ, vestis virtutis, justitiæ munitio, sanctæ Trinitatis domicilium. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Ex officio proprio.

Imago Beatæ Virginis in Ecclesiâ in Cosmedin collocata in aræ principe, quæ Clemente Papâ decimo sedente, uti constanti traditione accepimus, mirabilitèr sacro Pentecostes die publico cultui non reserata, in Missarum solemnia sacros inter hymnos angelici concentus, seris fractis, ostiolisque magno strepitu patefactis per se visendam adstantibus præbuit. Quibus permotus Clemens Papâ decimus tertius

hanc diem cum Oficio et Missâ in honorem Beatæ MARIÆ Virginis, ut in ejus festo ad Nives, nobis recolendam statuit: Pius verò Papa nonus cum Oficio et Missâ propriâ, ut Deiparæ specialis cultus adaugeri valeat. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 2. 1.

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater JESU ibi. Et reliqua.

Homilia S. Gaudentii Ep. Brixiensis.

Tract. 1. *de Lect. Evang.*

Et erat Mater JESU ibi. Ubi? utique apud gentes, nam Bealam MARIAM constat de gente Moabitarum ex Matre traxisse originem. Booz enim genuit Obed ex Ruth, utique illâ muliere Moabitide. *Lect.* 8. Obed autem genuit Jesse, Jesse genuit David Regem, de cujus semine nascitur JOSEPH, cui desponsa Virgo MARIA ejusdem quippè tribûs, quia alitèr non licebat, quæ genuit JESUM, qui dicitur Christus. Tu. ℣.

LECTIO 8. *Lect.* 9.

Ibi ergò erat Mater JESU: vocatus est autem et JESUS et discipuli ejus ad nuptias. Magnum mysterium pietatis! Ipse qui Sponsus est, invitatur; invitatur autem vocibus Prophetarum, illa præcantium: Domine, inclina celos tuos et descende. Et iterùm: excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Parisiensis de Tolerantiâ.

Gumpenb. 706.

Statua Deiparæ Sanctissimæ in templo Sancti Gervasii Parisiis honorabatur. Quidam Calvinista eam ritu carnificum decapitavit. Sed Rex Franciscus indoluit cum malum factum intellexit, et per præconem mille aureos accepturum promisit, qui reum tanti facinoris detulisset. Interea argenteam, sed inauratam Statuam è summo templo, summâ pompâ, quam ipse Rex secutus est, deportavit. Demùm hanc decapitatam, aliâ adhuc splendidiore supplicatione in templum S. Gervasii ipse comitatus est. Hos honores Deipara non sine miraculosis beneficiis sibi fieri, nihil dubium, sustinuit. Tu.

Te Matrem.

Vesperæ à Capit. sequentis.

DIE VII. JUN.

PATIENTIÆ B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Presta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui virtutem Patientiæ in beatissimâ Virgine devotè recolimus, invicto animo adversa hujus mundi superantes, per patientiam ad propositum nobis certamen curramus, et coronam consequamur æternam. Per Dominum.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo Ven. Thomæ à Kempis.

Serm. 24. *ad Noc.*

LECTIO 4.

Duo confert præcipua bona Sancta Conversatio MARIÆ, ad memoriam sæpè reducta. In bonis et prosperis docet te Deum ex intimo corde laudare, et in adversis patientem permanere. Ipsa sine intermissione Deum pro acceptis beneficiis altissimè laudavit, quæ ab ipso cæteris excellentiùs accepit. Ipsa in præsuris hujus sæculi mitem se semper exhibuit, et contemptibilia marisquàm prospera elegit. Nullum diem sine dolore transiit, nec tamen sine magnâ consolatione inter angustias

fuit. Omnis quippè tribulatio pro Christo suscepta dulcorat et lætificat, et quantò crebriùs quis malorum ictibus feritur, tantò potioribus donis augeri meretur. Doluit namquè vehementèr Virgo beata pro mundi erroribus, et pro multorum malitiis: compassa fuit verè pœnitentibus, et duritèr tentatis. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Doluit de perditione pravorum, qui contemnebant audire Verbum Dei: qui potiùs diligebant mundum, quàm cœlum: et divitias magis quærebant, quàm virtutes veras. Doluit de innocentium oppressione, et violentiâ malignorum: de contemptu pauperum, de elatione superborum, de negligentiâ divini cultûs, et de transgressione cœlestium mandatorum. Et quia mundus totus in maligno positus erat, et pauci ad videndum lumen æternum, quod mundo illuxerat, se disponebant, summæ pietatis Mater compassionum stimulis abundabat. In his patiens se habuit ducens vitam martyrio plenam, fundens lacrymosas preces cum singultibus pro salute animarum. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Quod si latiùs attendere velis, quæ et quanta in persecutione, atque in passione dilecti Filii sui sustinuit, invenies eam nimirùm tot amaras potiones ebibisse in vitâ, quot JESUS habuit ætatum momenta. Quandò enim passus est JESUS aliquem defectum et abjectionem hominum, et illa non defecit per compassionem? Si doluit, quandò JESUM ad horam perdidit, quantùm flevit, cum crucifigi et mori vidit? Notum est amentibus JESUM, quia maternus affectus excessit in condolendo generalem devotorum modum. Ideò si experiri gestis vim doloris in Matre, cogita vehementiam doloris in Virgine. Tu. ℣.

Homil. de Comm. pro Duplic.

Bened. 8. Cujus Patientiam.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Episc.

Spec. c. 6.

316. Dono Patientiæ et æquanimitatis tam impassibilissima fuit in mundo «Virgo MARIA», ut nec minimum impatientiæ vel odii vulnus sentiret.... Immò etiàm signum vulneris, signum passionis impatientiæ nec legimus, nec credimus in MARIA quandoquè apparuisse. Tu.

Vesper. à capitul. seq.

DIE VIII. JUN.

SAPIENTIÆ B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui devotis mentibus Sanctissimæ Virginis Sapientiam colimus, digna templa Spiritûs Sancti effici mereamur. Per Dom.

Lect. 1. *Noct.* Justi. *p.* 98.

IN II. NOCT.

Sermo S. Antonini Arch. Florentini.

De B. Virgin. c. 18. §. 1.

LECTIO 4.

Beata MARIA Sapientiam habuit in summo gradu, nam ut dicit Salomon: ubi humilitas, ibi et sapientia. Et Ptolomæus ait: quòd inter sapientes ille sapientior, qui et humilior. Sed beata MARIA humillima super omnes, et secundum regulam datam à Filio: Qui se humiliat, exaltabitur: et quantò magis se humiliat, tantò magis exaltatur. Sed beata MARIA exaltata fuit super choros Angelorum, ergo ipsa fuit humillima, imò et sapientissima. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Est autèm sapientia quidam gustus

spiritualis primæ veritatis per modum bonitatis. Sed quoad delectationem, quæ reperitur in gustu spirituali, Beata MARIA omnes antecellit. Nam dicit Beatus Gregorius in morali, quòd sapientia est donum reficiens mentem spe et certitudine. Sed spes et certitudo, quæ reperitur in Beatâ MARIA et haberi potest in præsenti, maxima fuit super omnes viatores. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Undè sicut esurire justitiam, quod est bonorum viatorum, et saturari eâ, quod est comprehensorum, quasi medium est comedere: ità delectatio gustûs spiritualis in Beatâ MARIA fit per modum comestionis, ad quod facit, quod dicitur in ejus personâ. Comedi favum cum melle meo, ut favus comestus sit delectatio ex contemplatione humanitatis Christi, mel ex cognitione Deitatis. Plena igitur fuit sapientiæ gratiâ, ut dicere valeat illud: venit in me Spiritus Sapientiæ. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c. 2. 28.*

In illo tempore: Ingressus Angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventuræ Episc. *Specul. B. V. c. 6.*

Spiritus Sanctus MARIAM per domum convenientissimè signavit; quàm sibi Sapientia increata cum septem columnis septem donorum Spiritûs Sancti excellentissimè ædificavit. Quicumque ergo columnas Spiritûs Sancti cœperit desiderare, ipse formam columnarum in istâ domo poterit invenire, quam pro columnis hujusmodi debet cum magnis desideriis et precibus convenire. Tu. ℣.

Benedict. Cujus Sapientiam.

LECTIO 8.

Similitèr quicumque septiformem Spiritûs Sancti gratiam adipisci desiderat, ipse florem Spiritûs Sancti in Virgine quærat. Per virgam enim ad florem, per florem ad Spiritum in ipso requiescentem pervenimus. *(Lect. 9.)* Per MARIAM ad Christum accedimus, et per Christum gratiam Spiritûs Sancti invenimus. Propterquod benè MARIAM alloquens Beatus Bernardus ait: Per te accessum habeamus ad Filium, ô Benedicta, Inventrix gratiam, Genitrix vitæ, Mater salutis, ut per te suscipiat nos, qui per te datus es nobis. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Viterbiensis ad Gradus.

Gumpenb. 591.

Templum Deiparæ in Urbe Viterbiensi magnificum erexit Cardenalis Capoccius circa annum millesimum ducentesimum vigesimum, quod ideò ad Gradus nominatur, quia per gradus plures ad id ascenditur. Origo autem hujus templi fuit præceptum ipsius Deiparæ, quæ in somnis Cardinali se videndam præbuit, ut templum eo in loco ei struerel. Primùm lapidem ipse posuit, ita et ursit opus, ut brevi stetit templum Virgini, toto populo senatuque Viterbiensi approbante, sacrum, quod Patribus Dominicanis amplissimâ donatione consignavit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Episcopo. *Spec. B. V. Lect. 7.*

317. Si MARIA plena fuit lumine Sapientiæ, quod à sole æterno recepit, priusquàm ipsum concepit, quantò plenior fuit, dum hunc solem tàm mirabilitèr concepit, et tàm totalitèr in se recepit? Tu.

Cum secund. Vesper.

DIE X. JUN.

D. V. PANORMIT. A CATENIS.

Simplex.

LECTIO 1.

Octav. Cajetan. de effigieb. Siculis.

Cum Siciliæ regimen Martinus administraret, tres capitis damnati fuerant, et cum ad furcas ducerentur, Virgo Deipara eorum innocentiâ commota, suo potenti nutu imbriferis nubibus cœlum obduxit: quare ingens exorta pluvia, fulguribus, tonitruisque horribilibus, cum quisquis ex satellitibus perquirerel, quò confugerel, impedimentum fuit, quo minùs illi supplicio fuerint affecti, nam omnes propinquum Sacellum almæ Virginis, cui tunc nomen erat à Portu, quia ad dexteram portûs partem situm erat, subeunt. Tu.

℣. Cum malè tres fuerint Martini tempore regis perducti ad furcas, grandine et imbre pluit. ℟. Misit in hanc MARIÆ Portûs tunc Virginis ædem damnatos vindex. ℣. Labitur inde dies.—Misit.

LECTIO 2.

Eo noxii introducti ex ipsomet pissimæ Matris Sacello spem cepere mortis evitandæ: itaque dum ingruit quàm maximè pluvia, fundendis illi precibus operam tradunt. Necesse fuit ob nimiam procellæ vim, et quod reliquum diei fuerat, et sequentem noctem ibi manere: quare, multiplicatâ custodiâ, additæ sunt miseris catenæ. Sed adfuit magnæ Matris auxilium coctu, et dum custodes somnum capiunt, sine ullo strepitu sponte catenæ omnes cecidere, eodemque ipso temporis momento aperta janua Sacelli, et voces videbantur à sacrâ imagine emitti: abite jam liberi, nec posteà timealis; etenim annuit meis precibus Filius, quem in ulais gesto et vos è vinculis exemit. Tu.

℣. Nocte regant MARIÆ numen: cecidere catenæ, atque soporatis omnibus, æde meant: ℟ Liberat hos veri Rex conscius. ℣. Undè Catenæ Virginis hoc templum non sine laude notant.—Liberat.—Gloria.—Liberat.

LECTIO 3.

Liberi illi vadunt, non latebras aut latibula petentes, sed palàm Virginis beneficium testari per urbem incedunt. Sed rursùs capti, ad præsidem ducuntur, qui ordine et ope Virginis liberati fuissent, intrepidi enarrant. Rei omnes admiratione commoti Martino Regi omnia deferunt. Interèà vulgatâ per urbem miraculi famâ, novo erga Virginem ardore succensus populus Panormitanus, ad Deiparæ ædiculam concurrit, multique mortalibus affecti morbis, sani ope Virginis domum rediere. Ipse Rex cum conjuge ad sacram Iconem pergunt, reosque omni supplicio absolvunt. Commutatum deindè nomen sacræ Imagini, et ab exemptis vinculis diva Virgo à Catenis numcupata fuit. Tu.

Te Matrem.

CANON.

Ex Gregorio Papâ Decimoquinto. *Const.* Collapsæ regular. §. 2. *ann.* 1622. *Tom. V. p. i. p. 422.*

518. Fratribus Eremitis Ordinis Beati Augustini Ecclesiam Sanctæ MARIÆ de Catenâ numcupatam Panormi, quæ per Beneficiatos regi consuevit, cum illius ædibus rectoralibus, ac juribus, ac pertinentiis suis universiis..... perpetuò concedimus. Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE XI. JUN.

DUODEC. PRÆROGATIV. B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui Beatissimam Virginem MARIAM Unigeniti tui Matrem duodecim Prærogativarum diademate coronare dignatus es; concede propitius, ut ipsâ intercedente, in regno gloriæ tuæ coronari mereamur. Per eamdem Dominum.

Lect. 1. *Noct.* Signum magnum. *p.* 299.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

In Signum magnum.

LECTIO 4.

Quis stellas nominet quibus MARIÆ regium diadema compactum est? Supra hominem est coronæ hujus rationem exponere, indicare compositionem. Nos tamen pro modulo nostræ exiguitatis abstinentes à periculoso scrutinio secretorum non incongruè forsitàn duodecim stellas istas duodecim prærogativas gratiarum intelligere videamur, quibus MARIA singulariter adornatur. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Siquidem invenire est in MARIA prærogativas cœli, prærogativas carnis, prærogativas cordis: et si fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habebimus forte stellas duodecim, quibus Reginæ nostræ diadema præfulget universis. Mihi sanè singularis rutilat fulgor, primò quidem in MARIÆ generatione; secundò in Angelicâ salutatione: tertio in Spiritûs Sancti obumbratione: quartò in Filii Dei inenarrabili conceptione. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Sic et in his quoquè sidereum planè irradiat decus, quod Virginitatis primiciera, quod sine corruptione fœcunda, quod sine gravamine gravida, quod sine dolore puerpera. Nihilominùs etiàm speciali quodam splendore in MARIA coruscat mansuetudo pudoris, devotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, Martyrium Cordis. Vestræ quidem sedulitatis erit, singula quæque diligentiùs intueri. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, exiolleus vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Super Signum mag.

Quid ergò sydereum micat in generatione MARIÆ? Planè quod ex Regibus orta, quod ex semine Abrahæ, quod generosâ ex stirpe David. Et in eo quod tam reverenter, atque officiosissimè ab Archangelo salutata est, ut jam in regali soliò supra omnes cœlestium ordines regionum exaltatam cernere videretur, et paulò minùs adoraturus feminam, qui solebat ab hominibus hactenus æquanimiter adorari, excellentissimum nobis nostræ Virginis meritum, et singularis gratia commendatur. Nihilominùs fulget etiàm novus ille conceptionis modus, ut non in iniquitate, quemadmodùm cæteræ omnes, sed superveniente Spiritu Sancto, solâ et de solâ sanctificatione MARIA conciperet. Tu. ℣.

Bened. 8. Cujus Prærogativas.

LECTIO 8.

Meritò proindè illam meruit benedictionem, et hanc non amisit: ut longè gloriosior fiat et virginitas ex fœcunditate, et ex virginitate fœcunditas, ac mutuis sese radiis

illustrare hæc duo sidera videantur. Jure etiàm illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes gravidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosâ voluptate concepit. Sic et in partu quàm lucidum est, quòd novâ exultatione novam edidit prolem sola inter mulieres à communi maledicto, et dolore parturientium aliena. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Gratissima sanè gemma in diademate micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi. An verò quis putat, quòd hâc carruerit gratiâ quæ gratiâ plena fuit? Pudibunda fuit MARIA: ex Evangelio id probamus. Et manifesta satis in Virgine ex hâc ipsâ mansuetudine virtus humilitatis illuscet. Nimirum collactaneæ sunt humilitas et mansuetudo, in eo confœderatæ qui dicebat: Discite à me quia mitis sum et humilis corde. Martyriumu demum Virginis (quam nimirum inter stellas diadematis ejus, si meministis, duodecimam nominamus) tam in Simeonis prophetiâ, quàm in ipsius Dominicæ Passionis Historiâ commendatur. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Corona stellarum duodecim erat in capite illius mulieris, quæ amicta sole, et cum lunâ in pedibus in cœlo apparuit, alleluia, alleluia.

Cum secund. Vesper.

DIE XII. JUN.

D. V. COLLISPRATI DE QUERCU.

Simplex.

LECTIO 1.

Bolland. Act. Sanctor. T. IV. Junii p. 846.

Pius quidam rusticus forte invenerat inter purgandum fœnile Domini sui Iconem Beatissimæ Virginis, effformatam veluti opere anaglypto in cocto lapide sesqui pedali: quam anno millesimo sexcentesimo nonagesimo die duodecimâ Junii reposuit inter ramos annosæ Quercûs in prædio Collegii Societatis JESU Montis Pollitiani, quod vulgò appellatur Poggio prado, distatque à civitate bis mille passus. Aliquandò post idem rusticus secum recogitans Iconem sibi deformatam esse, voluit ejus loco substituere aliam, sed prisinam movere non potuit loco suo, etiàm adhibitâ vi, cum tamen nullo retinaculo alligata staret. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Permotus autem Rector Collegii pluribus prodigiis, quibus Beata Virgo per suam Imaginem fideli populo prodigabat, cœpit anno millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, mense Junio fabricare Sacellum prope Quercum, ubi stabat Icon: quâ re magis excitatâ circumjecii populi religione, innumerabilis eo convenit turba Augusto sequenti, festo Beatæ MARIÆ assumptæ, et magnam contulit elemosinarum vim. Intercà autem dum ædificabatur Sacellum, contingit duarum energumenarum liberatio, et senex quidam rusticus atroci herniâ, quâ prodibant et pendebant intestina, omninò sanatus fuit. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Propter hæc et alia innumera beneficia quæ testabantur quotidiè afflicti homines se indè auferre, accelerata fuit fabricatio, ac novum Sacellum die vigesimâ primâ Novembris sequentis anni apertum est, cum frequentissimo populi concursu. Indè autem et sacra Icon ibidem perstat, et venerantium pietas crescit, et gratiæ curationum multiplicantur etiàm in hominibus

dissitis: atque adeò Româ et aliis ex locis magis adhùc remotis submissa fuerunt pulcherrima analhemata argentea, aliaque dona magni pretii ad Sanctissimam Virginem MARIAM de Quercu, vocari solitam Collis-Prati. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XIII. JUN.

B. M. V. DE DIVINO ADJUTORIO.

Duplex.

Lectiones. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

In Deprec. et laud. B. V. M.

LECTIO 4.

Sequimur te, ò Domina, ex totis præcordiis vociferantes ad te: Adjuva imbecillitatem nostram, aufer opprobium nostrum. Vides hanc tunicam pelliceam, quæ nos circumdedit? Tunica Evæ parentis nostræ est, quam ad nos olim misera illa transmisit, et supervestivit carnem filiorum suorum, sicut diploide confusione suâ..... Et quis liberabit nos à corruptelâ hujus miserrimæ pelliculæ. Gratia Salvatoris nostri Filii tui, Virgo MARIA, qui ut infirma nostra tolleret, sponte infirmatus est, et ut mors morti nostræ fieret, innocens pro peccatoribus moriturus est. Tu.

℣. Ubique pia, ubique misericors, ubique adjutorium nostrum: * MARIA ubique MARIA est. ℣. Adjuva nos Domina propter nomen sanctum tuum clamantes ad te juvâtèr.—MARIA.

LECTIO 5.

Et quis tam idoneus, ut loquatur ad cor Domini nostri JESU-Christi, ut tu felix MARIA, quæ in secretissimis amplexibus amantissimi Filii tui recubas in meridie sempiterno, ejusque familiarissimo colloquio cum plenâ cordis lætitiâ perfrueris? Loquere, Domina, quia audit Filius tuus, et quæcumque petieris, impetrabis. Invoca nomen ejus bonum super nos, ut curemur vetustâ hâc leprâ carnis et spiritûs. Exurge virus hoc mortiferum examinatura, quod de pomi sui reliquiis Eva nobis propinavit, quandò succi noxialis gustu ebriata est, et reliquias dimisit parvulis suis. Tu.

℣. Ut adjuvaret nos, omnibus omnia facta est MARIA, * In quâ se fecit hominem, qui fecit omnia. ℣. Data est illi omnis potestas in cœlo, et in terrâ ad salvandas gentes.—In quâ.

LECTIO 6.

Te, Domina, exorante, omne jugum nostrum computrescat à facie olei divinæ misericordiæ: renovetur, ut aquilæ juventus nostra, ut novi novâ voce novum canticum nobis civibus aggregati illic, ubi nova sunt omnia, jubilum sempiternum celebrantes in cymbalis jubilationis concinamus. Tolletur hæc crassa nebula ab oculis, ut revelatâ facie gloriam Domini speculantes in immensum illud pelagus divini luminis absorbeamur, et Domini Spiritu ac Deo nostro in vinculis charitatis astricti unum cum ipso efficiamur. Præstet hoc nobis tuo interventu, ò MARIA Filius tuus JESUS-Christus Deus et Dominus noster, cui laus et gloria, et gratiarum actio in sempiterna sæcula. Amen. Tu.

℣. Humano generi genuit quos Eva dolores, * Curavit genitus, Virgo MARIA, tuus. ℣. Auxilium terræ, fulgor, honorque poli.—Curavit.—Gloria.—Curavit.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 28.

In illo tempore: Ingressus Angelus

ad MARIAM, dixit: Ave gratiâ plena Dominus tecum. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Aquinatis.

Opusc. 8. *in Salut. Angel.*

Ave gratiâ plena: MARIA plena gratiâ extitit quoad refusionem in omnes homines. Magnum est enim in quolibet Sancto, quandò habet tantum de gratiâ quod sufficit ad salutem multorum, sed quandò haberet tantum quod sufficeret ad salutem omnium hominum hujus mundi, hoc esset maximum, et hoc est in Christo et beatâ Virgine. Nam in omni periculo ab ipsâ gloriosâ Virgine potes salutem obtinere. Tu.

℣. Est tibi ventorum et undarum, Virgo, potestas: * Commune imperium cum Patre Mater habes. ℣. O tu nostra salus, Virgo, tu janua cœli.—Commune.

LECTIO 8.

In omni etiàm opere virtutis potes eam habere in adjutorium, et ideò ipsa ait: In me omnis spes vitæ et virtutis. Sic ergò plena est gratiâ, et excedit angelos in plenitudine gratiæ, et ideò convenienter vocatur MARIA, quæ interpretatur illuminata in se. *Lect.* 9. Undè Isaiæ illi dicitur: Implebit splendoribus animam tuam. Et illuminatio in alios, quoad totum mundum, et ideò assimilatur soli et lunæ. Tu.

℣. Ante oculos ejus mœror, contagia labis, * Ærumnæ, clades, et dolor omnis abest. ℣. Sis clemens populo, sisque benigna tuo.—Ærumnæ.—Gloria.—Ærumnæ.

LECTIO 9.

Com. B. V. Salernitanæ de Sudore.

Ex Crisogon. discurs. 5. *n.* 65.

Imago Deiparæ rude penicillo depicta in pariete cujusdam domunculæ, Salerni in Regno Neapolitano, anno millesimo sexcentesimo undecimo, horâ ante solis occasum prodigiosum cœpit sudorem emittere aqueo liquori persimilem. Hujus rei famâ ingens hominum concursus mox est factus, pecuniâque collectâ continuò adeò copiosè, ut brevi nobile templum exsurrexerit. Et ne cuipiam suspicio oboriretur sudorem hunc vel casu, vel naturaliter, aliâ de causâ profluxisse, ex eo primùm tempore cœpit Imago illa Deiparæ miraculis illustrari. Tu. Te Matrem.

Vesp. à capit. de sequenti.

DIE XIV. JUN.

GLORIÆ B. MARIÆ V.

Duplex.

Lect. 1. *Noct. fer. occurr.*

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni Ep.

De Laudib. B. V. lib. 4. c. 6.

LECTIO 4.

Gloria MARIÆ in hoc multùm consistit, quod de ipsâ, ab initio sæculi multa non solùm dicta sunt, sed etiàm figurata sunt gloriosa. Ipsa enim illa civitas de quâ dicit Psalmus: gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Nec solùm dicta sunt, sed et dicuntur quotidiè, et dicentur usque in æternum. Sed quæ gloriosa? Quòd beatam eam dicent omnes generationes: Christus enim MARIÆ filius ipse heri, ipse hodiè, ipse et in sæcula. Et ipse qui antiquos inspiravit, ut de Matre suâ sub ænigmatibus gloriosa prædicerent. Ipse et quosdam modernos illustrat, ut de eâ gloriosa non taceant, et etiàm usque ad finem mundi super aliquos illustrabit, ut Matris præconio nova sempèr aliqua superaddant. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Multiplex autèm est MARIÆ gloria. Gloria MARIÆ Sacerdotalis, et regia generositas. Undè omnis gloria ejus filiæ regis, id est, sua

filiæ David, ab intùs. In sanctificatione collata ei sanctitas: undè: Benedicta gloria Domini, id est, MARIA de loco suo, id est, de matris utero. Omnimoda gratiositas. Undè Mulier gratiosa invenit gloriam omnimodæ honitatis, et virtuositatis. Conscientiæ plena tranquilitas, quam peccatum non remordebat. Undè gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Singularis et vera paupertas. Singularissima humilitas, quam Deus respexit, et adamavit, et meritò cujus ipsam omni virtute et gratiâ adimplevit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Primiliva et fœcunda virginitas, salvo flore. Singularis fœcunditas. Excellentissima Maternitas. Per ipsam humani generis redempta captivitas, et reparata libertas. Summæ honorificentiæ singularis, cum in morte temporalis mortis nexibus non est depressa. Glorificati corporis cum suis dotibus ante diem judicii ei collata felicitas. Supra naturam angelicam exaltata in eâ, sicut in Filio nostra humanitas. Supra totam cœlestem curiam collata ei plenaria potestas. Misericordiæ ejus indeficiens æternitas. Nunquàm alicui quantumlibet peccatori denegata ejus benignitas. Quomodò misereatur ingratis, etiàm et indignis benigna studiositas. Ad aspectum ejus in personis innumeris æmulata virginitas. Memoriæ ejus apud christianos indeficiens æternitas. Undè non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur à generatione in generationem. Tu. ℣.

Homil. de Comm. pro Dupl.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Minoricensis in Monte Tauro.

Gumpenb. 336.

Minor Insula Balearis, Minorica dicta, in Monte qui à Tauro nomen habet, Imaginem Deiparæ colit valdè miraculosam, quæ in eo monte per taurum à Patribus de Mercede inventa fuit. Ea est lignea tres palmos alta, formâ quæ pietatem conciliat. In eâ specu, in quâ reperta est, templum erectum fuit, temploque adjectæ sunt æides plures, tùm custodibus loci, tùm peregrinis. Nec desunt miracula, ita ut percelebris Taurensis Virgo evaserit etiàm in Sardiniam et Siciliam. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Episcopo.

Spec. B. V. Lect. 6.

519. Gloriosum gloriæ MARIÆ privilegium est, quod quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius in gloriâ est, hoc MARIA, hoc in MARIA, hoc per MARIAM est. Tu.

Vespero à capit. sequentis.

DIE XV. JUN.

TEMPERANTIÆ B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Deus qui Beatissimam Virginem MARIAM omnium virtutum exercitio sublimasti: concede propitius, ut ejus imitationi jugiter inhærentes, gloriam assequamur æternam. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de ferid.

IN II. NOCT.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.

De Virginibus, libr. 2.

LECTIO 4.

Sit igitur vobis tanquàm in imagine descripta virginitas, vitaque Beatæ MARIÆ, de quâ velut speculo refulget species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquàm in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Quid ergò exequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam? Alterum supra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse. Illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos jejunio dies. Et si quandò reficiendi successisset voluntas: cibus plerumque obvius, qui mortem arcerel, non delicias ministraret. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Dormire non priùs cupiditas, quàm necessitas fuit. Et tamèn cum quiescret corpus, vigilaret animus: qui frequentèr in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda præmuntiat. Prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conveniret, et hoc ipsum cum parentibus, aut propinquis. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. *v.* 28.

In illo tempore; Ingressus Angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratiâ plena Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Et reliqua.

Homilia S. Bonventuræ Ep.

In Spect. B. V. c. 4.

Vide carissime, quòd MARIA temperatissima fuit per sobrietatem. Ipsa enim est MARIA, cui dicitur: ne timeas, MARIA, invenisti enim gratiam. Nota quod dicitur, invenisti gratiam. Nunquàm MARIA tantam gratiam invenisset, nisi gratia MARIAM in cibo et in potu temperatissimam invenisset. *Lect.* 8. Non enim se compatiuntur gratia, et gula, quia impossibile est quòd homo simùl sit per gratiam Deo gratus, et per gulam ingratus. Bonum est ergò quærere gratiam et fugere gulam: dicit enim Paulus: bonum est gratiâ stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Tu. ℣.

Bened. 8. Cujus Temperantiam.

LECTIO 8.

Nota etiàm, quod dicitur: ecce concipies in utero. Nunquàm MARIA Deum in utero concepisset, si idem uterus contra Deum crapulosus fuisset, et si uterus ille mero æstuasset, cum venter mero æstuans ciò despumat in libidinem. Uterus ergò ille, qui Deo incarnato gravidatus est, nunquàm in cibo et potu intemperato gravatus est. Undè Joannes Chrisostomus ait: Comesatrix aut vinolenta MARIA nunquàm fuit. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Vitâ-bonâ.

Canòs l. 7. *c.* 8.

Deipara Sanctissima sub titulo de Vitâ-bonâ impensè colitur prope Rivipullum in Cathalaunià in Templo eidem erecto eo in loco, ubi ipsius Imago unà cum duabus campanis inventa pluribus ab hinc seculis fertur. Nec una est Divæ Virginis Effigies in hoc templo; nam aliam habet altare princeps, et aliam, scilicet, quæ reperta fuit, alliud in cornu Evangelii. Hæc semper miraculosam se ostendit tàm in pestiferis cladibus, quàm in aeris tempestatibus. Per attactum quoquè ejus Rosarii, quod appensum è collo gerebat, pluribus infirmis opitulata est. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bernado Abbate.

Serm. 9. *ex parvis.*

520. Salutata MARIA tàm venerabiliter ab Angelo, non se extulit, quasi quæ ex singulari privilegio benediceretur, sed siluit; et qualis esset insolita hæc salutatio,

secum cogitavit. Quâ in re quid nisi temperans fuit. Tu.

Cum 11. Vesper.

DIE XVII. JUN.

SIMPLICITATIS B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, fac nos per tuam pietatem in simplicitate cordis ambulare, ut qui hanc virtutem in Beatissimâ Virgine celebramus ad æternam requiem pervenire possimus. Per Domin.

Lect. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni Ep. *De laudib. B. V. libr. 1. c. 2.*

LECTIO 4.

Ratione simplicitatis comparatur MARIA columbæ, quæ est avis simplicissima. Unde dicit ei Filius: veni, columba mea, in foraminibus petræ. Est autem simplicitas quasi collactanea humilitatis. Simplex est, qui uni rei soli intendit: Unde Psalmus: unam petii à Domino, hanc requiram. Item Lucas: unum est necessarium. Et dicitur simplex, quasi sine plicâ, sine duplicitate. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Est autem triplex simplicitas. Vera, ficta, indiscreta. Vera justorum, quæ comitem habet discretionem. Talem habuit Beata Virgo super omnes creaturas. Ficta hipocritarum, qui componuntur secundum interiorem hominem in vultu, gestu, habitu, et hujusmodi, ut credantur religiosi. Indiscreta stultorum, qui sunt, ut columba seducta non habens cor. Solent autem tria incommoda sequi simplicitatem, à quibus per optimè sibi cavit MARIA. Primum est temeritas; quia de facili virgines decipiuntur: undè comparantur columbæ seductæ, ut dictum est. Sed MARIA loco temeritatis habuit prudentiam Spiritûs, quâ benè discernebat esse angelum Dei, cui consentire deberet. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Secundum est debilitas: simplices enim de facili cadunt, quia resistere nesciunt. Sed ipsa fuit prudens mulier et fortis, quæ contrivit caput serpentis antiqui. Tertium est timiditas, quâ non audent ardua aggredi. Sed ipsa habuit confidentiam, fidem, et spem certam, quâ Deum credidit de se incarnari, et respondit audaciter et devotè: Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. Fortitudo autem ejus in hoc apparuit, quod Ezechiel et Daniel, et beatus etiàm Joannes videntes angelos leguntur corruisse. Sed ipsa videns Angelum turbata est, sed non perturbata, et aspectum angelicum sine casu potuit sustinere. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c. 2. 28.*

In illo tempore: Ingressus angelus ad MARIAM dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Et reliqua.

Hom. S. Antipatris Bostrorum Ep. *Orat. de S. J. Bapt. et Salutation. SS. Deip.*

Ave, quæ prima et sola paris infantem liberum ab execratione. Ave, quæ in mundo paris vitæ occasionem. Ave, quæ es incorrupta, sed non expers prolis. Ave, quæ satu paris, sed non fructu. Ave, quæ partûs dolores expectas, qui te minimè invadent. Ave, quæ tuo primo parenti Adamo exhibes defensionem. Ave, quæ fers sine dolore naturæ creatæ fundamentum. Tu. ℣.

Benedict. Cujus Simplicitatem.

LECTIO 8.

Ave, quæ paris Deum nudum, et

hominem non solum hominem. Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Tu es benedicta, quæ execrationis portas solutionem. Tu es benedicta, quæ portas donum sapientiæ (*Lect. 9.*) Tu es benedicta, quæ eum gestas in utero, qui ambulavit in paradiso. Tu es benedicta, cujus sanctum templum fuit venter. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, ex quo cum comederit Adam, vincet mundum. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Horto.

Canòs l. 9. c. 17.

Sub titulo de Horto, quæ hortus fuit et paradisus Spiritûs Sancti hortus conclusus et fons signatus, Deipara Sanctissima, Sacellum habet in Diœcesi Cœlsonensi in aspero monte, ubi ejus quædam Effigies, bove magistibus suis indice, in horto prope fontem inventa jam à decimo sæculo traditur. Hæc Imago, quæ lignea est, et filium, cujus oscula suscipere videtur, brachio gestat, semper ex tunc et miraculis et fidelium invisionibus celebris fuit. Domum habet hoc Sacellum adjunctam, quæ duobus sæculis cœnobium Ordinis Prædicatorum fuit: nunc verò à Presbyteris sacræ Icopis custodibus inhabitatur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Hieronymo Presbytero.

De Assumpt. c. 10.

321. Quidquid in MARIA gestum est, totum puritas et Simplicitas, totum gratia et veritas fuit, totum misericordia et justitia, quæ de cœlo prospexit. Tu.

Cum 2. Vesperis.

DIE XVIII. JUN.

D. V. RAVETENSIS DE PLANCTU.

Simplex.

LECTIO 1.

Gumpenb. Imag. 172

Ravetæ in Sabaudiâ colitur Beata Virgo de planctu. Imaginum suarum unam passa est Deipara objici in spinas. Pastorum quidam audivit cœlestes planctus, sed sive latronum veritus insidias, sive natura insolitis non assueta, portentum contempsit, et spineti vicinitatem vitavit: sed vis cœlestis hominem ad eum locum adduxit, in quo, ubi plangentem Deiparæ imaginem conspexit, non ausus prodigium tangere, precibus tamèn honorare cœpit Virginem in tabulâ. Re autem Patribus Carmelitis relatâ, et sine fide prius acceptâ, fuere tamèn Pastorem secuti ad spinetum, audivere planctum, et Imaginem inter vepreta abjectam etiàm viderunt. Sublatam indè illi templo suo inferre frustrà conati sunt, undè factum ibidèm è trabibus sacellum fuit. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Fuit, qui ex Delphinatu adveniens, auderet Sanctam Iconem auferre, et suo templo, quod in Delphinatu erat, inferre, metu Genevensium hæreticorum. Tulit hoc Virgo, et auferre se sustinuit, nempè ut cum majori portentu rediret: nàm iterùm in templo suo reperta est. Crevit interea vicinæ totius de taumaturgâ Icone æstimatione, quam Marchio Clambrensis Sabaudus auxit, quandò paucis post annis templum extruxit, quod à Patribus Carmelitis curatur, et à vicinis catholicis inter thesauros Patriæ numeratur. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Comm. B. M. de Monte Filermo.

Gumpenb. 115.

Vallete in Insulâ Melitâ Sanctissimæ Deiparæ Statua colitur, quæ priùs in Filermo Monte, undè no-

men habet, è Rhodis uno, sedem habebat, quamdiù Christiani Rhodum habuere. Antiquissimam esse constat, et concursu Christianorum propter miraculorum famam multùm celebrem. Quandò à Turcis periculum erat, Imago sacra inferebatur urbi, in quâ templum Sancti Marci proprium semper habuit. At verò cum urbem factâ traditione suam fecere Mahomethani, cum cæteris thesauris hæc quoque Imago avecta est, ac Militensi Insulæ, et civitati Valletæ illatæ, ubi cum titulo antiquo de Monte Filermo retinet titulum miraculosæ. Tu.

Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XIX. JUN.

IMPERIUM B. M. V.

Duplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS 269. *Commùn.*

O quæ Tonanti proxima honoribus
Cœlumque terras imperio tenes:
Terrore cui diro subacti
Ipsa domus famulatur orci,
Regina Salve. Tu miseris Deum
Blandâ minacem concilias prece:
Tu vita, tu dulcis voluptas,
Rebus et una fides in arctis.
Tibi supinas supplicitèr manus
Clamore magno tendimus exules,
Heu! mœsta prolis sontis Evæ,
Atque nefas luitura matris.
Tu lacrimarum protinus horridâ
In valle flentes, nos bona respicis:
Ruptamque singultu frequenti
Excipis aure piâ quærelam.
Æternus sit honos Ingenito Patri
Bis nato parilis gloria Filio:
Et sancto sit Amori
Sæclis omnibus et locis. Amen.

Lect. 1. *Noct. Sapientia. p.* 292.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis. *Serm.* 3. *de glor. Nom. Mar. art.* 2.

LECTIO 4.

De magnitudine Beatæ Virginis, in personâ ejus dicitur: Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, et in fluctibus maris ambulavi, et in omni terrâ steti, et in omni populo, et in omni gente primatum habui. In quibus verbis exprimit magnitudinem dominii sui, videlicet, quia dominatur in quatuor regnis. Primo in cœlo; secundò in inferno; tertiò in Purgatorio; quarto in mundo. Primò enim inquit, quòd dominatur in regno cœli; propterea dicit: Gyrum cœli circuivi sola. Ipsa quippè tanquàm Dominam cœlorum cœlum circuit, atque gyral, et superat in gloriâ sempiternâ: est enim Mater Dei. Tu.

℣. Per me reges regnant, per me principes imperant: ℟ Per me potentes decernunt justitiam. ℣. Gyrum cœli circuivi sola, et in omni gente, et in omni populo primatum habui.—Per.

LECTIO 5.

Secundò dicit, quòd dominatur in regno inferni: propterea inquit: et profundum inferni penetravi. Non enim dominatur dæmonibus, qui sunt in superficie ipsius inferni, nec insuper tantùm mediocribus, qui quasi sunt in medio; sed insuper et maximè, qui sunt quasi in profundo: propterea non ait: penetravi superficiem seu medium, sed profundum abyssi. Tertiò subdit, quòd in regno Purgatorii dominium tenet. Propterea inquit: et in fluctibus maris ambulavi. Pœna siquidem Purgatorii, ideò dicitur fluctus, quia transitoria est: sed additur maris, quia nimium est amare. Ambulavi, scilicet, visitans, et subveniens necessitatibus, et tormentis devotorum suorum: immò et omnium, qui ibi existunt, quia filii ejus sunt, cum sint filii gratiæ,

atque in gratiâ confirmati, atque de gloriâ certificati. Tu.

℣. Regnum tuum, regnum omnium sæculorum, ℟ Et dominatio tua in omnem generationem et generationem. ℣. Imperium tuum, et foriitudinem tuam quis enarrabit.—Et domin.

LECTIO 6.

Quartò subditur: quòd dominatur in regno mundi. Et de hoc, inquit, in omni terrâ steti, et in omni populo, et in omni gente primatum habui. Tria genera hominum in regno mundi reperiuntur. Primi sunt carnales, secundi sunt spirituales, tertii sunt animales. Seu primi sunt timentes, secundi ferventes, tertii negligentes. Seu quidam sunt mali, quidam boni, quidam tepidi. Primò dominatur malis et terrenis, qui terrena sapiunt, eos ad pœnitentiam reducendo: ideò inquit: in omni terrâ steti. Secundò dominatur bonis, eos in gratiâ multiplicando et conservando: propterea subdit et in omni populo. Tertiò dominatur tepidis, eos in charitate et fervore proficere faciendo, propterea subdit: et in omni gente primatum habui. Tu.

℣. Deus cœli regnum et foriitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi, ℟ Et omnia in quibus habitant filii hominum, et bestiæ agri. ℣. Volucres quoquè cœli dedit in manu tuâ, et sub ditione tuâ universa constituit.—Et omnia.—Glor.—Et.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Hom. D. Georgii Nicomediensis Ep.

Orat de Præsent. B. V. M.

Per te recessit romphæa versatilis quam de ore Judicis æterni prodeuntem vidit Joannes, et quam Cherubinus ante portam paradisi à Deo constitutus gestabat. Per te deliciarum portæ, quæ fuerunt clausæ, sunt apertæ. Te nostræ salutis hebemus adjutricem. Te nostræ auxilii habemus defensionem. Te proponimus cujus ore nostra dicatur excusatio. Te nostræ fiduciæ circumferimus gloriam. Tu. ℣.

Bened. 8. Cujus Imperium.

LECTIO 8.

Te christianorum multitudo murum habet firmissimum. Te fideles reges habent arma validissima. Per te bellorum fraugunt audaces impetus. Per te victoriæ trophæa consequuntur. Præbe igitur manum laborantibus, et ne despicias preces eorum, qui semper te exorant. Fer opem eis, qui tempestatibus agitantur, seda bellorum fluctus, fac in auras evanescant spiritus eorum qui nos incessunt injuriis. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Da pelioni nostræ convenientem (potes enim) eventum. Habes, ut mater in filium, quæ recusari non potest, fiduciam. Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile. Nihil tuæ resistit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo jussui, omnia tuo obediunt Imperio, omnia tuæ deserviunt potestati. Te omnibus suis operibus reddidit excelsiorem, qui ex te natus est. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HIMNUS 270. *Commùn.*

Nunc ergò lenes, nec miserescere
Segnos ocellos, Diva, clientum
Adverte turbæ, te Patronam,
Te facilem Dominam vocanti.
Sed ne recusa, quod potes unicè,

Intaminati florem uteri, solo
Nobis relicto, jam beatis
Ætheriaque domo receptis,
Monstrare JESUM: te vice mutuâ,
Sempèr benignam, sempèr amabilem,
MARIA Virgo, parturisse
Digna Deum, memores canemus.
Æternus sit honos ingenito Patri
Bis Nato paritis gloria Filio:
Et Sancto sit Amori
Sæclis omnibus et locis. Am.

CANON.

Ex Sancto Bernardino Senensi.

Apud S. Ligor. c. 1.

322. Tot creaturæ serviunt gloriosæ Virgini, quot serviunt Trinitati; omnes namque creaturæ, sive angeli, sive homines, et omnia quæ sunt in cœlo et in terrâ, quia omnia sunt divino Imperio subjecta, gloriosæ Virgini sunt subjecta. Tu.

Cum secundis Vesper.

DIE XX. JUN.

DIV. V. DE MAGALONIO.

Simplex.

LECTIO 1.

Lanuz. Histor. Arag. t. 2. *c.* 33.

In pago Lecenena dicto, in Aragoniâ colitur Diva Virgo sub titulo deMagalonio, eo quod prius cultum in hâc urbe acceperat in publico Sacello. Sed ab eo dicessit sacra Icon ob homicidium crudelitèr ibi patratum, et in Lecenenam se contuli, ubi cœlesti luce demonstratam quidam Pastor invenit die decimâ quintâ Martii anni millesimi ducentesimi octogesimi primi, eo in loco ubi nunc templum exsurgit, simùlque ab eâ mandatum accepit, ut suam voluntatem ibi manendi Lecenensibus aperiret. Paruit Marcenius, tale enim habebat nomen, at nullam fidem inveniet: quarè timore affectus, cum ab eo loco divertere cum gregibus cogitaret, ei iterùm allocuta est Virgo, et signum dedit, quo dexteram é facie dimovere non posset, donèc crederetur. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Hoc prodigio excitati Lecenenses, per se ipsos veritatem explorarunt, atquè inventæ Imagini statim sacellum extruxerunt. Magalonii verò divam Effigiem alibi esse agnoscentes, statim apud ipsos ite rum deducere, meliùsque honorare volucre, quod minimè ipsis fuit concessum nisi post judicis sententiam. At cum in Ecclesiâ Beatæ Virginis de Sacratâ Monzalbarbæ pernoctassent, ad Lecenensem montem sacra Icon reversa est, quod idem evenit, cum, iterùm à Magaloniis acceptâ, in Sanctæ MARIÆ de Portillo Cæsaraugustæ pervenissent. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Undè maximè contristati, se tertiò à Virgine relictos videntes, ad Archiepiscopum habuere confugium, ut ipsius decreto, mirabilem Effigiem recuperarent; timebant enim minimè consensuros Lecenenses tertiò eam ab illis abduci. Latum fuit ab Antistite decretum, sed cum appositâ conditione, quòd in perpetuum Lecenensibus esset Imago, si quartò Magalonios relinqueret. Hâc vice deducta fuit diva Virgo in Ecclesiam Sanctæ MARIÆ de Columnâ, toto orbe percelebrem, at idem contigit: ipsis sive vigilantibus, sive dormientibus, disparuit ab eis, et reversa est ad Lecenenæ montem, ubi et perseverat maximâ populorum frequentiâ et devotione. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXI. JUN.

D. V. ALCAMENSIS A MIRACULIS.

Semiduplex.

Lectio 1. *Noct. de Feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Octav. Cajet. de effig. siculis.

Ducentes ferè passus, sub Alcamo, in Siciliâ, ad aquilonem in cujusdam arcûs pariete Alcamenses Virginis Sanctissimæ Iconem depinxere, ut locum illum, et manentes ex eo latices tutaretur. Deindè temporis diuturnitate parva sacræ Virginis ratio haberi cœpta, et in dies crescentibus undique arboribus, dumisque, sensim fontem contexere, adeò ut nullus illius usus, nulla cognitio, sed deserta: ibi omnia spinis vepribusque horrida accessum humanis plantis omninò negabant. Tu. ℣.

LECTIO 5.

At Deus suæ Sanctissimæ Genitricis Imaginem ibi delitescere obscurè ferre non potuit: quare anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, undecimo kalendas Julias, cum pauperes et honestæ feminæ ad torrentem descendissent, ibique vestes abluerent, defluente aquâ, ex eminente rupe primùm parvos lapides ad se devolvi vident, et mox grandiora saxa, quorum impetu ex illis duæ in aquam dejectæ, nullo tamen accepto aut dolore, aut damno. Ad ea perterritæ feminæ ibi latrones latitare arbitratæ, se in fugam vertunt, et res brevi vulgatâ ad eos extirpandos populum universum concitavit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Populus igitur omnis convenit, et dum quidquid erat sylvæ demoliri niuntur, ad jugum, undè saxa dejecta fuerant, pervenere. Ibi dum à latronibus sibi metuentes, undiquè intenti circumspiciunt omnia: en tibi præter omnem expectationem Imaginem Virginis Deiparæ filium amplexantis in pariete inveniunt. Propriùs deindè iconem intuiti sudorem madentem deprehendunt, quo uncti varii ægroti sanati sunt. Porrò expurgatus sentibus locus, ibique templum erectum Virgini sub titulo à miraculis, quòsæpiùs urbium pagorumque supplicationes adiere. Hujus inventionis memoria quotannis celebratur undecimo kalendas Julias. Tu. ℣.

Homil. de comm. pro Semidupl.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Castilionensis de Nuce.

Gumpenb. 82.

Castilione, dilione, patriâ, et patrimonio S. Aloisi de Gonzaga, colitur Deipara sub titulo de Nuce quia exhibetur in nuce Virginis imago cum Filiolo et radiis velut opere sigillariæ artis absque humano opere facta. Hanc arborem tulit patria Aloisi. Cœpit faber lignarius nucem findere anno millesimo quingentesimo trigesimo nono, aliquod opus facturus. Sed recusavit securis peccare in sanctam Iconem, fugitque; tamen ligna utrinquè panduntur, et Deiparæ Imaginem exhibent. Familia Bonellorum thesaurum hunc tenuit usque ad annum millesimum sexcentesimum secundum, quo ipsum dedit Principi Rodulpho Gonzagæ, sed posteà visa est Virgo ambire publicum, et Patribus Capuccinis dono data sacellum in eorum templo occupat perelegans, ubi et frequentem concursum piorum ciet, et miracula patrat justo examini subjecta et probata. Tu. Te Matr.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXII. JUN.

QUINQUE SENSUUM B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Majestatem tuam, Domine, supplicitèr deprecamur, ut qui sanctissimos quinque sensus Beatæ Virginis MARIÆ celebramus, in omnibus nos meliùs obnegare concedas. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis. *Serm. de concep. B. V. art. 2. c. 3.*

LECTIO 4.

Quinque sensus in animâ hominis sunt, sicut etiàm in corpore ejus: qui omnes in Beatâ Virgine mundo et omnibus noxiis clausi erant, et aperti, atque parati Deo. Sicuti è contrà mundani aperti sunt mundo, et clausi sunt Deo. Primò enim patens erat Deo auditus, ut promptissimè acceptaret omne spiraculum ejus. Proindè in Prophetâ, in personâ illius dicebat: audiam, quid loquatur in me Dominus Deus. Secundò patebat ei illius gustus ad saporandum admirabiles dulcedines ejus, quandò experientiâ illius inebriata dicebat: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Tu.

℣. Gustavit et vidit, quoniàm bona est negotiatio ejus: * Non extinguetur in nocte lucerna oculi ejus. ℣. Quia viderunt oculi mei salutare Dei, nihil aliud conspicere volui præter Deum.—Non.

LECTIO 5.

Tertiò quoque patebat illi omnis oculus ejus, et capacitas intellectûs, quandò jàm per experientiam in affectum, et intellectum Deo plena ad alios invitabat dicens: gustate et videte quoniàm suavis est Dominus. Quartò patebat animæ Virginis odoratus, quandò Dominum supplicitèr exorabat, dicens: Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Quintò quoque patebat tactus ut strictè, ac dulcitèr complecteretur Dominum illam sæpiùs visitantem. Quod quià continuò faciebat, cum Prophetâ dicebat: Mihi autem adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam. Tu.

℣. Dominus aperuit mihi aurem, et audivi omnia quæ locutus est ad cor ancillæ suæ, * Ut faciam voluntatem suam. ℣. Audiam quid loquatur in me Deus.—Ut.

LECTIO 6.

De his quinque portis loquitur Prophetà dicens: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Sion enim locus erat in Jerusalem eminentissimus, atque tutissimus. Sic etiàm Beata Virgo per virtutum eminentiam altissima, atque à vitiis tutissima erat. Diligit igitur Dominus portas Sion, id est, quinque sensus Beatæ Virginis MARIÆ super omnia tabernacula Jacob, idest, plusquàm corpora omnia aliarum Virginum. Corpora enim tabernacula nuncupantur, sicut Petrus ipse testatur, dicens: Velox est depositio tabernaculi mei. Virgines enim meritò dicuntur esse Jacob, quia luctatæ sunt, et supplantaverunt fomitem, qui in Beatâ Virgine in primâ Sanctificatione fuit ligatus atque consopitus. Tu.

℣. Trahe me in odorem unguentorum tuorum, * Quià odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. ℣. Odor tuus, sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus.—Qua.—Gloria.—Quia.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c. 11. 27.*

In illo tempore: loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliq. Homilia S. Anselmi Ep. Lucensis. *Med. de Salut. B. V. in Bibl. max. PP. t. 27. p. 449.*

Mirum videtur, quandò miser homo non tremit, et expavescit tantam Dominam salutare; sed illud detestabile nimiùm est, ipsam nominare ore, et cordè vana et inutilia, imò nefanda tractare, ipsam alloqui largo verso. Cum omni devotione et reverentiâ est Virgo beatissima salutanda, et ipsa tales quærit, qui ad eam devotè et reverenter accedunt, hos diligit, hos nutrit, hos in filios suos suscipit. (*Lect. 8.*) O beatus, qui de tam nobili matre lætatur, et ipsam corde amplectitur, et opere imitatur! O felix qui Matrem Dei secundum suum posse nititur conformari! Tu.

℣. Sub umbrâ illius quem desideraveram sedi: * Et fructus ejus dulcis gutturi meo. ℣. Gustavit et vidit, quoniàm suavis est Dominus.—Et fructus.

Bened. 8. Cujus Sensus sanctissimos.

LECTIO 8.

Hic est certè, qui omni creaturâ contemptâ soli Deo singulari amore inhæret, et crucifixus cum Christo animârum sitit salutem. (*Lectio 9.*) O mirum certè, quomodò exultatione non rapitur cor talem Virginem salutantis? Matrem Dei alloquitur, Deum ex ipsâ factum hominem contemplatur. Hic vidit ima summis, et summa imis pro suâ charitate conjungi. Quomodò, quæso, non liquescit in hâc salutatione mens nostra cum Deum tantum nos dilexisse videmus, et ex virginali utero dignatus est fieri frater noster? Jam os nostrum et caro nostra est. Tu.

℣. Inveni, quem diligit anima mea, * Amplexibus tenui eum, nec dimittam. ℣. Mihi autem adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam.—Amplexibus.—Gloria.—Amplex.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Trialcensis. *Gumpenb. 689. ex Wadingo.*

Trialci in Hibernià monasterium ædificavit magnus Cathæus circa annum millesimum trecentesimum quadrigesimum. Duravit ultra tempora Elizabethæ Reginæ magno piorum accursu propter Imaginem Deiparæ gloriosam. Ejus cultum vehementèr auxerunt duo miracula: unum quod mulier ad hanc Sanctam Imaginem jurans se falsò accusari crimine, confusa et convicta fuerit, dum id quod furto absulerat, è sinu ejus omnibus inspectantibus in terram decidit. Alterum quod ob Reginæ Elizabethæ persecutionem Sancta Imago in aridâ arbore occultata, arborem fecerit quàmprimùm producere folia, flores et ramos, ut meliùs à pluviâ defenderetur, et sanè defensa est, quandò integro anno ibi incorrupta latuit. Tu. Te Matrem.

Vesper à Cap. seq.

DIE XXIII. JUN.

B. M. V. DE SUCCURSU.

Duplex.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ad succurrendum humano generi, Beatam Virginem MARIAM unigeniti Filii tui Matrem esse voluisti: da nobis, quæsumus, ut, eâ intercedente, diabolica vitare contagia, et sincerâ tibi mente servire. Per eumdem.

AD MATUTIN.

HYMNUS 271. *Steph. Arch. Patrac.*

Omnium splendor, decusque perenne

Virginum lumen, Genitrix superni,
Gloria humani generis, MARIA,
Unica nostri.

Sola tu, Virgo dominaris astris,
Sola tu terræ, maris atque cœli
Lumen, *tenostris precibus benignam*
Inclita *redde.*
Da dies labi sine labe puros,
Da tuis frui famulis subsidio,
Ingredi et celsæ, duce te benignâ,
Mœnia terræ
Sit decus Summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *Conc.* 1. *in Assumpt. B. V.*

LECTIO 4.

Considera à principio sæculi, et discurre per omnes filios Adan. Nihil stabilius, nihil immobilius, nihil firmius hac sacrâ Virgine reperies. Turris firmata supra firmam petram in montibus sanctis, immobili fundamento. Siquidèm Deus in medio ejus, non commovebitur. De hâc Virgine in Canticis legitur: sicut turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium. Verè turris David, qui superbum Goliam quinque lapidibus de torrente, id est, quinque vulneribus, et crucis baculo gloriantem in calvariæ monte prostravit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Facta est hæc turris Ecclesiæ propugnaculum, et peccatorum unicum refugium, ut ad ipsam confugiant omnes rei, omnes mœsti, omnes afflicti, et eâ protegente liberentur ab hoste. O homo! in quâcumque tribulatione ad MARIAM fuge. Sive peccatis afflictus, sive persecutionibus attritus, sive tentationibus turbatus hanc turrim pelito, ad MARIAM confugito. Mille enim clypei pendent ex eâ, contra omnem æstum tribulantis, et ad omnem faciem persequentis dæmonis, tutissimum in eâ clypeum invenies, quo te protegas. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Ibi est enim omnis fortium armatura. Ibi fides apostolorum, ibi fortitudo martyrum, ibi puritas virginum, doctorum sapientia, anachoritarum paupertas, devotio confessorum: ibi denique omnium Sanctorum virtus aglomerata reperitur. Nihil enim usquàm Sanctorum speciale privilegium concessum est, quod non à principio vitæ accumulatius fulgeat in MARIA. Ecce Castellum fortissimum, ecce turrim inexpugnabilem, quæ nunquàm Diabolo præstitit tributum, aut fidem. Hanc intravit JESUS, quandò Verbum caro factum est, et habitabit in nobis, indè inimicos expugnaturus, et regnum suum recuperaturus, in quod ab initio dæmon fuerat intrusus. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *Joan. c.* 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et soror Matris ejus, Maria Cleophe et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis. *Serm.* 51. *de Pass. Dom. p.* 2. *a.* 1. *c.* 3.

Misticè intelligimus in Joanne omnes animam electorum, quorum per dilectionem Beata Virgo facta est Mater. Filius enim in græco nomen amoris est: omnis enim Christi amor in amorem Virginis

transiit, ut meritò Filius, id est, amor Virginis nuncupetur: magisque Virginem habeat Matrem, quam illam, quæ filium ex peccato damnatum mundo, susceptò semine, generavit. Mutatur hæc maternitas et filiatio ex auctoritate verborum Christi, in cruce pendentis: propterea natura transiit in gratiam, et gratia nobiliat profectò naturam, non quòd una in alterum commutetur, sed quia natura ex gratiâ perficitur. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Mala mulier Eva corruptione naturæ, bona mulier MARIA, Mater gratiæ, Mater misericordiæ. Datur mater gratiæ pro matre naturæ: manet tamen naturâ, manet etiàm mater ex gratiâ. Erat enim Joanni Mater Maria Salome in ordine successionis naturæ: est etiàm sibi Mater beata Virgo in ordine gratiæ. Est Mater Eva cunctorum per traductionem naturæ; est et Virgo MARIA Mater omnium amantium Christum per infusionem invisibilis gratiæ. Non desinit esse Joannes Filius corruptæ matris, quia imperio Christi filius factus est Virginis, qui fuit ante filius corruptæ matris. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Voluit igitur Christus in cruce pendens, antequàm moreretur per omnia præostendere charitatem, et quantum dignitatis humanæ naturæ contulerat, ut firma esset remeationis ad Patrem, undè si dedit potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus: quod non per naturam, sed penitùs per gratiam fit; cur non dedisset nobis, ut filii essemus Matris ejus, quod fit per gratiam, quæ infinitæ potentiæ est, non per naturam, quæ est potentiæ limitatæ. Plùs enim est, quòd simus fratres ejus ex patre, quàm quòd simus ex matre: plùs ex æterno Deo, quàm ex temporali parente. Tu. Te Matrem.

Cum 2. *Vesperis.*

DIE XXV. JUN.

POTENTIÆ B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui Sanctissimæ Genitricis tuæ Potentiam celebramus, contra hostes animæ, ipsius adjutorio brachii muniti, victoriam semper reportemus. Qui vivis.

IN I. NOCT.

Lect. 1. *Noct. de Feriâ.*

℣. 1. Tu Maternam vim apud Deum obtines, * Nec enim fieri potest, ut non exaudiaris. ℣. Quoniàm data est tibi omnis potestas. —Nec enim.

℣. 2. Quoniàm data est tibi omnis potestas in cœlo et in terrâ, * Ut quidquid volueris, valeas efficere. ℣. O potentissima Domina, esto nobis impotentissimis auxiliatrix.—Ut.

℣. 3. Quis loquetur potentias Dominæ nostræ? ℣. Quis auditam faciet virtutem nominis ejus? ℣. Meum est consilium et æquitas mea est prudentia, mea est fortitudo.—Quis.—Gloria.—Quis.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni. Episc. *Ex laud. S. B. V. l.* 4. *c.* 6.

LECTIO 4.

Supra totam cœlestem curiam collata fuit Virgini plenaria potestas. Undè dicit in Jerusalem scilicet super cœlesti, potestas mea, imperandi videlicet virtutibus angelicis, et animabus sanctis, ad beneplacitum meum, et introducendi in illud regnum quoscumque voluero. Non solùm de regno cœlorum data est

ei singularis omnipotentia, sed et in tribus regnis, scilicet cœlestium, terrestrium, et infernorum, ut in nomine ejus omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum. Propter hoc ipsi soli convenit post Filium dicere: data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terrâ. Tu.

℣. Omne quod voluerit pia Virgo facit, et sermo illius potestate plenus est. ℟ Nec ei dicere quisquam potest: quare ita facis? ℣. Quis dicet tibi, quid fecisti? Aut quis stabit contra judicium tuum?—Nec.

LECTIO 5.

Item in hoc manifestissimè apparet Omnipotentia MARIÆ, quod sicut legitur in miraculis ejus, multos de suâ damnatione jam certos, multos in aquis præfocatos, multos ex improviso mortuos liberavit, qui dum viverent, ipsius patrocinio se commendaverant: multos, qui sine pœnitentiâ decesserant in mortali, ab ipsis diaboli faucibus potentèr eripuit, et ut possent agere pœnitentiam, ad vitam reduxit. Illà namque ingeniosa est, et sublilis ad salvationem peccatorum, sicut diabolus ingeniosus est et sublilis ad damnationem eorum. Quâ autem justitiâ, vel quo jure ipsa salvet damnabiles, et sine pœnitentiâ defunctos in mortali, quis sufficiat enarrare? Constat autem, quòd ita facit, et quòd salvâ justitiâ facit. Tu.

℟. Ipsa est, qui mortificat, sicut in Juliano, et vivificat sicut in Theophilo, ℟ Deducit ad inferos, et reducit. ℣. In omni necessitate omnia obediunt ei.—Deducit.

LECTIO 6.

Item de ipsâ, sicut de Filio, potest dici ipsi Filio illud Psalmi: omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, id est, simplices, et boves universas in femenino propter fœcunditatem. Insuper hoc dicit ad notandum diversitatem bonorum, et malorum, pecora campi, luxuriosos vacantes per campos licentiæ ubi Abel occiditur. Volucres cœli, superbos. Pisces maris, cupidos, qui perambulant semitas maris. In his tribus elementis habitant dæmones, sed non in igne elemento, quia non in lucido. Tu.

℟. Tu es, qui vitæ et mortis potestatem habes, et deducis ad portas mortis, et reducis: ℟ Tibi enim subest, cum volueris, posse. ℣. Consilium tuum stabit, et omnis voluntas tua fiet.—Tibi.—Gloria.—Tibi.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1, 26.

In illo tempore: Missus est angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia B. Arnoldi Abbatis.

Apud Chrisogon. p. 923.

Maria Domina, et licet ipsa se Christi profiteatur ancillam, hoc servitutis genus omni regno sublimius esse intelligit. Constituta quippe est super omnem creaturam, et quicumque JESU curvat genu, Matri quoque pronus supplicat acclinis. In supernis et inferis admirationis est Virgo puerpera. Stupent dæmones, gaudent homines: in cœlo gloriam concinunt principatus et potestates. Tu.

℟. Excita potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos: ℟ Potestati enim tuæ quis resistet? ℣. Audivimus enim famam potentiæ tuæ, veni et salva nos.—Potestati.

Bened. Cujus Potentiam colimus.

LECTIO 8.

Nec à Dominatione vel potentia Filii Mater potest esse sejuncta. Una est MARIÆ et Christi caro, unus Spiritus, et una charitas, et ex eo quod dictum est ei: Dominus tecum, inseparabiliter perseveravit promissum et donum: unitas divisionem non recipit, nec seccatur in partes, etsi ex duobus factum sit unum, illud tamèn ultra scindi non potest: et Filii gloriam cum Matre non tàm communem judico quàm eamdem. Tu.

℟. Tua est magnificentia, et potentia, et gloria, atque Victoria: ℟ Tu dominaris omnium, et in es super omnes principes. ℣. Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet.—Tu.—Glor.—Tu dom.

LECTIO 9.

Nulla facta est angelicæ dignitati injuria, si illius excellentiæ cacumen obumbrat Virgo exaltata, sicut cedrus in Libano. Cedrus arbor est procera et imputribilis, virginitas quoque MARIÆ, quia nulla concupiscentiæ carnalis vitiatur putredine: in hoc procerior, et altior virginitate videtur angelicâ, quòd hæc virtutis, illa naturæ: hæc voluntatis, illa necessitatis, et in carne, quod non est carnis, agere, res incomparabilis meriti est, et gloriæ singularis. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Ep.

Spec. B. V. L. 8.

523. Ecce MARIA... quia Dominus potentissimus potentissimè tecum est; ideò et tu es potentissima secum: potentissima es per ipsum, potentissima apud ipsum, ita ut verè dicere possis illud Ecclesiastici: In Jerusalem potestas mea. Tu.

Vesper. à capit. sequent.

DIE XXVI. JUN.

CONVERSATIO. B. V. M. POST. CHR. ASCENSIONEM.

Duplex.

Oratio.

Omnipotens Sempiterne Deus, qui ascendens super omnes cœlos dilectissimam Matrem tuam Apostolis in solatium reliquisti, præsta, quæsumus, ut qui ipsam jugiter veneramur et ejus consolatione perfruamur in terris, et suâ protectione ad cœlestem patriam perducamur. Qui viv.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Hildephonsi Arch. Toletani.

Serm. 5. *de Ass. B. V. M.*

LECTIO 4.

Si quis verò studio pietatis vel piæ curiositatis affectu indagare voluerit, quid post ascensionem Domini Beata Virgo egerit, quàm sanctè et justè vixerit, et cum quibus habitaverit, soli Deo cognitum esse videtur, et Gabrieli Archangelo, cui ejus tota causa commissa prædicatur à Domino, et angelis sibi conlætantibus, secumque loquentibus. Joanni etiàm dilecto Domini Discipulo, qui ab ipsâ cruce eam suscepit in suâ solicitudine et curâ, videlicet, ut Virgo Virgini deserviret, et Domini nostri rependeret servitutis, et dilectionis obsequium, qui eum præ cæteris suâ dilectione fecerat dignum. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Beatissimo etenim Petro Apostolorum Principi cæterisque Apostolis non incognita fuit ejus purissima vita et actio: sancta quoque et admirabilis conversatio: quippe, quia cum eis semper fuit, ab ipsorum conversionis initio usque ad illum

diem, in quo unigenitus Dei Filius homo ex eâ verâ fide genitus à laboribus hujus vitæ illam voluit eripere, et ad gloriam sibi à sæculis præparatam, ut creditur, et prædicatur, super choros angelorum dignatus est elevare. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Sermo S. Amadei Ep. Lausanensis. *Homil. 5. B. V.*

Deniquè Virgo Mater omnium in se charismatum commercia deferebat. Prima namque visione scintillis sacri amoris ignis proximorum pectora suaviter exurebat, animis fidem suggerebat, suadebat verecundiam, honestalem venustabat, inflectens ad pietatem. Spirabat florem virginitatis, serebat novale castitatis, depingens oculis habitum humilitatis, et proferens indicium veritatis. Splendor indeficiens in circuitu ejus, et ignis exardescens à facie ejus. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur ab eâ, qui hostes succideret, amicos confoveret, juvaret proximos, concremaret inimicos. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Amadei Ep. Lausanensis. *Homil. 5. de B. V.*

Igitur in carne (Virgo) præsens futuri regni primitias prælibabat. Et tunc accedens Deo ineffabili sublimitate, et nunc proximis condescendens inenarrabili charitate. Indè angelicis frequentabatur officiis, hinc humano famulatu venerabatur. Assitebat ei paranimphus Gabriel, cui Joannes gaudens sibi virgini Matrem Virginem in cruce commendatam cum apostolis ministrabat. Illi Reginam, isti videre Dominam lætabantur, et utrique prodevotionis affectu obsequebatur. Tu. ℣.

LECTIO 8.

At illa residens in arce sublimissimâ virtutum, et pelago divinorum affluens charismatum, abyssum gratiarum, quâ cunctos excesserat, credenti et sitienti populo largissimâ emanatione profundebat. Salutem, namque corporibus, et animis medellam afferebat, potens suscitare à morte carnis et animæ. *Lect.* 8. Quis unquàm ab eâ æger vel tristis, aut ignarus cœlestium mysteriorum abiit? Quis non lætus, et gaudens rediit ad propria, impetrato à Matre Domini quod voluit? MARIÆ præsentia gratam veris temperiem exhibebat, et quo favens se verteret, paradisus erat. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Pragensis de Cryptâ. *Gumpenb.* 549.

Statua Deiparæ quæ Pragæ in Cryptâ colitur, cum in rogum hæretici eam injicerent, etsi lignea vim ignis sustinuit per duodecim omninò horas nullâ vel fumi maculâ. Cum illàc transisset quidam ex aulâ Imperatoris, Imaginem obtinuit, quam secum tulit, et in domo suâ honestè collocavit, ac deindè ut melius coleretur, Patribus Cappucinis tradidit, qui in Cryptam subterraneam collocarunt, ubi quamprimùm miraculis coruscare cœpit. Res ad Rodulphum secundum Imperatorem cum pervenisset, secum Imaginem habere voluit, sed frustrà; nam cum ter tentasset ad aulam deportari Imaginem, semper ipsa ad cryptam rediit, ubi et nunc firma stat, et miraculis claret. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino. *Conc. 4. p. 2. in Assumpt. B. V.*

321. Post Ascensionem Filii in cœlum, nihil de illâ legimus; nisi quòd, ut fertur, oratorio clausa mysteria omnia quæ viderat et audierat, animo retractabat... quæ Virgo prudentissima et sapientissima in corde suo assiduè conferebat, et prout optimè noverat, Discipulos edocebat. Tu.

Cum 2. *Vesper.*

DIE XXVII. JUN.

B. V. IN MONTE ÆTNA.

Semiduplex.

Lection. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Octav. Cajet. de effigieg. Siculis.

In valle viridi in monte Ætnâ Diva Virgo apparuit cuidam Dionysio, qui ibi pessimam latronis vitam agebat, eique injunxit, ut detestatâ priùs criminali vitâ, Eremitæ habitum capiat, et deindè in eam vallem adducto magistratu et Clero, ubi corona gruum visa fuerit, ibi sacellum excitandum curet: ac ne aquarum penuriam metueret, promisit ei etiàm, ejus nomine invocato, ipsam fontem aquæ aperturam, dummodò parum terræ effoderet. His verò dictis, Virgo Sanctissima inter cœlestes choros sublimis abiit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Dionysius autem protinùs armis depositis eremiticum habitum induit, et ad oppidum propinquum Acim petiit, rem publicè exponit, et solemnis supplicatio ad virentem vallem ordinatur. Tria fermè millia distabat ab Aci, ubi grues, spectantibus omnibus, apparuerunt. Illicò sacras preces flexis genibus incipientes, cum Beatissimum MARIÆ Nomen ter invocassent, aves velut ratione præditæ suis cantibus acclamarunt, ac demùm in altum evolantes ex oculis evanuerunt. Nec minor fuit admiratio populi, cum ad tertium ligonis ictum ex arido antro fons perennis aquæ prosiluit, ex quâ variis varii affecti morbis bibentes convaluerunt. His miraculis accensis animis, inceptum templi opus, et urgente Dionysio sequenti anno perfectum est. Tu. ℣.

LECTIO 6.

At verò Sabbati nocte, quæ ullimam Dominicam Augusti præcedit, cum Dionysius in templo esset, virginum chorum conspexit, inter quas unam pulcherrimam diademate coronatam cum Filio in ulnis: quæ omnes ad pilam templi accesserunt, ac repentè ex oculis sublatæ. Illuscescente die, in eâdem pilâ Imago Virginis inventa, Græcâ videbatur picturâ: sedebat cæruleo velamine, aureis notis distincto, cooperta Sanctissima Mater, dextrâ ulnâ Filium tenens, erectâ dextrâ benedicentem, sinistrâ manu gruem capit: tres aureas coronas duo angeli imponebant. Templum autem magnificè decoratum à Frederico rege, qui cum Joanne Randazii duce illàc iter faciens, à tribus Episcopis illud consecrandum curavit. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 5. 1.

In illo tempore: Videns JESUS turbas, ascendit in montem. Et reliqua.

Homilia S. Athanasii Episcopi. *Quæst.* 117. *apud. Chrysog.*

Divina Scriptura montem vocat

propriè Sanctissimam Deiparam Virginem, veluti cum inquit: mons Deo placuit ad habitandum in eo. Nam Deus æternum inhabitabit. Et alibi habetur: Deus à Thema veniet, et Sanctus de monte opaco et denso. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Mons autem ibi dicitur Sancta Virgo MARIA, quia sicut ii qui campo aberrantes, et calore æstuant, in montem subeant, velut rore conspersi in umbrâ supter arbores montis, vel aquâ sedant æstum flammæ, ad eundem modum hominibus quoque facta Sancta Virgo, quæ rore quodam sui partûs animas hominum æstu peccati confectas in vitam revocavit, et in umbrâ alarum sui Filii collocavit. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Avilensis de Gratiis.

Gumpenb. 190.

Avilæ in conventu Sanctimonialium Carmelitarum Excalceatarum, qui de Incarnatione nomen habet, Statua Deiparæ honoratur inter celebres celebrior. Hæc angelis cincta nonnunquàm visa est, et ab eis venerata. Visionis hujus testem habemus omni exceptione majorem Sanctam Teresiam, quæ hanc in vitâ suâ fusè refert. Festum hujus aparitionis non sine solemnitate celebrant Moniales pridiè Sancti Sebastiani. Munera adsunt ex Indiâ, ab iis submissa, qui Avilam patriam habent. Tu. Te Matrem.

Vesperæ sequentis.

DIE XXVIII. JUN.

CASTITATIS B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Exaudi, Domine, preces nostras, ut qui Castitatem Sanctissimæ Genitricis tuæ recolimus, in puritate mentis et corporis, ipsâ pro nobis intercedente, tibi servire valeamus. Qui vivis.

Lect. 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo Beatæ Virginis. *c.* 4.

LECTIO 4.

Vide, carissime, quòd MARIA castissima fuit per virginitatem. Ipsa est MARIA, de quâ dicitur Nomen Virginis MARIA. Eximiæ castitatis MARIÆ testem Evangelistam, testem ipsam MARIAM, testem habemus angelicam personam. Casta enim fuit in Virgineâ carne, sicut Evangelista testatur dicens: Nomen Virginis MARIA. Tu.

℣. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate: * Immortalis enim est memoria illius. ℣. Hæc est, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.—Immortalis.

LECTIO 5.

Castior fuit MARIA in Virgineâ mente, sicut ipsamet testatur. Ipsa enim est de quâ dicitur: dixit autem MARIA ad Angelum: quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco? Id est, non cognoscere propono. Castissima fuit MARIA in virgineâ prole, sicut Angelus testatur, qui de illa MARIA dixit in Matthæo: JOSEPH, fili David, noli timere accipere MARIAM conjugem tuam: quod enim in eâ natum est de Spiritu Sancto est. Tu.

℣. Non est alia mulier in universa terrâ, * In aspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum. ℣. Erat etiàm ejus virtuti castitas adjuncta, ità ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ.—In aspectu.

LECTIO 6.

Ex quo MARIA Virgo de Spiritu Sancto divinâ prole est fœcundata, nequaquàm virginitas tali est prole vitiata, sed mirabiliter est in tantâ prole glorificata. Nam in prole approbata, in prole consecrata, in prole nobilitata, in prole ditata, et dotata, concignata et confirmata est tua virginitas, ò MARIA. Tu.

℣. Quomodò fiet istud quoniàm virum non cognosco? * Ne timeas MARIA, invenisti enim gratiam apud Deum. ℣. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.—Ne timeas.—Gloria.—Ne timeas.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Antonii Paduani.

Serm. in Dom. 3. *Quadrag.*

Beatus dicitur venter Virginis gloriosæ, qui omne bonum, summum bonum, angelorum beatitudinem, peccatorum reconciliationem novem mensibus portare meruit. Ideò Filius loquens ei dicit illi: Venter tuus sicut acervus tritici. Acervus, quia in eo acervatæ fuerunt omnes prærogativæ meritorum et præmiorum. Tritici, quia in eo quasi in cellario industriâ veri JOSEPH repositum fuit triticum, ne tota Ægyptus fame periret..... JESUS-Christus, qui in cellario beati ventris gloriosæ Virginis, novem mensibus fuit reconditus. Tu. ℣.

℣. 7. Christum Matrem Virginem sibi elegit, * Ut ipsa omnibus esset exemplum Castitatis. ℣. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate!—Ut.

Bened. Cujus Castitatem.

LECTIO 8.

Hic beatus venter fuit vallatus liliis. Lilium dictum quasi lacteum, Beatæ MARIÆ Virginis propter suum candorem, virginitatem significat; cujus uterus fuit vallatus, id est, valle humilitatis munitus: liliis scilicet, utriusque virginitatis interioris et exterioris. (*Lect.* 9.) Undè Augustinus: Deus unigenitus, dum conciperetur, virginitatem carnis accepit ex Virgine; et cum nasceretur integritatem virginitatis servavit in Matre. Beatus ergò venter. Tu. ℣.

℣. 8. Hæc est, quæ nescivit thorum in delicto, * Habebit fructum in respectione animarum sanctarum. ℣. Eo quòd Castitatem amaveris, ideò eris benedicta in æternum.—, Habebit.—Gloria.—Habebit.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Meerlensis.

Gumpenb. 1053.

Meerlensis pagus duobus circitèr leucis distat ab urbe Bredanâ. Hic summo in cultu est Deiparæ statua in templo parrochiali jàm à pluribus annis miraculis clara. Experti sunt præsertim in eâ opem divinam phrenetici, lunatici, et semi demoniaci seu energumeni, quorum nonnulli cum ligati catenis hoc in templo Deiparæ sisterentur, confestim ad sanctæ statuæ aspectum, ruptis vinculis, astiterunt liberi et sani. Testantur hoc catenæ è pariete suspensæ inter claudorum et herniosorum anathemata. Concursus semper maximus fit in festo Deiparæ assumptæ. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex S. Bonaventurâ Episcopo.

Specul. Lect. 4.

525. Casta fuit MARIA in virgineâ carne: castior fuit in Virgi-

neâ mente: castissima verò in virgineâ prole. Tu.

Cum secundis Vesper.

DIE XXX. JUN.

PULCHRITUDINIS B. M. V.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiph. et capit. de Laudib.

Ad Magnificat. *ant.* O quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecùs latet.

AD MATUTIN.

Incitat. Tota pulchra es MARIA: ℣ Et macula non est in te.

Lectiones de Script. ut in Dom. III. post pasch. p. 212.

℟. 1. Dulcis et angelico pretiosa Puella relatu: ℣ Omnes ultrò homines dona decoris habens. ℣. Ad laudem artificis nobilis artis opus. Omnes.

℟. 2. Indè rubere rosas, candore hinc lilia vincens, ℣ Flos novus è terra, quem polus arce colat. ℣. Quo tua forma nitet cuncta metalla jacent.—Flos.

℟. 3. Nix premitur candore tuo, Sol crinis honore, ℣ Pallescunt radii, Virgo, decore tuo. ℣. Omnibus officiis lampade major ades. —Pallesc.—Glor.—Pall.

IN II. NOCT.

Ex Verbis B. Alberti Magni Ep.

De laudib. B. V. l. 3. *c.* 2.

LECTIO 4.

Ad membrorum Beatæ Virginis excellentiam singularem laudes humanas addere necesse non est, cum ex vitâ illius sanctissimâ, et totius virtutis formâ resplendeat: ejus quippè in terris conversatio, et omnibus sanctis imitanda proponitur, et etiam angelis admiranda efficitur, quæ siquidèm non solùm delectabat, sed et divinos provocabat aspectus. Tu.

℟. Sicut fragmen mali punici, ità pulchræ genæ tuæ: ℣ Absquè eo quod intrinsecùs latet. ℣. Quàm pulchra et quàm decora es, carissima in deliciis.—Absquè.

LECTIO 5.

Quid enim aliud membra illius erant, nisi quædam spirituales linguæ, quas Spiritus Sanctus sui plectro temperans modulaminis, suæ dignitatis præsentiâ movebat in armoniam angelicæ similitudinis? Idem namque Spiritus, qui ejus animam sui fervore caloris accenderat, membrorum quoquè officia in eamdem habitudinem suspendebat. Undè nihil aliud in suis motibus resonabat, nisi nectar divinæ humanæque sapientiæ, expressum de illâ ineffabili bonitate, quam in Trinitate Patris et Filii, et Spiritus Sancti majestatis divinæ essentia communicat vel concordia. Tu.

℟. O quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es! ℣ Candidior nive, nitidior lacte, rubicundior ebore antiquo, saphiroque pulchrior. ℣. Est hæc Speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum.—Candidior.

LECTIO 6.

Ad hujus puritatis excellentiam nullam alicujus Sancti perlingere scimus sanctimoniam, nisi solius MARIÆ, quæ tantò Sanctæ Trinitati erat vicinior, quæ membra ejus velut in quâdam virginitate, id est, omninò in sanctitatis integritate custodiebat, ut nulli omninò subjacerent corruptioni, dum mundanæ vanitatis vel carnalis illecebræ nulla colluvio sibi aliquid ex eorum usurparet officio. Tu.

℟. O pulcherrima inter mulieres! ℣ Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia.

℣. Absquè eo quod intrinsecùs latet, quia omnis gloria filiæ regis ab intùs.—Pulchræ. —Gloria. —Pulchræ.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In deprecat. ad B. V.

Hortus conclusus tu es, Dei Genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris nunquàm intravit. Tu sanctorum areola aromatum à cœlesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernas: inter quos pulcherrimos flores tres miramur in te, ô Excellentissima! Hi sunt, quorum odore suavissimo totam domum Domini reples, ô MARIA, viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis. Meritò de Dei areolâ flos ille speciosus præ filiis paradisi electus est, superquem requievit Spiritus Domini. Tu.

℟. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es: ℣ Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de Galaad.—Favus distillans labia tua, Sponsa, mel et lac sub linguâ tuâ.—Capilli tui. —*Bened.* S. Cujus pulchritudinem.

LECTIO 8.

Et cui te assimilabimus, Mater pulchritudinis? Verè paradisus Dei tu es, quia lignum vitæ mundo protulisti, de quo qui manducaverit, vivet in æternum. Fons vitæ, qui ex ore Altissimi prodiit de medio ventris tui exilivit, atque in te, in quatuor capita se dispergens ad irrigandam faciem arentis mundi emanavit lætificans civitatem Dei. Omnis enim qui biberit ex eo, non sitiet in æternum, et erit plusquàm paradisus hic: de cujus aquâ si quis biberit, sitiet iterùm. Tu.

℟. Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, ℣ Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata? ℣. Revertere, revertere, ut intueamur te.—Pulch.—Gloria.—Pulch.

LECTIO 9.

O quanta mundo contulisti, quæ tam salubris aquæ ductus esse meruisti? O lampas luculentissima, quantos lætificasti, quandò splendore Dei illustrata desideratum illud lumen, quo inventa est drachma decima, sedentibus in umbrâ mortis protulisti? Te nimirùm ille epithalamii præcentor à longè intuitus cum admirationis voce ita prorupit? Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Erat eleganti aspectu et in omnibus famosissima, candor lucis æternæ, et speculum sine maculâ divinæ majestatis, et imago bonitatis illius.

Oratio.

Sanctissimæ Genitricis tuæ, Domine, nos foveat oratio, ut qui pulchritudinem ejus immaculatam veneramur in terris, ipsam quoquè contemplari mereamur in cœlis. Qui vivis.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabilis. 8. *Dec.* 1854. 526. Ipsa supergressa est omnem integritatem et virginitatem, ac sola tota facta domicilium universarum gratiarum Sanctissimi Spiritûs, et quæ, solo Deo excepto, extilit cunctis superior, et ipsis Cherubim et Seraphim, et omni exercitu Angelorum natura pul-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

chrior, formosior, et sanctior, cui prædicandæ cœlestes et terrenæ linguæ minimè sufficiunt. Tu.

FESTA JULII.

DIE PRIMA.

VIGILIA VISITAT. B. V. M.

Simplex.

Officium de feriâ.

AD MATUTIN.

HYMNUS 272. *Parn. Virgin.*

Veni, præcelsa Domina,
MARIA, tu nos visita,
Ægras mentes illumina
Per sacræ vitæ numina.

Veni, Salvatrix sæculi,
Sordes aufer placuli:
Tu visitando populum
Pœnæ tolles periculum.

Veni, Regina gentium,
Dele flammas reatuum,
Rege quodcumque devium,
Da vitam innocentium.

Veni, ut anum visites,
MARIA vires roborès:
Virtute sacri impetûs
Ne fluctuetur animus.

Veni, laudemus Filium,
Laudemus Sanctum Spiritum,
Laudemus Patrem unicum,
Qui nobis det auxilium. Amen.

Psalm. antip. et ℣℣. ut in fer. offic.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 1. *c. 1. 36.*

In illo tempore: Dixit Angelus ad MARIAM: Ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit Filium in senectute suâ. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Super missus. hom. 4.

Quid fuit necesse etiàm hujus sterilis Virgini nuntiare conceptum? Nunquid forte dubiam adhùc, et incredulam oraculo, recentiori volvit confirmari miraculo? Absit. Legimus et Zachariæ incredulitatem ab hoc ipso angelo fuisse castigatam: MARIAM autèm in aliquo reprehensam non legimus, quin potiùs fidem ipsius Elizabeth prophetante laudatam cognovimus. Beata es, inquit, quæ credidisti, quoniàm perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. Sed ideò sterilis cognatæ Virgini nuntiatur, ut dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Porrò necesse erat non modico lætitiæ, et amoris præveniente inflammari incendio, quæ Filium paternæ dilectionis cum gaudio Spiritûs Sancti mox fuerat conceptura. Neque enim nisi in devotissimo corde atque hilarissimo tanta se capere poterat dulcedinis et alacritatis affluentia. Vel ideò conceptus Elizabeth nuntiatur MARIÆ, quia profectò decebat, ut verbum mox divulgandum ubiquè, priùs sciret Virgo per Angelum, quàm audiret ab homine: ne Mater videlicèt Dei à consiliis Filii videretur amota, si eorum quæ in terris tam propè gererentur, remansisset ignara. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Vel ideò potiùs conceptus Elizabeth MARIÆ nuntiatus est, ut dùm nunc Salvatoris, nunc Præcursoris edoceatur adventum, rerum tempus, et ordinem tenens ipsa, mejùs postmodùm scriptoribus, ac prædicatoribus Evangelii reserat veritatem, quæ et plenè de omnibus à principio fuerit instructa mysteriis, vel ideò adhùc nuntiatur MARIÆ conceptus Elizabeth, ut audiens cognatam vetulam et gravidam, cogitet juvencula de obsequio, sicque illâ properante ad visitandum parvulo prophetæ lo-

cus et occasio detur, quo minori adhuc Domino sui officii valeat exhibere primitias: et dùm ad se invicem occurrit matrum, infantumque ab alterutro excitata devotio, mirabilius fiat miraculum de miraculo. Tu. ℣.

AD LAUDES.

HYMNUS 273. *Parn. Virgin.*

Veni, stella, lux gentium,
Infunde pacis radium:
Exuliet cor in gaudium
Joannis ante Dominum.

Veni, Virgo regalium,
Reduc fluctus errantium,
Ad unitatem fidei
In quâ salvantur cœlici.

Veni, deposce Spiritûs
Sancti dona propensius,
Ut dirigantur rectius
In hujus vitæ actibus.

Veni laudemus Filium,
Laudemus Sanctum Spiritum,
Laudemus Patrem unicum,
Qui nobis det auxilium. Amen.

Preces. *Oratio.*

Exaudinos, Deus salutaris noster, ut qui Visitationis Dei Genitricis solemnitatem devotè prævenimus, ab unigenito Filio tuo dignè visitari mereamur. Qui tecum vivit.

CANON.

Ex Bonifacio Papâ Nono.

Const. Superi benignitas an. 1389. *B. Rom. T. III. p. II. p.* 378.

327. Urbanus Papa Sextus suasit et consuluit, ut Visitationis Beatæ Virginis festi Vigilia, ut Vigilia Nativitatis et Assumptionis prædictæ Virginis festivitatum etiàm in observatione jejunii devotius observaretur. Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE II. JUL.

SOLEMNITAS VISITATIONIS B. M. V.

Dupl. 1. Class. cum Octav.

IN I. VESPER.

Ant. 1. Ecce ego visitabo vos absconditus in utero Matris meæ.

Psalmi de solemnitatib.

2. Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.

3. Quàm pulchrè graditur per mortana Filia Principis, allel.

4. Dicite Zachariæ, nuntiate Elizabeth: ecce cognata tua venit ad te.

5. Occurrite ei, et suscipite cœlestem portam, ipsa enim portat ostium vitæ in inviolato utero.

CAPITULUM. *Luc. 1. 36.*

Ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute suâ, et hic mensis sextus est illi, qui vocatur sterilis.

℣. Hodiè visitavit Elizabeth beata Virgo MARIA ex progenie David, per quam salus mundi credentibus apparuit, ℟. Cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo. ℣. Beatissimæ Virginis MARIÆ visitationem devotissimè celebremus. —Cujus. —Gloria. —Hodiè.

Et dicitur tantùm hâc die.

HYMNUS 274. *Brev. Paris.*

Quo Sanctus ardor te rapit,
O Virgo, flos o Virginum?
Quo tendis et cito gradu
Conscendis alta montium?

Urget te sacer Spiritus,
Toto repletam Numine:
Matris Dei jam dignitas
Nihil charitatis detrahit.

Tibi propinquam sanguine
Matrem puella visitas,
Concessa cui divinitùs
Gratàris alvi munera.

O quanta matrum gaudia!
Stupente naturâ, gravem
Anum stupes, quæ Virginem
Fœtam Deo te prædicat.

Abscondita sub intimo
Ceu nube portabas sinu
Solem suo qui protinùs

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
CENTRO INTERNACIONAL DE INVESTIGACIÓN

chrior, formosior, et sanctior, cui prædicandæ cœlestes et terrenæ linguæ minimè sufficiunt. Tu.

FESTA JULII.

DIE PRIMA.

VIGILIA VISITAT. B. V. M.

Simplex.

Officium de feriâ.

AD MATUTIN.

HYMNUS 272. *Parn. Virgin.*

Veni, præcelsa Domina,
MARIA, tu nos visita,
Ægras mentes illumina
Per sacræ vitæ numina.

Veni, Salvatrix sæculi,
Sordes aufer placuli:
Tu visitando populum
Pœnæ tolles periculum.

Veni, Regina gentium,
Dele flammas reatuum,
Rege quodcumque devium,
Da vitam innocentium.

Veni, ut anum visites,
MARIA vires roborès:
Virtute sacri impetûs
Ne fluctuetur animus.

Veni, laudemus Filium,
Laudemus Sanctum Spiritum,
Laudemus Patrem unicum,
Qui nobis det auxilium. Amen.

Psalm. antip. et ℣℣. ut in fer. offic.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 1. *c. 1. 36.*

In illo tempore: Dixit Angelus ad MARIAM: Ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit Filium in senectute suâ. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Super missus. hom. 4.

Quid fuit necesse etiàm hujus sterilis Virgini nuntiare conceptum? Nunquid forte dubiam adhùc, et incredulam oraculo, recentiori volvit confirmari miraculo? Absit. Legimus et Zachariæ incredulitatem ab hoc ipso angelo fuisse castigatam: MARIAM autèm in aliquo reprehensam non legimus, quin potiùs fidem ipsius Elizabeth prophetante laudatam cognovimus. Beata es, inquit, quæ credidisti, quoniàm perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. Sed ideò sterilis cognatæ Virgini nuntiatur, ut dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Porrò necesse erat non modico lætitiæ, et amoris præveniente inflammari incendio, quæ Filium paternæ dilectionis cum gaudio Spiritûs Sancti mox fuerat conceptura. Neque enim nisi in devotissimo corde atque hilarissimo tanta se capere poterat dulcedinis et alacritatis affluentia. Vel ideò conceptus Elizabeth nuntiatur MARIÆ, quia profectò decebat, ut verbum mox divulgandum ubiquè, priùs sciret Virgo per Angelum, quàm audiret ab homine: ne Mater videlicèt Dei à consiliis Filii videretur amota, si eorum quæ in terris tam propè gererentur, remansisset ignara. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Vel ideò potiùs conceptus Elizabeth MARIÆ nuntiatus est, ut dùm nunc Salvatoris, nunc Præcursoris edoceatur adventum, rerum tempus, et ordinem tenens ipsa, mejùs postmodùm scriptoribus, ac prædicatoribus Evangelii reserat veritatem, quæ et plenè de omnibus à principio fuerit instructa mysteriis, vel ideò adhùc nuntiatur MARIÆ conceptus Elizabeth, ut audiens cognatam vetulam et gravidam, cogitet juvencula de obsequio, sicque illâ properante ad visitandum parvulo prophetæ lo-

cus et occasio detur, quo minori adhuc Domino sui officii valeat exhibere primitias: et dùm ad se invicem occurrit matrum, infantumque ab alterutro excitata devotio, mirabilius fiat miraculum de miraculo. Tu. ℣.

AD LAUDES.

HYMNUS 273. *Parn. Virgin.*

Veni, stella, lux gentium,
Infunde pacis radium:
Exuliet cor in gaudium
Joannis ante Dominum.

Veni, Virgo regalium,
Reduc fluctus errantium,
Ad unitatem fidei
In quâ salvantur cœlici.

Veni, deposce Spiritûs
Sancti dona propensius,
Ut dirigantur rectius
In hujus vitæ actibus.

Veni laudemus Filium,
Laudemus Sanctum Spiritum,
Laudemus Patrem unicum,
Qui nobis det auxilium. Amen.

Preces. *Oratio.*

Exaudinos, Deus salutaris noster, ut qui Visitationis Dei Genitricis solemnitatem devotè prævenimus, ab unigenito Filio tuo dignè visitari mereamur. Qui tecum vivit.

CANON.

Ex Bonifacio Papâ Nono.

Const. Superi benignitas an. 1389. *B. Rom. T. III. p. II. p.* 378.

327. Urbanus Papa Sextus suasit et consuluit, ut Visitationis Beatæ Virginis festi Vigilia, ut Vigilia Nativitatis et Assumptionis prædictæ Virginis festivitatum etiàm in observatione jejunii devotius observaretur. Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE II. JUL.

SOLEMNITAS VISITATIONIS B. M. V.

Dupl. 1. Class. cum Octav.

IN I. VESPER.

Ant. 1. Ecce ego visitabo vos absconditus in utero Matris meæ.

Psalmi de solemnitatib.

2. Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.

3. Quàm pulchrè graditur per mortana Filia Principis, allel.

4. Dicite Zachariæ, nuntiate Elizabeth: ecce cognata tua venit ad te.

5. Occurrite ei, et suscipite cœlestem portam, ipsa enim portat ostium vitæ in inviolato utero.

CAPITULUM. *Luc. 1. 36.*

Ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute suâ, et hic mensis sextus est illi, qui vocatur sterilis.

℣. Hodiè visitavit Elizabeth beata Virgo MARIA ex progenie David, per quam salus mundi credentibus apparuit, ℟. Cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo. ℣. Beatissimæ Virginis MARIÆ visitationem devotissimè celebremus. —Cujus. —Gloria. —Hodiè.

Et dicitur tantùm hâc die.

HYMNUS 274. *Brev. Paris.*

Quo Sanctus ardor te rapit,
O Virgo, flos o Virginum?
Quo tendis et cito gradu
Conscendis alta montium?

Urget te sacer Spiritus,
Toto repletam Numine:
Matris Dei jam dignitas
Nihil charitatis detrahit.

Tibi propinquam sanguine
Matrem puella visitas,
Concessa cui divinitùs
Gratàris alvi munera.

O quanta matrum gaudia!
Stupente naturâ, gravem
Anum stupes, quæ Virginem
Fœtam Deo te prædicat.

Abscondita sub intimo
Ceu nube portabas sinu
Solem suo qui protinùs

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
CENTRO INTERNACIONAL DE INVESTIGACIÓN

Lustrabit orbem lumine.
JESU tibi sit gloria,
Mundo Redemptor qui venis,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.
Hæc Doxol. dicitur per octav. in hymnis ejusdem metri.

℣. Visita nos in salutare tuo Domine.
℟. Ad videndum in bonitate electorum tuorum.

Ad Magnif. *ant.* Ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in gaudio in utero meo, alleluia.

Oratio de Laudibus.
Completor. de Dominica.

AD MATUTIN.

Invitat. Per Virginem MARIAM visitavit nos Dominus, * Oriens ex alto.

HYMNUS 275. *Brev. Par.*

Montes superbum verticem,
Quò Virgo transit, subdite,
Qui se libentèr sterneret
Vel ipsa cœli sydera.
Occulta, quæ latet domi,
Audet foris se prodere:
Sempèr sibi timens pudor,
Se charitate protegit.
It illa, non nectit moras:
Fugit videri, nec minùs
Fugit videre, ne suo
Quidquam pudori detrahat.
Beata, quam pressit pede
Tellus! beata semita!
Colles beati, qui simul
Cum Matre sensistis Deum!
Beatiores hospites,
Vos ô quinus cœlestia,
Loquente Matre Virgine,
Audire membra contigit!
JESU, tibi sit gloria,
Mundo Redemptor qui venis,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Non est impossibile * apud Deum omne Verbum: Elizabeth sterilis concepit filium in senectute suâ. *Psal.* 10. In Domina. *p.* 4.

2. MARIA abiit * cum festinatione in civitatem Judæ, ut salutaret Elizabeth. *Psalm.* 20. Dom. in virt. *p.* 20.

3. Et intravit * domum Zachariæ, et salutavit cognatam suam. *Psalm.* 26. Domina ill. *p.* 26.

℣. Fecit mihi magna, allel.
℟. Qui potens est, allel.

De Canticis canticorum.

LECTIO 1. *c.* 2. 8.

Vox dilecti mei: ecce iste venit, saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, transiliens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Tu.

℟. Quæ est ista quæ processit sicut sol, et formosa tanquàm Jerusalem: * Viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt. ℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium.—Viderunt.

LECTIO 2.

Jam enim hyems transiit, imber abiit, et recessit: flores apparuerunt in terrâ nostrâ, tempus putationis advenit: Vox turturis audita est in terrâ nostrâ: ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge amica mea, speciosa mea, et veni. Tu.

℟. Intravit MARIA in domum Zachariæ, et salutavit Elizabeth: * Vox turturis audita est in terrâ nostrâ. ℣. Jam hyems transiit, imber abiit, et recessit.—Vox turturis.

LECTIO 3.

Columba mea in foraminibus petræ, in cavernâ maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis et facies tua decora. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bether. Tu.

℟. Nobilis Elizabeth, de quâ canit alta prophetans, * Hoc operante Deo, germina læta refert. ℣. O benedicta inter mulieres, undè mihi hoc, ut mater Domini visitet alma mei.—Hoc operante.—Gloria.—Nobilis.

In diebus infra octav. Hoc.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Repleta est * Spiritu Sancto Elizabeth, et exclamavit voce magnâ. *Psalm.* 31. Beati. *p.* 27.

2. Benedicta tu * inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. *Psalm.* 66. Deus miser. *p.* 21.

3. Beata, * quæ credidisti quoniàm perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. *Psalm.* 114. Dilexi. *p.* 45.

℣. Visitavit nos Dominus, allel.
℟. Oriens ex alto, allel.

Sermo Ven. Bedæ Presbyteri.

Libr. 1. *in Luc. c.* 1.

LECTIO 4.

Accepto Virginis consensu, mox Angelus cœlestia repetit: illa petit montana, festinat invisere Elizabeth, non quasi incredula de oraculo, vel dubia de exemplo, sed ut læta pro voto, religiosa pro officio, typicum pariter exemplum tribuens, quod omnis anima, quæ Verbum Dei mente conceperit, virtutum statim celsa cacumina gressu conscendat amoris: quatenus civitatem Juda, id est, confessionis, et laudis arcem penetrare, et usque ad perfectionem fidei, spei et charitatis, quasi tribus in eâ mensibus valeat commorari. Tu.

℟. Ad Domini adventum exilivit de ventre Joannes, * Infans personuit munere preco novus. ℣. Dum pede non potuit, motibus ivit iter.—Infans.

LECTIO 5.

Disce, Virgo, humilitatem MARIÆ: ut et corpore casta et pectore possis esse devota. Visitat junior seniorem, salutat Virgo uxorem, Decet enim, ut quo castior Virgo, eo sit humilior: et senioribus deferens habitum castitatis, præconio commendet humilitatis. MARIA ad Elizabeth: Dominus venit ad Joannem: hæc ut à Spiritu Sancto repleatur, illius ut baptisma consecretur, majorumque humiliatio, minorum est utique exaltatio. Tu.

℟. Trans uterum matris, quasi per specularia cernens, * Materna et puero membra fenestra fuit. ℣. Quandò exultavit ventre de ventre salutans.—Materna.

LECTIO 6.

Vocem prior Elizabeth audivit, sed Joannes prior gratiam sensit. Illa naturæ audivit, ille exultavit ratione mysterii. Illa MARIÆ, iste Domini sensit adventum. Islæ gratiam loquuntur: illi intùs operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo prophetant matres spiritu parvulorum. Exultavit infans, et repleta mater est: non priùs mater repleta, quàm filius, sed cum filius repletus esset Spiritu Sancto, replevit et matrem. Tu.

℟. Visitatio est hodiè Sanctæ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

MARIÆ Virginis: * Cujus pulchritudinem respexit Deus, et visitavit humilitatem ancillæ suæ. ℣. Ista est speciosa electa à Domino, cujus Visitationem celebramus.—Cujus pulchr.—Gloria.—Visitatio.

In diebus infra octav. Cujus.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Respexit Deus * humilitatem ancillæ suæ, et beatam me dicent omnes generationes. *Ps.* 119. Ad Domin. *p.* 46.

2. Undè hoc mihi, * ut veniat Mater Domini mei ad me? *Ps.* 123. In convertendo, *p.* 47.

3. Visitavit nos * Dominus ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Ps.* 131. Memento, *p.* 48.

℣. Visitavit nos Dominus, allel.

℟. Et fecit redemptionem plebis suæ, allel.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 39.

In illo tempore: Exurgens MARIA, abiit in montana cum festinatione, in civitatem David. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

In signum magnum.

Audierat Virgo, quod ex le nasceiur Sanctum, vocabitur filius Dei. Indè ventum est ad Elizabeth, et continuò Virginis gloria singularis eidem per Spiritum revelatur. Denique et mirabatur, personam venientis, dicens: Undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Commendabat et vocem salutantis adjiciens: ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Tu.

℟. Solem justitiæ Regem paritura supremum, * Stella maris MARIA hodiè visitavit Elizabeth. ℣. Cernere divinum lumen, gaudete fideles—Stella.

Benedict. Cujus Visitationem.

LECTIO 8.

Magna quidèm præconia, sed et devota humilitas, nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudaburtur. Tu, inquit, magnificas Matrem Domini: sed magnificat anima mea Dominum: In voce meâ filium perhibes exultasse in gaudio, sed exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo: et ipse quoquè tanquàm amicus sponsi gaudet ad vocem Sponsi. Tu.

℟. Exclamavit MARIA, et dixit * Magnificat mea Dominum, et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo. ℣. Beata, quæ credidisti; quoniàm perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.—Magnificat.*

Diebus infra Oct. loco hujus ℟. dicitur inferius. Hodiè.

LECTIO 9.

Bealam esse dicis, quæ credidisset: sed credulitatis et bealitudinis causâ respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem et exiguam respexit Deus. Verum tamèn cunquid putamus, fratres, Elizabeth sanctam in eo quod per Spiritum loquebatur, errasse? Absit. Beata planè quam respexit Deus, et beata quæ credidit. Hic enim magnus divinæ respectionis exitii fructus. Tu.

℟. Hodiè visitavit Elizabeth Beata Virgo MARIA ex progeniè David, per quam salus mundi credentibus apparuit. * Cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo. ℣. Beatissima Virginis MARIÆ Visitationem devotissimè celebremus.—Cujus.—Gloria.—Hodiè.

Diebus infr. Oct. Cujus.

AD LAUDES

et per Horas Antiphonæ.

1. Exurgens MARIA, * abiit

in montana, ut visitaret Elizabeth. *Psalmi de Dominicâ.*

2. Quàm pulchri * sunt gressus tui, Filia Principis!

3. Viderunt eam * filiæ Sion, et bealissimam prædicaverunt.

4. Quæ est ista, * quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi.

5. Revertere * Sunamitis, revertere, ut intueamur te.

CAPITULUM. *Luc.* 1. 36.

Ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute suâ, et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis.

HIMNUS 276.

Ad prima verba Virginis
Intùs novenle spiritu,
In matris alvo conditus
Infans Joannes gestiit.

Agnovit infantem Deum:
Quem sensit, ardet prodere,
Vates et infans, quà potest!
Adesse Christum nuntiat.

Hic jam Redemptoris vices,
Præconis ille sustinet:
Materna claustra non velant,
Quin ambo munus impleant.

Felix puer, felix parens,
Felix Sacerdos et domus,
Qui per parentem Virginem
Deo fruuntur hospite.

JESU, tibi sit gloria,
Mundi Redemptor, qui venis,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Visita nos in salutari tuo, Domine, alleluia.

℟. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, alleluia.

Ad Benedict. *ant.* Beata quæ credidisti, * quoniàm perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino, et ait MARIA: Magnificat anima mea Dominum, alleluia.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ex abundantiâ charitatis Beatam MARIAM tuo Filio fecundalam, ad salutationem Elizabeth inspirasti, præsta, quæsumus, ut per ejus Visitationem donis cœlestibus repleamur, et ab omnibus adversitatibus liberemur. Per eumdem.

AD PRIMAM.

Ant. Exurgens. *Capit.* Ecce Eliz. *de Laudibus.*

℣. ℟. *br.* Quæ cognatam tuam Elizabeth visitasti.

CANON.

Ex Bonifacio Papâ Nono. *Const.* Superni Ben. *an.* 1389—*B. Rom. Tom.* 3. *p.* 2. *p.* 378.

528 Sexto idus Aprilis pontificatûs sui anno undecimo «Urbanus Papâ Sextus» statuit, ut Festum Visitationis Beatæ MARIÆ Virginis, quandò visitavit Elizabeth, sexto nonas Julii annis singulis in Dei Ecclesiâ cum laudum cantico, lætitiæ jubilo, cordisque tripudio sub duplici officio per orbem universum solemniter celebraretur. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM *Luc.* 1. 41.

Factum est, ut audivit salutationem MARIÆ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elizabeth.

℟. *br.* Fecit mihi magna, * allel. alleluia.—Fecit. ℣. Qui potens est.—Alleluia.—Gloria.—Fecit.

℣. Visitavit nos Dominus, allel.

℟. Oriens ex alto, aleluia.

AD SEXTAM.

CAPITULUM 2. *Reg.* 6. 11.

Habitavit arca Domini in domo Obededon Gethæi tribus mensibus, et benedixit Dominus Obededon et omnem domum ejus.

℟. *br.* Visitavit nos Dominus, * allel., allel.—Visitav. ℣. Oriens ex alto.—Allel.—Glor.—Visitav.

℣. Visitavit nos Dominus, allel.
℟. Et fecit redemptionem plebis suæ, allel.

AD NONAM.

CAPITULUM. 2. *Reg.* 6. 12.

Nuntiatunque est Regi David, quòd benedixisset Dominus Obededon, et omnia ejus propter Arcam Dei.

℣. *br.* Visitavit nos Dominus, * allel., allel.—Visitav. ℣. Oriens ex alto.—Allel.—Gloria.—Visitavit.

℣. Visita nos in salutari tuo, Domine, allel.
℟. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, allel.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Visitavit * Elizabeth Virgo MARIA, et repleta est Spiritu Sancto. *Psalm. de Solemnit.*

2. Visitasti terram, * et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.

3. Veni, Domina, * et visita nos in salutari tuo.

4. Visita * vineam istam, quam plantavit dextera tua.

5. Et ut facta est * vox salutationis, MARIÆ, replela est Spiritu Sancto Elizabeth.

CAPITULUM. *Luc.* 1. 36.

Ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute suâ, et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis.

℣. *Ut in* 1. *Vesper.* Hodiè visitavit.

HYMNUS 277.

Hunc diem festum veneremur omnes,
Quo Deus nostrum miseratus ævum,
Cum novis signis veniens ab alto
Visitat orbem.

Cesset humani generis quærela,
Virginis claustrum subiit Redemptor,
Girat et cœlum recubans sub arcto
Tegmine Matris.

Dum latet subitus trabeâ decenti;
Angelus cedit repetens olympum:
Transiit clivum gravidata Divo
Munere Virgo.

Obviat fœta sterilis vocata
Clamat, ut sensit puerum moveri
Inter obscuras positum latebras
Carcere ventris.

Parvulus miles dominum salutat,
Et suum complet Dominus clientem,
Hesperus tandem rutilat coruscans
Lumine solis.

O Dei nostri Genitrix beata,
Visita mentes hodiè tuorum,
Ut suo fructu satietur agmen
Criminis expers.

Sit decus summum sine fine Christo,
Virgo quem sacra genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

℣. Visita nos in salutari tuo, Domina.
℟. Ad videndum in bonitate electorum tuorum.

Ad Magnif. ant. Mansit autem MARIA cum Elizabeth quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam, alleluia.

Oratio ut supra.
Completor. de Dominicâ.

—

In diebus infra octavam etiàm in festis officium fit ut in die, nisi aliter notetur, cum Lect. 1. *Noct. et Psalmis de feriâ.*

DIE III. JUL.

SS. VESTIUM B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Præsta quæsumus, Omnipotens Deus, utqui sacratissimas Vestes Immaculatæ Virginis veneramur, vitiis exuti, sanctas virtutes, ipsâ intercedente, induere possimus. Per Dominum nostrum.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex histor. Eutlym. apud S. Joann. Damasc.

Oratio 2. *de Assumpt. B. M. V.* Cum Sancta Pulcheria Beatæ Virginis ædem extruxisset, accito Juvenali Jerosolymorum Archiepiscopo, et aliis Palestinæ Episcopis, qui tum ob concilium Chalcedone coactum in urbe imperiali peregrè agebant, ab eis, ubi corpus Beatæ Virginis MARIÆ esset conquisivit, ut ejus reliquiæ venerandæ ad Blachernas essent translatæ. Quem sermonem excipiens Juvenalis, Imperatrici respondit, quòd post Sanctæ Virginis mortem, cum tumulum aperuissent, atque ex eo inenarabili quâdam suavitate perfusi fuissent, loculum munierunt. Tu.

℟. Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. ℣. Astitit Regina à dextris tuis, cum vestitu deaurato circumdata varietate.—Mulier.

LECTIO 5.

Quod cum Imperatores audissent, ab eo Archiepiscopo Juvenali contenderunt, ut sanctus ille loculus, unà cum gloriosæ ac Sanctissimæ Dei Genitricis vestimentis, quæ in eo erant, diligenter ad se mitteretur. Quod cum contingisset, eum in venerandâ æde Sanctæ Dei Matris, quæ in Blachernis structa erat, condiderunt, atque ad hunc modum se habuerunt. Tu.

℟. Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, * Quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me. ℣. Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.—Quia.

LECTIO 6.

Ex Martirol. Gallicano die 2 *Jul.* Sed posteà captâ à Latinis eâdem imperatrice urbe, ipsa Zona cum magnâ parte pupli beatissimæ ipsius Dei Genitricis, à Nivelone venerabili Episcopo Suessionem transvecta, una cum innumeris pretiosissimis lipsanis in antiquâ Sanctæ MARIÆ Basilicâ cœnobii Virginalis solemni pompâ reposita, magno illic honore conservatur. Tu.

℟. Strágulatam vestem fecit sibi, byssus et purpura indumentum ejus: * Et ridebit in die novissimo. ℣. Exuit se vestimento viduitatis, et induit se vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israel.—Et.—Gloria.—Et.

IN III. NOCT.

Si hoc festum transferatur extra Octav. dicitur Homil. de Comm. pro Duplicib.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 39.

In illo tempore: Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione in civitatem David. Et reliqua.

Homilia S. Andreæ Cretensis.

Orat. in Salut. Angelicâ.

Benedicta tu inter mulieres, ac verè quidèm benedicta, nam benedixit te sibi ipsi Deus in tabernaculum. Quoniàm maternâ gloriâ superabundantem hominem JESUM-Christum, eumdem quoque Deum perfectissimum iis naturis, ex quibus et in quibus constitit, ineffabili quodam modo in utero tuo gesisti. Tu. ℟.

Bened. 8. Cujus Vestimenta.

LECTIO 8.

Benedicta tu in mulieribus, quæ cœlestem thesaurum in quo alii omnes sapientiæ et cognitionis thesauri sunt reconditi, in tuto virginitatis tuæ velut promptuario liberrimè complexa es. Verè tu bene-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicta: cujus venter acervus quidem aræ, quoniàm fructum benedictionis, spicam immortalitatis Christum, inquam, sine seminantis ac coloni operâ perfectissimè produxisti. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Messanensis de Litterâ.

Gumpenb. 43.

Messanæ sæculum quod ex nuncupatione Epistolæ ad Messanenses à Divâ Virgine missæ de Litterâ appellatur, Deiparæ jam à primis sæculis sacrum est, quod ipsâ vetustate magis religiosum sanctumque habetur. Anno verò millesimo sexcentesimo vigesimo nono atque ipso die tertio nonas Junii, festo Epistolæ, recentioris etiàm structuræ opera simùl ac magnifica designatione coli cœpit augustius. Imago ipsa reliquarum omnium, quæ deindè variis est modis picta, sculptaque, est antiquissima et in mirâ veneratione. Communi fide creditur esse opus Sancti Lucæ, Græcâ hâc epigraphe insignis: Velox auscultatrix. Tu. Te Matrem.

Vesperæ ut in 2. Vesp. Visitationis.

DIE IV. JUL.

DE III. DIE INFRA OCT. VIS.

Semiduplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS 278. *Para. Marian.*

O Christi Mater cœlica
Fons vivus fluens gratiâ:
Lux pellens cuncta schismata,
MARIA Deo proxima.
Ex motu veri luminis
Transivit in monticula
Virgo juvare velulam
De Præcursore gravidam.
Mater venit de Nazareth,
Ut salutet Elizabeth:
Replentur dono Spiritûs
Anus et ejus filius.
Elizabeth complacuit,
Quòd Mater Dei affuit,
Infans gaudet in utero,
Præsente Christo Domino.
MARIÆ Visitatio
Exemplum dat pro bravio:
Quòd sit parata omnibus
Ipsam piè quærentibus.
Trinitatis clementia
Cuncta lavet facinora:
Per Matris Christi merita
Nos ducat ad cœlestia.
JESU, tibi sit gloria
Mundo Redemptor qui venis,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Lect. 1. Noct. de fer. occurr.

IN II. NOCT.

Sermo S. Gregorii Thaumaturgii Episcopi.

Serm. 2. in ann. B. V.

LECTIO 4.

Ut autem audivit salutationem MARIÆ Elizabeth, exultavit infans præ jubilo in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elizabeth: vox igitur MARIÆ efficax fuit, Spiritu Sancto replevit Elizabeth, ac velut ex perenni quodam fonte, instrumento linguæ, flumen charismatum per propheliam cognatæ suæ emisit: et pedibus infantis in utero colligatis saltum et exultationem suppeditavit. Quod quidem miraculosi tripudii symbolum signumque erat. Nam ubi gratiâ plena advenit, gaudio cuncta repleta sunt. Exclamavit autem magnâ voce Elizabeth, et dixit: Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Et undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Tu. ℣.

LECTIO 5.

Benedicta tu in mulieribus. Tu quippè ipsis principium reparationis effecta es. Tu fiduciam in paradisum inīroitûs nobis dedisti, et antiquum dolorem, luctumque fugasti. Non enim ampliùs post te mulierum genus vituperatur: non ampliùs hæredes Evæ antiquam maledictionem timent, neque partûs dolorem reformidant, quoniàm Christus humani generis Redemptor, Salvator universæ naturæ, spiritualis Adam, terreni hominis vultus curans ex sancto tuo utero procedit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui. Omnium enim bonorum plantator tuus fructus effectus est. Præclara quidem videmus etiàm sterilis Elizabeth verba: ac illustriora vicissim Sanctissima prolata est Virgo, et canticum Deo gratiarum actionis, bonique odoris, ac theologiæ plenum retribuit, cum antiquis nova adnuntians, cum iis quæ à sæculo et ab initio, ea quæ in sæculorum consummatione acciderunt, prædicans, brevique sermone Christi mysteria summatim præstringens. Ait autem MARIA: Magnificat anima mea Dominum. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 39.

In illo tempore: Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione in civitatem David. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valentini.

Conc. de Visitatione.

Hæc licet Virgo per montana tota inflammata cum festinatione incedit. Quo enim Virgo plena, ait Ambrosius, nisi in montana conscenderet? Psalmus: Montes excelsi cervis, petra refugium hirmaceis. Cum festinatione vadit: non enim ponderi est infans in utero, sed levamini. Imprægnata, sed non aggravata. Gravida sine gravamine. Quomodò enim gravaret in utero Matrem Verbum Dei, quo omnia sustinentur? Portat enim omnia verbo virtutis suæ. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Factus in utero Matrem ipsam portat, et veluti radius flamigerans, vapori virgineo impressus, corpus levat in montana, animam rapit in cœlestia. O felix silva, quæ talem viatorem habuisti! O admirabile spectaculum! Puer deificus. Infans cœlestis, nondùm natus, jam iter agit in montana. O currus triumphalis uteri virginalis, quo cœlestis Rex, non tàm hominum, quàm Angelorum calervâ stipatus, itineratur, vehitur per montana! Clarior est currus illâ quadrigâ igneâ, quâ vectus est Elias in cœlum. Ibi ardor igneus. Hic ardor Spiritûs. Ibi quadrigâ equorum, hic virtutum. Ibi vehitur propheta, hic Deus prophetarum. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commem. Sanctæ Mariæ à Palmis.

Spinelli de festis et templ. Deip.

Sancta MARIA à Palmis Romæ viâ Appiâ extra portam Sancti Sebastiani, sic dicta à palmarum multitudine, quæ ibi olim erat cum templo Martis. Hoc in loco, quemadmodùm pervetus figura supra templi fores indicat, Christus Sancto Petro Neronis rabiem fugienti occurrit, eidemque roganti: Domine, quo vadis? respondit: Romam iterùm crucifigi: atque in lapide pedum sacrorum vestigia impressit, undè factum est, ut hæc Ecclesia Sanctæ MARIÆ à Plantis dicta etiàm sit. Cum autem hoc templum præ vetustate ruinam minari videretur, cardinalis Toletus pro suâ in Virginem pietate refici curavit. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

HYMNUS 279. *Caryophil.*

Vi suâ magnum petit ima pondus;
Pondus est prægnans uterus puellis;
Una sed Virgo petit alta ventris
Pondere ducta.

Plena divini gravitate Verbi
Tendit ad montes properante gressu;
Visit agnatam, sterilique natum
Ventre Joannem.

Ponderis tanti gravitate pressa,
Se vel ancillam canit illa Verbi:
Mater ut Verbi superavit omnes
Pondere cœlos.

Pondus hoc Matris geritur, geritque:
Matris hoc ventrem leve pondus implet:
Quid magis Verbo leve? Quidve Verbi
Pondere majus?

Pondus hoc nobis levitate tollit
Criminum pondus: gravitate donat
Pondus æternum, labor ut caducus
Duret in ævum. Amen.

CANON.

Ex Bonifacio Papâ Nono.
Const. ut supr.

529. Mandavit Prædecessor noster, quòd simile, non famen duplex, (Visitationis) Officium... per septem sequentes dies in Dei Ecclesiâ cum celebritate debitâ decantetur. Tu.

Vesperæ de infra Oct. Duplex.

DIE V. JUL.

TRIUM EXCELLENTIAR. B. M. V.

Duplex.

Omnia ut in die Visit. nisi transferatur.
Lect. 1. Noct. de fer. occurr.

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Bernardini Senensis.
Serm. de Ann. art. 1. c. 1. et seq.

LECTIO 4.

Prima Excellentia MARIÆ est naturæ. Triplici namque modo in Ave hæc naturæ excellentia demonstratur. Primo modo Ave, id est, sine væ. Et hoc triplici quidèm modo, cui subjacet totum femineum genus, scilicet, pudoris, laboris, et doloris. Fuit enim sine væ pudoris in conceptione, sine væ laboris in gestatione, sine væ doloris in parturitione. Secundo modo, quià ab alio triplici væ immunis fuit, scilicèt, concupiscentiæ, culpæ et pœnæ. Fuit enim Beata Virgo sine primo væ, hoc est, sine tyranno concupiscentiæ peccati originalis, quia sine ipso concepta est. Fuit sine secundo væ, scilicet, culpæ et mortalis et venialis. Fuit sine tertio væ, scilicet pœnæ, quæ in separatione animæ et corporis, quæ est incineratio et corporis dissolutio. Tertio modo, quia fuit sine alio triplici væ, scilicet, carnis, mundi et diaboli, sive tria ei defuerunt, avaritiam namque exclusit per paupertatem, luxuriam per virginitatem, diabolum verò, vel superbiam per humilitatem. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Secunda Excellentia est gratiæ, de quâ angelus subdit: Gratiâ plena. Hoc secundum triplicem intellectum exponi potest. Primus est gratiâ plena. Gratiâ, inquam, scilicet, corporali, spirituali, et singulari. Nam gratia corporalis fuit gratia Virginitatis in carne. Gratia spiritualis fuit abundantia virtutum in mente. Gratia singularis fuit præsentia filii Dei in ventre. Secundus intellectus, Gratiâ plena, nam fuit in eâ profunditas humilitatis, puritas Virginitatis, et soliditas charitatis, quas has virtutes plenissimè habuit, et in summo. Ad hoc enim, quòd vas impleatur, et teneat liquorem bonum, ista tria requiruntur, scilicet, quòd vas sit vacuum, sive profundum, quòd sit

purum, quòdque sit solidum, sive firmum, quæ omnia fuerunt in Virgine Matre. Tertius insuper intellectus, Gratiâ plena. Omnis nempe gratia, quæ huic sæculo communicatur, triplicem habet processum. Nam à Deo in Christum, à Christo in Virginem, à Virgine in nos ordinatissimè dispensatur. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Tertia Virginis Excellentia est gloriæ, de quâ per angelum subinfertur, Dominus tecum, quod tripliciter exponi potest. Primo modo, Dominus enim est Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus. Tecum Dominus Pater, quia tu Sponsa Patris, Tecum Dominus Filius, quia tu Mater Filii. Tecum Dominus Spiritus Sanctus, quia tu Spiritûs Sancti thesauraria comprobaris. Secundò etiàm Dominus tecum: tecum autem ante uterum, tecum in utero, tecum post uterum. Ante uterum te præsignans in multis figuris, et prophetiis. In utero te sanctificans. Post uterum te fœcundans. Tertiò quoquè Dominus tecum, tecum enim in mente, tecum in ventre, tecum in potestate. Tecum namque in mente per virtutum abundantiam. Tecum in ventre per suam præsentiam. Tecum in potestate propter peccatorum indulgentiam, cum de Deo nobis facias quidquid tuæ placuerit charitati. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Si hoc fest. transfer. dicitur Hom. de comm. pro Duplici.
Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 39.

In illo tempore: Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.
In Luc. libr. 2.

Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Quis est iste fructus ventris tui, nisi ille, de quo dictum est: ecce hæreditas Domini, filii merces fructus ventris? Hoc est, hæreditas Domini filii sunt, qui merces sunt fructûs illius, qui de MARIÆ ventre processit. Ipse fructus ventris est flos radicis, de quo benè prophetavit Isaias dicens: exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Radix enim est familia Judæorum, virga MARIA, flos MARIÆ Christus. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Et undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Non quasi ignorans dicit. Scit enim esse Spiritûs Sancti gratiam et operationem, ut mater prophetæ à Matre Domini ad profectum sui pignoris salutetur. Sed quasi non humani hoc meriti, sed divinæ gratiæ munus esse agnoscat, ità dicit: Undè hoc mihi? Hoc est, quantum bonum mihi accidit, ut Mater Domini mei veniat ad me, non cognosco mecum. Undè hoc mihi? quâ justitiâ? pro quibus factis? pro quibus meritis? Non usitata hæc officia feminarum sunt, ut veniat Mater Domini mei ad me. Miraculum sentio, cognosco mysterium, Mater Domini Verbo fœta, Deo plena est. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata quæ credidisti. Vides non dubitasse MARIAM, sed credidisse, et in Deo fructum fidei consecutum. Beata, inquit, quæ credidisti. Sed et vos beati, qui auditis et creditis. Quæcumque enim crediderit anima, et concipit, et generat Dei verbum, et opera ejus agnoscit. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de infra Oct. Dupl.

DIE VI. JUL.

PRODIGIORUM B. M. V.

Duplex.

Omnia ut in die Visitat. nisi transfer. Lect. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Ev verbis S. Theodori Studitæ in Canone.

Bibliot. max. Tom. 2. c. 746.

LECTIO 4.

Regiam stolam ex te, Virgo, Deus gestans hominibus apparuit, in hominum formâ, duplex secundum essentiam, cujus effigiem et figuram veneramus. Verè te Dominam confitemur, quæ Deum peperisti, Nestorii nugis neglectis, et Sanctorum Patrum dogmatibus inhæremus. Sanctis Sanctior, et omnibus creaturis excelsior, tu sola apparuisti Mater simùl et Virgo Dei genitrix, cum ipsum tuum Creatorem pepereris, quâ propter Sanctam Imaginem veneramus. Tu. ℣.

LECTIO 5.

O purissima Virgo à Deo glorificata, civitas Dei à prophetis meritò es pronuntiata, ex quâ ortus est ipsemet tui Creator, qui te post partum ut ante virginem conservavit. Dei Genitrix, quæ omnium es auxilium, refugium et protectio, ostende quæsumus te, quòd pro omnibus, qui ad te confugiunt, vales intercedere, sicut è contra impios rejicis, tui Filii potentiâ: omnia siquidem potes, ut ejus Mater. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Sermo D. Hesichii Pbri. Jerosolymitani.

Orat. 2. in SS. Deipar.

Vides qualis et quanta est Deiparæ Sanctissimæ dignitas. Unigenitus enim Dei Filius, mundi conditor, velut infans gestabatur ab eâ, et Adamum reformabat, Evamque sanctificabat, excludebat Draconem, et paradisum aperiebat, sigillum uteri muniens. Aperiebat enim paradisum, quoniam latronem introducturus erat in eum, cunctosque regni hæredes deducturus. Sigillum uteri munichat eo quod is, qui carnem assumebat, esset Deus et Verbum, nequaquàm opus habens portas aperiendi, ingrediendi causâ aut egrediendi. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Si hoc fest. transfertur dicitur Homil. de comm. pro Duplicib.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c. 1. 39.*

In illo tempore: Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et reliqua. Homilia S. Andreæ Cretensis. Ep.

Oratio in Salutatione Angelic.

Tu verè benedicta, quæ sola in matribus omnibus digna es habita Mater conditoris tui, ac ità quidem, ut quæ matribus contingunt, ignorares, quippè quod ex te per partum prodiit, virginitatem tuam haud corrupit, nam qui formavit, idem quoque communicavit castitatis tuæ signacula. Reverà benedicta tu, quæ sola sine viro concepisti, et in utero eum gessisti, qui cœlos expandit, ac virginitatis tuæ terram cœlestem reddidit. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Benedicta tu in mulieribus, quæ sola benedictionem es sortita, quam Dens genibus per Abrahamum promiserat. Verè tu benedicta, ut quæ benedicti pueri JESU-Christi servatoris nostri mater es nuncupata. Propter quam gentes acclamant: benedictus, qui venit in nomine Domini, et benedictum nomen ejus in sempiternum, et replebitur gloriâ ejus universa terra: fiat, fiat. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Mantuanæ de Gratiis.

Gumpenb. 122.

Non longè à Mantuanâ urbe in Italiâ Sacellum est, et in Sacello Deiparæ Imago exigui operis. Ejus origo ignoratur: in hoc sacello sub annum millesimum trecentesimum Mantuæ Marchio Franciscus Gonzaga remedium invenit pestiferæ lui, quæ omnia medicorum et medicinæ consilia eluserat. Vix enim vovit Virgini in eo loco templum augustius, quod et mole suâ et magnificentiâ posteris beneficium sublati contagii testaretur, quòd statim cessavit quasatio. Nec etiàm lenium experta Virgo est Principem. Quàm potuit celerrimè enim templum extruxit, quin etiàm plus præstitit, quàm promisit, cœnobium Virginum templo adjungens. Tu. Te Matrem.

Vesperæ ut in secum Vesp. Visitation.

DIE VII. JUL.

DE VI. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

Oratio.

Deus qui de Beatæ MARIÆ Virginis utero Præcursorem tuum, nondum in lucem editum sanctificasti; da Ecclesiæ tuæ, ut quos spiritualì regeneratione concepit, purificatos tibi pariat filios adoptionis. Qui vivis et regnas.

AD MATUTIN.

HYMNUS 279.

Ecce quàm fructu genitrix utroque
Digna! quàm fructus genitrice dignus!
Hæc Deum Virgo, sterilis recondit
Illa prophetam.
Fac tuos puris hodiè clientes,
Virgo, collustret radiis Redemptor
Ille, quem prodit nova nasciturо
Gratia vati.
Det sequi certo pede, quâ præisti,
Dùm Patris summi partura prolem,
Vilis ancillæ titulo modesto
Pectore præfers.
Qui paras talem, Deus alme, terris
Ut tuo Christo præcat, lucernam,
Nos, bonus, turmis precibus MARIÆ
Junge supernis. Amen.

Lect. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Maximi Episcopi.

Homil. 1. in Natiy. S. J. Bapt.

LECTIO 4.

Elizabeth illa vetus mulier, et nova mater, quæ ante partum suum de futuri filii lætabatur officio, venienti ad se Beatæ MARIÆ in ipso salutationis occursu ait: Ecce ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Quid hoc est miraculi, fratres, quæ tantorum novitas gaudiorum, habere se in utero Elizabeth testaretur infantem, qui necdùm semetipsum sentiens, Domini jam sentiret adventum? Verè hic omnium beatissimus parvulorum, qui intra viscera adhuc materna conclusus, adesse Salvatorem mundi, quia necdùm sermone poterat, prophetico gaudio revelavit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Nullus ignorat, carissimi, omnem parvulum materno ab utero prodeuntem inter ipsa lucis exordia mœstis concrepare vagitibus: solus Baptista Domini ultra legem nascentium nativitatem suam lætitiæ exultatione prævenit. Et quem decuit, fratres, ut de matre sterili nasceretur, qui fœcunditatem Virginis revelabat, quatenùs mirabilem par-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum mirabilis mirabiliter natus ostenderet. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 39.

In illo tempore: Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et reliqua.

Homilia V. Bedæ Presbyteri.

In Visitat. B. V.

Aptè post visionem angeli in montana subiit, quæ gustatâ suavitate supernorum civium humilitatis gressibus ad virtutum alta se transtulit. Intrat ergò domum Zachariæ, atque Elizabeth, quam servum ac præcursorem Domini pariturum noverat, salutat, non quasi dubia de oraculo, quod acceperat, sed ut congratulatura de dono quod conservam accepisse didicerat: non ut verbum Angeli mulieris attestatione probaret, sed ut mulieri provectæ ætatis Virgo juvencula ministerium sedula impenderet. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Ut autem salutationem MARIA Elizabeth audivit, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elizabeth. Aperiente os ad salutandum Beatâ MARIA, repleta est mox Spiritu Sancto Elizabeth, repletus est Joannes, atque uno eodemque Spiritu ambo edocti, illa salutantem quæ esset, agnovit, et ut Matrem Domini sui debitâ cum benedictione venerata est, ille ipsum Dominum esse, qui in utero Virginis portaretur, intellexit; et quia linguæ necdum valuit, animo exultante salutavit, officium suæ præcursionis quàm devotè, quàm libenter juvenis esset impleturus, et antequàm nasceretur, adveniente Domino, quibus valebat indiciis, intimavit. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Mislenicensis.

Gumpenb. 546.

Hæc sacra Imago Deiparæ nomen habet ab oppido, in quo est, distatque quatuor omnino leucis Cracoviâ. Picta est in tabulâ querna è tribus minoribus compactâ, longa cubitum unum, et sesqui quadrantem cubiti: latitudo eadem est: opus est italicum, et artificium exactum. Imago hæc advecta est Venetiis in Poloniam à quodam Duce Cracoviensi, eidem donata, ut res pretiosissima à Moniali quâdam Sixti V. nepte, quæ eam ab hoc Pontifice accepit. Anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, mense Majo multotiès hæc imago copiosè sudavit, facie Virginis rosæ instar rubente: odor etiàm sentiebatur valdè gratus: undè instituta ritu Ecclesiastico seriâ inquisitione pro miraculosâ habita est, et ut talis cum pompâ templo parrochiali illata, mensis Julii die secundâ, ubi plurimis miraculis etiàm claret. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Bonifacio Papâ Nono.

In Bulla Superni benign. *an.* 1389. —*Bull. R. t.* 3. *p.* 2. *p.* 378.

330. Universos Ecclesiarum Prælatos monemus, et hortamur in Domino..... in virtute Sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandantes, et in remissionem peccatorum injungentes, quatenùs tàm gloriosum festum et celebre «Visitationis Beatæ Virginis MARIÆ» annis singulis sexto Nonas Julii devotè ac solemniter celebrent, ac jejunium vigiliæ hujusmodi suadeant in augumentum meriti observari. Tu.

Vesper. ut in die. Orat. sequent.

DIE VIII. JUL.

DULCEDINIS B. M. V.

Duplex.

Omnia, ut in die Visitationis, nisi transferatur.

Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut tui amoris suavitate repleantur corda nostra, qui Dulcedinem Sanctissimæ Genitricis tuæ toto cordis affectu hodiè recolimus. Qui vivis et regnas.

Lect. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni Ep.

De laudib. B. V. l. 4. c. 26.

LECTIO 4.

De dulcedine MARIÆ hic notandum, quæ generalis est, et universalis. Undè de eâ dicitur: Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictum ipsius, sed lætitiam et gaudium. MARIA dulcis fructu, idest, Filio, à quo potissima dulcedo ipsius; quia à Filio traxit omnem dulcorem. De quo videlicet fructu dicit fidelis anima: fructus ejus, scilicet MARIÆ dulcis gutturi meo. Initium dulcoris habet fructus illius contra hoc quod primus fructus Evæ habuit initium amaritudinis. Tu. ℣.

LECTIO 5.

MARIA dulcis Spiritu. Undè Spiritus meus super mel dulcis. Spiritus MARIÆ nihil habet amaritudinis, sed totum dulcoris. Sicut enim pixis contenti electuarii odorem retinet et saporem, sic Spiritus Beatæ Virginis Christi dulcedinem, qui in ejus ventre novem mensibus requievit: et licet ex ejus utero nasceretur, nunquàm tamen à spiritu ejus vel mente recessit. Vel ideò Spiritus ejus dulcis: quia specialis apotheca Spiritûs Sancti, qui dulcedo Patris et Filii propriè nominatur. Vel dulcis super mel: nam transcendit omnem dulcedinem mundanarum, seu carnalium voluptatum. Tu. ℣.

LECTIO 6.

MARIA dulcis cogitatu: undè dicit cum Filio: ego cogito cogitationes pacis. Respectu: facies enim ejus plena est gratiarum. Auditu: quia libentissimè audit preces peccatorum ab ipsis fidelitèr invocata. Olfactu: scilicèt virginitatis suæ, signata per illam Virginem, quæ rhinoceroti proponitur, quam ipse rhinoceros olfactu sentiens, et discernens spontè mitescit, et se reclinat ejus gremio, et obdormit. Anhelitu: undè dicit ei sponsus: odor tuus, sicut odor malorum. Gustu: undè dicit: qui edunt me, adhuc esurrient, tanquàm cibum saporis peroptimi. Tactu: quia siatim tenet Filium, ne feriat peccatores. Amplexu: id est, ad amplectendum per dilectionem. Linguâ: undè mel et lac sub linguâ ejus. Labiis: undè favus distillans labia tua. Tu. ℣.

Si hoc festum transfertur, dicitur Hom. de Comm. pro Duplic.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 39.

In illo tempore: Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et reliqua.

Homilia Ven. Bedæ Presbyteri.

Homil. in Visitat. B. V.

Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Non solùm benedicta inter mulieres, sed inter mulieres benedictas majori benedictione specialitèr insignis. Benedicta est enim incomparabilitèr, quæ et divini germinis suscepit gloriam, et coronam integritatis

servavit. Benedicta inter mulieres per cujus partum virgineum à natis mulierum maledictio primæ Matris exclusa est. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Benedictus fructus ventris illius, per quem et semen incorruptionis, et supernæ hæreditatis, quam perdidimus in Adam, fructum recepimus. Et verè ac singulariter benedictus, qui nostro more, postquàm natus est, gratiam in Domino benedictionis recepit, sed ipse ad salvandum mundum benedictus venit in nomine Domini. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio Nostræ Dominæ de Donis.

Ex variis auctoribus.

Ecclesia Avenionensis Nostræ Dominæ de Donis, quæ inter cæteras cathedrales Ecclesias illarum partium claret, à Beatâ Martha Christi hospita (quadraginta annos post Christum natum) ad laudem ejus et gloriosæ Virginis, manu Dei, ut fama est, et antiquorum habet relatio, et aliquorum Romanorum Pontificum præsertim Sixti quarti litteræ attestantur, consecrata extitit. Anno autem trecentesimo vigesimo sexto hæc Ecclesia à Constantino Imperatore magnifico opere restaurata, seu de novo structa, cum tribus altaribus in eâ erectis ab Avinio Episcopo fuit dedicata. Posteà à francis et sarracenis iterùm destructam Carolus Magnus anno octingentesimo vigesimo reædificavit. Summorum Pontificum tempore quo Avenione sedem habuere Ecclesia fuit: deindè Archiepiscoporum Avenionensium. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Episcopo.

Spect. B. V. Lect. 2.

531. In ore MARIÆ non fuit fel, et venenum diaboli, sed mel et lac Spiritûs Sancti, juxta illud Canticorum: Favos distillans labia tua: mel et lac sub linguâ tua. Tu.

Vespera de sequent. ut in 1. *Vesp. Visitation.*

DIE IX. JUL.

OCTAVA VISITATION.

Duplex majus.

IN I. VESPER.

HYMNUS 280. *Parn. Marian.*

Pange lingua gloriosæ
Diei præconium,
In quâ Matris generosæ
Mundo fulget gaudium,
Perferentis copiosæ
Salutis donarium.

Nobis datus et formatus
In electâ Virgine:
Per infantem honoratus
Ventre clausum feminæ,
Novi lucem incolatûs
Grato pandit ordine.

Ab Angelo salutata
In montana properat:
Præsens adest cum cognatâ,
Quæ mirans considerat,
Cur tam honorificata
Mater ad se veneret.

Decoratæque virtutibus
Ex Christi præsentiâ:
Dulcisona fer omnibus
Sterilis eloquia,
Quæ clamans altis vocibus
Respondet magnalia.

O quàm felix et jucunda
Est hæc visitatio!
Elizabeth lætabunda
Exultat cum Filio:
Dum fatur Virgo fœcunda,
Candidior lilio.

Sempiternæ Trinitati
Laus perennis gloriæ,
Quæ Sanctarum dignitati

Tantum dedit gratiæ:
Nos adscribat civitati
Cœlitum et Patriæ. Amen.

Oratio.

Adesto Ecclesiæ tuæ, Omnipotens Deus, et filios adoptionis jugiter in ejus sinu purifica, qui MARIÆ clausus utero Joannem in sinu Elizabeth sanctificasti. Qui vivis.

AD MATUTIN.

HYMNUS 281. *Parn. mar.*

Sacris solemniis dat Virgo gaudia,
Novis eloquiis reserans labia:
Deum magnificat humilis et pia
Quam gratia vivificat.

Festi recolitur dies lætissima,
Quâ ritè panditur salus uberrima,
Dudùm veteribus per signa plurima
Sanctis ostensa Patribus.

Post festum cœlicum salutis veteris
Per os angelicum missum à superis,
Visitat proximam Virgo, præ cæteris
Se exhibens humillimam.

Rem admirabileta jam intellexerat,
Feminam sterilem, quæ consenuerat,
Filium gerere: et dignum duxerat
Lætam salutem promere.

Te trinum Dominum, unumque colimus,
Reginæ Virginum meritis petimus:
Post vitæ terminum, duc nos quò tendimus
Ad te datorem luminum. Amen.

Lect. 1. *Noct. ut in die Visitationis.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini.

Conc. de Visitatione.

LECTIO 4.

Sed quænam, obsecro, itinerandi ratio? Quæ causa festinationis? Audiamus. Conceperat Elizabeth senex et sterilis miraculo duplicato præcursorem Domini Joannem Baptistam, ducem et armigerum cœlestis regis, antesignanum totius Dominicæ phalangis. Hic adhuc ergastulo peccati originalis detinetur, et carcere peccati gravatur. Festinat Mater ad senis parturæ obsequium; sed Filius festinat sanctificare suum præcursorem, eripere ac liberare suum ducem. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Ecce quatuor personas totius mundi primates, Virgo puerpera, sterilis prægnans, Verbum Domini, Prophela Domini. Duo Matres, et duo parvuli intra viscera. Audi mysterium, audi mirabile Sacramentum. Intrat Virgo domum senis, salutat eam; intrat vox illa à Verbo Dei in utero existente emissa per os Virginis in aures Elizabeth; penetrat senilia viscera virtus voci impressa. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Jacebat infans in senilibus visceribus securus veluti in cervicali: langitur virtute vocis, aperit oculos, cognoscit Deum nube carnis, et nube ventris reconditum: excitatur, exurgit, concutit latera matris, gestit erumpere, gestit clamare foras, negat exitum uterus clausus, partus immaturus erumpere non sinit membra infirma, naturâ prohibente detinetur. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 39.

In illo tempore: Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Expos. in Luc. libr. 2.

MARIA in domo seria, festina in publico, mansit apud cognatam suam tribus mensibus. Etenim quæ

propter officium venerat, inhærebat officio. Mansit ergò mensibus tribus, non quòd domus eam delectaret aliena, sed quia frequentiùs videri in publico despiciebat. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Benè inducitur Sancta MARIA et exhibuisse officium, et mysticum munerum custodisse. Non enim sola familiaritatis est causa, quòd diù mansit, sed etiàm tanti valis protectus. Nam si primo ingressu tantus processus extitit, ut ad salutationem MARIÆ exultaret infans in utero, repleretur Spiritu Sancto Mater Infantis, quantum putamus usu temporis Sanctæ MARIÆ addidisse præsentiam? ℣.

LECTIO 9.

Denique tamdiù mansit MARIA, quamdiù Elizabeth pariendi tempus impleret. Quod si diligenter advertas, invenies hoc nunquàm positum nisi in generatione justorum. Denique impleti sunt dies, ut pareret MARIA: impletum est tempus, ut pareret Elizabeth: impletum est vitæ tempus, cum sancti viri ex hoc vitæ curriculo demigrarunt. Plenitudinem justi vita habet, inanes autem sunt dies impiorum. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 283. *Parn. Mar.*

Verbum supernum prodiens
A fonte vivi luminis,
Homo factus est oriens.
Uterum intrans Virginis.
Mox florens Jesse virgula,
Progreditur à Nazareth,
Festiva Christi germula,
Ut videat Elizabeth.
Ferre salutem incipit:
Hanc sentit intra viscera
Et jam ventura percipit
Qui nondùm vidit æra.
Mater senior prædicat
Gestricem Verbi cœlici:
Illa junior explicat
Opus regis magnifici.
Hæc quasi tribus mensibus
Durat sanctorum concio,
In canticis suavibus
Gratulans Dei Filio.
JESU tibi sit gloria
Mundi Redemptor qui venis,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

CANON.

Ex Decr. Sacr. Rituum Congregat. *Die* 30. *Maj.* 1850. *Urbis et Orbis.* 332. Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa Nonus in grati animi monumentum erga Sanctissimam Virginem MARIAM ob beneficia ex eâ recepta, Festum Visitationis ejusdem cum octavâ celebrari præcepit. Tu.

IN II. VESP.

HYMNUS 284. *Parn. Mar.*

Magnæ dies lætitiæ
Nobis illuxit cœlitùs:
MARIA thronus gloriæ
Montes petit divinitùs.
Ancilla ferens Dominum,
Gerentem vatem visitat,
Notumque facit geminum
Donum, quod priùs latitat.
Recepit nupta Virginem,
Et salutantem prædicat:
Sic homo Deum hominem
Abstrusus clausum indicat.
In rosâ latet lilium,
Et in antiquâ flosculus:
Sed majestatis solium
Sentit et clamat parvulus.
A stellâ sol tunc geritur,
Et vatem cana bajulat:
Sed virtus solis cernitur,
Cum infans laudes cumulat.
JESU tibi sit gloriâ,
Mundi Redemptor qui venis,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

DIE XI. JUL.

D. V. FESULANÆ DE SAXO.

Simplex.

LECTIO 1.

Balingh. Kalend. mar. die 2. *Jul.* In agro fesulano per nemora montuosa pascebant oves duæ puellæ, quæ sub meridiem ad declinandum solis æstum sub rupe quâdam declinabant, ubi preces Deiparæ coram antiquissimâ ejus Imagine, ibi ab immemoriali tempore collocata, fundebant. Voluit Deipara eas suâ præsentiâ recreare. Itaquè die Visitationis super nube lucidâ unà cum Filio inter duos angelos albis indutà, saxo cuidam insidens, speciosissima utique apparuit, perterritasque solata admonuit, velle se ibi templum habere, ac patrem earum ibidèm alloqui. Quo accersito illi se videndam præbuit ac de templo à populo extruendo docuit. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Hujus rei fama multos ad saxum illud evocavit, quarè eadem Deipara die vigisimâ secundâ Augusti eâdem specie plurimis apparuit. Clivius asperior erat, quàm ut posset complanari. Ergò ex apposito templum ædificare cœperunt, ad quod faciliùs ascenderetur. Cæterùm quidquid interdiù opere extruxissent, noctu corruebat. Undè voluntate divæ Virginis perspectâ eo loci, ubi supra saxum conspecta est, circumcirca lapidem, templum erexere, cui à Saxo titulum indiderunt. In eo miracula plurima facta sunt. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Antuerpiensis de Peregrinis.

Gumpenb. 713.

Antuerpiæ Statua Deiparæ est sub titulo de Peregrinis, quia in plateâ, quæ à multitudine peregrinantium nomen accepit Visitantium, Sacellum habebat. Priùs trunco arboris affixa, post accepta beneficia ab Antuerpiensibus sacello inclusa est, quod anno millesimo quingentesimo trigesimo tertio incendio periit. Sèd reddità terris pace, paulò post iterùm stetit piorum ære. Rediere quoquè miraculosa Deiparæ beneficia. Hoc in loco olim frequentes Deiparæ honores exhibuit magnus ille dux Godefridus Bullonius, qui Regis Jerosolymitani coronam promeruit: utique post ex hoc maximè loco sacras vires accepit. Ex hoc denique Basilicam Deiparæ struclam asseritur. Tu. Te Matrem.

Vesperæ sequentis.

DIE XII. JUL.

CONVERSATIO. APOSTOLICÆ B. MARIÆ V.

Duplex.

Lect. 1. *Noct. fer. occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis. *Serm. de Beat. Maria, inter ejus opera.*

LECTIO 4.

Virgo Sanctissima, quæ Salvatorem genuit, peperit, et aluit, quæ jugiter ejus adhæsit lateri, quæ comes individua nullo ferè abfuit itinere, quæ intenta præ cæteris invigilavit verbo et operi ejus, sola Salvatoris actuum insignia, operum opera, melliflua prædicationis genera inaudita contra mundum, et peccatum, et tartareum Zabulum, divinæ severitatis acerrima eloquia, quo eis diù interfuit, specialiùs vidit, secretiùs audivit, citiùs agnovit, propensiùs retinuit, et apostolis, aliisque discipulis loculentiùs edidit, diligentiùs retulit,

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
ESCUELA DE ESTUDIOS GENERALES

meliùs indidit, fideliùs tradidit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Hinc est, quòd de eâ legitur in Evangelio: MARIA autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Hinc in ejus laudibus legitur: Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Licèt enim in parbolis loqueretur ad turbas, licet omnia Apostolis nota faceret, ut amicis, quædam tamen credendum est præ cæteris Matrem suam quemadmodum dilexisse, illà etiàm propensiùs erudisse, quædam ei secretiùs intimasse, frequentèr eam ad montem myrhæ, et ad collem thuris sublimasse, in cellam vinariam occultasse: sui prout novit, et voluit gloriam deificam et supercœlestem revelasse solitiam. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Indè Joannes in Apocalypsi, de throno, ait, scilicet de MARIA, procedebant fulgura et voces, et tonitrua: quia MARIA Mater Filii JESU-Christi parabolas, ænigmata, legalia, et mirifica gesta, dicta, opera, avidiùs ebibit, fideliùs credidit, sinceriùs, luculentiùsque aliis edidit. Hæc MARIA à naturâ reverentèr conservata, et à lege diligentèr venerata, à gratiâ clementèr est præelecta: quia sic præfatis suajura singillatim reddidit, reddendo sibi subdidit, ut honoris vicem omnibus impenderet, et insuper momenti quiddam superadderet. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua. Hom. S. Antonini Arch. Florentini.

Titul. 15. *c.* 4. 3. *de Assumpt. B. V.*

Voluit Filius, ut post Ascensionem remaneret ad tempus in mundo Doctrix et illuminatrix Apostolorum: undequaquè ipsa determinabat quæstiones de factis Dei et morum, si quæ oriebantur in Ecclesiâ primitivâ. Tu. ℣.

Bened. 8. Cujus conversationem apostolicam.

LECTIO 8.

Sicut autem Mater, quum habet filium mortuum, vel absentem, cum fletibus sæpè respicit vestes filii; sic Beata Virgo, ut nota! Beatus Hieronymus in sermone de Assumptione, visitabat loca, in quibus Filius fecerat aliquod opus mirabile, contemplando illa sacra mysteria.... *Lect.* 9. Hæc tamen peregrinatio dicta Beatæ Virginis ad loca Sancta secundum Beatum Ambrosium magis intelligenda est secundum Spiritum, quam secundum locum, scilicet, quòd domi manens contemplaretur, quæ Filius fecerat in illo vèl illo loco. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Hyrachensis de Stellâ.

Bolland. act. Sanct. in vitâ S. Verem. die 8. Mart.

Circa annum millesimum octogesimum, cum sanctus Veremundus esset Abbas Hyrachensis Monasterii, contigit, ut mille passibus à monasterio Pastores gregem custodientes inspicerent fulgentissimas stellas, de cœlo lapsas super clivum, qui hodiè stellatus ideò vocatur. Quâ parte è cœlo in terram cadebant, in foveâ vepribus obstructâ inventa est Dei Genitricis Imago, quæ Filium tenellum supra palmam manûs habebat, ingenti pulchritudine prædita, quam nec loci obscuritas, nec temporum vicissitudo fœdaverat. Miraudæ novitatis intuitus Sanctus Ramirus Navarræ Rex circa eundem locum Stellam civitatem erexit, indito à Stellis apparentibus nomine, in cultum Beatæ Virginis. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Thomâ Archiep. Valentino. *Conc.* 1. *in Dom. Pentec.*

533. Confluebant ad Virginem undiquè Christiani, videre sanctuarium Domini, sacrosanctam Deiparam, Genitricem Virginem, Deo caram, super omnes feminas benedictam, virtutis regulam, sanctitatis formam, totius honestatis unicum decus et exemplar; cujus vitâ et magisterio in suo primordio Ecclesia Dei illustrata est supra modum.... Tu.

Cum 2. *Vesper.*

DIE XIII. JUL.

DIV. VIRG. REMENSIS.

Simplex.

LECTIO 1.

Flodoardus Hist. Eccl. Remens l. 3. *c.* 5.

Hincmarus Archiepiscopus Remensis templum Dei Genitricis MARLÆ, quod à fundamentis Ebo renovare cœperat, pace, gratiâque fruens regiâ, præclari consummavit decoris eminentiâ. Insuper et aram Sanctæ Genitricis auro vestivit, ac lapidibus pretiosis ornavit, variisque titulavit versibus. Tecta templi plumbeis cooperuit tabulis, ipsumque templum picîis decoravit cameris, fenestris etiàm illustravit vitreis, pavimentis quoquè stravit marmoreis. Crucem eminentiorem gemmis, auroque cooperuit. Alias etiàm cruces tàm auro, quàm argento paravit. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Librum quoquè de ortu Sanctissimæ Dei Genitricis MARLÆ, sed et sermonem Beati Hieronymi de ipsius Dominæ Assumptione scribi fecit: et tabulis eburneis auroque vestilis munivit. Pluribus deniquè convocatis Episcopis, sed et Carolo rege, in hanc civitatem adveniente, in honorem incomparabilis et perpetuæ Virginis MARLÆ, ut et antiqua fuerat sacrata, Basilicam solemniter dedicavit, in quâ postèà multis Deiparæ miraculis claruit. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Acrimontanæ de Subsidio.

Ex Monumentis.

Acrimonte in Cathalaunià vetustissima quædam extat Deiparæ Sanctissimæ Imago sub titulo de Subsidio, quæ à quibusdam pastoribus juxta torrentem Siò intra rubum, eo in loco, ubi nunc Ædicula exurgit, reperta traditur. Inventa Imago in magnifico Sacello parrochialis templi jam ab antiquo asservatur: nec indè extrahitur, nisi cùm ob pluviæ inopiam ad locum ubi reperta fuit, solemni pompâ, finitimis pagis confluentibus, deducitur. Ea Virginis statua lignea est, sex cum dimidio palmis alta, colore fusco; sedens puerum ulnis sustinet, et dexterâ manu globulum: unà cum Filio ditissimis vestibus omninò induta, diademate argenteo gemmis intexto est coronata. Plurima ibi, Ipsâ invocatâ, operantur prodigia, ut ex libro miraculorum ejus, qui anno millesimo centesimo quadragesimo scriptus perhibetur, aliisque scriptis satis liquet. Dominica post ejus Natalem est ipsi ab Acrimontanis solemnitèr sacra. Tu. Te Matrem.

Vesperæ sequenti.

DIE XIV. JUL.

OPERUM MISERICORDIÆ B. M. V.

Duplex.

Lect. 1. Noct. fer. occurr.

IN H. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni Ep. *Quæstion. super missus. q. 50.*

LECTIO 4.

Opera misericordiæ quæ fiunt ex compassione et relevatione miseriæ, et propter hoc dicuntur misericordiæ opera, etiàm exercuit Beata Virgo in summo super omnes viatores: operum enim misericordiæ alterum est altero magis bonum, vel quod fit ex majori charitate, vel quod fit magis indigenti, vel quod magis digno indigenti, vel quod fit cum majori effectu impenso, vel quod fit ex magis necessario et minùs superfluo. Hæc omnia fuerunt in beatissimâ Virgine in summo. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Charitas ex quâ opera misericordiæ fecit, omnem creaturam excellit, ût infra patebit. Maximè indigenti tribuit: quià nemo dignior mendicus, quàm mendicus Deus fuit. Magnum enim esset opus misericordiæ, quod fieret pauperi laico, majus, quod fieret pauperi clerico, majus, quod fieret religioso, adhuc majus, quod fieret pauperi Episcopo, sed summum, quod fieret mendico Papæ; ergò improportionabiliter summum opus misericordiæ fuit, quod fiebat Deo mendico et pauperrimo. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Maximum etiàm effectum misericordiæ Tobis impendit: quià nobis miseris et captivis, et mendicis Deum filium suum ipsum dedit captivis in pretium, famelicis in viaticum, laborantibus in præmium, infirmis in medicamentum, et cum ipso nobis dedit regnum cœlorum, et omne bonum: qui enim proprio filio suo non pepercit, quomodò cum illo nobis omnia non donavit? Itèm beatissima Virgo de nullo sibi superfluo, sed omninò necessario opus misericordiæ fecit Filio suo pauperrimo et peregrino, de propriis suis purissimis carnibus, et sanguinibus tunicam polymitam fecit, in uteri sui gremio hospitavit, de proprio corpore cibavit et lactavit. Tu. ℟.

Homil. de Comm. Vitæ activ pro Dupl. maj. Videamus.

Cum secundis vesperis.

DIE XV. JUL.

APPARIT. B. V. SALETTENSIS.

Simplex.

LECTIO 1.

Rousselot.

Anno millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, die decimâ nonâ Septembris, horâ pomeridianâ circiter tertiâ in altissimo Alpium monte, nunc de la Sallette dicto, duobus pueris, quorum alter undecim annorum, cui Maximinus nomen, altera verò quindecim quæ Melania vocabatur, in eo monte suum quisque gregem juxta morem custodientibus, juxta fontem penitûs exsiccatum ingenti claritate circumdata Deipara Sanctissima apparuit, sedens, lacrymis perfussa, caput manibus velans, aspectu venerabilis, collo appensa habens Crucifixum et instrumenta passionis, majestatatem simùl ac summam modestiam et intensum dolorem præ se ferens. Tu.

℟. Venite filii, audite me et nolite timere: ℣ Hùc enim veni, ut magna vobis annuntiarem. ℣. Tremente pastores benignè alloquitur, simùlque ab eorum corde omnem depellit timorem.—Hùc.

LECTIO 2.

Alacres igitur ad hæc verba illi pueri ad eam accedunt. Virgo surgit ac media inter eos duos, illis alloquens, conqueritur de frequentissimâ apud homines blasphemiâ, de asperâ festorum violatione, de irreligiositate in templis ac de præceptorum Ecclesiæ contemptu; minatur ingentes calamitates, ni homines resipiscant: vaticinatur vitis, frumenti aliorumque terræ fructuum immedicabilem morbum, futuras infantium septem annis minorum mortes, venturamque famem ac magnam rerum penuriam: denique promittit bonorum copiam affuturam, si homines ad meliora redeant. Tu.

℟. Adeò grave, adeò ponderosum est Filii mei brachium, ut illud sustinere ac cohibere ulteriùs non valeam: ℣ Ne vos ab illo opprimamini, quotidiè Filium obsecro et obtestor; id enim muneris in me suscepi. ℣. Recordare nostri, Domina, ut loquaris pro nobis bona et avertas indignationem Dei à nobis, —Ne.—Glor.—Ne.

LECTIO 3.

Quæ cum ita locuta fuisset, cuilibet Pastori secretum sibi proprium committit, quodà neutro exquiri nullatenùs potuit; nec nisi summo Pontifici fuit communicatum. Et mandato de divulgandis apud populum suis dictis semèl et iterùm dato, à pueris hinc et hinc stipata, clivum conscendit, ac triginta circiter passus emensa, nec incedendo herbam premens, sese à terrâ parumpèr attollit, ac paulatim ex eorum oculis evanescit, magnâ post se claritate relictâ. Fama hujus apparitionis statim totam Gratianopolitanam Diœcesim pervasit, et ante annum non Galliam modò sed finitimos etiàm populos, ita ut ex omnibus orbis partibus ingens fit ad eum montem accursus, ubi Diva Virgo innumera patrat miracula, quorum plurima ab auctoritate ecclesiastâ ritè examinata, tanquàm cœlitùs concessa, declarata fuerunt. Hujus Apparitionis anniversaria dies ex indulto apostolico quotannis in eâ Diœcesi celebratur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Decreto Philiberti Episcopi. 19. *Sept.* 1851.

531. Gratianopolitanus Antistes Philibertus de Bruillard pastorali suo mandato veram et indubitatam esse Apparitionem Beatæ MARIÆ Virginis factam duobus pueris in monte Salettensi solemniter proclamavit. Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE XVI. JUL.

B. M. V. DE MONTE CARMELO.

Duplex majus.

Ad Magnif. ant. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron.

Oratio.

Deus, qui Beatissimæ semper Virginis et Genitricis tuæ MARIÆ singulari titulo Carmeli Ordinem decorasti: concede propitius, ut cujus hodiè Commemorationem solemni celebramus officio, ejus muniti præsidiis ad gaudia empiterna pervenire mereamur. Qui vivis.

AD MATUTIN.

Invitat. Dominum gloriæ in Nube Carmeli mirabilem, ℣ Venite, adoremus.

Lect. 1. Noct. de Comm.

℟. 1. Accipe, dilectissime fili, tui Ordinis Scapulare, meæ confraternitatis signum, ℣ Tibi, et cunctis Carmelitis privilegium. ℣. In quo quis moriens æternum non patietur incendium.—Tibi.

℣. 2. Ecce signum salutis, salus in periculis, * Fœdus pacis, et pacti sempiterni. ℣. Tibi et cunctis Carmelitis privilegium.—Fœdus.

℣. 3. Induit nos Genitrix Dei vestimento salutis, * Et indumento justitiæ circumdedit nos. ℣. Dedit nobis signum protectionis suæ.—Et indumento.—Gloria.—Et indumento.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Brev. Roman. sub hâc die.

Cum sacrâ Pentecostes die Apostoli cœlitùs afflati, variis linguis loquerentur, et invocato augustissimo JESU nomine, mira multa patrarent: viri plurimi, ut fertur, qui vestigiis Sanctorum Prophetarum Eliæ et Elisæi insiterant, et Joannis Baptistæ præconio ad Christi adventum comparati fuerant, rerum veritate perspectâ atque probatâ, Evangelicam fidem confestim amplexati sunt, ac peculiari quodam affectu beatissimam Virginem, cujus colloquiis ac familiaritate feliciter frui potuere, adeò venerari cœperunt, ut primi omnium in eo montis Carmeli loco, ubi Elias olim ascendentem nebulam, Virginis typo insignem, conspexerat, eidem purissimæ Virgini Sacellum construxerint. Tu.

℣. Christi Virgo dilectissima, virtutum operatrix, opem fer miseris: * Subveni, Domina, clamantibus ad te jugiter. ℣. Quoniàm peccatorum mole premimur, et non est qui adjuvet.—Subveni.

LECTIO 5.

Ad novum ergò sacellum sæpè quotidiè convenientes, ritibus piis, precationibus, ac laudibus, Beatissimam Virginem, velut singularis Ordinis tutelam colebant. Quamobrèm fratres Beatæ MARIÆ de Monte Carmelo passim ab omnibus appellari cœperunt, eumque titulum Summi Pontifices non modò confirmarunt, sed et indulgentias peculiares iis, qui eo titulo, vel ordinem, vel fratres singulos nuncuparent, concessere. Nec verò nomenclaturam tantùm magnificentissima Virgo tribuit et tutelam; verùm et insigne sacri Scapularis, quòd Beato Simoni Anglio præbuit, ut cœlesti hâc veste Ordo ille sacer dignosceretur, et à malis ingruentibus protegeretur. Ac demùm cum olim in Europâ Ordo esset ignotus, et ob id apud Honorium tertium non pauci pro illius extinctione instarent, astitit Honorio nocte pluviosa Virgo MARIA, planèque jussit, ut Institutum et homines benignè complecteretur. Tu.

℣. O flos Carmeli, vitis florigera, splendor cœli, * Virgo puerpera, Mater mitis, Carmelitis da privilegia. ℣. Subveni, Domina, quæ soror nostra Mater et diceris, ad te clamantibus.—Virgo puerpera.

LECTIO 6.

Non in hoc tantùm sæculo Ordinem sibi tam acceptum mullis prærogativis Beatissimâ Virgo insignivit, verùm et in alio (cum ubique et potentiâ et misericordiâ plurimum valeat) filios in Scapularis societatem relatos, qui abstinentiam modicam, precesque paucas eis præscriptas frequentarunt, ac pro sui statûs ratione castitatem coluerunt, materno planè affectu, dum igne purgatorii expiantur, solari ac in cœlestem patriam obtentu suo quantòcyus, piè creditur, efferre. Tot ergò, tantisque beneficiis Ordo cumulatus, solemnem Beatissimæ Virginis Commemorationem ritu perpetuo ad ejusdem Virginis gloriam quotannis celebrandum instituit. Tu.

℣. Induite vos Scapulare Sanctum Beatæ MARIÆ Virginis, * Ut possitis stare adversus insidias diaboli. ℣. Ecce signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis, et pacti sempiterni.—Ut.

Homilia de Comm. Infantiæ pro Semid. Quæro ergò.

℣. 7. Corde et animo Christo canamus gloriam * In hâc sacrâ solemnitate Sanctissimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo. ℣. Omnes in unum congregati collaudemus Dominum Jesum-Christum.—In.

℣. 8. Stirps Jesse virgam produxit, virgaque florem: * Et super hunc florem requiescet Spiritus almus. ℣. Virgo Dei Genitrix virga est, flos Filius ejus.—Et super.—Glor.—Et super.

LECTIO 9.

Commem. Victoriæ B. V. Toletanæ.

Ex Roderico Toletano.

Alphonsus Castellæ Rex, cognomento bonus, cum magnum confflassel exercitum, ut Mauros expugnaret, inito ad Navas Tolosæ certamine, omninò mauri victi, ac occisione occisi sunt. Fugato Rege cum quatuor equilibus ducenta millia Maurorum occisa numerantur, cum ex Christianis viginti-quinque soli fuerint desiderati. Erat autem in vexillis regum Imago MARIÆ Virginis, quæ Toletanæ provinciæ, ac totius Hispaniæ semper Nutrix extitit et Patrona: ad cujus præsentiam ingens illa Maurorum multitudo terga dedit, et corruit. Hæc præclara victoria fuit sub hâc die anno millesimo ducentesimo duodecimo, Te Matrem.

Ad Bened. ant. Caput tuum ut Carmelus, et comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.

CANON.

Ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis.

23. *Jun.* 1736. in Einsidlen.—*Tabi* 1027.

535. Festum Beatæ MARIÆ Virginis de Monte Carmelo celebrandum est ab omnibus die decimâ sextâ Julii de præcepto, et servari debet decretum emanatum (per Benedictum Decimum tertium) die vigesimâquartâ Septembris anni millesimi septingentesimi vigesimi sexti. Tu.

Ad Magnific. *ant.* Habitabit in solitudine judicium, et justitia in Carmelo sedebit.

DIE XVII. JUL.

B. M. V. DE PORTICU.

Duplex.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui legem Moysis digito tuo in tabulis lapideis descriptam dedisti et serpentem æreum in eremo exaltari fecisti, concede, quæsumus, ut hanc sacratissimam Genitricis Filii tui Imaginem opere tuo formatam, et in hoc templo per sanctos angelos tuos misericorditer exaltatam devotè veneremur, cujus intuitu à mortiferâ antiqui serpentis pestè, et à quibuscumque aliis corporalibus læsionibus liberemur. Per eumdem.

Lectio 1. Noct. de Feriâ.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Officio proprio.

Inter alias quæ Romæ publicè coluntur Beatissimæ Virginis Imagines, illa præcipuo semper in honore fuit, quæ Sanctæ MARIÆ de Porticu appellatur. Hæc in palmari gemmâ saphiro persimili, aureis lineis expressa, aliisque non vulgati pretii lapillis exornata, (quemadmodùm ex constanti traditione, vetustisque monumentis habetur) mirabiliter apparuit in ædibus Sanctæ Gallæ, Patritiæ Romanæ propè

Marceli theatrum intra porticum Octaviæ, undè etiàm cognomen accepit. Contigit decimo sexto Kalendas Augusti, Joanne primo summo Pontifice, dum eadem Galla duodecim pauperibus ex quotidianâ consuetudine in honorem Dei ac beatæ Virginis MARLÆ epulum præberet. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Domum verò, in quâ apparuerat, à Gallâ eidem Virgini oblatam, prædictus Pontifex in Ecclesiam consecravit, atquè in eâ venerandam Imaginem, quam ipse per ministerium angelicum acceperat, reposuit. Hanc vetustate plenè collapsam Sanctus Gregorius septimus restituit, ilerùmque dedicavit. Cœlestinus autem tertius Hospitalem domum à se extructam, copiosisque redditibus auctam eidem adjunxit. Mirabilem porrò adversus publicas calamitates, et præcipuè pestis ac belli in opeferendâ sacram hanc Imaginem majores nostri semper experti sunt. Neque solum, eâ die, quâ apparuit, sed aliis quoquè deinceps temporibus gestatam, pestiferum morbum ab urbe depulisse traditum est. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Præcedentium itaque rerum famâ permotus populus Romanus, Alexandro septimo Pontifice maximo, ut à contagione, quæ urbem invaserat, liberaretur; publico sese obstrinxit voto, ampliorem Sanctæ imagini sedem construendi, ipsamque in honestiori loco collocandi. Mox autem novo templo in propinquâ regionis Campitelli aream, ad majorem populi commoditatem, et ipsius Beatæ Virginis cultum augustiori opere dessignato ad ipsius fundamenta primùm ipse Pontifex lapidem demisit tertio Kalendas Octobris anni millesimi sexcentesimi sexagesimi secundi; atque illam sacram Imaginem, et Diaconiæ titulum transferri mandavit. Ipsius verò sacræ Imaginis Apparitio decimo sexto kalendas Augusti, et per septem consequentes dies anniversario cultu, cum magnâ populi Romani frequentiâ celebratur. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 46.

In illo tempore: Factum est post triduum invenerunt JESUM Parentes ejus in templo. Et reliqua.

Homilia S. Titi Bostrorum Ep.

Expos. in Cap. 2. *Lucæ.*

Deus et Dominus noster humanâ responsione, quam dare licebat, repudiatâ, divinam attulit, minimè obscurè per illam ostendens se Deum esse carnè objectum. Nam cum Deiparâ Virgo JOSEPHUM, qui vulgo parens illius habebatur, patrem illius appellasset, ipse sermonem ita excepit, ut templi Dominum, hoc est, Deum non autem JOSEPHUM, patrem suum esse planum faceret. Quandò quidem cum in templo ageret: nesciebatis, inquit, quòd in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Tu. ℣.

LECTIO 8.

Et erat subditus illis. Ob id sponte se illis subjecit, quo filios omnes exemplo suo hinc inducat, ut debitum honoris cultum parentibus impendant, ipsique in omnibus morigeros se præstent. (*Lect.* 9). Et Mater ejus conservabat omnia verba in corde suo. Quæ verba Sacrosanta Virgo conservabat? Omnia, et quæ angelus et quæ pastores, et quæ Simeon, et quæ Anna, et quæ ipsemet laudèm Filius ad eam dixerit. Neque enim audiebat JESUM, tanquàm duodecim annorum puerum, sed accipiebat et observabat verba illius, tanquàm viri modis omnibus perfecti. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio Sanctæ MARLÆ Scalæ Cœli.

Spinelli. p. 678.

Sancta MARIA Scalæ Cœli ad aquas salvias tertio ab urbe Romæ lapide ad collem parvum, ubi est exiguus fons, qui gutta jugitèr manans vocatur, propè Sanctorum Martyrum Vincentii et Anastasii templum, ac propè tres fontes, ubi Sanctus Paulus Apostolus pro Christo capite est cæsus. Sub hoc oratorio Scalæ cœli, quòd figurâ rotundâ curæ Patrum Ordinis Cisterciensis Sancti Bernardi est demandatum, corpora Sanctorum Martyrum Zenonis ac decem millium ducentorum et trium requiescunt, et per fenestram conspiciuntur, qui ad thermas diocletianas extruendas pro fidei confessione damnati erant. Dicitur Scala cœli, quia Divus Bernardus ibi celebrans pro defunctis scalam vidisse fertur, quâ è Purgatorio animæ, ejus suffragiis liberatæ, in cœlum ab angelis deducebantur. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Hæc est illa piæ Genitricis Imago MARLÆ, quæ discumbenti Gallæ paruit metuenti.

Cum 2. Vesperis.

DIE XVIII. JUL.

D. V. PISTORIENS. DE HUMILITATE.

Semiduplex.

Lect. 1. *Noct. fer. occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Fulberti Ep. Carnutensis.

Serm. in Nat. B. V.

LECTIO 4.

Dixit æternus ad velerem, Deus ad serpentem; inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius. Quid est, fratres, in hoc loco serpentis caput conterere, nisi principalem Diaboli sugestionem, id est, concupiscentiam resistendo superare? Si ergò quæratur quænam mulier hujusmodi victoriam operata sit, profectò non reperitur in lineâ generationis humanæ, donèc perveniatur ad illam, de quâ agitur, Sanctorum Sanctissimam. Tu. ℣.

LECTIO 5.

At si interrogetur, in quo serpentis caput vel ipsa contrivit? Nimirum in eo, quod virginitatem simùl et humilitatem Deo sacrificavit. Virginitate namque servatâ probatur extinxisse concupiscentiam carnis: humilitate, quæ facit pauperem spiritu, concupiscentiam mentis. Sicque principali suggestione diaboli vitiorum caput virtutis pede contrivit. Non tamèn hoc solo, sed eo quàm maximè triumphavit, quòd de suâ mundissimâ carne corporata sapientia vicit usquequaquè malitiam, attingens à fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. Hæc est ergò mulier, ad quam divinum illud intendebat oraculum, hanc quandòque nasciturum innuebat, hanc singulariter intimabat. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Ex officio proprio.

Sanctissimam Dei Matrem in antiquissimam ejus imaginem Pistorienses sub speciali Humilitatis titulo, magnifico extructo Templo, singulari religione venerantur. Vetus enim apud eos, et constans fama percrebuit, anno salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo cum intestinis civium odiis universæ Patriæ clades immineret, ex eâdem Imagine sudorem quemdam

UNIVERSIDAD DE SEVILLA · ARCHIVO GENERAL DE BIBLIOTECAS

purissimum, cujus adhuc apparent vestigia promanasse: ejusque ex eindè dies decimo sexto Kalendas Augusti quotannis solemni festo, atque ingenti concursu celebratur. Tu. ℟.

Homil. ut in festo Humilitatis die XXIV. Octobr. p. 406.

LECTIO 9.

Commemor. B. V. Ravennatensis.

Balingh. sub die 27 *Julii.*

Ecclesius Ravennæ Episcopus paternas ædes in templum erexit Divæ MARIÆ Virgini Matri, quod majoris appellavit, eo quod alia essent sacra illi minora templa in eâdem urbe. In ejus templi testudine Beatæ Virginis imaginem tanta artificis eruditione, opere vermiculato picta fuisse creditur, ut nihil pulchrius et simile magis posset videri. Ea pulcherrima Virginis Imago, et carmina ad ejus pedes posita, unà cum eâ penè testudine ingenti ruinâ ac damno corruit. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XIX. JUL.

GRATIÆ B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Deus qui humano generi Beatæ MARIÆ Virginitate fœcundâ reparationis Gratiam contulisti: concede propitius, ut abundantiæ ejus gratiæ, quâ Angelus plenam salutavit, participes fieri mereamur. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. fer. occurr.

IN II. NOCT.

Sermo S. Petri Mauricii Abbatis. *Epistol. lib. 3. ep. 7.*

LECTIO 4.

Hæc gratiâ hanc singularem Virginem à tempore prolatæ salutationis, sic plenam, vel repletam esse intelligo, ut ei aliquam terrarum, sive terrestrium, sive cœlestium præferre nefas sit, conferre insuper absurdum sit. Hâc virtutum universarum gratiâ cunctis creaturis excellentius illud omnipotentis creatoris, non tantùm spirituale, sed etiàm corporale hospitium impleri et ornari decebat, ut sapientia Dei, quæ se delectari per singulos dies, quæ se ludere in orbem terrarum, quæ delicias suas esse cum filiis hominum fatetur, quæ nec deleclare, nec ludere, nec deficiari, nisi in sanctis virtutibus et sanctis affectibus potest, in hâc sanctâ, et super cœlesti Virgine Matre suâ præ cunctis hominibus, vel angelis virtutum gratiâ plenâ, magis deleclaretur, luderet, deliciaretur. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Præ cunctis planè creaturis, et in terris virtutum gratiâ exornari, et in cœlis sublimi gloriâ illam decuit clarificare, quæ sola inter omnes creaturas Matris Dei nomine meruit decorari. Nam cum multi dicantur angeli Dei, cum multi dicantur prophetæ Dei, cum multi dicantur diversorum ordinum Sancti Dei, ipsa sola dicitur Mater Dei. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Undè justum erat, ut juxta quod Apostolus ad Hebræos loquitur, sicut Moyses fidelis famulus in domo, sicut Christus unicus Filius dominans in domo, sic ipsa ejus Mater virtutibus et gloriâ toti familiæ post ipsum in eâdem principaretur domo. Sicut igitur est in ipsâ singulare ac super omnia post Deum nomen Matris Dei, ita est singularis, et super omnia post Deum in terris, et in cœlis gratia et gloria ejusdem Matris Dei. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c. 1. 28.*

In illo tempore: Ingressus Angelus ad MARIAM, dixit: Ave, gratiâ plena, Dominus tecum. Et reliqua.

Homilia S. Epiphanii Episcopi.

Oratio de Laudib. Deip.

Ave gratiâ plena. Gratia Sanctæ Virginis est immensa. Ave gratiâ plena, multis virtutibus exornata Virgo, in lampade gestans lucem inextinguibilem, sole splendidiorem. Ave gratiâ plena, hami esca spiritualis, in te siquidem hamus divinitas. Ave gratiâ plena, gloriæ area spiritualis. Ave gratiâ plena, quæ es urna aurea, continens manna cœleste, quæ stillentes perennis fontis dulcedinæ saltas: mare spirituale habens gemma cœleste Christum. Tu. ℟.

Bened. 8. Cujus Gratiam.

LECTIO 8.

Ave gratiâ plena, splendidum cœlum, quæ in cœlis incomprehensum colines Deum: quæ cherubicum thronum divinitatis fulgore superas: quæ cæli circulum habes, et Deum incomprehensum augusto potissimum loco in te ipsâ continues. (*Lect.* 9.) Ave gratiâ plena, nubes columnæ similis, quæ Deum habes, qui populum deduxit per desertum. Quid dico? quo pacto prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis superior existit: naturâ superior est ipsis Cherubim et Seraphim, et omni exercitu angelico. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Cervis.

Camos. t. 10. c. 5.

Pluribus ab hinc sæculis, unâ lucâ ab oppido Os in Archipresbyteratu Agerensi, per cervum, à quo vulgare nomen de Ciervoles, miraculosa Deiparæ Imago fer inventa à quodam opilione fidelitèr traditur; nam cum semèl et iterùm eam secum domum asportasset, sequenti die in eodem loco aliâ vice reperiebat. Undè miraculi famâ evulgatâ oppidani solemnem supplicationem ad eum locum cum Comite Urgellensi, Comitissâ ei filiabus instituerunt, ac illic Sacellum ei exstruere decreverunt, quod deincèps percelebre sempèr fuit tàm miraculis quæ Sanctissimâ Virgo ibi patravit, quàm accursu ac pietate fidelium eam invisentium. Tu.

Te Matrem.

CANON.

Ex Sancto Ambrosio Episcopo. *In Evang. Lucæ, lib. 2. n. 8.*

536. Soli MARIÆ hæc salutatio «Ave gratiâ plena» servabatur. Benè enim sola gratiâ plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, conserta est, ut gratiæ repleretur auctore. Tu.

Cum 2. Vesp.

DIE XXI. JUL.

DEDIC. B. M. V. DE EREMITIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Dedicat.

Lect. 1. Noct. de fer. occurr.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Baling. die 14. Sept. et aliis auctoribus.

Est in Helvetiâ Sacellum Beatæ Virginis MARIÆ sub titulo de Eremitis, à Sancto Meginardo initio noni sæculi structum, et à Sancto Eberhardo medio decimo sæculo ampliori formâ restauratum, atque anno nongentesimo quadragesimo octavo, decimo octavo Kalendas Octobris miraculo perraro conseratum. Res ita habet. Vocatus fuerat ab Abbate loci Ordinis Sancti

Benedicti Conradus Episcopus Constantiensis ad consecrationem Sacelli peragendum. Ille, cum solito more nocte oraret, in Sacello audivit angelicam symphoniam, viditque angelos cantum eumdem et ordinem et cæremonias in eodem Sacello servare et usurpare, quæ ab Episcopis in Consecratione Ecclesiarum usurpantur. Undè intellexit, ab ipso Christo, cœlitibus ministrantibus, Sacellum illud dedicari. Audiere etiàm idem, et cognovere permulti cum illo monachi. Tu.

℣. Magnum hæred.

LECTIO 5.

Verùm cœptâ luce, paratis omnibus ad consecrationem, et cunctis Episcopis expectantibus, ipse solus cunctabatur, et similis attonito in Sacello persistebat. Circà meridiem urgent Antistites, tandèm inchoet consecrationem, ne tam numerosum populum, qui confluxit, re infectâ dimittat. Ad hæc narrat ipse visionem. At illi tanquàm somnum interpretantur, impelluntque, ut eâ non obstante, consecrationem aggrediatur. Sed cœlestis vox delapsa est, quæ omnes mirè percussit: Cessa, frater: divinitùs capella consecrata est. Eamdem tertiò repetitam omnes audierunt. Indè fides data Conrado, qui Sacello egressus Basilicam ei circumjectam consecravit in nomen et titulum Sancti Mauritii et sociorum. Tu.

℣. Verè Dom.

LECTIO 6.

Hujus miraculorsæ Dedicationis meminerunt ipse Conradus, Hermannus Contractus, Martinus Polonus, Leo Octavus in quadàm Bulâ, quæ à plerimis aliis summis Pontificibus fuit confirmata, et approbata. Eugenius quartus autem concessit Burchardo Abbati ejusdem Eremi Deiparæ, ejusque successoribus facultatem audiendi confessiones eorum, qui ad Leonis octavi consequendum indulgentias se conferrent. Leo decimus quoquè Indulgentias, remissiones, et indulta, necnon et singulas litteras prædecessorum suorum huic Sacello concessas adoptavit, atque ab Episcopi Constantiensis jurisdictione et potestate liberavit ad petitionem Conradi Abbatis. Hoc Sacellum ad finem præteriti sæculi destructum, reedificatum fuit initio præsentis, et omni tempore ad illud ingens fuit peregrinorum accursus. Tu.

℣. In multitudine.

Homil. de Comm. Dedic. pro Duplic.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Anastasiopolitanæ de Oleo.

Gumpenb. 395. ex Egravio.

Theodorus Siceotes ex Eremita factus Episcopus Anastasiopolitanus, Sanctitate illustris, qui sexto sæculo floruit, cum sæpè celeberrimam Deiparæ ædem, et jam miraculis claram intrasset; manibus in crucis figuram expansis preces Sacrosanctæ Virgini offerabat; cumque oculos irretortos fixisset in Deiparæ objectam Imaginem, repentè omnibus spectantibus oleum effervescens ex imagine in Theodori oculos exiliit, oraniisque faciem conspersit, iis qui viderant exclamantibus, magnum Dei servum esse Theodorum. Indè cultus Deiparæ jam per se magnus augmentum accepit. Tu. Te Matrem.

Vesperæ à Capitul. sequentis.

DIE XXII. JUL.

DON. FORTITUDIN. B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Excita, quæsumus Domine, in

populo tuo Spiritum fortitudinis quo Beatissimam Virginem MARIAM replere dignatus es, et concede, ut, cujus memoriam agimus, ipsâ intercedente, ab omnibus hostium nostrorum eruamur insidiis. Per Dom.... ejusdem Spirit.

Lect. 1. Noct. Mulierem. *p.* 115.

IN II. NOCT.

Sermo S. Antonini Arch. Florentini. *c.* 18. §. 4.

LECTIO 4.

Fortitudinis dono ac gratiâ fuit plena Beatâ MARIA super omnes. Hoc autem probat Albertus per istam rationem. Quidquid est fortius fortiore, est fortius infirmiore, sicut leo est fortior equo, undè et multò magis fortior cane erit, qui minùs forlis est quàm equus. Sed Beata MARIA est fortior tribus fortioribus omni viatore: isti autem fortiores omni viatore sunt: Deus, mors, et diabolus. Nam quantùm ad primum certum est, Deum esse potentissimum omnium: Exodi: Omnipotens nomen ejus. Sed Deum quodammodò Beata MARIA superavit, in quantum scilicet humilitas ejus de cœlis traxit ad terras, et homini subjecit, scilicet Matri suæ... Et sic fortitudo Beatæ MARIÆ rigorem divinæ fortitudinis et severitatis superavit. Tu.

℣. Mulierem fortem quis inveniet? * Procùl et de ultimis finibus pretium ejus. ℣. Cujus fortitudo similis Rinoceruntis.—Proc.

LECTIO 5.

Secundum fortissimum omnium est mors, quæ omnes creaturas mortales superat et prosternit. Quis est enim qui vivet, et non videbit mortem? Dicitur in Psalmo. Certè nullus, quia nec proprio Filio Dei incarnato pepercit. Mors Dominum servo, mors sceptra ligonibus æquat. Dissimilem simili conditione trahit, inquit Poeta. Sed Beata MARIA fortior morte fuit. Sicut enim per feminam Evam mors intravit in mundum, ita per feminam MARIAM destructa est mors scilicet per fructum ventris sui. Undè dicere poterat illud Osee: O mors ero mors tua. Tu.

℣. Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem? * Statutum est hominibus semèl mori. ℣. O mors ego mors tua.—Stat.

LECTIO 6.

Tertium potissimum est diabolus, de quo Job. Non est potestas similis super terram. Iste est fortis armatus, qui tenebat in pace atrium suum, scilicet mundum. Nullus audebat resistere tentationibus ejus. Sed Beata MARIA superavit eum: dicitur enim in figurâ ejus: ipsa conteret caput tuum, scilicet serpentis antiqui. Item actus hujus fortitudinis est, terrenas cupiditates non solùm reprimere, sed etiàm oblivisci penitùs. Hoc autem non contingit in alio viatore, nisi in Virgine, in quâ est extinctus omninò fomes peccati. Et ideò habuit hoc donum fortitudinis excellentiùs et plenius super omnes. Tu.

℣. In me ancillâ suâ adimplevit Deus misericordiam suam, quam promisit domui Israel, * Et interfecit in manu meâ hostem populi sui. ℣. Ipsa conteret caput tuum. —Et.—Gloria.—Et.

Homilia de Comm. pro Duplicib.

LECTIO 9.

Comm. B. V. Sixenensis de Choro. *Marc. Ant. Varon. Hist. Sixenæ.*

Imago Beatæ Virginis Sixenensis de Choro priùs in Sixenæ parrochiali templo sedem habebat; sed è loco suo quàdam nocte, anno millesimo centesimo octogesimo secundo abiisse, et in parvulâ insulâ, quæ in me-

dio lacunæ ad Canadris fluminis ripas sitæ, prominebat, inventa bove indice toliès fuisse fertur, quotiès indè sive ad suam primam sedem, sive ad alia vicina Sacella deducta ab oppidanis fuerit. Hæc miraculosa translatio causa fuit, ob quam Alphonsus secundus Aragoniæ rex in ipso lacunæ loco unà cum magnifico templo Monasterium Sancti Joannis Jerosolymitani nobilibus Monialibus ædificaverit, in quo, ipso defuncto, uxor ejus Sanctia regina cum Dulciâ filiâ habitum Ordinis induit. Chorus est, ubi priùs insula erat, et Deiparæ Imago in eo ipso loco ubi inventa fuit. Tu. Te Matrem.

Vesp. à capit. de sequenti.

DIE XXIII. JUL.

D. V. FOGIENSIS SEPT. DOLOR.

Duplex.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Ex Decreto Episcopi Trojani.

Super hanc Imag. apud Pouget.

LECTIO 4.

Fogiæ in Neapolitano regno in Trojanâ diœcesi celebris est statua Beatæ Virginis sub titulo Septem dolorum, ex ligno vestibus indutâ, quæ in Ecclesiâ parrochiali Sancti Joannis Baptistæ prædictæ civitatis colitur. Hæc statua diebus decimâ quartâ, decimâ quintâ et decimâ sextâ mensis Aprilis anni millesimi octingentesimi trigesimi septimi visa est modò oculos in cœlum attollere, modò in populum convertere, labia ita movere, ac si è pectore traheret suspiria, lacrymari, sudore manare, crines turbare, ac denique vultum frequenter mutare, et ut auditis de more testibus, factisque interrogatoriis, post recognitionem statuæ, et habitis insuper in consilium theologis, ac piis nempè capitulo prædictæ Basilicæ, ac Parrochis prædictæ civitatis, hujusmodi miraculum nullo prorsùs pacto in dubium revocari potuit, utpotè contestatum à viginti et tribus testibus juratis viris, aliisque sexcentis tùm viris, cum mulieribus. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Vulgatum enim cum fuit prodigium, omnis ferè populus in dictâ Ecclesiâ adunatus signa prodigiosa aspexit, nec tantùm cum erat in propriâ ædiculâ sanctissima Statua, verùm etiàm cum fuit exposita, et in cornu Epistolæ altaris majoris prædictæ Ecclesiæ, ac posteà in mensâ sacrâ, ac denique in cornu Evangelii ejusdem altaris, non unico oculorum conjecto, sed multo temporis intervallo, non unâ die, sed tribus, nudis oculis, nec lippis, non plurimâ distantiâ intercedente, sed eâ quæ facillimè aspici poterat, non paucâ ac debili, sed plenissimâ luce, ubi nulla dictæ statuæ, nec luminum agitatio, ac proindè nulla lucis refractio, quæ aliam speciem in oculos imprimere poterat. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Insuper nec ulla erat animorum præoccupatio, nec dissensio, quin imò testium plurimi, nec simplices, nec creduli persuasum habebant, quod esset effectus phantasiæ perturbatæ, nec priùs ullam fidem miraculo persistebant, quàm omni adhibitâ diligentiâ, ne fallerentur, prodigiosa signa conspexerunt, quibus visis, non potuerunt, populo spectante, lacrimas cohibere. Indè est, quòd vicarius Generalis Episcopi Trojani, omnibus maturè perpensis, specialiter ad id delegatus, pronuntiavit, ac declaravit hujusmodi miraculum posse publicari, ac publicari mandavit die quintâ mensis septembris ejusdem anni millesimi octingentesimi trigesimi septimi. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2, 34.

In illo tempore: Dixit Simeon ad MARIAM Matrem JESU: ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel. Et reliqua.

Homilia S. Timothæi Presbyteri Jerosolymitani.

Orat. de Prophetâ Simeonis.

Pro signo, cui contradicebatur erat Dominus circa partum Virginis, quandò quidem magnum erat signum, Virginem quæ peperisset, virginem manere. Quod autem Virgo signum fuerit, cui contradiceretur, audi Isaiam in suo operè ita dicentem. (*Lect.* 8.) Quum diceret Dominus ad Achaz: Pete tibi signum in profundo, aut in sublimi. Dixit Achaz: nequaquàm petam, neque ullo modo tentabo Dominum. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Et dixit Isaias: ecce dabit Dominus ipse vobis signum. Quodnam hoc? Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. (*Lect.* 9.) De hoc à Virgine pariente edito dominico signo, cui futurum erat, ut à multis contentiosâ linguâ contradiceretur, Simeon rem futuram præsignavit ad Virginem dicens: ecce hic positus est in signum, cui contradicetur. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemor. B. V. de Covadongâ.

Spinelli ex Luc. Tudens.

Pelagius primus Hispaniæ Rex post occupatam à Sarracenis Hispaniam anno septingentesimo decimo octavo, de iisdem Sarracenis apud Astures, Deiparæ invocatione, insignem victoriam obtinuit. Cum enim ad Ausenæ montis speluncam munitam cum mille ex suis se recepisset, et in eâ ab hoste perterriti se omnes inclusissent, Beatæ MARIÆ suffragia expetentes, ejus ibi memoriam venerabantur, et orationibus pro re christianâ insistebant. Verum Sarracenis portam speluncæ jaculis, lapidibus, ac sagittis ferire conantibus, hæc tormenta ab ipsis emissa contra eosdem retorquebantur, maximâ ipsorum strage. Sarracenos ergò turbatos, et retrocedentes Pelagius Dei gratiâ roboratus stricto ense invadens viginti millia ex eis cum duce interfecit, cæterosque omninò dissipavit. Spelunca verò illa Deiparæ memoriæ dicata, ejusque nomine dicta est: Sancta MARIA de Covadongâ. Tu. Te Matrem.

Vesper. à capitul. seq.

DIE XXIV. JUL.

DISPENSATIONIS B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ex abundantiâ misericordiæ tuæ, Beatam MARIAM semper Virginem omnium gratiarum tuarum Dispensatricem effecisti, concede propitius, ut qui ad ejus præsidium frequenter confugimus, cœlestium donorum divites efficiamur. Per Dominum.

Lection. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Bernardini Senensis.

De Beatâ Virg. 61. *c.* 1. *c.* 8.

LECTIO 4.

A tempore à quo Beata Virgo Mater concepit in utero Verbum Dei, quandam, ut ita dicam, jurisdictionem, seu auctoritatem obtinuit in omni Spiritûs Sancti processione temporali, ità quòd nulla creatura

UNIVERSIDAD DE SAN CARLOS DE GUATEMALA ® CENTRAL DE BIBLIOTECAS LEON

aliquam à Deo obtinuit gratiam, vel virtutem, nisi secundum ipsius Matris dispensationem. Hinc Bernardus devotissimus ait: nulla gratia venit de cœlo in terram, nisi transeat per manus MARIÆ. Hinc Hieronymus in sermone de Assumptione inquit: in Christo fuit plenitudo gratiæ sicut in capite influente, in MARIA verò sicut in collo transfundente. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Reverâ Mater Dei hanc in mundo naturali jure obtinuit dignitatem, ut Regina misericordiæ nuncupetur, et hoc propter Filii magnificentiam, qui est Rex regum et Dominus dominantium. Reperio namque in Rege nostro JESU duas dignissimas dignitates, videlicet, quod sit æternus Deus, genitus ab æterno, et æternum Deum producat, eo quòd Spiritum Sanctum spiret, et ipse clausus in virgineo utero, in æternitate à Deo Patre Deus generabatur æternus, et in eâdem æternitate ipse puer in ventre Matris Deum inspirabat, et producebat. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Primam Filii dignitatem, scilicet, quòd sit generatus à Deo, tàm infinito modo Virgo benedicta participavit, quòd Deus non dicatur verius Filius Dei, quam filius Virginis, nec major, nec minor, nec dignior est Dei filius in throno paterno sedens vestitus claritate, quam habuit antequàm mundus fieret, quàm pannis pauperibus involutus, et infra fœnum in præsepio reclinatus. Et quia talis est Mater Filii Dei, qui producit Spiritum Sanctum, ideo omnia dona, virtutes, et gratias Spiritûs Sancti, quibus vult, per manus ipsius administrantur. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 28.

In illo tempore: Ingressus angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Sermo in Nativ. B. V.

Quis fons vitæ nisi Christus Dominus? Derivatus est fons usque ad nos, in plateis derivatæ sunt aquæ, licet non bibat alienus ex eis. Descendit per aquæductum vena illa cœlestis, non tamen fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiæ arentibus cordibus nostris infundens. Plenus equidem aquæductus, ut accipiant cæteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam. Advertistis jam, ni fallor, quem velim dicere aquæductum, qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens, nobis edidit illum, sed si non prout est, prout capere poteramus. Tu. ℣.

Bened. 8. Cujus dispensationem.

LECTIO 8.

An verò inveniri potuisse miramur, undè talis ac tantus fieret aquæductus, cujus nimirum summitas instar profectò scalæ illius, quam vidit Patriarcha Jacob, cœlos, ut vividissimum illum aquarum, quæ super cœlos sunt, posset attingere fontem? Sed quomodò noster hic aquæductus fontem illum attigit tam sublimem? Quomodò putas nisi vehementiâ desideriorum, nisi fervore devotionis, nisi puritate orationis? Sicut scriptum est: oratio justi penetrat cœlos. Et quis justus, si non MARIA justa, de quâ sol justitiæ ortus est nobis? Quomodò ergò illa inaccessam attigit majestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo? Tu. ℣.

LECTIO 9.

Denique et quod quærebat, invenit,

cui dictum est: Invenisti gratiam apud Deum. Quid? plena est gratiâ, et gratiam adhuc invenit? Dignaprorsus invenire quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono; sed quemadmodùm scriptum est: qui bibit me, adhuc sitiet: petit supereffluentiam ad salutem universitatis. Spiritus Sanctus, ait, super veniet in te, et pretiosum illud balsamum tantâ tibi copiâ, tantâque plenitudine influet, ut copiosissimè effluat circumquaquè. Ita est, jam sentimus, jam exhilarantur facies nostræ in oleo, jam clamamus: oleum effusum nomen tuum, memoriale tuum in generatione et generationem. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bernardino Senensi.

Dom. 1. *Quadr. art.* 1. *c.* 3. 537. Omnium gratiarum quæ humano generi descendunt, sicut Deus generalis est dator et Christus est generalis mediator, sic per gloriosissimam Virginem generalitèr dispensantur. Tu.

Vesper. à capit. sequent.

DIE XXV. JUL.

TRIUM EMINENTIAR. B. M. V.

Duplex.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis.

Serm. Exaltat. B. V. M. a. 2. *c.* 1.

LECTIO 4.

Tres sunt Eminentiæ præsentis vitæ, quibus honorata fuit Beata Virgo. Prima temporalium, secunda intellectualium, tertia affectualium. Hæc signantur in lunâ, quæ tres habet naturas. Prima est mutabilis, ecce temporalia: secunda lucida, ecce intellectualia: tertia frigida, ecce affectualia. Quæ omnia quasi luna sub pedibus Beatæ Virginis postrata fuerunt. Prima Eminentia est temporalium valdè enim eminentia reputantur ista temporalia bona, tamèn sunt mutabilia et defectibilia, sicut luna. Hæc autem habuit Beata Virgo sub pedibus suis, quia suis affectibus per contemptum omnia subjugavit, ne scilicet aliquo modo ejus dilectionem ad Filium variarent. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Secunda verò Eminentia est intellectualium. Eam omnium scientiarum, et creaturarum cognitionem activam et pasivam Beata Virgo in comparatione ad supereminentem Christi scientiam parvi pendit. Ecce luna sub pedibus ejus. Hoc etiàm participabat Apostolus, qui ad Philippenses de se dicebat: Quæ mihi lucra fuerunt, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamèn existimo omnia detrimentum esse propter scientiam JESU-Christi Domini nostri. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Tertia autem Eminentia est affectualium. Tanta enim fuit dilectio, quâ beata Virgo, etiàm in vitâ præsenti, dilexit Christum, quòd omnes amores præsentis vitæ præteriti, præsentes, atque futuri respectu hujus sunt, quasi luna sub pedibus ejus. Undè Ecclesiastico Beata Virgo meritò de se ait: Ego Mater pulchræ dilectionis: quasi diceret: Quia sum Mater Dei, habeo dilectionem tantâ pulchritudine eminentem ab omni aliâ, quantum eminet sol à luna. Tu. ℣.

Homilia de Comm. pro Dupl.

Bened. 8. Cujus Eminentias.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Guarga.

Camòs. l. 10. *c.* 3.

Oppidum Preixans in Archipresbyteratu Agerensi magnificum Sacellum Deiparæ sacrum habet, in quo ejus miraculosa Imago de Guarga dicta, ut fertur, à pastore quodam reperta, dignos honores accipit. Hæc Sanctissimæ Virginis Effigies quæ lignea est, et admodùm pulchra, etiàm à dissitis populis frequentatur, et à vicinis solemnibus supplicationibus invisitur. Et cum semper prodigiis effulserit, semper quoque erga eam fuit continuus fidelium pietatis affectus. Tu.

Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXVI. JUL.

SS. PARENTUM B. M. V.

Duplex majus.

IN I. VESPER.

Antiph. et capit. de Laudibus.

HYMNUS 285.

Regale Davidis genus,
Et conjugum par nobile,
Mundo daturi Virginem
Matrem futuram Numinis.

Qui sacra nectit vincula,
Vos jungit innocens amor,
Piosque sensus approbans
Divinus aspirat favor.

Virtute solâ diviles
Non vos opum falax decus,
Sed corde fervores charitas,
Et casta commendat fides.

Doxologia de Tempore.

℣. Beatus venter qui te portavit.

℟. Et ubera, quæ te lactaverunt.

Ad Magnif. ant. Benedicti sunt Pater et Mater, qui te genuerunt, quorum memoria permanet in sæculum.

Oratio de Laudib.

AD MATUTIN.

Invitat. Laudemus Deum nostrum * In veneratione Sanctorum Parentum Beatæ MARIÆ Virginis.

HYMNUS 286.

Promissa mundo gaudia
Jam sperat humanum genus,
Adsunt beati conjuges
Orbique Christo præparant.

Hunc Anna votis advocans
Summi Parentem Numinis,
Thori fidelis præmium
Favente cœlo concipit.

Fœcunda radix pullulans
Florem tenellum proferet,
Qui lætus optata dabit
Fructum salutis germine.

Doxologia de Tempore.

IN I. NOCT.

De libro primo Regum.

LECTIO 1. *c.* 2. 1.

Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutari tuo. Non est sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra te, et non est fortis, sicut Deus noster. Nolite multiplicari loqui sublimia gloriantes: recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes. Tu.

℟. O castissimum rationalium turturum par Joachim et Anna! * Vos quippe mundo Dei Matrem viri nesciam peperistis. ℣. Ex fructu ventris vestri agnoscimini.—Vos.

LECTIO 2.

Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore. Repleti priùs, pro panibus se locaverunt: et famelici saturati sunt, donèc sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est. Dominus mortificat, et vivificat: deducit ad inferos et reducit. Dominus pauperem facit et ditat; humiliat et sublevat. Tu.

℟. O beatum par Joachim et Anna, immaculatissimum prorsùs! *Die XXVI. Julii.* 813

Vos castitatem, quam naturæ lex præscribit, conservantes, ea, quæ naturam superant, divinitùs estis consecuti. ℣. Vos electi fuistis in Sanctissimæ Dei Genitricis Parentes.—Vos castitatem.

LECTIO 3.

Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem; ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem. Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent: quia non in fortitudine suâ roborabitur vir. Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit: Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. Tu.

℟. O Filia Adami, et Dei Mater: * Beati lumbi et venter, ex quibus prodiisti. ℣. O rosa candidissima! O lilium inter spinas.—Beati.—Gloria.—Beati.

IN II. NOCT.

Sermo S. Epiphanii Ep.

LECTIO 4.

De radice Jesse ortus est Rex David, et de tribu regis David Sancta Virgo. Sancta, inquam, et sanctorum virorum Filia: cujus parentes fuerunt Joachim et Anna: qui quidem, in vitâ suâ Deo placuerunt, atque etiàm fructum ejusmodi germinaverunt, Sanctam Virginem MARIAM, templum simùl et Matrem Dei. Joachim porrò, Anna, et MARIA, hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant. Joachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quod ex illo præparatum sit templum Domini, nempe Virgo. Anna rursùs similiter gratia interpretatur, propterèa quod Joachim et Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus, talem fructum germinarent, Sanctam Virginem adepti: Joachim siquidem precabatur in monte, et Anna in horto suo. Tu.

℟. O Joachim et Annæ Sacratissima Filia, * Quæ sine maculâ custodita es, ut sponsa Dei, naturâque Dei Mater esses. ℣. O Virgo intacta tantorum Parentum dignissima Filia.—Quæ.

Sermo S. Joannis Damasceni.

Serm. de Nativitate B. V.

LECTIO 5.

O par beatum Joachim et Anna! vobis omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum omnium donorum præstantissimum Creatori ablulit, nempè castam Matrem, quæ solo Creatore digna erat. Exulta Joachim, quoniàm ex Filiâ tuâ filius natus est nobis, et vocatur nomen ejus magni consilii, id est, salutis totius mundi Angelus. Pudore afficiatur Nestorius, ac manum ori imponat. Puer hic Deus est. Quonam igitur modo ea Dei Genitrix non sit, quæ pepererit? Tu.

℟. Isti sunt viri Sancti; * Qui piè et sanctè in humanâ naturâ angelicam vitam agentes, Filiam angelis superiorem, nunequæ angelorum Dominam ediderunt. ℣. O Filia Dei, gloria mundi, parentum decus!—Qui.

LECTIO 6.

Et quis Sanctam Dei Genitricem non confitetur, à Deitate remotus est. Mea non est hæc oratio, quamquàm alioqui mea: hanc enim divinissimam hæreditatem à Theologo Patre accepi. O beatum par Joachim et Anna! Ac profectò ex ventris vestri fructu immaculati agnoscimini, quemadmodùm Christus quodam loco dixit: ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ut Deo gratum erat ac dignum ea, quæ à vo-

bis orta est, vitæ vestræ rationes instituistis. Castè enim ac sanctè munere vestro functi, virginitatis thesaurum produxistis. Tu.

℟. Congaudete mecum, quæ promissionis germen ex sterili ventre peperi, * Ac benedictionis fructum uberibus meis, ut oplaveram, nutrio. ℣. Sterilitatis mœstitiam exui, ac lætam fœcunditatis vestem indui.—Ac.—Gloria.—Ac.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi, Filii David, filii Abraham. Et reliq. Homilia Sancti Fulberti Episcopi. *Serm.* 2. *de Nativ. B. V.*

Meritò siquidem hujus Sanctæ Virginis multùm adeò laudandi et extollendi sanctissimi procreatores, qui in cunctis institutionibus tantos ac tales se præstiterunt, ut non immeritò de eorum stirpe prodiret talis successio, quæ fieret et priscis ætatibus et subsequentibus exemplum totius bonitatis. Felix et præ cæteris patribus felicior, qui tantæ prolis meruit vocitari patrator. Felix etiàm qui non plures, sed unam promeruit suscipere Natam, quæ unicum conciperet et promeruit Dei Filium. Nec enim decebat, ut hujus singularis Virginis sanctissimi progenitores fœdarentur plurimorum propagine filiorum, qui erant futuri unicæ Matris Domini provisores, et educatores egregii. Tu.

℟. Cum semine eorum permanent bona: * Semen eorum et gloria eorum non derelinquetur. ℣. Sit memoria illorum in benedictione, et nomen eorum permaneat in æternum.—Semen.

Bened. Cujus Sanctos Parentes colimus.

LECTIO 8.

Verè beata, et omni generatione habenda, et quodam privilegio sacro prædicanda Mater hujus Sanctæ, quæ omnium antecessit matres in concipiendo et generando eam quæ suum et omnium generaret Creatorem. Gaude et lætare, ò felix, pro tali filia, quoniàm tali dote donata es, quà nulla ante te, vel posteà meruit antecelli. Quanta putamus fuerit provisio Sanctorum Angelorum circa tam Deo gratissimos Parentes ab initio suæ procreationis, et exultatio super tam ingentem sobolem? Nunquid abfuisse credendum est Spiritum Sanctum ab istâ eximiâ Puellâ, quam suâ obumbrare disponebat virtute. Nulli enim fidelium dubium est, quòd circa eam omnis frequentia cœlestium agminum invigilabat. Tu.

℟. Quæ ad Patres repromissio facta est, * Hanc Deus adimplevit filiis. ℣. Corona senum filii eorum, et gloria filiorum patres eorum.—Hanc.—Gloria.—Hanc.

LECTIO 9.

Cujus autem Pater et Mater carnales fuisse feruntur, Joachim et Anna, qui benè sibi ex nominis interpretatione competunt. Joachim quippè præparatio Domini dicitur, Anna verò gratia Dei interpretatur. In horum duorum nominis interpretatione quid innitur, nisi gratia, quam simùl adepti sunt? Ubi namque poterit esse gratia, nisi ubi famulatur præparatio conscientiæ? Et ubi locum habebit præparatio operationis, nisi ubi ante præcesserit Dei elargita gratia? Sic ergò in unum duæ compactæ gratiæ, disponente Dei nutu, proferunt ex se gratiam non parvam, profuturam valdè cunctis hominibus. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Joachim et Anna * tanquàm spirituales montes dulcidinem stillarunt.

2. Anna Joachimi * uxor fiens in horto suo promeruit accipere Sanctam Virginem MARIAM.

3. In illo tempore, * Joachim et Annæ orantibus, exaudilæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei.

4. Missus est Angelus Domini ad eos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.

5. Ex ventris vestri * fructu immaculato agnoscimini, quia ex fructibus eorum cognoscelis eos.

CAPITULUM. *Luc.* 1. 6.

Erant autem justi ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querelâ.

HYMN. 287. *Rodulphus agricol.*

Salve Sancta Parens,
Et tu, Nata inclita, salve,
Quas caro, quas pietas,
Has quoquè jungit bonor.
Natam, Mater, amas,
Et Natæ Mater amaris,
Laus capit una duas,
Ut teneat unus amor.
Bis tamen Anna potens
Hoc partu, bisque beata,
Et prolis titulus
Nobilis atque tuus.
Conspicuos præstant
Alios benefacta parentum:
Tu contra Filiæ
Nobilitate nites.
Magna quidem meritis
Et tuis, pietate, fideque,
Quis neget? Ac Nata hæc
Splendidiora facit.
Gloria summa Patri,
Compar sit gloria Nato:
Quo peperit Virgo,
Gloria Spiritui. Amen.

℣. Justi autem in perpetuum vivent.

℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Ad Bened. ant. Visitavit Dominus populum suum, sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, prophetarum ejus.

Oratio.

Deus qui Beatis Joachim et Annæ tantam gratiam conferre dignatus es, ut ex eis Unigenti Filii tui Mater nascerelur: concede propitius, ut quorum festivitatem celebramus, eorum precibus promissam in Christo salutem consequamur. Per eumdem.

Ad Prim. ant. Joachim. *Capit.* Erant. *de Laudib.*

℣. ℟. *Brev.* Quæ ex Beatis Joachim et Annâ nata fuisti.

CANON.

Ex Gregorio Papâ Decimo Tertio. *Const.* 161. *Sancta* Mater. *anno* 1584.—*Tom. IV. p.* 4. *p.* 34.

338. Præcipimus, ut perpetuis futuris temporibus Beatæ Annæ dies festus septimo Kalendas Augusti per totius orbis Ecclesias duplici officio quotannis recolatur. Tu.

IN II. VESPER.

Ant. et capit de Laudib.

HYMNUS 288. *Car. ol. à S. Anton.*

Omnium laudum resonent honore
Nomina illustris Joachimi et Annæ:
Quisque præclarum meritis utrumque
Tollat ad astra.
Nomine hic signans Domini apparatum,
Filiam, Templum Domino paravit,
Quam satis pulchram dedit Ana cujus
Gratia Nomen.

Quanta in ambobus probitas, amorque
Quantus, et quantus pietatis ardor,
Ex quibus, Mater bonitate summa
Edita Christi.

Debitas grates, Joachime, solvat,
Quis tibi, et dignas tibi solvat, Anna?
Non opis nostræ; superatis omnes
Virgine grates.

Maximè obstricti sumus, ô beati
Conjuges, vobis; bona cuncta vestrâ
Prole manarunt, miserè jacenti
Vitaque mundo.

Fac, tibi celsas sine fine laudes,
Hisque in æternum pariter canamus,
O Deus clemens, Deus ô tributor
Ample bonorum! Amen.

℣. Benedicamus Deum, qui te creavit.

℟. Benedictus uterque Pater qui te generavit.

Ad Magnific. *ant.* O Joachim Sanctæ, Conjux Annæ, Pater almæ Virginis his famulis confer salutis opem.

DIE XXVIII. JUL.

IN MEMORIAM B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui hunc diem felicissimæ recordationi Sanctæ Genitricis tuæ specialiter consecramus, terrena cuncta oblivisc*entes*, cœlestia bona, ipsâ intercedente, ardentiùs appetamus. Qui vivis et regnas.

Lectio 1. Noct. Fer. occurr.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni Ep. *De laudib. B. V. l. 4. c. 26.*

LECTIO 4.

De memoriâ MARIÆ potest dici et exponi, quod de memoriâ Josue dicitur: Memoria Josue in compositione odoris facta est opus pigmentarii, id est, suavis et odorifera est, quasi odor aromaticus compositus opere pigmentarii. Qualis ergò fuit præsentia ejus, talis est memoriâ. In omni ore generaliter magnorum et parvorum, quasi mel indulcabitur ejus memoriâ. Quasi diceret: sicut mel delectat gustum comedentis, et quantò amplius masticatur, dulciùs invenitur, sic MARIÆ memoria delectat de ipsâ loquentem, et quantò plùs de ipsâ loquitur, tantò magis in ipsius memoriâ delectatur. Tu.

℟. Memoriale ejus sicut vinum Libani * Mirabiliter delectans, suaviter inebrians, et virgines germinans. ℣. In omni ore quasi mel indulcorabitur ejus memoria.—Mirabiliter.

LECTIO 5.

Et ut musica in convivio vini. Quasi diceret: sicut armonia instrumentorum musicorum dulcis et suavis est in convivio vini, quod delectat, sic memoria ejus dulcis et suavis non solum loquenti, sed etiàm audienti. Osee in fine: memoriale ejus sicut vinum Libani, ut supra: Gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini. Tribus igitur comparat memoriam ejus. Odori operis pigmentarii, quod delectat olfactum: mellis dulcedini, quæ gustum; armoniæ musicorum, quæ auditum. Quia memoria ejus suavis in corde, in ore, in aure, etiàm hoc propter tria secundum Rabanum. Nam fama virtutis ejus superat omnem odorem, suavitas modestiæ omnem dulcedinem, studium præstandi cultum Dei omnimodam cantilenam. Tu.

℟. In memoriâ habetur à sanctis, qui permanebunt in utroque

sæculo: * Si enim memoriâ justi cum laudibus, quantò magis memoriâ Virginis, per quam nobis Christus factus est justitia. ℣. Memoria mea in generationes sæculorum. —Si enim.

LECTIO 6.

Josias siquidem populum docuit pœnitere super transgressione legis, undè sequitur: ipse est directus divinitùs in pœnitentiam gentis judaicæ, id est, in doctrinam pœnitentiæ, quia ipse eos docuit pœnitere. Et tulit, id est, abstulit abominationes impietatis, id est, fana et idola, quibus impietas idololatriæ celebratur. Et gubernavit ad Dominum cor ipsius populi doctrinâ scilicet, et exemplo. Et in diebus peccatorum, id est, in tempore, quo regnabat peccatum idololatriæ, et transgressio legis, et violatio cultûs Dei, corroboravit pietatem, id est, cultum Dei firmiter observandum instituit. Similiter et Beata Virgo sola cunctas hæreses interimit, gubernat populum Christianum doctrinâ et exemplo, et ad cultum Dei multimodè nos invitat. Tu.

℟. Immortalis est memoria ejus, * Quia apud Deum nota est et apud homines. ℣. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.—Quia.—Gloria.—Quia.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c. 12. 46.*

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, ecce Mater ejus et fratres stabant foris quærentes loqui ei. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Ep. Lucensis. *In Salutatione B. V. M.*

O nimia et ineffabilis divitia bonitatis divinæ. Quantâ, quæso, erga talem Virginem debet cor nostrum devotione difundi, per quam meruimus Deo esse confratres et cohæredes? Mirâ deberet os nostrum dulcedine abundare, cum tam dulcem et benignam Dominam salutamus, et ejus benedicimus fructum. Suavissimus et dulcissimus est fructus ejus, et in ore et corde sapientis dulcescit. Tu. ℟.

Bened. Cujus Memoriam facimus.

LECTIO 8.

Mira est hujus Virginis fœcunditas, quæ dum salutatur devotè, ad cor salutantis suum dulcissimum fructum emittit, et quantò quis in ejus fructu amplius jucundatur, tantò ab eâ amplius impetratur. Nisi dicas sufficit: nunquàm cessabit. *(Lect. 9.)* O mira Domina, mirum videtur, quomodò non tantùm delectemur in te salutando, quòd præter te, et tuum fructum cætera ignoremus. Quomodò, quæso, non est ad te tantùm intentus homo propter tuam nimiam suavitatem, ut etiàm semetipsum abstractum ignoret? O raptrix cordium! O ligatrix peccatorum! Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Cuniculis.

Gump. Atlas. mar. p. 650.

Avesnensium in Hannoniâ traditio est, statuam Pealæ Virginis, quæ ad minus templi vestibulum colitur, suo loco obsidionis tempore motam, obviam ivisse hostibus, jamjàm in urbem irrumpentibus, eosque non aliis armis, quàm virgâ longâ, decorticatâ et candidâ ità terruisse, ut pedem referre coacti fuerint, et obsidionem solvere. Hæc traditio fidem eo majorem meretur, quòd non solâ narratione firmetur, sed etiàm publico festo et perpetuo, singulari cæremoniâ à majoribus instituto, undè nomen de Cuniculis hæc statua

acquisivit: nam festo Deiparæ Præsentatæ, quo commemoratio hujus liberationis miraculosæ celebratur, distribuuntur tàm ecclesiasticis, quàm sæcularibus, atque etiàm pueris puellisque liba candida, oblonga, quæ illic terrarum Cunioles appellantur. Tu. Te Matrem.

Cum 2. *Vesper.*

DIE XXIX. JUL.

B. V. DEPRANITANÆ DE LUCE.

Semiduplex.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

LECTIO 4.

Oct. Cajet. de effigieb. siculis.

Imago beatæ Virginis à Luce dicta, Deprani in Siciliâ per multos annos in interiori portâ urbis mansit, velut illius tutela, à quâ etiàm porta Deiparæ dicta fuit, ubi colebatur pio cultu, et ante illius aspectum lampades accendebantur. Cum verò ad urbis munitionem portam illam dejicere necesse fuit; Imago illa ad templum Sanctissimæ Virginis à Portu appellata translata fuit: ibique nova prodigia edere, novaque effundere beneficia cœpit. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Crevit Virginis miraculis Depranitanorum pietas, adeoque anno millesimo sexcentesimo tertio sanxit senatus illam in ampliorem locum transferre, indictâ solemni atque universali supplicatione, die Sanctis Apostolis Petro et Paulo dicato. Ab ipsis juratis Patribus Sanctissima Virgo delata fuit in ædem Divi Juliani, cùm per vias, tùm in templo, ubi illùc perventum est, elargita est sua munera immaculata Deipara, nec adhuc à miraculis perpetrandis desistit. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Depicta est Imago in tabulâ mediocris staturæ, majorisque est pietatis, quàm pulchritudinis. Rubram obtinet vestem, et cœruleum pallium; divinam prolem sustinet dextro brachio, et sinistrâ manu mammam præbet lætanti puellulo, qui tantùm album indusium habet, et sinistrâ manu accensam facem tenet. In Virginis diademate hæc inscripta reperiuntur verba: Sancta MARIA novæ lucis. Causa cur à Luce appellatur, videtur, quia divinus puer manu candelam præferi, sive quòd ad illud Esther Virginis figura alludatur. Tu. ℣.

Homil. ut in die Matris lucis p. 570.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Ratisponensis de S. Lucâ.

Gumpenb. 942.

Ratispone in Germaniâ superiori colitur quædam Deiparæ Imago, quam Sancti Lucæ opus esse à pluribus seculis creditur. Sanctus Henricus Imperator illam à Summo Pontifice accepit, et in hoc antiquissimo totius Bavariæ Sacrario reposuit. Eùm hodiè in honore est, siquidem Episcopus cum Clero Cathedralis Ecclesiæ singulis Deiparæ festis supplicationis ordine hùc venit, toto catholico populo comitante, atque Sacrificio solemniter cantato, et concione aliàs in Cathedrali habendâ, hunc locum honorat. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Omnibus per MARIAM nova lux oriri visa est, gaudium, honor, et tripudium apud omnes populos, urbes atque provincias.

Vesperæ sequentis.

DIE XXX. JUL.

VIRGINITATIS PERPETUÆ B. MARIÆ V.

Duplex secundæ Clasis.

IN I. VESP.

Ant. 1. Virgo Deigenitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.

Psalmi de Solemnitate.

2. Virgo decus cœli, Virgo Sanctissima, Virgo, quæ super angelicos es veneranda choros.

3. Tu niveas formosa rosas, tu candida vincis lilia: tu vultu vincis et astra tuo.

4. Pura columbullæ similis, quam lactea vestit penna, nec in toto corpore menda sedet.

5. Cara, benigna, micans, pia, sancta, veneranda, venusta, flos, decus, ara, nitor, palma, corona, pudor.

CAPITULUM. *Isai.* 7. 14.

Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum, et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

HIMNUS 289. *Ven. Fortunat.*

O Virgo excellens,
Vincens super omnia Matres:
Quam genus erexit,
Cui Deus alta dedit.
Cujus fructus adest,
Ei flos non perdit honores,
Quæ nato es genitrix
Et tibi Virgo manes.
Felix quæ generi
Humano sub tartaro lapso,
Ad cœlos facta es
Sors, via, porta, rota.
Aula Dei, ornatus
Paradisi, gloria regni,
Hospitium vitæ,
Pons penetrando polos.
Arca nitens, et theca
Potens gladii bis aculi,
Arca Dei assurgens,
Luminis alta pharos.
Gloria summa Patri,
Compar sit gloria Nato,
Quo peperit Virgo,
Gloria Spiritui. Amen.

℣. Sancta Virgo Virginum.

℟. Intercede pro nobis.

Ad Magnif. *ant.* O quàm pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis enim est memoria illius, quoniàm apud Deum nota est, et apud homines.

Orat. de Laudib.

Complet. de Domin.

AD MATUTIN.

Invitat. Laudemus Deum nostrum, * In perpetuâ Virginitate Beatæ MARIÆ Virginis.

HYMNUS 290. *Franc. Suvertius.*

Nulla præcellens licet ac diserta
Lingua, te nullis valeat referre
Cantibus, nostræ via, quæ salutis
Prima fuisti.

Tu sacrum pignus teneræ papillæ
Lacte sustentas, niveoque succo
Pascis, affigis generosa blandis
Ubera labris.

Nec tamen fœdo violata tactu
Castitas unquàm tua vel virilis
Seminis consors fuit, ac manebas
Integra Mater.

Antequàm natum pareres, pudica
Virgo fulgebas, pariensque Virgo,
Edito partu, simili nitore es
Virgo relicta.

Nam tuum fido pia cura sacri
Flaminis ductu moderata pectus,
Semper illæsam tenuit, nec ullâ
Labe notatam.

Tanta nimirùm decuit futuram
Puritas Matrem superi Tonantis,
Quæque cœlestem paritura solem
Omnibus esset.

Sit decus summo sine fine Christo
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco?

Psalmi de feriâ occurr.

2. Ne timeas, MARIA, quia post partum speciosior Virgo eris,

quàm ante partum.

3. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

℣. Virgo ante partum purissima.

℟. Intercede pro nobis.

De libro Exodi.

LECTIO 1. *c.* 3. 1.

Cum minasset Moyses gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi: et videbat, quòd rubus arderet, et non combureretur. Dixit ergò Moyses: vadam, et videbo visionem hanc magnam, quarè non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, et ait: Moyses, Moyses: Qui respondit adsum. Tu.

℟. Rubum, quem viderat Moyses incombustum, * Conservatam agnovimus tuam laudabilem Virginitatem. ℣. Videbat Moyses, quòd rubus arderet, et non combureretur.—Conserv.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 2. *c.* 7. 10.

Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in infernum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergò domus Jacob: nunquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. Tu.

℟. Spiritus Sanctus in te descendet MARIA, * Ne timeas, habebis in utero Filium Dei. ℣. Ecce Virgo concipiet, et pariet filium.—Ne timeas.

De Ezechiele Prophetâ.

LECTIO 3. *c.* 44. 1.

Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem: et erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniàm Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi. Princeps ejus sedebit in eâ, ut comedat panem coram Domino. Tu.

℟. Quæ est porta illa sanctorum exterior ad orientem, * Quæ manet clausa, et nemo pertransibit per eam, nisi solus Deus Israel? ℣. Hæc porta est MARIA, per quam in hunc mundum Redemptor intravit, nec aperta fuit.—Quæ manet.—Glor. —Quæ est.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Hæc porta erit clausa post partum, quia Virgo concepit, et genuit.

2. Sicut pluvia in vellus Deus descendit in Virginem, ut salvum faceret genus humanum.

3. Descendit sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.

℣. Virgo in partu immaculata.

℟. Ora pro nobis.

Sermo S. Hildeph. Arch. Toletani.

Libr. de Virginitate. c. 1.

LECTIO 4.

Ecce Virgo ex Deo, Virgo ex homine, Virgo attestante angelo, Virgo judice Sponso, Virgo ante sponsum, Virgo cum Sponso: indubitata Virgo etiàm dubitante Sponso, Virgo ante Filii adventum, Virgo post Filii generationem; Virgo cum Filii Nativitate, Virgo post Filium natum. Verbo fœcunda, Verbo repleta, Verbo uberrima, Verbo partu digna: humanâ quidem nativitate, humanâ lege, humano sensu, humanâ conditione, humanâ veritate, illæsa, incorrupta, inviolata, intemerata, integerrima verè. Tu.

℟. Regina Mundi dignissima MARIA, Virgo perpetua: * Intercede pro nostrâ pace et salute. ℣. Quæ genuisti Christum Dominum, Salvatorem omnium.—Intercede.

LECTIO 5.

Divino autem munere, divino favore, divinâ collatione, divino dono, divino congressu. Novo opere, novâ efficaciâ, novâ operatione, novo effectu, novo partu. Cum conceptu Virgo, per conceptum Virgo, in conceptu Virgo, post conceptum Virgo: in partu Virgo, cum partu Virgo, post partum Virgo. Virgo cum nascituro, Virgo cum nascente, Virgo post Filium natum. Tu.

℟. Virginitas felix, quæ partu est digna Tonantis, * Quæ meruit Dominum progenerare suum. ℣. Templa Creatoris sunt membra pudicæ puellæ.—Quæ.

LECTIO 6.

Conjux dicta et Virgo, conjux assumpta et Virgo, conjux credita et Virgo, cum conjuge simul et prole perennis Virgo. Ignota semper conjugio, ignota tactu, ignota maritali collegio. Et tunc certè, et tunc non dubiè, tunc verè, tunc veracitèr. Sancta Virgo, beata Virgo, gloriosa Virgo, honesta Virgo. Sed post generationem incarnati Verbi, post nativitatem Dei, hominis facti, post generationem in Deo hominis assumpti, pòs nativitatem Deo hominis uniti, sanctior et sanctissima Virgo, beatior et beatissima Virgo, honestior et honestissima Virgo, augustior et augustissima Virgo. Tu.

℟. Intemerata suspendit ab ubere natum, et panem cœli munere

lactis alit: * Quæ Dominum peperit, clausa MARIA manet. ℣. Concipiente fide, nullo se semine læsit. —Quæ Domin.—Gloria.—Intemerata.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Quantùm sponso potest de virginitate placere, ipsa Dei Genitrix non nisi Virgo placet.

2. Mater et Virgo supra omnes decora virgines et matres.

3. Princeps, corona, thesaurus virginitatis, fastigium omnium Virginum Virgo MARIA.

℣. Virgo post partum inviolata.

℟. Deigenitrix intercede pro nob.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 26

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Epistola ad Syric. Pap.

De vitâ perversitatis produntur dicere: Virgo concepit, sed non Virgo generavit. Quæ potuit ergò Virgo concipere, potuit Virgo generare: cum semper conceptus præcedat; partus sequatur. Sed si doctrinis non creditur Sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis angelorum diceatium: quia non est impossibile Deo omne verbum. Credatur symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana iteratum semper custodit, et servat. Tu.

℟. Beata Dei Genitrix MARIA, cujus viscera intacta permanent post partum: * Nobis genuit Salvatorem sæculorum. ℣. Beata quæ credidit, quoniàm perfecta sunt omnia, quæ dicta sunt ei à Domino.—Nobis.

Bened. 8. Cujus perpetuam Virginitatem.

LECTIO 8.

Audivit MARIA vocem Angeli, et quæ anteà dixerat: quomodò fiet istud? Non de fide generationis interrogans, respondit posteà: Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum Verbum tuum. Hæc est Virgo, quæ in utero concepit, Virgo quæ peperit Filium. Sic enim scriptum est: ecce Virgo in utero concipiet, et pariet Filium. Non enim concepturam tantumodò Virginem, sed et pariturum Virginem dixit. Tu.

℣. Creator generis humani animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est: * Et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem. ℣. Quandò natus est ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt scripturæ.—Et proced.—Gloria.—Creator.

LECTIO 9.

Quid autem incredibile si contra usum originis naturalis peperit MARIA, et Virgo permanet, quandò contra usum naturæ mare vidit et fugit, atque in fontem suum Jordanis fluenta remearunt? Non ergò excedit fidem, quod Virgo peperit, quandò legimus, quòd petra vomuit aquas, et in montis speciem maris unda solidata est. Non ergò excedit fidem, quod homo exivit de Virgine, quandò petra profluxit, scaturivit ferrum super aquas, ambulavit homo super aquas. Ergo si hominem unda portavit, non potuit hominem virgo generare? Tu.

Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Virgo genuit * mundi salutem, et Virgo peperit, et post partum Virgo permansit.

Psalmi de Dominicâ.

2. Virgo MARIA * nitet, nullo intemerante pudorem, alleluia.

3. Post partum * pueri Virgo MARIA nitet, alleluia, alleluia.

4. Virginaliter Deum concepit, et sine angustiâ Deum parturivit.

5. Virginitas illa, * cui sunt salva sigilla, et fœcunda lamen, det nobis dulce juvamen.

CAPITULUM. *Isai.* 7. 14.

Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.

HYMNUS 291. *Venat. Fortun.*

Virgo intacta manens,
Fidei ubertate marita,
Inscia conjugio
Fœta, regnante viro.
Accipis, ut nescis:
Si reddis, ut integra constes,
Nec violata paris,
Nec pariendo doles.
Et tamèn est genitus
Deus et homo, verus et unus,
Spiritus atque caro,
Cristus, utrumque genus.
In deitate Patri
Coæqualis, vel corpore Matri,
Et sine peccato
De Genitrice caro.
Factor dans legem,
Factus sub lege minister,
Ipse Pater mundi,
Filius ipse tibi.
Gloria summa Patri,
Compar sit gloria Nato:
Quo peperit Virgo
Gloria Spiritui. Amen.

℣. Post partum Virgo immaculata permansisti.

℟. Dei Genitrix, intercede pro nobis.

Ad Benedict. *ant.* Ave Virgo pura ante partum: ave Virgo immaculata in partu: ave Virgo inviolata post partum, alleluia.

Oratio.

Da, quæsumus, omnipotens æterne Deus, ut purisimæ Virginis MARIÆ perpetuam Virginitatem festivâ celebritate venerantes; ejus intercessione puritatem mentis et corporis consequamur. Per Dominum.

AD PRIMAM.

Ant. Virgo. *cap.* Ecce Virgo *de Laudib.*

℣. ℟. *br.* Virgo ante partum, in partu, et post partum.

CANON.

Ex Concilio Toletano Decimo Sexto. *An.* 693. *Ex allocut. Flavii Ecag. Reg.—Tom. XVII. p.* 143.

539. Quæ Virgo sicut ante conceptionem obtinuit Virginitatis pudorem, ita post partum nullam sensit integritatis corruptionem: nam Virgo concepit, Virgo peperit, et post partum incorruptelæ pudorem sine interceptione obtinuit. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM *Isai.* 11. 1.

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.

℟. *br.* Virgo ante partum * Purissima.—Virgo. ℣. Intercede pro nobis.—Puriss.—Gloria.—Virgo.

℣. Hortus conclusus, fons signatus.

℟. Pulens aquarum viventium.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Ezech.* 44. 2.

Porta hæc clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniàm Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi.

℟. *br.* Virgo in Partu * Immaculata.—Virgo. ℣. Ora pro nobis.—Imm.—Gloria.—Virgo.

℣. Fecit Dominus novum super terram.

℟. Mulier circumdabit virum.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Apoc.* 12. 1.

Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.

℟. *br.* Virgo post partum * Inviolata.—Virgo. ℣. Quæ Dei Filium peperisti.—Inviolata.—Glor.—Virgo.

℣. Tota pulchra es MARIA.

℟. Et macula non est in te.

IN II. VESP.

Antiph. et Cap. de Laudib.

HIMNUS 292. *S. Petr. Dam.*

Beata Dei Genitrix,
Nitor humani generis:
Per quam de servis liberi,
Lucisque sumus filii.
Tu Aaron es virga,
Fœcunda licet sicca:
Quæ germen protulisti,
Et Virgo permansisti.
Te rubus prælucebat,
Qui ardens non ardebat:
Quæ sine æstu mentis
Fructum dedisti ventris.
Et ante partum Virgo,
Sed post Virginum Virgo:
Crevit in ortu prolis
Integritas pudoris.
Fac tuum nobis Filium
Piâ prece propitium:
Quem gravitèr offendimus,
Tu mitem redde, quæsumus.
Sit tibi laus, Altissime
Qui natus es ex Virgine:
Sit honor ineffabili
Patri Sanctoque Flamini. Amen.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix, intercede pro nobis.

Ad Magnif. *ant.* Beata Dei Genitrix, Virgo perpetua, sacrarium Spiritûs Sancti, sola sine exemplo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

placuisti Domino nostro JESU-Christo.

Oratio de Laudibus.

DIE XXXI. JUL.

B. M. V. DE AUXILIO.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui Sanctissimæ Genitricis tuæ auxilium assiduè imploramus, ab omnibus mentis et corporis periculis liberemur. Qui vivis.

Lect. 1. *Noct. de fer. occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Amadei Ep. Lausanensis. *Homil.* 8. *de Laud. B. V. M.*

LECTIO 4.

Nolandum ac solerter intuendum, quanto affectu, quantâve benignitate Diva Virgo cognatos sibi puritate animi complectitur, et diligit, quæ homines nequam et sceleratos suo interventu, ut sæpè dictum est, à morte peccati, et æternis doloribus incessanter absolvit. Geminâ quippe dilectione rutilans et insignis, hinc in Deum ardentissimè figitur, cui adhærens unus Spiritus est, hinc electorum corda blandè consolatur et attrahit, eisque Nati largitate optima dona partitur. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Motu ergò celerrimo senas seraphim alas excedens, nunc in fonte fruitur amore deitatis, nunc terras signis et virtutibus illustrans, ubique suis, ut mater jucundissima, et mirificentissima occurrit. Quosdam præsentiâ subactis vitiis reddit victores, quosdam magnarum virtutum pio interventu facit compotes, quibusdam intimæ contemplationis pandit sinum, aliis in exitu vitæ iter præbet securum, ut nulla deterreat virtus adversarii, quibus ducatum præstat ad Christum Mater Unigeniti Dei. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Extant harum assertionum exempla plurima, quæ ut notissima et pervulgata compendiosè prætendimus. Sciendum verò certissimè, quòd creberrima miracula, innumera beneficia, spirituales visiones, cœlestes revelationes, sublimes consolationes almæ Parentis Domini orbi terrarum assiduè coruscabunt, donec finem mundus iste senescens inveniat, inclarescente regno cujus non est finis. Tu. ℣.

Homil. de Comm. pro Duplicib.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Trevirensis de Deserto.

Gamperub. 716.

Deserti titulum habet hæc Deiparæ Imago, quæ in deserto, seu abstruso silvæ loco diù sine debitis honoribus stetit: anno millesimo quadringentesimo quadragesimo nono possuerat illam in stipite simplex Vinitor loco suæ pietati commodo, nam ibi cum Virgine suâ colloquia miscebat. Vicini posteà ad ejus exemplum cœpere quoquè frequentare locum, ubi remedia malis suis facilè inveniebant, quibus medici nondùm invenere. Inde est, quòd ejus miraculorum famâ crescente, collectis pecuniis Episcopus Deiparæ templum struxit tertio ab urbe Trevirensi lapide, statuamque ei intulit. Nec abnuit Deipara statuam suam illuc deportari populorum bono, quos ne quidem pro beneficiis et miraculis longo intinere fatigari voluit. Tu. Te Matrem.

Ad Bened. *ant.* Auxilium tuum, Domina, imploramus, defende nos semper in omni eventu.

Vesperæ de sequenti.

FESTA AUGUSTI.

DIE PRIMA.

SS. CORPORIS B. M. V.

Duplex majus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui sacratissimum MARIÆ Corpus, tot et tantis prærogativis decorasti, illudque dignum effecisti, ut ex eo immaculatam carnem assumeres: concede propitius, ut qui ipsum devotè veneramus in terris, cum ipso tuæ gloriæ participes fiamus in cœlis. Qui vivis et regnas.

Lect. 1. *Noct. de Comm.*

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Dyonisii Carthusiani. *De laud. B. V. M. libr.* 1. *art.* 17.

LECTIO 4.

Videmus in quanto honore habeantur sanctorum reliquiæ, immò et materiæ in se viles, quæ sanctorum corpora tetigerunt; et ad ea aliquo modo pertinuerunt, ut vestes, baculi, et capilli ipsorum. Itaquè innotescit, quòd quantò incomparabilis Virginis Sacratissimum corpus fuit ab omni labe peccati, etiam venialis magis immune, rationi quoquè ac legi divinæ magis subjectum, et excellentissimâ castitate amplius decoratum, in quo nunquam fuit, nec minimus quidem motus inordinatus, aut stimulus, atque in summâ sobrietate, omnique exercitio sancto incessabilius exercitatum, eò nobilius ac dignius est effectum: et certum est, quòd in his omnibus inclitissimæ, et in æternum benedictæ MARIÆ Corpus ineffabilis excellentiæ fuit. Ideò acceptissimum extitit Creatori, et quantò per naturam erat declivius, tantùm per gratiam et virtutes factum est sublimius, dignius, atque nobilius. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Prætereà aliundè inæstimabilitèr dignificatum est præstantissimum MARIÆ Corpus: primò ex eo quòd ex ejus portione et substantiâ sumptum et formatum est corpus illud deificatum, quod in unitatem personæ sibi assumpsit Verbum æternum. O porsùs incomparabilis Domina, pretiosissima Virgo MARIA, cujus portio modica à Verbo æterno assumpta ad redimendum totum genus humanum fuit idonea! Secundò, quoniàm in caslissimo utero ejus quievit, et commoratus est mensibus novem Dei Unigenitus, homo factus et nutritus mundis ipsius sanguinibus. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Tertiò, quoniàm Deum ex se veré et corporalitèr natum hæc optima et nobilissima Virgo MARIA suo felicissimo corpore quotidiè cum summâ charitate, reverentiâ et humilitate honoravit, nutrivit, lactavit, circumferebat, ampleclabatur, et contreclavit, impendens adorando Infantulo, quod infantibus solent impendere genitrices. Certè, ò amabilissima Virgo, tàm dignificata est ex prætractatis tua illustrissima caro, ut nullius puræ creaturæ corpus, nec cœlorum, nec planetarum, nec syderum valet ei in nobilitate et dignitate æquari. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 6. *v.* 17.

In illo tempore: Descendens JESUS de monte cum discipulis suis, stetit in loco campestri. Et reliqua.

Homilia B. Dionysii Carthusiani. *De laudib. B. V. ut supra.*

Si virtus exivit de Christo inter ho-

placuisti Domino nostro JESU-Christo.

Oratio de Laudibus.

DIE XXXI. JUL.

B. M. V. DE AUXILIO.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui Sanctissimæ Genitricis tuæ auxilium assiduè imploramus, ab omnibus mentis et corporis periculis liberemur. Qui vivis.

Lect. 1. *Noct. de fer. occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Amadei Ep. Lausanensis. *Homil.* 8. *de Laud. B. V. M.*

LECTIO 4.

Nolandum ac solerter intuendum, quanto affectu, quantâve benignitate Diva Virgo cognatos sibi puritate animi complectitur, et diligit, quæ homines nequam et sceleratos suo interventu, ut sæpè dictum est, à morte peccati, et æternis doloribus incessanter absolvit. Geminâ quippe dilectione rutilans et insignis, hinc in Deum ardentissimè figitur, cui adhærens unus Spiritus est, hinc electorum corda blandè consolatur et attrahit, eisque Nati largitate optima dona partitur. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Motu ergò celerrimo senas seraphim alas excedens, nunc in fonte fruitur amore deitatis, nunc terras signis et virtutibus illustrans, ubique suis, ut mater jucundissima, et mirificentissima occurrit. Quosdam præsentiâ subactis vitiis reddit victores, quosdam magnarum virtutum pio interventu facit compotes, quibusdam intimæ contemplationis pandit sinum, aliis in exitu vitæ iter præbet securum, ut nulla deterreat virtus adversarii, quibus ducatum præstat ad Christum Mater Unigeniti Dei. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Extant harum assertionum exempla plurima, quæ ut notissima et pervulgata compendiosè prætendimus. Sciendum verò certissimè, quòd creberrima miracula, innumera beneficia, spirituales visiones, cœlestes revelationes, sublimes consolationes almæ Parentis Domini orbi terrarum assiduè coruscabunt, donec finem mundus iste senescens inveniat, inclarescente regno cujus non est finis. Tu. ℣.

Homil. de Comm. pro Duplicib.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Trevirensis de Deserto.

Gamperub. 716.

Deserti titulum habet hæc Deiparæ Imago, quæ in deserto, seu abstruso silvæ loco diù sine debitis honoribus stetit: anno millesimo quadringentesimo quadragesimo nono possuerat illam in stipite simplex Vinitor loco suæ pietati commodo, nam ibi cum Virgine suâ colloquia miscebat. Vicini posteà ad ejus exemplum cœpere quoquè frequentare locum, ubi remedia malis suis facilè inveniebant, quibus medici nondùm invenere. Inde est, quòd ejus miraculorum famâ crescente, collectis pecuniis Episcopus Deiparæ templum struxit tertio ab urbe Trevirensi lapide, statuamque ei intulit. Nec abnuit Deipara statuam suam illuc deportari populorum bono, quos ne quidem pro beneficiis et miraculis longo intinere fatigari voluit. Tu. Te Matrem.

Ad Bened. *ant.* Auxilium tuum, Domina, imploramus, defende nos semper in omni eventu.

Vesperæ de sequenti.

FESTA AUGUSTI.

DIE PRIMA.

SS. CORPORIS B. M. V.

Duplex majus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui sacratissimum MARIÆ Corpus, tot et tantis prærogativis decorasti, illudque dignum effecisti, ut ex eo immaculatam carnem assumeres: concede propitius, ut qui ipsum devotè veneramus in terris, cum ipso tuæ gloriæ participes fiamus in cœlis. Qui vivis et regnas.

Lect. 1. *Noct. de Comm.*

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Dyonisii Carthusiani. *De laud. B. V. M. libr.* 1. *art.* 17.

LECTIO 4.

Videmus in quanto honore habeantur sanctorum reliquiæ, immò et materiæ in se viles, quæ sanctorum corpora tetigerunt; et ad ea aliquo modo pertinuerunt, ut vestes, baculi, et capilli ipsorum. Itaquè innotescit, quòd quantò incomparabilis Virginis Sacratissimum corpus fuit ab omni labe peccati, etiam venialis magis immune, rationi quoquè ac legi divinæ magis subjectum, et excellentissimâ castitate amplius decoratum, in quo nunquam fuit, nec minimus quidem motus inordinatus, aut stimulus, atque in summâ sobrietate, omnique exercitio sancto incessabilius exercitatum, eò nobilius ac dignius est effectum: et certum est, quòd in his omnibus inclitissimæ, et in æternum benedictæ MARIÆ Corpus ineffabilis excellentiæ fuit. Ideò acceptissimum extitit Creatori, et quantò per naturam erat declivius, tantùm per gratiam et virtutes factum est sublimius, dignius, atque nobilius. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Prætereà aliundè inæstimabilitèr dignificatum est præstantissimum MARIÆ Corpus: primò ex eo quòd ex ejus portione et substantiâ sumptum et formatum est corpus illud deificatum, quod in unitatem personæ sibi assumpsit Verbum æternum. O porsùs incomparabilis Domina, pretiosissima Virgo MARIA, cujus portio modica à Verbo æterno assumpta ad redimendum totum genus humanum fuit idonea! Secundò, quoniàm in caslissimo utero ejus quievit, et commoratus est mensibus novem Dei Unigenitus, homo factus et nutritus mundis ipsius sanguinibus. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Tertiò, quoniàm Deum ex se veré et corporalitèr natum hæc optima et nobilissima Virgo MARIA suo felicissimo corpore quotidiè cum summâ charitate, reverentiâ et humilitate honoravit, nutrivit, lactavit, circumferebat, ampleclabatur, et contreclavit, impendens adorando Infantulo, quod infantibus solent impendere genitrices. Certè, ò amabilissima Virgo, tàm dignificata est ex prætractatis tua illustrissima caro, ut nullius puræ creaturæ corpus, nec cœlorum, nec planetarum, nec syderum valet ei in nobilitate et dignitate æquari. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 6. *v.* 17.

In illo tempore: Descendens JESUS de monte cum discipulis suis, stetit in loco campestri. Et reliqua.

Homilia B. Dionysii Carthusiani. *De laudib. B. V. ut supra.*

Si virtus exivit de Christo inter ho-

mines conversante, et sanavit omnes, quanta virtus intrà tot menses emanavit ex eo in vas illud mundissimum, in quo ipsemet sic personaliter habitavit? Si quis per horam in manu rem odoriferam, preciosam, suavem habet, nonne manus ejus contrahit indè fragantiam et virtutem? Tu. ℣.

LECTIO 8.

Quantam ergò suavitatem, dignitatem, munditiam conferunt immaculatissima viscera benedictæ MARIÆ ex causâ divinâ habitantis in eâ, præsentiâ ejus qui est essentialiter et incircumscribiliter ac superplenissimè sanctus, dignus, suavis et virtuosus? Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Aliagensis de Rubo.

Gumpenb. Imag. 649.

Aliagæ in Aragoniâ in vepribus quidam rusticus propè ipsum pagum Deiparæ Imaginem invenit, et eam loquentem audivit. Jussit illa, Aliagensibus suaderet, ut templum ibi ædificarent. Fecit ille imperata, suasitque templum, sed plùs non persuasit, quàm ut eam deportarent in pagi Templum parrochiale. Virgo non contenta more suo ad vepres reversa est, relicto templo pagi: ut quæ sibi novum velle à fundamentis extrui, quod Aliegenses secundo miraculo permoti fecerunt, non expectantes tertia imperia. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabilis. 8. *Dec.* 1854.

540. «Sancti Ecclesiæ Patres» testati sunt carnem Virginis ex Adam sumptam maculas Adæ non admisisse, ac propterea beatissimam Virginem tabernaculum esse ab ipso Deo creatum, Spiritu Sancto formatum, et purpureæ reverà operæ, quod novus ille Beseleel auro intextum, variumque effinxit. Tu.

Cum 2. vesper.

DIE II. AUG.

CONSECR.

S. M. DE PORTIUNCULA.

Duplex.

Offic. fit de comm. Dedicat. Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Bree. Franciscano.

Quanquàm Beatus Franciscus omnes Ecclesias sempèr quoàd vixit, summoperè dilexit, maximoque in honore habuit, præcipuo tamen studio, singularique religione ædiculam illam propè Assisium coluit, quæ Ecclesiæ tùm Sanctæ MARIÆ Angelorum tùm Portiunculæ nomine natur. Idque multis de causis: primùm, propter ejus incredibilem in Beatissimam Matrem Dei pietatem, maximamque in sanctos angelos observantiam. Deindè, quòd non solùm ex aliis cognovisset in eo Sacello sæpè suavissimos angelorum concentus audiri, ex quo etiàm accepisse agnomen putabatur; sed etiàm ipsemet expertus esset, eorumque aspectu, colloquio, ac solatio politus esset. Postremò quòd ea esset Ecclesia tam longè anteà à Domino præparata, in quâ ordinem suum inchoaret; quam ideircò Ecclesiam Portiunculæ appellari voluisset, quòd esset futura mater, et caput pusilli gregis Fratrum Minorum. Quam ob rem mirum in modum cupiebat, ut ab omnibus in summâ veneratione haberetur. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Cum igitùr quàdam nocte oraret in habitaculo suo supradictæ Ecclesiæ proximo, significatum est ei divinitùs, in ipsâ Ecclesiâ esse Dominum JESUM, ejusque Sanctissimam Matrem cum ingenti multitudine angelorum. Quo nuntiò, incredibili affectus lætitiâ, confestim surrexit: et summâ cum religione delubrum ingressus, cum primùm ineffabilem illam Filii Dei majestatem, et gloriam aspexit, ante conspectum ejus procubuit, eumque quâ maximâ potuit animi submissione ac pietate adoravit. Quem Dominus benignissimè appellans admonuit, ut ab eo aliquod beneficium pro salute hominum peteret. At ille adjutus patrocinio Matris, cujus opem imploraverat, supplex petiit, ut omnibus Ecclesiam illam introeuntibus concederet veniam, et indulgentiam omnium peccatorum suorum, quorum confessionem Sacerdoti fecissent. Respondit Dominus, id sibi placere: præcepitque illi, ut ejus Vicarium adiret, et ab eo suo nomine illam indulgentiam postularet. Tu.

℣. Verè Dominus.

LECTIO 6.

Manè igitùr Beatus Franciscus comite fratre Massæo profectus est Perusiam, ubi tunc erat Summus Pontifex Honorius tertius. Ad quem ingressus mandatum exposuit, rogans, ut quod placebat Christo, cujus ipse in terris locum ac personam tenebat, id ipsi non displiceret. Pontifici primò parùm honesta visa est res, quæ petebatur, tum quòd ea omninò libera, hoc est, sine oblationibus, tum quòd maxima, eademque absoluta, ac perpetua petebatur.... Tandèm intelligens Pontifex divinam voluntatem concessit eam Beato Francisco plenariam quidem, et liberam ac perpetuam: sed unius duntaxat diei naturalis cujuscumque anni, hoc est, à Vesperis Kalendarum Augusti, usque ad vesperas sequentis diei, qui est aniversarius dies Consecrationis supradictæ Ecclesiæ. Et cum ei diploma dare vellet, ille sibi satis esse verbum ipsius, Dominum enim opus suum per se ipsum divulgaturum, ac magnificaturum. Quod quidem mirabiliter evenisse cernimus. Tu. ℣. In multitudine.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam Castellum, et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam. Et reliqua. Hom. S. Antonini Arch. Florentini.

Tit. 13. *c.* 43. *de Assumpt. B. V.*

Quod ergò dicitur in Evangelio, quia intravit JESUS in quoddam castellum, significat ingressum Filii Dei in hunc mundum. Dicitur mundus castellum, quia habet conditionem castelli rebellis. Hoc autem castrum intravit mundi in die incarnationis. Et mulier quædam Martha nomine excepit eum in domumsuam. Martha autem interpretatur Domina, seu provocans. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Hæc est enim Beata MARIA, quæ per suam maximam humilitatem provocavit Dei Filium venire in domum uteri virginalis. Et ipsa Domina amplissimè dicitur, quæ super alias omnes dominata est suæ sensualitati et corpori. *Lect.* 9. Nec aliqua creatura alia digna fuit recipere Deum in uteri sui domum, nisi Beata MARIA. Undè canit Ecclesia: Domus pudici pectoris templum repentè fit Dei, intacta nesciens virum, verbo concepit Filium. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Valencenensis de Eremitorio.

Gumpenb. p. 745.

Prope urbem Valencenis Eremita habitabat, et Deiparæ Imaginem impensè colebat, et ut credibile est, urbem peste afflictam ei commendavit. Apparuit illa viro, et in mandatis dedit, ut magistratui denuntiaret, jejunium vigiliâ nativitatis suæ imminente totâ urbe. Si id faceret, postèà cives mira visuros: Facto jejunio populus mœnia implevit, visurus quæ promittebantur mirabilia: visa denique est Deipara exire ex Eremitorio, angelorum, sanctorumque comitata choro, et funiculo mensura totum urbis circuitum duarum leucarum, et iterum in Eremitorio redire, quod Eremita sibi in Sacelli formam ædificaverat: jussit insuper, ut processio perpetua festo Nativitatis suæ instituerelur. Funiculus adhuc hodiè asservatur. Processio habetur, sed circulus duarum leucarum non totus una vice perficitur. Tu.

Te Matrem.

CANON.

Ex Gregorio Papâ Decimo Quinto. *Bulla* Splendor pat.—Bibl. Ferrar. V. *Indulgentia a.* 5. *n.* 51.

541. Volentes omnes et singulas Ecclesias ordinis Fratrum Sancti Francisci... utique existentes aliquo spirituali munere illustrare,... omnibus utriusque sexûs Christi fidelibus, verè pœnitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex dictis Ecclesiis in secundâ die mensis Augusti.... singulis annis visitaverint... plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Tu.

Vesper. à Capit. sequent.

DIE III. AUG.

MERITORUM B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in nostris operibus fiduciam non habemus, per merita Sanctissimæ Genitricis tuæ, salutem æternam, quam suppliciter poscimus, consequamur. Qui vivis.

Lectio 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Antonini Arch. Florentini. 4. *part. summ. tit.* 15. *c.* 2. §. 6. *apud Crisog.*

LECTIO 4.

Quamvis sancti in multis et per multa bona opera sese exercuerunt in gratiâ, nullus tamen fuit, qui semper et in omni tempore seculus fuerit instinctum gratiæ, ut sic semper in operibus suis mereretur. Hoc enim privilegium fuit singularis gratiæ in Beatâ Virgine MARIA, quæ quolibet motu liberi arbitrii ad agendum vel patiendum merebatur, quatenùs actiones illæ sive passiones gratiâ erant informatæ. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Tum quia secundùm Philosophum intellectus semper rectus est, nisi quandò se immiscet phantasiis, et seducitur ab eis. Intellectus autem Beatæ MARIÆ nullis unquàm se immiscuit phantasiis, ut ab eis seduceretur; ac proindè semper suam conservavit rectitudinem. Rectum porrò nihil est aliud, quam cujus medium non exiit ab extremis: ergò semper mens ejus in summum bonum, velut omnium principium finemque tendebat. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Tùm quia Virginis ratio nec in discernendo errare, nec voluntas mala eligere poterat, sed elegit ultimum dumtaxat et optimum. De illâ enim multò veriùs dictum est: MARIA optimam partem elegit, scilicet unum, quod est semper, et absolutè necessarium, nempè summum bonum, atque ita semper circa illud operando meruit. Tum quia Beata Virgo consilium illud Apostoli: sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite: præ reliquiis viatoribus, quorum nemo id semper servavit, executa est. Undè Odilio in quodam sermone: unum pro certo scimus, quià omnis MARIÆ actio semper Domino intenta fuit. Tu. ℣.

Homil. de comm. pro Duplic.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Paduanæ de Peste.

Gumpenberg.

Neglecta jacebat hæc Deiparæ Statua in angulo palatii Prætoris urbis, anno millesimo quingentesimo septuagesimo, tempore quo tota illa regio gravissimâ peste affligebatur. Sed diva Virgo laniæ calamitati occurrens, ipsi Prætori Aloysio Georgio apparuit nocte una ac disertè affirmavit, finem tanti mali fore tunc, quandò cum debitâ pompâ illaturus esset ipse templo Carmelitarum Statuam, quam tamdiù in palatio contemptam tenuerat. Eamdem visionem Pater Carmelitarum Provincialis habuit, insigni pompâ Statua per urbem deducta est, et templo à Virgine designato illata. Statim verò ac templo pedem statua intulit, cessavit pestifera lues urbe paduanâ, et omni venetâ ditione. Quam Historiam ne posteri ignorarent, majores marmori scitè sculptam inseruere templo. Miraculis aliis quoquè illustris esse cœpit. Tu.

Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Episcopo. *Spec. B. V. c.* 6.

542. Mulier super omnes mulieres pudorata, super omnes sancta est MARIA, in quâ est gratia super gratiam, gratia gloriæ super gratiam viæ, gratia præmiorum in cœlo super gratiam meritorum in mundo. Tu.

Cum 2. *Vesper.*

DIE V. AUG.

DEDIC. B. V. M. AD NIVES.

Duplex majus.

Omnia non propria de comm. Dedic.

Oratio.

Deus, qui ad declarandam gloriam Genitricis tuæ gloriosæ Virginis MARIÆ descensu nivis in æstivis caloribus locum, in quo ei ædificaretur templum, dignatus es demonstrare: tribue, quæsumus, ut ejus obsequiis insistentes, refrigerato æstu concupiscentiæ, candore innocentiæ dealbemur. Qui vivis et regnas.

AD MATUTIN.

HYMNUS 293. *J. M. Caryophil.*

Vidit Hæbreus sibi manna lapsum
Mentis ad votum malè murmurantis:
Mentis ad votum benè supplicantis
Nix cadit urbi.

Illud ignoto fuit imbre missum,
Panis è cœlo, cibus angelorum:
Nix datur Romæ, peregrinus imber
Dum leo fervet.

Manna divinæ fuit umbra carnis,
Quam tulit Virgo gravidata Verbo:
Nix figuravit spatium struendæ
Virginis ædi.

Manna sed murmur peperit secundum
Gentis infidæ; nive surgit ædes,
Splendor æternæ venerandus urbi
Nomine major.

Hic ubi Lucæ digitis imago
Picta Réginæ pia corda lactat:
Hic ubi Virgo meritos honores
Undiquè carpit.
Et sacerdotum colitur senatu,
Et refulgentis gravitate templi,
Et salutantis populi recurvis
Cruribus undâ.
Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto,
Regnat in ævum. Amen.

Lect. 1. *Noct. de eodem Comm.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Brev. Romano.

Liberio Summo Pontifice, Joannes Patritius Romanus, et uxor ejus pari nobilitate, cum liberos non suscepissent, quos bonorum hæredes relinquerent, suam hæreditatem Sanctissimæ Virgini Dei Matri voverunt, ab eâ summis precibus assiduè petentes, ut in quod ium opus eam pecuniam potissimùm errogari vellet, aliquo modo significaret. Quorum preces et vota ex animo facta Beata Virgo MARIA benignè audiens, miraculo comprovavit. Tu. ℟. Magnum.

LECTIO 5.

Nonis igitur Augusti, quo tempore in urbe maximi calores esse solent, noctu nix partem collis Exquilini contexit. Quâ nocte Dei Mater, separatim Joannem, et conjugem in somnis admonuit, ut quem locum nive conspersum viderent, in eo Ecclesiam ædificarent, quæ MARIÆ Virginis nomine dedicaretur: se enim ita velle ab ipsis hæredem instituí. Quod Joannes ad Liberium Pontificem detulit, qui idem per somnum sibi contingisse affirmavit. Tu. ℟. Verè Dominus.

LECTIO 6.

Quarè solemni Sacerdotum, et populi supplicatione ad collem venit nive coopertum, et in eo locum Ecclesiæ designavit, quæ Joannis et uxoris pecuniâ extructa est, postea à Sixto Tertio restituta. Variis nominibus primùm est appellata: Basilica Liberii, Sancta MARIA ad præsepe. Sed cum multæ jam essent in Urbe Ecclesiæ sub nomine Sanctæ MARIÆ Virginis, ut quæ Basilica novitate miraculi, ac dignitate cæteris ejusdem nominis Basilicis præstaret, vocabuli etiàm excellentiâ significaretur, Ecclesia Sanctæ MARIÆ Majoris dicta est. Cujus Dedicationis memoria ex nive, quæ hâc die mirabilitèr cecidit, anniversariâ celebritate colitur. Tu. ℟. In multitudine.

Hom. de Comm. pro Deplic. majorib. Congruè satis.

AD LAUDES.

HYMNUS 294. *Joan. Mich. Silos.*

Surgit fer amplæ Regia Virginis,
Cultaque et altâ mole superbior,
Æstiva quondàm quâ supinas
Exquilias operuit pruina.
Quam læta rerum monstra Quiritium
Gens vidit! ardens cum nive candida
Respersa tellus, dedicavit
Templa Dei niveæ parenti.
Æterna summo gloria sit Patri,
Natoque, necnon Spiritui Deo
Numenque tres unum, futuris
Posteritas colat usque sæclis.
Amen.

CANON.

Ex Nicolao Papâ Quarto.

Boll. ann. 1287.—*apud Bened. XIV. de Festis. B. V. c.* 7. *n.* 14.

343. «Cupimus», ut Ecclesia nostra ad honorem Virginis consiructa, cujus quidem structuram glòriosus Deus in sanctis suis per immissionem nivis æstûs tempore mirabilitèr indicavit, congruis honoribus frequentetur. Tu.

Cum 2. *Vesper.*

DIE VI. AUG.

B. M. V. MONTIS GUARDIÆ.

Semiduplex.

Lect. 1. *Noct. de fer. occurr.*

LECTIO 4.

Balingh. sub die 5. *Julii.*

Vir quidam in Græciâ vitæ innocentiâ venerandus, Constantinopoli in æde sacrâ Sanctæ Sophiæ vidit imaginem Beatæ MARIÆ Virginis cum hâc inscriptione: Tabula hæc Lucæ Evangelistæ manu depicta, in fanum ejus montis Guardiæ inædificatum ferenda, ibique supra altare locata sanctissimè colenda. Ipse autem cupiditate incensus, quisnam esset mons ille, Sacerdotes templi adit, à quibus id responsi refert à parentibus accepisse, eam Imaginem sempèr summâ religione habitam, necdùm tamen post varias inquisitiones compertum, ubinam esset mons ille Guardiæ. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Itaquè, acceptâ Imagine per varias regiones discurrit, ubique scisciiando ubinàm terrarum esset mons ille; at frustrà, donèc tandèm Romam perveniens, à quodam Bononiensi cive, qui tum in urbe Senator erat, didicit, ubinàm assurgeret mons Guardiæ cum templo divo Lucæ dicato, ut habebat inscriptio. In agro, inquit, nostro Bononiensi mons ille, illudque templum est, altero haud longius lapide ab urbe distans. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Igitur vir iste Bononiam tendit, Bononiensibus quantum efferat thesaurum explicat. Illi tridui supplicationes indicant, quas amplissimâ pompâ, summâ religione obiere. Cœleste illud donum per urbem circumfertur festo cantu celebrantes. Tertiâ deindè die in vesperum inclinante, frequentissimus populus sacram Imaginem Guardiam prosequutus est. Quam in Templo Sancti Lucæ in ipso montis apice, supra aram, ut scripto monebatur, ritè collocarunt. Ad ea innumera propè miracula fiunt, quod ex votivis tabellis patet, et ex donariis variis cereis argenteis, et aureis. Hanc imaginem Pius Papâ Nonus die decimâ Junii anni millesimi octingentesimi quinquagesimi septimi solemnissimâ pompâ magnifico diademate donavit. Tu.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 17. 1.

In illo tempore: Assumpsit JESUS Petrum et Jacobum, et Joannem Fratres ejus, et duxit illos in montem excelsum: et transfiguratus est ante eos. Et reliqua.

Homilia S. Antonii Padnani.

Serm. 1. *in Dom.* 1. *Quadr. p.* 228.

Duxit illos. Statuitur situs, sive gradus summæ pietatis, et afflictiæ, scilicet Virgo MARIA, per montem figurata. In montem excelsum. Exprimitur gustus miræ patientiæ, quia Deus transformavit se ipsum in hoc monte, scilicèt Beatâ Virgine, ut peccatoribus humilitèr se conformet. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Et transfiguratus est ante eos. Ponamus enim quòd Dei Filius in hoc monte fuerit transfiguratus, quandò formam servi accepit, ut dicit Apostolus: Exinanivit semetipsum formam servi accipiens: tamen Deus transfiguratur continuè in conspectu peccatorum, quandò scilicet, ille qui in se contra pecca-

tores concitatur furore, in hoc monte efficitur mansuetus. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Nota: Beata Virgo est mons, quià sicut montes sunt superiùs luminosi, inferiùs spatiosi, interiùs onerosi, exteriùs pascuosi; sic Beata Virgo fuit superiùs luminosa puritate, quam cum angelis participat. Inferiùs spatiosa charitate, quâ tantum ad humanum genus efficitur. Interiùs onerosa pietate, quæ continuè scaturit in ejus corde. Exteriùs pascuosa sanctitate, quâ ibi poteris pasci omni fructu virtutum, omni flore honestatis et reverentiæ. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Ne stes in omni loco circa regionem, sed in monte salvum te fac.

Vesperæ sequentis.

DIE VII. AUG.

VIDUITATIS B. M. V.

Duplex majus.

Oratio.

Majestatem tuam, omnipotens Deus, supplices deprecamur, ut qui exultantibus animis Beatissimæ sempèrque Virginis MARIÆ Viduitatem celebrare gaudemus, ejus gloriosis precibus et meritis ab instantibus malis, et à morte perpetuâ liberemur. Per Dominum.

IN I. NOCT.

De Epistolâ primâ B. Pauli Apost. ad Timotheum.

LECTIO 1. *c.* 5. 3.

Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primùm domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo. Quæ autem verè vidua est et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte et die. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Si quis autem suorum, et maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Adolescentiores autèm viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Simùl autèm et otiosæ discunt circuire domus: non solùm otiosæ, sd et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet. Volo ergò juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ. Jam enim quædam conversæ sunt retrò satanam. Tu. ℣.

IN II. NOCT.

Sermo S. Fulgentii Episcopi.

Sermo de Laudib. B. M. V. ex part. Sale.

LECTIO 4.

Facta est MARIA fenestra cœli, qui per ipsam Deus verum fudit sæculis lumen. Facta est MARIA Scala cœlestis: quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad cœlos. Ipsis enim licebit ascendere illùc, qui Deum crediderunt ad terras per Virginem MARIAM descendisse. Facta est MARIA restauratio feminarum, quia per ipsam à ruinâ patriæ maledictionis probantur esse subtractæ. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Tria deniquè mala Evæ à tribus bonis MARIÆ probantur exclusa. Nam Evæ dictum est: in doloribus, et tristitiâ paries, et ad virum conversatio tua, et ipse dominabitur tui. Tribus ergò his malis se subjugant feminæ, quæ MARIAM non sequuntur, dolori, tristitiæ servituti. MARIA autem è contrario quàm præclarissimis tribus bonis sublimetur, auscultà, salutationis Angelicæ, benedictionis divinæ, et plenitudinis gratiæ. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Ave, inquit, gratiâ plena: benedicta tu inter mulieres. Cum dixit: Ave: salutationem illi cœlestem exhibuit. Cum dixit: gratiâ plena: ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, et plenam benedictionis gratiam restitutam. Cum dixit: benedicta tu inter mulieres: virginitatis ejus benedictum fructum expressit, ut ex eo benedicta dicatur inter mulieres quæcumque perseveraverit Virgo. Maledicta enim Eva fuerat, quam nunc credimus per MARIAM ad benedictionem gloriæ remeasse. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 21. 1.

In illo tempore: Respiciens JESUS vidit eos, qui mittebant munera sua ad Gazophilacium, divites. Et reliq.

Homilia B. Alberti Magni Ep.

De laud. B. V. l. 6. *c.* 8.

MARIA, Vidua, seu vidua designata per viduam illam evangelicam, quæ tantùm duo minuta misit in Gazophilacium, quæ plus cunctis divitibus posuit juxta Dominicam sententiam. Unum minutum fuit ejus humilitas, quæ valdè minutam faciebat eam in reputatione suâ, et quæ valdè minutum facit hominem seipsum reputare. Undè dicitur angelo Philadelphiæ: ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia modicam habes virtutem, id est, humilitatem. Talibus enim apertum est ostium paradisi, quia humilem spiritu suscipiet gloria. Tu. ℣.

Bened. Cujus Viduitatem.

LECTIO 8.

Aliud minutum fides, quæ comparatur grano sinapis. Hæc duo minuta posuit MARIA, quasi in Gazophilacio, quod est Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Quandò dixit: ecce ancilla Domini: ecce primum minutum. Fiat mihi secundum Verbum tuum: ecce secundum. Et benedicta est plus omnibus obtulisse, quia omnibus humilior, omnibus fidelior. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Dicitur etiàm posuisse totum victum suum, quia in solâ humilitate gloriabatur, et ei dictum est. Beata, quæ credidisti. Per humilitatem enim vivit anima vitâ gratiæ, et justus ex suâ fide vivit. Vel duo minuta, duplex humilitas. Itèm per viduam illam Sareptanam signatur MARIA, quæ pavit Eliam, id est, Christum, de cujus hidriâ non defecit farina, nec oleum de lecytho. Designatur etiàm per viduam illam, quæ vasa vacua implevit oleo. Tu.

Te Matrem

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Ep.

Spec. B. V. Lect. 15.

544. In Judith benedictione potest benedictio MARIÆ non solùm signari, sed etiàm per locum à majori probari: si enim sic benedicta est vidua casta, quantò magis Virgo casta? Tu.

Cum secund. Vesper.

DIE VIII. AUG.

D. V. CAMERACENS. DE GRATIA.

Semiduplex.

Lection. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Gampenb. Imag. 150.

Percelebrem habet Imaginem Deiparæ urbs Cameracensis, quam nonnulli à Divo Lucâ pictam piè credunt. Ea sub annum millesimum quadringentesimum quinquagesimum secundum maximâ pompâ collocata est in Sacello perelegantì Sanctissimæ Trinitati dicato. Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono cum obsessum esset ab hoste Cameracum, Sancta Imago publicæ venerationi exposita, et per urbis vicos solemniter circumlata, non parvum civibus spem liberandæ urbis injecit; siquidem quarto Nonas Junii, ipsâ nocte Virginis visitatæ, hostem tam duræ obsidionis fastidium capit, urbemque deducto exercitu, omni periculo, metuque liberavit. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Hinc dici non potest, quantùm pia illa Belgarum studia incrementum acceperint in hanc Iconem Deiparæ de Gratiâ. Tanta siquidem exstitere pro accepto hoc beneficio grati animi argumenta, ut die unicâ ex solâ urbe Duacensi septem omninò hominum millia supplicatione unicâ septem leucarum itinere illùc processerint. Neque breviorem viam confecere Valencenatæ, quorum tria et amplius millia eâdem die supplicantium ordinibus ad pietatem optimè compositis Cameracum delata donis locum honoravere. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Ex eo tempore cultus, quanquàm antè maximus, ità auctus est, ut hodiè inter primas illius Provinciæ Icones numeretur. Deiparæ Imaginem vestis græca ambit, et creditur à multis limus vestis filteras habere inscriptas. Sed videtur characterum illud genus revocari non posse ad aliquem gentis ullius sermonem: nequè insolitum græcis pictoribus vestium limbos punctis et lineis ornare, quas deindè imperiti pro incognitarum linguarum literis habuere. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 27.

In illo tempore: Ingressus Angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Et reliqua.

Homilia S. Antipatris Bostrorum Ep.

Orat. de S. Joan. Bapt. et de Salut. Deip.

Virgo autem cum audisset lætitiam, non porrexit aures, sed vocem examinavit, dicens: qualis est hæc salutatio? Qui per se, et non vocatus nostrum ingressus est domunculam, quis, inquit, est hic non familiaris, non cognatus, non genus ducens ab Adamo? Ex voce conjicio hanc esse novam et alienam salutationem. Non adest JOSEPH: voci non assentior. Cum solâ prima parente, ut ajunt, locutus est ille, qui fuit primus auctor malorum. Tu.

LECTIO 8.

Ei autem dixit Angelus: Ne timeas MARIA, invenisti enim gratiam, quam perdidit quæ primùm fuit creata femina. Illa sola suscepit deceptionem: tu autem sola attulisti solutionem deceptionis. Paries Filium et vocabis eum JESUM. (*Lect.* 9.) Illa autem cum parium audisset et filium. Quomodò, ajebat, erit mihi istud, quoniàm virum non cognosco? Non contradicens, sed ut per interrogationem

disceret. Quomodò erit mihi istud? Ego, inquit, sola naturam innovo? Liberorum procreationis in me solventur rationes? Dic mihi modum, ò hospes; novus enim et alienus est tuus bonus nuntius. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Ilinere.

Camòs libr. 9. *c.* 8.

Gragnenæ perpulchrum exurgit Deiparæ Sacellum sub titulo de Ilinere, eò quod in ipso antiquæ Cervariæ ilinere à quodam Pastore ejus Imago inventa fertur. Sacra effigies lignea est, palmo alta: puerum lævâ sustinet sedens: decora vultu et affabilis, ac aspectu gravis: pallio è capite dorsa operta habet. Pluriani hanc frequentant, et nemo sine solatio revertitur. Ipsa ergò nostrum iter nostros dirigat gressus, et tandèm nos ad patriam perducat. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Joanne nascente Cameracum cingit Gallus: Virgine visitante, Virgine Gratiæ suis opitulante, liberat Hispanus.

Vesperæ sequenti.

DIE IX. AUG.

ANNORUM B. M. V.

Duplex.

Lectio 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Spinell. c. 6. *p.* 87.

Ad septuaginta duos annos vitam perduxisse Deipara creditur: supponitur enim ex communi sententiâ eam in Christi Ascensione quadragesimum octavum vitæ suæ annum egisse: siquidem decimo quinto ætatis anno Christum peperit, quibus si addas triginta et tres, quos Christus vixit, summam efficiunt quadraginta octo annorum; ac deindè viginti quatuor annos in terris transegisse. Hæc sententia est Adremi. Idem sentit Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus in vitâ Virginis, et plures alii. Tu.

℟. Exaltabitur sicut unicornis cornu meum, ' Et senectus mea in misericordiâ. ℣. Corona dignatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur.—Et senectus.

LECTIO 5.

Joan. B. Cancelloto. Annal. Marian. ann. 72.

Anno octo et quinquagintà ab ortu Christi cum secundo et septuagesimo Virginis magnâ ex parte concurrit: ideoque quòd vixisse illam ultra hunc terminum, aut ante mortuam esse, negent hoc ævo plures, adhærentes Epiphanio et Cedreno propter auctoritatem magni Areopagitæ Dionysii, qui se unà cum Apostolis, aliisque apostolorum discipulis interfuisse testatur Deiparæ funeri; indè conficitur, eam hoc ipso anno de terrâ migrasse; quam sententiam suffragatorum numero præstantem cæteris omnibus, inductoque in plures orbis Christiani partes precario sero, decadas non senas, sed septenas globulorum continente, jam ferè communem nos non sine diligenti examine referemus.

℟. Dedit Dominus ipsi fortitudinem ' Et usque in senectutem permansit illi virtus. ℣. Mortua est in senectute bonâ Virgo MARIA. —Et usque.

LECTIO 6.

Bened. XIV. De Festis lib. II. c. 8. *n.* 6.

Annum, quo mortua sit, non definit Andreas Cretensis in oratione primâ in Dormitionem Sanctissimæ Deiparæ, sed ait, illam migrasse ab humanis, ubi ad extremam devenisset senectutem. Nicephorus Evodii innixus auctoritati putat usque ad quinquagesimum nonum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vixisse ætatis suæ annum. Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus opinionem affert Hippolyti Thebani septem et quinquaginta natam annos è vitâ excessisse, deindè verò ab opinione recedens Hippoliti duos illi tribuit, et septuaginta annos. Alii verò ex quadàm traditione contendunt, tertio et sexagesimo anno mortem obiisse... Opiniones omnium affert Benedictus decimus tertius, ac ad veritatem ait accedere illam sententiam, quæ Beatæ Virgini duos tribuit et septuaginta annos. Tu.

℟. Dixerunt et senes: veni et sede in medio nostrum, et indica nobis, * Quia tibi Deus dedit honorem senectutis. ℣. Etatis ac senectutis eminentiam dignam, et ingenitæ nobilitatis caniliem.—Quia. —Gloria.—Quia.

Homilia de Communi.

℟. 7. Senectus venerabilis est, * Et ætas senectutis vita immaculata. ℣. Vitâ excedendo, senecte digna apparebo.—Et ætas.

Bened. 8. Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua; * Quia ab infantiâ optimæ conversationis actus tui. ℣. Junior fui, etenim senui, quia ætas senectutis meæ vita immaculata.—Quia.—Gloria.—Quia.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Montisonensis de Lætitiâ.

B. Alb. Faci, de Imag. Arag.

Sub invocatione de Lætitiâ, sive ob acceptum lætum nuntium, quandò inventa fuit, sive ob placidum lætumque ejus aspectum, tribus ab urbe Montisonis milliaribus, in monticulo de Cellis dicto, à quo etiàm olim nomen obtinuit, lignea Deiparæ Imago pluribus abhinc sæculis impensè colitur. Ejus templum, cui adjunctum est hospitium, à Jacobo primo Aragoniæ rege reparatum traditur, ob beneficia accepta à divâ Virgine de Lætitiâ, quandò in carcere arcis Montisonis reclusus fuit. De hâc Imagine quoquè fertur, quòd invocata cum fuerit in periculis maris à quodam Bullon dicto, benignè ei adfuerit. Feriâ secundâ Paschæ à Montisonensibus solemni supplicatione invisitur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino.

Conc. 4. p. 2. in Ass. B. V.

345. Mansit igitur non modo dies aliquot sed et annos plurimos Virgo Sacra in terris, Deo pro suâ Ecclesiâ providente, ut ejus doctrinâ et moribus fundaretur. Tu.

Vesp. à capit. de sequenti.

DIE X. AUG.

ADVOCATIONIS B. M. V.

Duplex.

Lect. 1. *Noct. fer. occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Serm. in Nativ. B. M. V.

LECTIO 4.

Ad Patrem vereharis accedere, solo auditu territus, ad folia fugiebas: JESUM dedit tibi mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utiquè pro reverentiâ suâ: Pater enim diligit Filium. An verò trepidas et ad ipsum? Frater tuus est, et caro tua: tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem MARIA dedit. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Sed forsitàn in ipso majestatem vereare divinam, quòd licet factus sit homo, manserit tamèn Deus. Advocatum habere vis et ad ipsum? Ad MARIAM recurre. Pura si quidèm humanitas in MARIA, non modò pura ab omni contamina-

tione, sed et purâ singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur et ipsa pro reverentiâ suâ. Exaudiet utique Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Quid enim? Potest ne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam? Non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum planè. Invenisti, ait Angelus, gratiam apud Deum. Felicitèr. Sempèr hæc inveniet gratiam et sola est gratia quâ egemus. Prudens Virgo non sapientiam, sicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirùm sola est gratia quâ salvamus. Quid nos alia concupiscimus fratres? Quæramus gratiam, et per MARIAM quæramus, quia quod quærit invenit, et frustrari non potest. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In meditation. super Salv. Regina.

Ejа ergò advocata nostra. O laudabilis clementia Salvatoris, qui sic afflictis tàm nobile subsidium dignatus es elargiri: et ideò non est timendum, quin misereatis miseris, ad illam partem inclinans sententiam, quam defendis, ut nobis exhibeas gloriam quam peperisti. Non ergò restat Domina, nisi ut illos misericordes oculos ad nos convertas. Tu. ℟.

Bened. Cujus advocationem.

LECTIO 8.

Eja ergò advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Non dubitamus, Domina, quin si nostras aspexeris miserias, non possit tua miseratio suum retardare effectum, et facere mirabiles, nec non et amabiles illi tuorum radii oculorum, quibus nos allicis ad amorem, et ad plenam ducis salutem, ne venenatos oculos basilisci timeamus. Tu. ℟.

LECTIO 9.

O Evæ oculi venenati, cur non offertis vos oculis Virginis, si vultis perfectam recipere medicinam? Nam suorum claritas oculorum tenebras expellit, effugat catervas dæmonum, purgat vitia mentium, corda congelata accendit, et demùm ad cælestia trahit. O quàm beati, ò Domina, quos tui viderint oculi! Hos ergò oculos ad nos Domina converte. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. ant. Ad te suspiramus gementes et flentes in hâc lacrimarum valle: eja ergò, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte.

CANON.

Ex Sixto Papâ quarto.

Const. cum præexcelsa.—an. 1476.

346. Ipsa «Beata Virgo» utpote via misericordiæ, Mater gratiæ, et pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedula oratrix et pervigil ad regem quem genuit, intercedit.

Vesperæ de sequenti.

DIE XI. AUG.

SS. VITÆ B. M. V.

Duplex majus.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui totam sanctissimam

vitam Beatæ Virginis MARIÆ hodiè recolimus, ipsius actus fideliter in nobis exprimere valeamus. Per Dominum nostrum.

Lect. 1. *Noct. de Comm.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Fulberti Ep. Carnotensis.

Serm. de Nat. B. V

LECTIO 4.

Beata Virgo nata est de stirpe Abrahæ, atque Davidis Regis juxta relationes et scripturas sanctorum Patrum, in Civitate Nazareth, Patre nomine Joachim ex eâdem urbe oriundo, Matre verò Anna nomine, oriundâ ex civitate Bethleem. Vita quorum simplex et recta ante Dominum, apud omnes irreprehensibilis et pia erat. Nam omnem substantiam suam tridarie dividebant, unam partem templo, et templi servitoribus impendebant, aliam peregrinis et pauperibus erogabant, tertiam sibi et suæ familiæ usibus reservabant. Ita justi Deo, et hominibus pauperes annos circiter viginti, castum Domini conjugium sine liberorum procreatione exercebant. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Voverunt tamen si ferè Deus donaret eis sobolem, eam se Domini servitio mancipaturos. Evolutis ergò tot annorum curriculis, missus est angelus Domini prius ad Joachim, deindè ad Annam, nuntians eis nasciturum filium nomine MARIAM, cui similis sanctitate nec antèà nata fuerit nec posteà nasceretur. Factum est itaque juxta verbum angeli, nata est in civitate Nazareth sanctissima Virgo MARIA, et mansit ibi tribus annis in paternâ domo, posteà verò sicut parentes illam Deo voverunt, ducta Jerosolymas in templo Domini conservata est usque ad quartum decimum annum, jejuniis et orationibus serviens die ac nocte, et virginitatem suam vovens, quod anteà virgo ulla non fecerat, angelicis colloquiis frequenter utens. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Deindè cum esset reversa ad domum Parentum suorum in civitatem Nazareth, missus est ad eam angelus à Deo nuntians ei conceptionem Filii Dei: fuit ergò conceptus Dei Filius in Nazareth, natus in Bethleem. Post Nativitatem verò Christi mansit cum Filio usque ad passionem crucis, ubi Christus Virginem Matrem Virgini Discipulo Joanni commendavit. Hic ministravit ei post passionem et resurrectionem et ascensionem Domini in finem. Fuit antèm sepulta Sanctissima Virgo in valle Josaphat, ubi ædificata est ecclesia in honorem ejus. Post verò cum religiosi Christiani reliquia Matris ejus, videlicet Domini, respicere vellent, sepulchrum vacuum invenerunt. Credidit ergò Christiana pietas, quia Christus Deus Dei filius Matrem suam gloriosè resuscitaverit, et exaltaverit super cœlos. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi, filii David, filii Abraham. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

℟. *Libr.* 2. *de cons. Evang. c.* 1.

Exequitur ergò humanam generationem Christi Matthæus, ab Abraham generatores commemorans, quos perducit ad JOSEPH virum MARIÆ, de quâ natus est JESUS. Neque enim fas erat, ut ab hoc eum à conjugio MARIÆ separandum putaret, quòd non ejus concubitu, sed Virgo peperit Christum. Hoc

enim exemplo magnificè insinuatur fidelibus conjugatis, etiàm servatâ pari consensu continentiâ, posse permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu: præsertim quia nasci eis etiàm filius potuit sine ullo complexu carnis, qui propter solos filios adhibendus est. Tu. ℣.

Benedictio Cujus Sanctissimam Vitam.

LECTIO 8.

Cum autem evidenter dicat Apostolus ex semine David secundum carnem Christum, ipsam quoquè MARIAM de stirpe David aliquam consanguinitatem duxisse dubitare ullatenus non debemus. Cujus feminæ, quoniàm nec sacerdotale genus laceret, insinuante Lucâ, quòd cognata ejus esset Elizabeth, quam dicit de filiabus Aaron; firmissimè tenendum est carnem Christi ex utroque genere propagatam, et regum scilicet et Sacerdotum: in quibus personis apud illum populum Hebræorum etiàm mystica unctio figurabatur, id est, Chrisma, undè Christi nomen elicuit, tantò antè etiàm istâ evidentissimâ significatione prænuntiatum. Tu. ℣.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Bullensis de Compassione;

Gumpenb. Imag. 333.

Bullensis pagus in Helvetiâ sub dilicne Friburgensium Templum Deiparæ antiquum habet, quod ab hæreticis dirutum, à Patribus Oratorii iterum fuit restauratum, eos tamen nobiles et opulenti cives ære suo vehementer adjuvantes. Causam restaurandi à fundamentis templo dedit Statua Deiparæ adhuc integra. Quomodò illa sagacem furorem hereticorum evaserit, prope miraculo est. Hodiè etiàm certè multa et grandia miracula eo in ipso loco patrantur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Divo Bernardo Abbate.

Ep. 174. *ad Canonic. Lugdun.*

547. Decuit Reginam Virginum, singulari privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, ut dum peccati mortis pareret peremptorem, munus vitæ et justitiæ omnibus obtineret. Tu.

Cum 2. *Vesp.*

DIE XIII. AUG.

IN FELICISS. OBITU B. M. V.

Duplex majus.

IN I. VESPER.

Antiph. et capitul. de Laudibus.

HYMNUS 293. *Vilamiljana.*

Heu! Cur delineor, nec patrios licet
Optatos, superum limina, visere
Fines? Urget amor me, cruciat mora.....
Volvit corde Deipara;
Et clamat: fragilis vincula corporis
Solvantur, pateant carceris ostia
Terreni, volitet per loca spiritus
Jugi luce nitentia.
Num, Fili, gemitus Matris et anxios
Singultus, lacrymas, votaque percipis?
Ergò fac, veniam carpere lauream,
Et tecum tua præmia.
O vos algeræ militiæ chori,
Mentes angelicæ, dicite pectoris
Materni stimulos, vulnera dicite,
Questus dicite flebiles.
Ut jam perpetuò mentibus hæreat
Nostris, fac, Genitrix, dona perennia
Carpendi vehemens ardor et occ'us
Mittendi pereuntia.
Æternæ Triadi sempèr et amplius

Sit laus, imperium summaque gloria,
Quæ cœli miseris gaudia præbeat,
Obsecrante Deiparâ. Amen.

℣. Concupiscit et deficit anima mea.

℟. In atria tua, Domine.

Ad Magnific. *ant.* Nuntiate dilecto meo, filiæ Jerusalem: nuntiate dilecto meo, quia amore langueo.

Oratio de laudibus.

AD MATUTIN.

Invitator. Christum Deum vocantem ad cœlos Matrem: * Venite adoremus.

HYMNUS 296. *Brev. Gall.*

Quæ longa tandèm, Virgo, post suspiria
Te donat astris, reddit et Nato dies:
Hunc prævenire cantibus festis decet:
Nostras, benigna Mater, ausculta preces.
Te nempè nobis, ut Joanni Filius
Matrem reliquit, è crucis pendens trabe;
Agnosce natos, Virgo, quos fratres sibi,
Decoque Christus comparavit filios.
Tu Christiani flos decusque nominis,
Adstas petenti Spiritum cœnaculo:
Apostolis mox verba seminantibus,
Tu chari ate parturis Ecclesiam.
Quæ nos amore tam pio compleveris,
Nos gratulari da tuis honoribus:
Jam nos reliquis Mater: at nostri memor
Te comprobabis sedulâ matrem prece.
Sit sempiterno sempiterna laus Patri:
Sit sempiterno Filio Patris decus:
Qui neclis ambos, æquus ambobus, iibi,
Divine, sit laus sempiterna Spiritus.
Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Veni, Domine, noli tardare: suscipe Spiritum meum.

2. O mors, quàm dulcis est memoria tua animæ meæ!

3. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam.

℣. Domine, quandò veniam.

℟. Et appareboante faciem tuam.

De libro Sapientiæ.

LECTIO 1. *c.* 4. 7.

Justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis et ætas senectutis vita immaculata. Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est. Tu.

℟. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: * Quemadmodùm desiderat cervus ad fontem aquarum, ita desiderat animam meam ad te, Deus. ℣. Et effudi in me animam meam, quoniàm transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.—Quemadmod.

LECTIO 2.

Consummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes et non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia: quoniàm gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius. Tu.

℟. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilecto meo, * Ut nuntietis ei desiderium meum. ℣. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.—Ut.

LECTIO 3.

Condemnat autem justus mortuus

vivos impios, et juventus celeriùs consummata longam vitam injusti. Videbunt enim finem sapientis, et non intelligent, quid cogitaverit de illo Deus, et quarè munierit illum Dominus. Videbunt et contemnent eum: illos autem Dominus irridebit. Tu.

℟. Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam: * Expedit enim mihi mori, magis quàm vivere. ℣. Tu scis necessitatem meam, et quia nunquàm lætata sit ancilla tua, nisi in te, Deus Israel.—Expedit.—Gloria.—Expedit.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et in Sion simùl conveniunt?

2. Ecce reges terræ congregati sunt, principes populorum convenerunt in unum.

3. Cum Mater Dei esset proxima morti, Apostoli et discipuli Domini ante eam convocati sunt.

℣. Ubi fuerit corpus.

℟. Ibi congregabuntur et aquilæ.

Sermo S. Joannis Damasceni.

Orat. 2. *in dorm. B. V.*

LECTIO 4.

Cernere mihi videor hanc sanctis sanctiorem et sacris sacratiorem, piisque pietate præstantiorem: hanc, inquam, dulcem mannæ urnam, vel ut veriùs dicam, fontem, in divinâ, celebratissimâque Davidis civitate, humili lecto recubantem. Aderant igitur oculati illi testes, et ministri Verbi, ut pro eo, ac debeant, ipsius etiàm Matri ministrarent, et ex ipsâ benedictionem, amplissimamque hæreditatem haurirent. Unà etiàm aderant ipsorum asseclæ et successores, ut cùm ministerii, tùm benedictionis participes essent. Sed et insuper aderat electum à Deo agmen, quod Jerosolymis versabatur. Tu.

℟. Cum convenissent Apostoli ante conspectum Virginis, locuta est eis, dicens: * Ego ingredior viam universæ terræ: confortamini, et custodite præcepta et judicia Filii mei. ℣. Dabo autem operam, et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.—Ego ingredior.

LECTIO 5.

Quid ne angelorum quid caterva ab hoc cœtu abfuit? Huic omnes aderant spiritus fulgore collucenti, splendidissimisque eos radiis illuminanti, qui reverentiâ et metu, et immobili amore purum in eam mentis oculum defigebant. Hic divinitùs inspirati sermones: hic divini hymni et ornando discessui idonei. Applaudebat universus Sanctorum chorus: Tu prædictiones nostras implevisti: tu lætitiam, quam præstolabamur, attulisti; per te enim mortis vinculis soluti sumus. Veni ad nos, ô Domina, vitamque ferens suppellex. Veni ad nos tui cupidos, quæ nostram explesti cupiditatem. Tu.

℟. Nunc ecce, filii mei, vado in cœlestem Jerusalem, et scio quia * Amplùs non videbitis faciem meam vos omnes. ℣. Magnus autem fletus factus est omnium, dolentes maximè in verbo, quod dixerat.—Ampliùs.

LECTIO 6.

At verò non infirmioribus eam sermonibus circumstantium Sanctorum, qui adhuc in corpore versabantur, multitudo retrahebat his ferè verbis: mane nobiscum, nostra consolatio; unicunique in terrâ solamen: Ne nos orphanos deseras benigni illius et misericordis Mater, qui Filii tui causâ periclitamur. Te laborum requiem, sudorumque refrigerium habeamus. Ti-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DE MADRID DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bi remanere volenti potestas est, et abire cupienti nihil impedimento est. Sin habeas, ò Dei tabernaculum, unà quoquè nobis, qui tuus obtinum Filium populus sumus, abire liceat. Tu sola nobis in terrâ consolatio relicta est: et te vivente simùl vivere, et te moriente mori beatum est. Tu.

℣. Heu, heu, Mater nostra, quarò nos vis relinquere? * Lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ. ℣. Omnia simùl in te unâ habentes, nos non deberes derelinquere.—Lumen.—Gloria.—Lum.

IN III. NOCT.

Antr 1. Filii, nolite flere; quò ego vado, vos non potestis venire modò.

2. Non relinquam vos orphanos: sub meis præsidiis semper manebitis.

3. Recordare, Domina, ut loquaris pro nobis bona, cum steteris in conspectu Dei.

℣. Nomen tuum, et memoriale tuum, Domine.

℟. In desiderio animæ meæ.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 9. 23.

In illo tempore: Cum venisset JESUS in domum Principis, et vidisset tibicines, et turbam tumultuantem, dicebat: recedite; non est enim mortua puella, sed dormit. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Damasceni.

Orat. 2. *in Domil. B. V.*

Mox consentanea quædam istis, et congruentia, et contingisse opinor. Nimirùm Regis ipsius ad Matrem suam advenius, ut divinis suis ac purissimis manibus, sanctam, intaminatamque et labis expertem ejus animam susciperet. Atque ipsa quidèm, ut à vero non abhorret, dixit: in manus tuas, Fili, commendo Spiritum meum: accipe ergò caram tibi animam, quam immunem à culpâ servasti: tibi, ac non terræ copus meum trado: salvum hoc custodi, in quo dignatus es inhabitare, et quod nascendo incorruptum conservasti. Tu.

℟. Heu mihi, Domine, quia incolatus meus prolongatus est! * Multùm enim incola fuit anima mea. ℣. Me expectant justi, donec retribuas mihi.—Multùm enim.

Bened. 8. Cujus obitum felicissimum colimus.

LECTIO 8.

Tu carissimis meis filiis, quos tu fratres appellare non dubitasti, migrationis meæ solatium esto. Per manum mearum extensionem benedictionem eorum novis benedictionibus cumula. Tunc sullatis, ut credere licet, manibus, omnibus qui collecti erant, benè precata est. Hæc loquuta cum esset, vicissimque audisset: veni in requiem meam, benedicta Mater mea; surge, veni, amica mea, pulcherrima mulierum. Ecce nim hyems transiit, tempus putationis advenit: tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te: odor unguentorum luorum super omnia aromata. His Sancta illa auditis Spiritum suum in Filii manibus deponit. Tu.

℣. Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea: * Veni, veni, coronaberis. ℣. In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum.—Veni.—Gloria.—Veni.

Si vigilia Assumptionis venerit in Dominicâ, nona lectio hodiè dicatur de Homiliâ Vigiliæ ut infra in die sequenti.

LECTIO 9.

Quid verò accidit? Elementorum, ut reor, commotio et immutatio,

vocesque et soni, digna angelorum cantica, qui partim præcurrerent, partim comitarentur, partim assectarentur. Et quidem alii ex ipsis immaculatæ et sanctissimæ animæ in satellitio erant, et in coelum scandentem stipabant; quousquè regio solio Reginam sisterent: alii rursùs divinum, et sacrum corpus cingebant, hymnisque angelorum propriis Dei Parentem celebrabant. Tu.

Te Matrem Dei.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Mihi vivere * Christus est, et mori lucrum: Quis me liberabit de corpore mortis hujus?

2. Non ad mortem, * sed ad vilam contendo: ex labore ad requiem vado.

3. Anima mea * in manu Dei est, et non me tanget tormentum mortis.

4. Inclinà ad me aurem tuam, accelera; ut eruas me, Domine.

5. Euge, euge, * Mater mea; veni de Libano, veni: coronaberis.

CAPITULUM. *Tob.* 3. 6.

Et nunc, Domine, secundùm voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi Spiritum meum: expedii enim mihi mori, magisquàm vivere.

HIMNUS 297. *Brev. Gall.*

Quòd carnè Christum, Virgo, paris, vocant
Hinc te beatam: rectiùs occupas
Nomen beatæ, quæ fideli
Credideris, pia Virgo, corde.
Orbata Nato, non muliebriter
Ploras ademptum. Scilicet altior
Tellure, cœlestes, triumphans
Quò redii, mediaris arces.
Amoris illùc te rapit impetus;
Tardi sed obstant vincula corporis,
Delesque durum longioris
Exilii tolerare pondus.
Hæc vota tandèm, qui cumulas,
Pater,
Sucurre nobis, auspice Filio:
Infunde sacrum, quo vigemus
Pectoribus, Deus alme, Flamen.
Amen.

℣. Pretiosa in conspectu Domini.

℟. Mors Genitricis Dei.

Ad Benedict. *ant.* Exclamavit, dicens: In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum, et inclinato capite, tradidit Spiritum.

Oratio.

Veneranda nobis, Domine, hujus Diei Festivitas opem conferat salutarem, in quâ Sanctæ Dei Genitricis mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum de se genuit incarnatum. Qui tecum vivit.

AD PRIMAM.

Ant. Mihi vivere. *Cap.* Et nunc. *de Laudib.*

℣. ℣. *br.* Quæ hodiè ex hoc mundo migrasti.

CANON.

Ex Martyrologio Usuardi.

Sub die 15. *August.*

348. Dormitio Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ, cujus sanctissimum Corpus, etsi non inveniatur super terrâ, tamen pia Mater Ecclesia ejus venerabilem memoriam, sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Tob.* 14. 14.

Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea.

℣. Cupio dissolvi, * Et esse cum Christo.—Cupio ℣. Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.—Et.—Gloria.—Cupio.

℣. Educ de custodia animam meam.

℟. Ad confitendum nomini tuo.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Prov.* 13. 12.

Spes, quæ differtur, affligit animam, lignum vitæ desiderium veniens, quod si compleatur, delectat animam.

℟. *br.* Educ de custodia * Animam meam.—Educ. ℣. Ad confitendum nomini tuo.—Animam.—Gloria.—Educ.

℣. Ego dilecto meo. ℟. Et dilectus meus mihi.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Cant.* 2. 10.

En dilectus meus loquitur mihi: surge propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.

℟. *br.* Vox * dilecti mei pulsantis.—Vox. ℣. Veni de Libano, sponsa mea.—Dilecti.—Gloria.—Vox.

℣. Læva ejus sub capite meo.

℟. Et dextera illius amplexabitur me.

IN II. VESP.

Antiph. et capit. de Laudib.

HYMNUS 298. *Vilamiljana.*

Optata dudum luxerat
Felix dies, cum Virgini
Cœli paterent januæ,
Vinctis solutæ sæculi.

Christus vocat jam nomine
Matrem, triumphos cœlites
Lætos parant, et lectulo
Migrantis adstant filii.

Flent filii, sed flentium
Mater dolores temperat,
Verbis amicis alloquens
Factaque spe cœlestium.

Tum vis amoris, carneâ
Compage ruptâ, Virginis
Cœli per orbes Spiritum
Ad pacis infert mœnia.

O quæ negasti nemini,
Nobis opem da orantibus:
Et, mortis horâ, fortior
Confringe vires hostium.

JESU, tibi sit gloria,
Qui Matre natus Virgine,
Ipsam beas purissimo
Cœlestis aulæ gaudio. Amen.

℣. Pretiosa in conspectu Domini.

℟. Mors Genitricis Dei.

Ad Magnific. ant. Deducant oculi nostri lacrymas, et palpebræ nostræ defluant aquis, quoniàm facti sumus orphani absque Matre.

Oratio de Laudib.

DIE XIV. AUG.

EXEQUIAR. B. M. V. ET VIGIL. ASSUMPTIONIS.

Duplex.

AD MATUTIN.

Incitator. Non dabit Dominus * Matrem suam videre corruptionem.

HYMNUS 299. *Vilamiljana.*

Audis ut resonant fletibus æra?
Ut ducant misero funera carmine?
Hoc funus Domini Matris, hic orphanis
Ingens planctus Apostolis.

Matrum quæ lacrymas, abluet exulum,
Suspirant, animi vulnera leniet?
Quæ gressus dubios diriget? Ad viam
Quæ ducet pia devios?

Mors audax nimiùm, prolis et invida
Sanctæ, de medio tollere; cur tibi
Dilectam licuit? Redde dolentibus
Raptam funere lugubri.

Dum sic congeminant tristia tristibus
Defunctæ memores Matris apostoli,
Ejusdem peragrat Spiritus impiger
Cœlorum penetralia.

Pœnis, Virgo Parens, eruta sæculi
Sanctorumque tenens culmina, respice
Quàm multis premimur; discute noxia
Et natis bona postula.

Sanctæ sit Triadi gloria, laus, honor,
Cujus sollicito numine volvitur
Orbis, quæ, meritis Virginis, annuat
Lassis otia patriæ. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Planxit eam omnis populus planctu magno.

2. O Domina nostra, solatium vitæ nostræ, lumen oculorum nostrorum.

3. Tecum vivere beatum erat: tecumque mori beatum esset.

℣. Plangat Virginem Matrem omnis terra.

℟. Familiæ et familiæ seorsùm.

De libro tertio Regnum.

Cap. 8. 1. LECT. 1.

Tunc congregati sunt omnes majores natu Israel cum principibus tribuum, et ducibus familiarum filiarum Israel, ad regem Salomonem in Jerusalem, ut deferrent arcam fœderis Domini de civitate David, id est, de Sion. Convenitque ad regem Salomonem universus Israel in mense Ethanim, in solemni die, ipse est mensis septimus. Tu.

℟. Levaverunt Apostoli vocem suam, et fleverunt super tumulum Deiparæ: * Flevit autem et omnis populus planctu magno. ℣. Scindite vestimenta vestra, et accingimini saccis, et plangite ante Exequias Virginis MARIÆ.—Flevit.

LECTIO 2.

Veneruntque cunctis senes de Israel, et tulerunt arcam Sacerdotes, et portaverunt arcam Domini, et tabernaculum fœderis, et omnia vasa Sanctuarii, quæ erant in tabernaculo: et ferebant ea Sacerdotes et Levitæ. Rex autem Salomon, et omnis multitudo Israel quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, et immolabant oves absque æstimatione et numero. Tu.

℟. In die illâ magnus erit planctus in Jerusalem, * Sicut planctus adadremmon in campo Mageddon. ℣. Apostoli plangunt in morte Virginis MARIÆ et dolent super eam, sicut doleri solet in morte primogeniti.—Sicut planct.

LECTIO 3.

Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum Sanctorum, super alas Cherubim. Siquidèm Cherubim expandebant alas super locum arcæ, et protegebant arcam et vectes ejus desuper. Cumque eminerent vectes, et apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecùs, qui et fuerunt ibi usque in præsentem diem. Tu.

℟. Deducant oculi nostri lacrymas, et palpebræ nostræ defluant aquis. * Quia vox lamentationis audita est de Sion. ℣. Contemplamini obitum Genitricis Dei, et vocate lamentatrices, et veniant, et properent.—Quia.—Gloria.—Quia.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Omnes plorabant in circuitu tumuli, videntes se tantâ Matre orbos.

2. Quid faciemus filii sine Matre? Lumen oculorum nostrorum, solamen vitæ nostræ.

3. Nobis tecum beatum esset mori, sicut beatum erat tecum vivere.

℣. Sepelierunt eam viri timorati.

℟. Et fecerunt planctum magnum super eam.

Sermo S. Joannis Damasceni.

Serm. 2. in Dorm. B. V.

LECTIO 4.

Angelis quidem canentibus hym-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

num eis convenientissimum, Apostolis autem et à Deo inspiratis Patribus Deo grata canentibus cantica, et quibus applaudebat Spiritus... tunc arca Domini sublata ex monte Sion vecta inclitis humeris Apostolorum, in cœleste templum transmittitur per mediam civitatem tanquàm quædam Sponsa speciosa decorata splendore spiritûs, ad quem non patet aditus: et sic fertur in sacratissimum prædium Gethsemanes, angelis præcurrentibus, consequentibus, aliis contegentibus, Ecclesiæ totâ congregatione. Tu.

℣. Quandò videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, et Sacerdotes stirpis leviticæ portantes eam, * Vos quoque consurgite, et sequimini præcedentes. ℣. Tollite arcam fœderis, et præcedite populum.—Vos.

LECTIO 5.

Et quomodò Rex Salomon propter arcæ requiem in templo Domini, quod ipse construxit, omnes seniores Jerusalem vocavit ad concionem in Sion, ut transferret arcam testamenti Domini de civitate David, quæ erat Sion; sic tunc propter requiem arcæ intelligentis, non testamenti Domini, sed ipsius hypostasis Dei Verbi, ipse novus Salomon, qui est Princeps pacis, et universi optimus architectus, mentium cœlestium super mundanos ordines, et novi testamenti proceres, apostolos, inquam, cum universo populo sanctorum, qui erat Jerosolymis, hodiè congregavit, et animam quidem per angelos in Sancta Sanctorum introduxit. Tu.

℣. Venerunt cuncti senes de Israel, et tulerunt arcam Sacerdotes, et intulerunt eam in locum suum, * In oraculum templi, in Sanctum Sanctorum subter alas Cherubim. ℣. Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ.—In orac.

LECTIO 6.

Portatum autem corpus manibus Apostolorum, Rege regum id tegente suæ, quæ sub aspectum non cadit, divinitatis; et toto cœtu populi præcurrente, et sacras voces emittente, et sacrificante sacrificium laudis..... ad sacratissimum Gethsemanem defertur, ubi rursùs oscula, et complexus, rursùs laudes et hymni sacri, et lacrymæ ex angore, et calenti amore sudorum scatebræ manantes: ac videre licebat sudores, et lacrymas fluentes suis mutuò veluti certamine conflictantes. Atque ita sanctum Corpus clarissimo, præstantissimoque tumulo imponitur. Tu.

℣. Portaverunt Apostoli, et discipuli Domini corpus Beatæ Virginis MARIÆ in Gethsemani, * Ubi celebrantes Exequias planctu magno sepelierunt illud. ℣. Vox lamentationis audita est de Sion, plorantes et ululatus multus.—Ubi.—Gloria.—Ubi.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Mortua est MARIA, et congregatus est universus Israel, et planxerunt eam, et sepelierunt eam.

2. Nequaquàm, ut mori solent alii homines, mortua est Virgo: si mortua est, in refrigerio est:

3. Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.

℣. Virtus de corpore ejus exibat.

℟. Et sanabat omnes.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 27. 57.

In illo tempore: cum serò factum essel, venit quidam homo ab Arimathæa, nomine Joseph. Et reliqua.

Homilia S. Simeonis Metaphrastes. *De vitâ et dormit. Deip. apud Chr. de Castro c.* 21.

Cum autem in orbem Sanctæ Virginis corpus circumdedissent Apostolorum chorus, et quidquid electum erat ex viris, et mulieribus, et hymnis honorabant, qui illud deducebant, et omnia membra reverenter quidem et amanter complectebantur, non solùm suum ostendentes desiderium, sed vel ex tactu credentes percipere utilitatem. Fidem autem consecuta est operum demonstratio cæcis oculi illuminabantur, surdis aures aperiebantur, et quodlibet morborum et ægritudinum genus facilè dissolvebatur. Cur non dico quæ sunt perfectiora? Aer quidem et cœlum ascensu spiritûs sanctificabatur, terra autem similiter depositione sacri Corporis. Tu.

℟. Quicumque aliquo detinebantur infirmitate, statim sanabantur * Ad contactum mundissimi Corporis ejus, quià virtùs de illo exibat, et sanabat omnes. ℣. Cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, mortui resurgunt.—Ad contactum.

Bened. Cujus Exequias.

LECTIO 8.

Ex S. Sophronio Orat. in dorm. B. V.

Ad cujus profectò exequias, quantùm fas est credere, famulabantur Angeli, et universæ cœlorum congratulabantur curiæ. Neque mirum quia honor maternus ejus est, qui natus est ex eâ, quem omnis cœlorum ordo veneratur, et adorat super se elevatum cum Patre in sede majestatis Domini. Legimus enim quàm sæpè ad funera, et sepulturam quorumlibet Sanctorum Angelos convenisse, et ad exequias

eorum obsequia perstitisse, necnon et animas electorum usque ad cœlos cum hymnis et canticis deluisse... Quantò magis credendum est hodiernâ die militiam cum suis agminibus festivè obviam venisse Genitrici Dei, eamque cœlesti lumine circumfulsisse, et usque ad tàronum olim sibi etiàm ante mundi constitutionem paratu mcum laudibus et canticis spiritualibus perduxisse. Tu.

℣. Cum duceretur arca Domini ad sepulchrum, iniquus Judæus irrituit contra eam, ut in terram dejiceret: * Sed Dominus iratus est contra eum, et percussit eum super temeritate. ℣. Pœnitentiâ autem ductus flevit amarè peccatum suum, et salutem iterùm obtinuit. —Sed Dom.—Glor.—Sed.

Pro commemoratione Vigiliæ Assumption.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 9. *c.* 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Tract.* 10. *in Joann.*

Beata Virgo MARIA, quia fecit voluntatem Patris. Hoc in eâ magnificavit Dominum, quia fecit voluntatem Patris, non quia caro genuit carnem. Interdat charitas vestra. Propterea cum Dominus in turbâ admirabilis videretur, faciens signa et prodigia, et ostendens quid lateret in carne, admiratæ quædam animæ dixerunt: Felix venter, qui te portavit. Et ille: immò felices, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Hoc est dicere: Et Mater mea, quam appellatis felicem, indè felix, quia verbum Dei custodit, non quia in illâ Verbum caro factum est, et habitavit in nobis;

sed quia custodit ipsum Verbum Dei, per quod facta est, et quod in illâ caro factum est. Tu.

Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas Antiphonæ.

1. Portabatur * sacratissimum Corpus Virginis inclitis Apostolorum humeris per mediam civitatem Jerusalem.

2. Cuncti * Christi fideles sequebantur novi fœderis arcam, nova modullantes cantica.

3. In illâ die * factus est planctus magnus in Jerusalem in tantæ Matris morte.

4. Flebat Joannes, flebant cæteri Apostoli, cuncti sancti amarè plangebant.

5. Dum verò * corpus in sepulchro deponitur, sanctissima ejus anima in cœlestibus regnis collocatur.

CAPITULUM. *Eccl.* 38. 16. Fili, in mortuum prodnc lacrymas, et quasi dirè passus, incipe plorare, et secundum judicium compone corpus illius, et non despicias sepulturam illius.

HYMNUS 300. *Vilazidjana.*

Corpus MARIÆ Virginis
Curant fideles seduli:
Ostro legunt et sericis,
Myrrhâ ac amomo condiunt.

Auro feretrum fulgurans
Gemmæ decorant indicæ:
Thuris sabæi et balsami
Replent locum sufflmina.

Ecclesiæ sed Principes
Sumunt sibi, gratissimum
Pondus, feretrum; lampades
Torbæ tenentes ambiunt.

It funus, effusis eunt
Cantus simùl cum lacrymis,
Donec MARIÆ frigido
Corpus sepulchro clauditur.

Corpus, Dei sacrarium,
Corruptionem nescies.....
Sic nos ab omni liberos,
O Virgo, fac contagio.

JESU, tibi sit gloria,
Qui natus è Purissimâ
Nos esse puros præcipis,
Purisque donas gaudiis. Amen.

℣. Collocata est in sepulchro Virgo MARIA.

℟. Et posuerunt lapidem super illam.

Ad Benedict. *ant.* Acceperunt corpus ejus, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire, et posuerunt illud in monumento novo, in quo nondùm quisquam positus erat.

Oratio.

Deus, qui virginalem uterum Beatæ MARIÆ in quo requieseres, eligere dignatus es, da nobis Assumptionis ejus solemnia prævenientibus, dignum in cordibus nostris habitaculum tuæ præparare majestati. Qui vivis.

AD PRIMAM.

Ant. Portabatur. *Capit.* Fili, in mortuum. *de Laudib.*

℣. ℟. *br.* Quæ hodiè in sepulchro posita fuisti.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Cant.* 3. 5. Adjuro vos, Filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare facialis dilectam, donec ipsa velit.

℟. *br.* Plangat Virginem MARIAM * Omnis terra.—Plangat. ℣. Familiæ et familiæ seorsùm.—Omnis.—Gloria.—Plangat.

℣. Sepelierunt eam viri timorati.

℟. Et fecerunt planctum magnum super eam.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Luc.* 20. 37. Quia verò resurgant mortui, et Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum, omnes enim vivunt ei.

℟. *br.* Sepelierunt eam * Viri timorati.—Sepel. ℣. Et fecerunt planctum magnum super eam.—Viri.—Glor.—Sep.

℣. Virtus de corpore ejus exibat.

℟. Et sanabat omnes.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Joan.* 5. 24. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit de morte ad vitam.

℟. *br.* Virtus * De corpore ejus exibat.—Virtus. ℣. Et sanabat omnes.—De.—Gloria.—Virtus.

℣. Collocata est in sepulchro Virgo MARIA.

℟. Et posuerunt lapidem super illam.

Vesperæ sequentis.

DIE XV. AUG.

SOLEMNITAS

ASUMPTIONIS B. MARIÆ V.

Dupl. primæ Class. cum Octavâ.

IN I. VESPER.

Ant. 1. Hodiè Regina Mundi, Virgo MARIA ingressa est cœlestem Jerusalem magno cum comitatu et divitiis, allel. *Psalmi de* 1. *Vesp. Solemnit.*

2. Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales, allel.

3. Elevamini portæ æternales, et introibit Regina gloriæ, allel.

4. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum, allel. allel.

5. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, allel.

CAPITULUM *Judith.* 13. 24. Benedictus Dominus qui creavit cœlum et terram... quià hodiè nomen tuum ità magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum.

℟. Adamavit eam Rex plusquàm omnes mulieres, habuitque gratiam et misericordiam coram eo, * Et posuit diadema regni in capite ejus, fecitque eam regnare, alleluia, allel. ℣. Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantùm regni solio te præcedam.—Et posuit.—Gloria.—Adamavit.

Et dicitur hodiè tantùm.

HYMNUS 301. *Brev. Gall.*

Quid illo solemnius die,
Quo longa post suspiria,
Mater vocanti Filio,
Regina Regi jungeris?

Ad astra mille te vehunt
Pennis ministri Spiritus:
Ambit suo te numine,
Qui te vocat Matrem, Deus.

Quid hoc triumpho clarius,
Cujus Deus pars maxima?
Hærent in unâ Virgine
Fixi, stupentque cœlites.

Ut castra quæ bellum parant
Nudis in armis horrida,
Sic Virgo formidabilis
Turmas averni dissipas.

Qui latè nos infecerat,
Serpens profundo vulnere
Confossus æternum jacet:
Et hoc trophæum Virginis.

JESU, tibi sit gloria,
Matrem vocans ad Sydera,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Hæc Doxol. dicitur per Octav.

℣. Exaltata est Sancta Dei Genitrix, allel.

℟. Super choros angelorum ad cœlestia regna, allel.

Ad Magnif. *ant.* Veni, benedicta Filia Patris mei: veni, percipe regnum, quod tibi paratum

est ante constitutionem mundi, allel. allel.

Oratio de Laudib.

Complet. de Dominicâ.

AD MATUTIN.

Invitator. Christum Regem venientem in occursum Matris suæ hodiè in cœlum assumptæ, * Venite, adoremus, allel. allel.

HYMNUS 302. *Brev. Paris.*

O vos æterei plaudite cives:
Hæc est illa dies clara triumpho,
Quâ Matrem placidâ morte solutam
Natus sidereâ suscepit aulâ.
Quæ non, Virgo, tibi dona rependit?
Cœli divitias explicat omnes:
Verbum vestieras carne; vicissim
Te Verbum proprio lumine vestit.
Qui velo latuit carnis, aperiè
Pleno te saciat Numinis haustu:
Et quem virgineo lacte cibasti,
In jugem tibi dat se Deus escam.
O concessa tibi quanta potestas!
Per te quanta venit gratia terris!
Cunctis cœlitibus celsior una,
Solo facta minor, Virgo, Tonante.
Quæ Regina sedes proxima Christo,
Alto de solio vota tuorum
Audi, namque poles flectere Natum,
Virgo Mater: amas nos quoquè natos,
Divinæ Soboli qui dare Matrem
In terris voluit, gloria Patri:
Cujus Virgo parens, gloria Nato:
Quo fœcunda tibi, gloria Flamen.
Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1 Signum magnum * apparuit in cœlo: mulier amicta sole, allel.

Psalm. 11. In Dominâ confido. *p.* 20.

2. Exaltate MARIAM * hodiè, quæ exaltata est super sidera, allel.

Psalm. 12. Usquequò. *p.* 4.

3. Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca Sanctificationis tuæ, allel.

Psalm. 23. Domini est. *p.* 23.

℣. Apertum est templum Dei in cœlo, allel.

℟. Et visa est arca testamenti ejus, allel.

De canticis canticorum.

LECTIO 1. *c.* 3. *v.* 4.

QUÆ EST ISTA, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thurris, et universi pulveris pigmentarii? Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus latet. Veni de Libano, Sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice senir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Tu.

℟. Vidi cœlum novum, et terram novam, et audivi vocem magnam de throno dicentem: * Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, allel. allel. ℣. Vidi sanctam civitatem, Jerusalem novam, paratam sicut Sponsam ornatam viro suo.—Ecce.

LECTIO 2. *c.* 6. 9.

QUÆ EST ISTA, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata? Revertere, revertere, Sulamitis; revertere, revertere, ut intueamur te. Quid videbitis in Sulamite nisi choros castrorum? Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis! Quàm pulchra es, et

quàm decora carissima in deliciis! Tu.

℟. Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem: * Fulcite me floribus, et stipate me malis, quia amore langueo, allel. allel. ℣. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.—Fulcite.

LECTIO 3. *c.* 8. 5.

QUÆ EST ISTA, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Poneme ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est, ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neç flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Tu.

℟. Die autem tertio deposuit vestimenta ornatûs sui, et circumdata est gloriâ suâ: * Cumque regio fulgeret habitu, roseo colore perfusa, ingressa est Jerusalem multo cum comitatu et divitiis, alleluia, allel. ℣. Et surrexit rex in occursum ejus, positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus.—Cumque.—Gloria.—Die aut. *in diebus infra Octav.* Cumque.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Hymnum * cantemus hodiè: hymnum novum cantemus Dominæ nostræ, alleluia.

Psalm. 47. Magnus es Dom. *p.* 31.

2. Et ducelant * arcam testamenti Domini in jubilo, et in clangore buccinæ, alleluia.

Psam. 58. Eripe me. *p.* 33.

3. Introduxerunt eam, * et imposuerunt in loco suo, in medio tabernaculi, alleluia.

Psalm. 64. Te decet. *p.* 34.

℣. Assumpta est MARIA in cœlum, alleluia.

℟. Gaudent Angeli, alleluia. Sermo S. Thomæ Arhc. Valentini. *Conc.* 2. *in Assumpt. B. V. M.*

LECTIO 4.

QUID agitis, Apostoli? Cur non post tergum abeuntis clamatis, dicentes: Virgo prudentissima, quò progrederis, quasi aurora valdè rutilans? Filia Sion, pulchra ut luna, electa ut sol. Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis? Revertere, revertere, Sunamitis: revertere, revertere, ut intueamur te. Jam cœlos læta contingeral, manibus delata Potentis, cum ecce ei occurrit Angelorum innumera multitudo, decorem illius et gloriam admirantium, vocèque jucundâ percunctantium: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii. Tu.

℣. Signum magnum apparuit in Cœlo: * Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim, allel. allel. ℣. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.—Mulier.

LECTIO 5.

SED non facilè interrogatio solvitur, non leviter quæstio ista concluditur. Quis vobis, ô Angeli, respondebit? Quis dicere poterit, quæ est ista? Non mihi, si linguæ centum, si ora centum, si ferrea vox, si centum, inquam, ora darentur, dicere non sufficerem: quæ est ista? Hæc rubus ille ardens et incombustus, cui Dominus impressus: hæc vellus madidum in aream siccâ, cui se placidus è celo imber infudit. Hæc scala cœli, per quàm ascendunt et descendunt Angeli, in cujus medio affixus est Christus. Hæc porta orientalis

clausa, per quam solus intrat et egreditur Princeps. Hæc virga Aaron, nullo humano opere florida, super cujus florem Spiritus Domini requievit. Tu.

℣. Dominus contulit ei splendorem, * Ut incomparabili decore omnium oculis appareret, allel. allel. ℣. Benedictus Dominus, qui exaltavit eam super omnes choros angelorum.—Ut incomparabili.

LECTIO 6.

Quæ est ista? Templum Dei est, Spiritûs sacrarium est, Filii Dei thalamus est, Trinitatis domicilium est, purpura regis est. Hæc propitiatorium, hæc arca, hæc urna, hæc manna, hæc area testamenti. Hæc tiara Pontificis aurea, cui sacrum Dei nomen insculptum. O Angeli! Quid dicam vobis: quæ est ista? Sed quid nos eam prædicamus? Vos potiùs nobis dicite: quæ est ista? qui ejus decore et venustate, qui ejus splendore et claritate fruimini: vobis nunc meliùs innotescit, quæ est ista? Sic ergò Virgo sacra, Filii sui Unigeniti manibus delata, Patris omnipotentis conspectibus præsentatur, et super cherubim ad dexteram suam in solio regio collocatur. Tu.

℣. Gloriâ et honore coronasti Matrem tuam, Domine, * Et constituisti eam super opera manuum tuarum, allel. allel. ℣. Posuisti Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso.—Et.—Gloria Patri.—Gloriâ et honore. *In diebus infra Oct.* Et constituisti.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Vidi Speciosam * sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum, alleluia.

Ps. 96. Dominus regn. *p.* 42.

2. Surge, * propera, columba mea, formosa mea, et veni, allel. *Ps.* 98. Dominus regnavit. *p.* 42.

3. Memorare, * Domina, dierum humilitatis tuæ et loquere regi pro nobis, allel.

Ps. 103. Benedic, anima. *p.* 43.

℣. MARIA Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, allel.

℟. In quo Rex regum stellato sedet solio, allel.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam Castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In Assump. Ser. 1.

Quem in castellum mundi hujus intrantem priùs Virgo susceperat, ab eo suscipitur hodiè sanctam ingrediens civitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quantâ putas exultatione, cum quantâ gloriâ? Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei MARIA suscepit, nec in cœlis regali solio, in quo MARIAM hodiè MARIÆ Filius sublimavit. Felix nimirùm utraque susceptio: ineffabilis utraque, quia utraque incogitabilis est. Tu.

℣. Paululùm cum pertransissem omnes choros angelorum, inveni, quem diligit anima mea: * Tenui eum, nec dimittam, allel., allel. ℣. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.—Tenui.

Bened. Cujus Assumptionem.

LECTIO 8.

Ut quid enim ea hodiè in ecclesiis Christi evangelica lectio recitatur, in quâ mulier benedicta in mulieribus excepisse intelligitur Salvatorem? Credo, ut hæc quam celebramus ex illâ susceptione aliquatenùs æstimetur, imò ut juxta illius inæstimabilem gloriam inæstimabilis cognoscatur et ista. Tu.

℟. Hæc est illa præclara festivitas, omnium sanctorum festivitatibus incomparabilis, in quâ * Gloriosa et felix Virgo MARIA, mirantibus cœlestis curiæ ordinibus, ad æthereum pervenit thalamum, allel. allel. ℣. Ascendit Christus super cœlos, et præparavit sæ Sanctissimæ Matri immortalitatis locum.—Gloriosa.

Hoc ℟. dicitur tantùm hâc die.

LECTIO 9.

Felix planè MARIA et multipliciter felix, sive cum excipit Salvatorem, sive cum à Salvatore suscipitur: utrobiquè mira dignitas Virginis Matris, utrobiquè amplectenda dignatio majestatis. Intravit, inquit, JESUS in quoddam Castellum, et mulier quædam excepit illum in domum suam. Sed laudibus magis vacandum est, quòd festivis præconiis hæc dies debeatur. Tu.

℟. Adamavit eam Rex plusquàm omnes mulieres, habuitque gratiam, et misericordiam coram eo, * Et posuit diadema regni in capite ejus, fecitque eam regnare, allel. allel. ℣. Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantùm regni solio te præcedam.—Et.—Gloria.—Adamavit. *In dieb. infra oct.* Et posuit.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Paradisi portæ * per te nobis apertæ sunt, quæ hodiè gloriosa cum angelis triumphas, alleluia.

Psalmi de Laudib. Dominicæ.

2. Viderunt eam * filiæ Sion, et Beatam dixerunt; et reginæ laudaverunt eam, allel.

3. Astitit Regina * à dextris Dei, in vestitu deaurato, circumdata varietate, allel.

4. Amicta solari * lumine, velut vestimento, duodecim stellarum coronâ ratilat radianti, allel.

5. Ecce exaltata es * super choros angelorum, intercede pro nobis, Virgo sacrata, allel.

CAPITULUM. *Judith.* 13. 23.

Benedictus Dominus qui creavit cœlum et terram..... quia hodiè nomen tuum, ita magnificavit, ut non recedat laus ina de ore hominum.

HYMNUS. 303. *Brev. Gallic.*

Quæ cœlo nova nunc additur hospes?
Sese tota poli regia pandit:
Ruptis, Virgo parens, libera vinclis
Caro, se properat reddere Nato.
Quantùm delituit paupere lecto,
Tantùm splendida nunc fulget in astris:
Se velare quibus Mater amabat,
Densas natos amat rumpere nubes.
Olim quæ fuerit juncta marito,
Et de connubio credita Mater,
Totum jam colitur nota per orbem
Cum Matris titulis integra Virgo.
Ancillæ tribuit, quæ sibi nomen,
Cœlesti dominans regnat in aulâ:
Quæ tot passa neces Prolis amore,
Jam secura suâ Prole triumphat.
Nostras lu, nova lux, discute noctes,
Tu, Regina, graves solve catenas:
Cæcos, stella maris, dirige cursus;
Da, quo tu frueris, cernere Natum.
Divinæ Soboli, qui dare Matrem
In terris voluit, gloria Patri:
Cujus Virgo parens, gloria Nato:
Quo fœcunda tibi, gloria, Flamen.
Amen.

℣. Posuisti in capite ejus, allel.

℟. Coronam de lapide pretioso, alleluia.

Ad Bened. *ant.* Virgo prudentissima, * quò progrederis, quasi aurora valdè rutilans? Filia Sion, tota formosa es; pulchra ut luna, electa ut sol, allel. allel.

Oratio.

Subveniat, Domine, plebi tuæ Dei Genitricis oratio, quam hodiè super omes choros angelorum sublimatam colimus, ut, ipsâ pro nobis jugiter deprecante, ad cœlestem gloriam pervenire mereamur. Per eumdem Domin.

AD PRIMAM.

Ant. Paradisi. *Capit.* Benedictus. *de Laudibus.*

℣. ℟. *br.* Quæ hodiè in cœlum assumpta fuisti. *Et dicitur per Oct.*

CANON.

Ex Concilio Trisingensi.

Ann. 1440. *Cap.* 25—*Concilior. Tom.* 33. *p.* 720.

349. Festivitate Assumptionis Beatæ Virginis gloriosæ à Vesperis Vigiliæ ejusdem usque ad Vesperas ejusdem Festivitatis inclusivè campanæ pulsentur, et januis apertis altâ voce divina officia solemniter celebrentur. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Jud.* 13. 10. Benedixerunt eam omnes unâ voce dicentes: Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

℟. *br.* Ascendit super Cherubim, * Allel. allel. —Ascendit ℣. Et volavit super pennas ventorum.— Allel.—Glor.—Ascendit.

℣. Exaltata est Sancta Dei Genitrix, allel.

℟. Super choros Angelorum ad cœlestia regna, allel.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. 3. *Reg.* 10. 13. Rex autem dedit reginæ omnia, quæ voluit, et petivit ab eo: exceptis his quæ ultrò obtulit ei munere regio.

℟. *br.* Pete, Mater mea, pete, * Allel. allel.—Pete. ℣. Neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.— Allel.—Gloria.—Pete. ℣. Postula à me, et dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, allel. ℣. Et in possessionem tuam terminos terræ, allel.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Bar.* 5. 10. Circumdabit te Deus diploide justitiæ, et imponet mitram capiti honoris æterni. Deus enim ostendet splendorem suum in te omni qui sub cœlo est.

℟. *br.* Corona aurea super caput ejus, * Alleluia, alleluia. ℣. Expressa signo sanctificatis, et opus fortitudinis.—Allel.—Glor.—Corona.

℣. Eris corona gloriæ in manu Domini, allel.

℟. Et diadema regni in manu Dei tui, allel.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Surrexit Dominus * JESUS in occursum suæ dulcissimæ Matris, allel.

Psalm. de 2. *Vesp. solemn.*

2. Exaltavit eam * super choros angelorum, ut nihil contempletur super se Mater, nisi Filium suum, alleluia.

3. Virgo sola * constituit hierarchiam secundam sub Deo hierarchâ primo, alleluia.

4. Quantum enim gratiæ * in terris adepta est præ cæteris, tantum et in cœlis obtinet gloriæ singularis, allel.

5. Memorare dierum * humilitatis tuæ in regno tuo, et loquere Regi pro nobis, allel.

CAPITULUM. *Jud.* 13. 24. Benedictus Dominus qui creavit cœlum et terram... quia hodiè nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum.

℟. Adamavit *ut in* 1. *Vesper.*

HYMNUS 304. *Brev. Gallic*

Parata cum te poscerent,
O Virgo, cœli præmia,
Purum sacratum artubus

Amor resolvit Spiritum.

Sed victa partu mors tuo
Te labis expertem nequit,
Suis nec audet stringere
Vitæ parentem nexibus.

O qualis inter obvios
Regina scandit cœlites!
Quàm pulchra celsæ proxima
Sedi Tonantis assidet.

Amicta sole femina,
Lunamque subjectam premens,
Bissena, cui cingunt caput
Fulgore miro sydera.

O tu clientum cui preces,
Cui vota cordis, Judicem
Præberé nobis, quod poles,
Patrona, placatum velis.

JESU tibi sit gloria,
Matrem vocans ad sydera,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Specie tuâ et pulchritudine tuâ, allel.

℟. Intende prosperè procede et regna, allel.

Ad Magnif. ant. Hodiè MARIA Virgo, * cœlos ascendit: gaudete, quia cum Christo regnat in æternum, allel. allel.

Oratio de Laudib. Completor. de Dominicâ.

In Domin. et aliis diebus infra octav. officium fit ut in die Assumpt. Psalmi et Lect. 1. *Nocturn. fer occurr.*

DIE XVI. AUG.

DE II. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS 305. *J. M. Caryophil.*

Inferis mersi periere vivi,
Qui Deo earum populum sciderunt:
Ergò quæ summis sociavit ima,
Viva triumphat.

Servat illæsum paradisus Henoch,
Vivus ut preco domet antichristum:
Ergò quæ cunctos domat antichristos,
Viva triumphat.

Igneo raptus pelit alta curru
Vivus Helias, moriturus olim;
Ergò quæ scandit, rapiente Christo,
Viva triumphat.

Nescit internam benedicta mortem,
Fraudit externam superando mortem,
Ergò prosternens utriusque vires
Viva triumphat.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Lect. 1. *Noct. fer. occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Joannis Damasceni.

Orat. 2. *in Dorm. B. V.*

LECTIO 4.

Post tres autem dies angelico cantu cessante, qui aderant apostoli (cum unus Thomas, qui abfuerat, post tertium diem venisset, et quod Deum susceperat, adorare voluisset), tumulum aperuerunt: sed omni ex parte sacrum ejus corpus nequaquàm invenire potuerunt. Cum ea tantùm invenisset, in quibus fuerat compositum, et ineffabili, qui ex iis proficiscebatur, essent odore repleti, loculum clauserunt. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Ejus mysterii obstupefacti miraculo, hoc solùm cogitare potuerunt, quòd cui placuit ex MARIA Virginem carnem sumere, et hominem fieri et nasci, cum esset Deus Verbum, et Dominus gloriæ, quique post partum incorruptam servavit ejus Virginitatem, eidem etiàm, et ipsius postquàm migravit, immaculatum Corpus, incorruptum servatum, translatione honorare ante communem et universalem resurrectionem. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Aderant tunc cum Apostolis sanctissimus Timotheus primus Epi-

scopus Ephesiorum, et Dionysius Areopagita, sicut ipse testatur in iis, quæ de beato Hierotheo, qui ipse quoque tunc aderat, scripsit ad prædictum Timotheum, sic dicens: Nam etiàm apud ipsos à Deo afflatos sacrorum Antistites, quandò nos quoquè, ut nosti, et multi ex sanctis nostris fratribus, ad continendum corpus, quod vitæ principium dedit, et Deum suscepit, convenissemus: (aderat autem et Domini frater Jacobus, et Petrus suprema et antiquissima Theologorum summitas) et viso sacro corpore, placuit omnibus, prout quisque poterat, hymnis celebrare infinitam bonitatem divinæ potentiæ. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia D. Eusebii Episcopi. *In Bibliot. maxim. Patrum. tom.* 5. *p.* 1. *p.* 214.

Meritò ergo Sancti Patres constituerunt, ut in hâc solemnitate Beatæ Virginis MARIÆ hoc Evangelium legeretur, quæ specialiter quidem per has duas mulieres significatur. Ipsa enim inter omnes creaturas Beatissima Virgo utriusque vitæ, activæ videlicet, et contemplativæ plùs cæteris omnibus privilegia consecutus est. Ipsa quoquè sicut Martha, imò meliùs quàm Martha, suscepit Christum, non solùm in domum suam, verùm etiàm intra claustra uteri sui. Ipsa eum concepit, ipsa eum genuit, ipsa eum peperit, et portavit, et plusquàm Martha, et frequentiùs ei ministravit. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Ipsa deniquè sicut MARIA ejus verbum non solùm audiebat, verùm etiàm in corde suo conferebat, nobisque ad legendum et audiendum custodiebat. Sic enim scriptum est: MARIA autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Ipsa eum non solùm secundum humanitatem, verùm etiàm secundum divinitatem, et contemplari, et plùs omnibus cognoscere meruit. Ipsa igitur optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ. Tu.

℟. Adamavit eam.

LECTIO 9.

Commem. Voti Regis Galliarum.

Ex Brev. Galliæ.

Ludovicus decimus tertius Francorum Rex se Beatæ Virgini MARIÆ, suumque sceptrum, coronam et regnum dicavit, ac consecravit, et in memoriâ ejus mancipatus, jussit fieri post vesperas diei Festi Assumptionis Processionem ritu et apparatu quàm maximè solemni in singulis Dominationis suæ Ecclesiis. Hoc edictum Anna Austriaca confirmavit, et Ludovicus decimus quintus litteris ad omnium Galliarum Episcopos missis, anno millesimo septingentesimo trigesimo octavo pia vota renovavit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Concilio Armenorum. *Ann.* 1342. *art.* 30. *apud Martene.*

30. Sciendum est, quòd Ecclesia Armenorum credit et tenet, quòd Sancta Dei Genitrix virtute Dei assumpta fuit in cœlum cum corpore. Tu.

Vesperæ Dupl. ut in II. Vesp. Assumpt. Psalm. de fer. Oratio seq.

DIE XVII. AUG.

IN EXALTATIONE B. M. V.

Duplex maj.

Lect. 1. *Noct. et alia non prop. ut in die Assumpt.*

Oratio.

Deus, qui nos hodiernâ die Exaltationis Sanctissimæ Genitricis tuæ annuâ solemnitate lætificas: præsta quæsumus, ut ejus cœlestem gloriam venerando in terris, ipsâ in cœlis perfrui mereamur. Qui vivis.

AD MATUTIN.

HYMNUS 306.

Adest dies lætitiæ
Jucundus omni homini,
In quo Regina Virginum
Scandit iter astriferum.

Angelorum præfulgidis
Circumvallata cuneis:
Quamque Sanctarum Virginum
Sequitur agmen inclitum.

Ut decet omnes credere.
Cœlesti diademate
Clausus occurrit obvius
Christus ex eâ genitus.

Ultra angelorum gloriam
Totum delicti nescium
Secum ad Patris solium
Reportat pignus optimum.

Cœlestis regni civitas,
Et ejus omnis dignitas
Parentem sui Principis
Votis honorat congruis.

Cum quibus nos lætissima
Hujus dici gaudia,
Concelebremus alacres
Deum laudando supplices.

Hujus festi clarissima
Prosequamur præconia
Mentis affectu supplices
Affectu vocis alacres.

JESU, tibi sit gloria,
Matrem vocans ad sydera
Cum Patre et Almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Lect. 1. *Noct. ut in die Assumpt.*

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni Ep. *De Laudib. B. V. libr.* 3. *c.* 12.

LECTIO 4.

Beata Virgo in Assumptione suâ exaltata est super omnes ordines Angelorum, et Sanctarum animarum. Undè canitur: Vidi speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum. Aquæ istæ sunt virtutes angelicæ, et cœlestes populi. Duo rivi Angeli, et animæ Sanctæ. Vel rivi aquarum ordines angelorum, scilicet, Angeli, Archangeli, Principatus, Virtutes, Potestates, Dominationes, Throni, Cherubim et Seraphim. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Illèm debent ordinari, et enumerari virtutes cœlorum, et ordines sanctorum, scilicet, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, et omnes hujusmodi justi. Propter privilegium suæ Ascensionis super ordines sanctorum universos gloriatur, ubi dicit: Introduxit me Rex in cellaria sua, pluraliter. Contentus est enim suo cellario quilibet ordo Sanctorum, et Angelorum, id est, suâ mansione. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Sed MARIA speciali privilegio in omnibus est introducta, quæ sicut merita, ita et præmia omnium creditur assecuta, utpote cui non continentia Virginum, nec sobrietas Confessorum, nec patientia Martyrum, nec zelus Apostolorum, nec fides Patriarcharum, nec puritas Angelorum credi tur defuisse. Immò etiàm sicut meritis, sic et præmiis supergressa est Sanctorum ordines universos. Quantum in terrâ adepta est MARIA gratiæ præ cæteris, tantum in cœlo obtinet gloriæ singularis. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 3.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam Castellum, et mulier

quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis. *Serm. in Exaltat. B. V. M. art.* 1. *cap.* 4.

Maxima excellentia est, quòd Virgo Beata sit Mater Dei: majus est enim quòd ipsa sit Mater Dei, quàm quòd sit Domina creaturarum Dei. Hoc enim dependet ab illo, sicut ramus à suâ radice: ergò certitudinaliter tenendum est, quòd ipsa est super omnes ordines angelorum, tanquàm per se implens at continens unum integrum ac totalem statum, cui secundum rectam rationem altera persona congruè non potest addi: quia ipse status ex sui ratione propter dignitatem incommunicabilem exigit unitatem. Sicut enim nullatenùs decet plures esse Christos, nec Deum plures homines esse, sic nullo modo decet Dei Filium, nisi unam Matrem naturalem habere. Tu. ℣. *Bened.* Cujus Exaltationem.

LECTIO 8.

Item ratio naturalis ex gratuitâ lege apertè ac directè dictat, quòd Mater regis omnium est in sede regiâ super omnes ordines ministrorum et militum collocanda. Undè quia est electa ad dignitatem transcendentem omnem dignitatem ministrorum et famulorum, quia ratio materni amoris ejus, qui fertur in Deum, ut in suum Filium realem, à nullo alio affectu cujuscumque, qui non est realiter Mater Dei, præterquàm ab ipsâ participari potest. *Lect.* 9. Nam ut dicitur, sicut Filius Dei sedet à dextris majestatis in excelsis, tantò melior angelis effectus, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditavit, quod nomen est, ut sit verè Deus per gratiam unionis; sic et Mater Domini nostri JESU, gloriosa MARIA, tantò melior est Angelis effecta, quantò præ omnibus creaturis, ut obtineret dignissimæ Matris nomen. Tu. ℣. Adamavit.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Ilerdensis de Salute.

Ingentis cultûs, quo Deipara Sanctissima sub invocatione de Salute in lignea ejus Imagine, quæ Ilerdæ in parrochiali templo Sancti Andeæ Apostoli asservatur, afficitur, origo eisi omninò igneretur; nam nulla circa illam extant scripta testimonia; hæc duo tamen certa ab omnibus habentur: primò quòd antiquissimus is cultus fuerit, ac deindè quòd continuus ac major in dies semper. Dominicâ præsertim ultimâ Augusti ipsi sacrâ cum totâ sequenti hebdomadâ Ilerdenses suum erga eam affectum ac animi gratitudinem ob accepta salutis beneficia mirificè ostendunt non tantum solemniori ecclesiastico cultu, sed etiàm artis ignibus, ad morem regionis diversis cursibus, ac aliis publicis lætitiæ testimoniis. Tu. ℣. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Hodiè exaltata est Sancta Dei Genitrix super choros Angelorum, et super ordines Sanctorum omnes, ad cœlestia regna, alleluia, alleluia.

CANON.

Ex Epistolâ Synodicâ Theodori Patriarchæ Jerosolymitani. *Probata in Concil. Nicæn. II. ann.* 782. *apud Perrone de immaculato Virginis Conceptu.*

551. Verè Dei Mater est, et ante partum et post partum Virgo, atque omnis intelligibilis ac sensibilis naturæ gloriâ et claritate creata sublimior. Tu.

Vesper. ut in die Assumpt. in 2. *Vesp. Psalmi de ferid.*

Ad Magnif. *ant.* Constituisti eam super omnia opera manuum tuarum, et subjecisti omnia sub pedibus ejus, allel. allel. *Orat. de Laud.*

DIE XVIII. AUG.

DE IV. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

AD MATUTIN.

HIMNUS 307. *Laur. M. Fulgin.*

Te Deus primo sapiens ab ævo
Nesciam labis, merilis refertam,
Nobilem Sponsam sibi consecravit
Fœdere certo.

Et tibi castos thalamos paravit
In poli celsâ rutilantis arce,
Undè mortales oculis benignis
Cernere possis.

Tu polo cæcis oculis ab alto
Lumen optatum miserata reddis:
Integræ mutis labiis loquelæ
Munera præbes.

Languidos curas sapiens Magistra,
Pauperes ditas opibus supernis,
Carcerum cæcos aditus recludis,
Vincula solvis.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Lectio 1. *Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis. *Serm.* 1. *de Assumpt. B. V.*

LECTIO 4.

Virgo hodiè gloriosa cœlos ascendens, supernorum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis. Hæc est enim cujus salutationis vox et ipsos exultare fecit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt. Quod si parvuli necdùm nati anima liquefacta est, ut MARIA locuta est quid putamus quænam illa fuerit cœlestium exultatio, cum et vocem audire, et videre faciem, et beatâ ejus frui præsentiâ meruerunt? Tu. ℣.

LECTIO 5.

Sed et illud quis cogitare sufficiat, quàm gloriosa hodiè Mundi Regina processerit, et quanto devotionis affectu tota in ejus occursum cœlestium legionum prodierit multitudo; quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta; quàm placido vultu, quàm serenâ facie, quàm divinis amplexibus suscepta à Filio, et super omnem exaltata creaturam, cum eo honoro, quo tanta Mater digna fuit, cum eâ gloriâ, quæ tantum decuit Filium. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Felicia prorsùs oscula labiis impressa lactentis, cui virgineo Mater applaudebat in gremio. Verùm nunquid non feliciora censebimus, quæ ab ore sedentis in dexterâ Patris hodiè in beatâ salutatione suscepit, cum ascenderet ad thronum gloriæ, epitala, hium canens et dicens: osculetur me osculo oris sui? Christi generationem, et MARIÆ Assumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum et in cœlis obtinet gloriæ singularis. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam Castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Serm. 2. *in assump. B. V.*

Fortè curiosus quisque requiret, cur in præsenti evangelicâ lectione nulla prorsùs Lazari mentio fiat. Arbitror sanè, ne id quidem à propositâ similitudine dissidere. Virginalem etenim domum intelligi volens Spiritus, siluit non incongruè pœnitentiam, quæ malum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

utique comitatur. Absit enim, ut proprii quicquam inquinamenti domus hæc aliquandò habuisse dicatur, ut in eâ proindè scopa Lazari quæreretur. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Sit ergò Lazarus apud eos, quorum necesse est ab operibus mortuis conscientias emundari: secedat inter vulneratos dormientes in sepulcris, ut in thalamo virginali inveniantur Martha, et Maria tantùm. Neminem autem moveat, quòd suscipiens mulier Dominum, non Maria sed Martha vocatur: quandò in hâc unâ et summâ MARIA, et Marthæ negocium, et Mariæ non ociosum otium invenitur. Omnis quidem gloria filiæ regis ab intùs, nihilominùs tamen in fimbriis aureis circumamicta est varietate. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Pro commemoratione Victoriæ Regis Galliæ.

Ex Brev. Pariss.

Philippus pulcher, Rex Francorum anno millessimo trecentesimo quarto insignem de Flandris rebellibus victoriam reportavit, quam à Deo, suffragante Deiparâ, concessam statim intellexit. Quo autem tanti beneficii memoria posteritate transmitteretur, concessit Ecclesiæ Parisiensi centum libras annui et perpetui reditûs, eâ lege, ut solummodò iis distribuerentur, qui officio Ecclesiastico hujus diei interessent. In pronao Ecclesiæ statuam suam equestrem coram beatæ Virginis imagine in perenne collati beneficii monumentum, etiàm erigi voluit. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Concilio Marciacensi.

Ann. 1325.—*Labb. Tom.* 7. *col.* 1520. *c.* 19.

352. In Festivitate Assumptionis Virginis gloriosæ campanæ pulsentur, et januis apertis altâ voce divina officia solemniter celebrentur. Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE XIX. AUG.

CORONATIONIS B. M. V.

Duplex secundæ Clasis.

Psalmi et alia non prop. ut in die Assumpt.

IN I. VESP.

Psalmi de 1. *Vesper. solemnitatum. Antiphonæ de* 2. *Vesper. Assumpt. Capitul. de Laudibus et Hymnus ut in* 1. *Vesper. Assumpt.*

Ad Magnif. *ant.* Veni Filia Dei Patris: veni Mater Dei Filii: veni Sponsa Dei Spiritûs Sancti: accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum, allel. allel.

Oratio.

Deus, qui immaculatam Filii tui Genitricem in Reginam cœli et terræ, et in Matrem et advocatam peccatorum coronari voluisti: concede propitius, ut in regno gloriæ tuæ, Ipsâ intercedente, nos quoquè coronari mereamur. Per eundem Dominum.

AD MATUTIN.

Invitat. Coronationem Beatissimæ Virginis celebrantes: *Christum ejus filium adoremus Dominum, allel. allel.

HYMNUS 308. *Mariet.*

Regnator superum quo nitidam die
Matrem sidereis arcibus intulit,
Et supra angelicos conspicuam choros
Stellanti statuit throno.
Quæ cœlo fuerint jubila, qui sonus,
Quæ sanctis animis gaudia, non modo
Humanis nequeant vocibus exprimi,
Sed nec pectore concipi.
Illa est arca novi conscia fœderis,

Conclusus, Domini deliciæ, hortulus,
Rastro intactus ager, sidere pulchrior,
Et Sponsa et Genitrix Dei.
Felix quisquis eam suppliciter colit,
Rebusque in dubiis seculus invocat:
Nunquàm hoc qui statuit præsidium sibi
Spe lusus doluit suâ.
Simplex ætherii Numinis unitas,
Quæ distincta eadem est, veraque Trinitas
Æternis vigeat sempèr honoribus
Et terrâ simùl et polo. Amen.

Lect. 1. *Noct. ut in die Assumpt.*

℟. 1. Qui coronat te in misericordiâ et in miserationibus, * Coronans coronabit te sempiterno gaudio Dominus, et imponet capiti tuo mitram honoris æterni, allel., allel. ℣. Et ostendet splendorem tuum omni qui sub cœlo est.—Coronans.

℟. 2. Surrexit Rex in occursum Matris, et sedere eam fecit ad dexteram ejus, * Et accipere regium diadema super caput suum, allel. allel. ℣. Et dedit illi potestatem super omnes gentes, fecitque eam regnare.—Et.

℟. 3. In perpetuum coronata triumphat Christi Mater, Virgo MARIA. * In omni gente et in omni populo primatum habens, allel. allel. ℣. Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.—In.—Gloria.—In.

IN II. NOCT.

Sermo B. Alberti Magni Ep. *De Laud. B. V. libr.* 3. § 13.

LECTIO 4.

Ineffabilis gloriæ coronâ Beatissima Virgo coronata est in cœlis, in suâ Assumptione, quandò verus Assuerus, id est, Christus dixit Esther reginæ, quæ interpretatur, elevata in populis, et signat MARIAM, quæ exaltata est super choros Angelorum, et omnium beatorum ad cœlestia regna. Dixit, inquam, ei: accede hùc et tange sceptrum, accipe regiam dignitatem, esto domina cœli et terræ, esto Regina, et Imperatrix Angelorum et hominum, sede à dextèris meis, serviens pro æternis in vestitu deaurato, id est, corpore immaculato. Tu.

℟. Signum.

LECTIO 5.

Veni ergò, coronaberis multiplici victoriâ, videlicet, quia triumphasti de capite Amana, de vertice Senir et Hermon, id est, de malitiâ diaboli, quæ significatur per caput Amana: de mundanâ sufficientiâ, quæ per verticem Senir: de perfidiâ hæreticorum, quæ per verticem Hermon. Coronatur quoquè de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Signant autem cubilia torperem, et mollitiem luxuriæ. Per leones intelliguntur superbi, iracundi, et potentes hujus sæculi. Tu.

℟. Veni de Libano, Sponsa mea, veni de Libano, * Veni, coronaberis de Capite Amana, et de vertice Senir, et Hermon, allel. allel. ℣. De cubilibus leonum coronaberis, et de montibus pardorum.—Veni, coron.

LECTIO 6.

Et nota, quòd Apocalypsis dicitur MARIA coronari stellis, hic promittit ei Filius, quòd coronabitur de feris, vel de montibus. Et quid est hoc, nisi quòd feræ per gratiam et orationes MARIÆ fiunt stellæ, et conveniunt caput tantæ Reginæ, ut de stellis ei corona videatur exhibita, quæ de feris fuerat promissa. Et hæc est mutatio dexteræ Excelsi. Sicut ergò ex lapidibus suscitantur filii Abrahæ, sic ex bestiis creantur stellæ. Quod ergò promittitur ex impiis, solvitur ex justificatis. Tu. ℟. Gloriâ et honore.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia Sancti Thomæ Archiep. Valentini.

Conc. 3. *in festo Annuntiat.*

Si verò gratiam vel gloriam consideres, non dubitamus Virginem MARIAM, multò magis excedere in beatitudine supremum Seraphim, quàm unus chorus alium: imò quàm supremos Spiritus excedat infimum chorum Angelorum, vel spiritum. Cæteris enim per partes, ipsi plenitudo gloriæ collata est. Tu.

℣. Posuit Rex diadema regni super caput ejus, * Fecitque eam regnare super universam terram, allel. allel. ℣. Tu es super domum meam, et uno tantum regni solio ego te præcedam.—Fecitque.

Bened. Cujus Coronationem.

LECTIO 8

Ipsa enim aliùs volat intelligentiâ, profundiùs penetrat abyssum divinitatis, arctiùs hæret amoris vinculo, ampliùs gustat delectationem suavitatis. Quidquid gratiæ, quidquid luminis, quidquid gloriæ in omnibus Angelis, Patriarchis, Prophetis, Apostolis Martyribus, Confessoribus, Virginibus est: totum hoc Virgini collatum est. Et una ejus corona omnes aliorum coronas superat, et varietatum splendorem continet. Tu.

℣. Circumcinxit eam zonâ gloriæ, et induit eam stolam gloriæ. * Et coronavit eam in vasis virtutis. allel. allel. ℣. Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis.—Et.—Glor.—Circ.

LECTIO 9.

Est enim in capite ejus quintuplex aureola: scilicet, puritatis cum Virginibus, Fortitudinis cum Martyribus, Sapientiæ cum Doctoribus, innocentiæ cum Angelis, Genitricis Dei sine alio partùcipe. Et hoc forte significant duodecim stellæ, quæ in ejus coronâ in Apocalypsi ponuntur. Duodecim scilicet singulares, et eximiæ excellentiæ supra cæteras, quæ splendent in Virgine. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Ornavi te * ornamento, et dedi torquem circa collum tuum, et coronam decoris capiti tuo, allel.

Psalmi de Dominicâ.

2. Corona aurea * super mitram ejus expresa signo sanctitatis, et gloria honoris, allel.

3. Coronasti eam, * Domine, et constituisti eam super omnia opera manuum tuarum, allel.

4. In perpetuum coronata triumphat, in omni gente, et in omni populo primatum habens, allel.

5. Coronam auream * portans in capite fulgebat vestibus regiis, omnisque civitas exultavit, atque lætata est, allel.

CAPITULUM. *Esth.* 1. *v.* 10.

Præcepit Rex... ut introducerent reginam coram rege, posito super caput ejus diademate, ut ostenderet cunctis populis, et principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valdè.

Ad Benedict. *ant.* Data est ei corona, et exivit ut vincens vinceret omnem hæreticam pravitatem, Ecclesiæ hostes prosterneret, superbos humiliaret, et peccatores converteret, ut regnaret triumphans in ætternum allel. allel.

℣. ℟. Quæ in cœlis coronata fuisti.

CANON.

Ex Paulo Papâ Quinto.

Const. 253. Immensæ, an. 1615.—B. R. Tom. 5. p. 4. p. 183.

553. Sole «Deipara» amicta, lunam habens sub pedibus, victrix et triumphatrix, duodecim coronâ stellarum coronari, ac super choros angelorum exaltata, Reginæ cœli et terræ appellari promerui. Tu.

Vesperæ ut in 2. *Assumpt. Capit. de Laudib.*

DIE XX. AUG.

DE VI. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

Lect. 1. *Noct.* Et ait Elias. *p.* 418.

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini. *Conc.* 1. *in Ass. B. V.*

LECTIO 6.

Hujus admirabilis Assumptionis figura habetur in libro tertio Regum, de Nubeculâ parvâ. Die figuram et expone. Quod dicitur septimâ vice, id est, septimâ ætate. Ecce nubecula parva per Humilitatem: alias enim magna erat. Nubes quæ continebat in gremio Deum: Capacior erat cœlo ista nubes. Nubes, inquam, levis; nubes sine peccato, ex humore aquæ, id est, carne passibili, sed ardore solis elevabatur, id est, amore Dei per contemplationem in cœlestibus morabatur. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Ecce nubem parvam, quasi vestigium hominis. In Christo JESU caput divinitas est: Apostolus: caput Christi Deus. In Canticis: caput ejus aurum optimum. Pes autem ejus est humanitas: ut intingatur pes tuus in sanguine, id est, corpus. Virgo est vestigium hujus pedis. Quoniàm sicut vestigium assimilatur pedi, ita Virgo est vera imago et effigies humanitatis Christi in totâ vitâ suâ. Hæc Virgo ascendebat de mari. Magna gloria Virginis ascendentis dicta est. Quanta lætitia, quantus triumphus. Sed nunquid sine labore? Nunquid sine pugnâ Virgo triumphat? Non certè. Ecce de mari tribulationum, de mari persecutionum ascendit. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Sed quid ait Elias? Nubes ascendit de mari: Achab, ascende, comede, et bibe, quia sonus multæ pluviæ est. Virgo ascendit. Virgo levatur ad sidera. Tu, Achab, frater patris: ò populc christiane, frater per naturam humanam tui Patris, tui Conditoris. Dum enim nostram assumpsit naturam, factus est frater noster, qui erat Pater noster, Conditor noster: Tu ergò frater tui Patris, ascende, comede, bibe in saturitate. Lætare, jucundare, non erit jam terra tua, anima tua, sterilis. Nubes ascendit de mari: pluvia ingens gratiarum irruet. Nimius imber donorum de nube descendet, totam perfundens Ecclesiam, omnes animas fœcundans. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam Castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia Sancti Antonini Arch. Florentini.

Serm. 3. *de Assumpt. B. V.*

Hodiè Beata MARIA excepit Christum plenius in domum suam, tàm animæ, quàm corporis, quià per gloriæ receptionem ità enim fuit recepta in domo Patris cœlestis, ubi sunt mulæ mansiones, id est,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

differentiæ præmiorum, quòd et ipsum recepit in domum suæ mentis per lumen gloriæ, et impletum est illud, quod per Aggæum prædixit: implebo domum istam gloriâ. Tu. ℣.

LECTIO 8.

Si enim de dilectore suo Christus ait: ad eum veniemus, et apud eum mansionem faciemus, scilicet in domo mentis suæ, ego et Pater et Spiritus Sanctus multò magis dicendum est de quolibet Sancto perveniente ad gloriam, ubi est perfectissima dilectio, quæ hic esse non potest, quòd anima beata recipiat Christum in domo animæ suæ per lumen gloriæ, qui enim manet in charitate, in Deo manet per fruitionem, et Deus in eo per comprehensionem, et claram visionem: res enim amata dicitur esse in amante per cognitionem et affectum. Tu. ℣. Adamavit.

LECTIO 9.

Commemoratio Beatæ Virginis Panormitanæ de Victoria.

Octav. Caj. de effig. siculis.

Cum anno Domini millesimo septuagesimo primo, Panormum obsiderent ab occasu Robertus, et Rogerius à meridie, Deiparæ nomen, opemque imploraruut, et exauditas preces eventus statim comprobavit, nam eodem tempore in urbem ingressi sunt, Robertus portâ ferreâ, et Rogerius augustâ, cui tunc à Victoriâ nomen est. Firmâ famâ circumfertur Rogerio se videndam obtulisse exercituum Reginam, quæ vexillum manu proferens animos faciebat, aditumque in urbem præstabat. In eo loco templum ædificatum est, et Imago Sanctissimæ Deiparæ vexillum manu gestantis in beneficii memoriam. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Synodo Jerosolymitanâ. *A Dositheo an. 1672. habitâ.— Bened. XIV. etc. Fest. B. V. c. 8. n. 17.*

334. Ipsa est proculdubio Virgo Sanctissima, quæ magnum in terrâ signum cum extulerit, eo quòd Deum in carne genuit, et post partum integerrima Virgo permansit, recte etiàm signum esse dicitur in cœlo, eo quòd ipsa cum corpore assumpta est in cœlum. Tu.

Vesperæ ut in die Assum. Psalmi de feriâ.

DIE XXI. AUG.

SEPT. DOTUM BEATITUD.

B. MARIÆ V.

Duplex majus.

Omnia ut in die Assumptionis.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Unigeniti tui sacratissimam Matrem æternæ beatitudinis gloriâ munerasti: concede propitius, ut qui cœlestes ejus Dotes commemoramus in terris, eâdem intercedente, ipsis perfrui mereamur in cœlis. Per eundem Dominum.

IN I. NOCT.

De Epistolâ primâ Beati Pauli Ap. ad Corinthios.

LECTIO 1. *c. 15. 35.*

Sed dicet aliquis: quomodò resurgunt mortui? qualive corpore venient? Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, et unicuique seminum proprium corpus. Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem hominum, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. Tu. ℣.

LECTIO 2.

Et corpora terrestria, et corpora cœlestia: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium: alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim à stellâ differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Tu. ℣.

LECTIO 3.

Si est corpus animale, est et spirituale, sicut scriptum est, factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non prius, quod spirituale est, sed quod animale: deindè quod spirituale. Primus homo de terrâ terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis: qualis terrenus, tales et terreni: et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis. Tu. ℣.

IN II. NOCT.

Ex Verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo Beatæ Virginis. *c. 6.*

LECTIO 4.

Gratia Beatitudinis MARIÆ consistit in septem dotibus corporis et animæ. Quodlibet enim corpus glorificatum habet quatuor dotes gloriosas, videlicet dotem miræ claritatis, dotem miræ subtilitatis, dotem miræ agilitatis, et dotem miræ impassibilitatis. Et si omnium beatorum corpora his quatuor dotibus Deus glorificavit, quantò magis corpus istud, quod glorificatorem omnium genuit? Tu. ℣.

LECTIO 5.

Quid mirum, si dote claritatis clarissima sit in cœlo, quæ dono sanctificatis tàm clarissima fuit in mundo? Quid mirum, si dote subtilitatis subtilissima sit in cœlo, quæ dono humilitatis tam subtilissima fuit in mundo? Itèm, quid mirum si dote agilitatis velocissima sit in cœlo, quæ dono pietatis tàm velocissima fuit in mundo? Itèm quid mirum, si dote impassibilitatis impassibilis sit in cœlo, quæ dono patientiæ et æquanimitatis tàm impassibilissima fuit in mundo, ut ipsa nec minimum impatientiæ, vel odii vulnus sentiret, cum suam ipsius animam doloris gladius pertransivit? Tu. ℣.

LECTIO 6.

Cæterùm si tanta est gloria gloriosissimi Corporis MARIÆ, quanta putas est gloria suæ beatissimæ animæ? Quòd licet certè beata anima tres habeat dotes, ipsam beatificantes, videlicet, dotem miræ cognitionis, miræ dilectionis, et miræ fruitionis, vel secundum modernos quosdam, dotem visionis, fruitionis, et tentionis: quocumque autem modo dotes animæ accipiantur, certum est, quòd dotes animæ MARIÆ omnium animarum dotibus præferantur. Nam si omnes animæ his dotibus beatificantur in cœlo, quantò magis anima ejus, quæ omnium animarum beatificatorem genuit in mundo? Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c. 10. 38.*

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis. *Serm. de Assumpt. B. V. a. 1. c. 1.*

Gloriosa Virgo et Mater in animâ

simùl et corpore glorificata in cœlis assumpta est, et ad Filii dexteram collocata. Dignè igitur de illâ intelligi potest, illud: Mulier gratiosa inveniet gloriam, scilicet tàm in animâ quàm in corpore glorioso. Meritòque ergò dicitur: amicta sole, quia gloriosa est in quadruplici dote designata in sole: habet enim sol primò claritatem, seu luciditatem: secundò subtilitatem: tertiò impassibilitatem: quartò agilitatem. Et has quatuor dotes tanquàm sol habet Beata Virgo in suo corpore glorioso. Tu. ℣.

Benedic. Cujus Beatitudinem.

LECTIO 8.

Advertendum est autem, quòd secundùm Dionysium ad Dioscorum: Beatitudo non erit corporum, sed ab animabus redundat in corpora: fit autem hoc modo. Primò enim intellectui propter meritum fidei datur visio Dei ineffabilis veritatis. Secundò verò propter meritum spei memoriæ dabitur tentio, seu possessio in patriâ inamissibilis dignitatis. Tertiò autem voluntati propter meritum vitalicæ charitatis dabitur dilectio, seu fruitio in spiritu, scilicet infastidibilis bonitatis. Quartò quia ex divinâ visione, fruitione atque possesione Spiritus agilis et promptus erit ad tendendum in Dominum; ideò in suo corpore glorioso summam agilitatem et promptitudinem præstabit. Et hæc est gloria singulorum et omnium beatorum. Tu. ℣. Adamavit.

LECTIO 9.

His igitur declaratis, diligenter pensandum est, quòd fides Virginis benedictæ tantæ fuit luciditatis, et spes tantæ fuit stabilitatis, et charitas tantæ fuit immensitatis, quod superat omnem fidem, omnem spem, et omnem charitatem totius naturæ rationalis simùl sumptæ. Considera, quòd fuit Mater Dei, ad quam maternitatem pertingere minimè possent propter suam fidem, spem, et charitatem omnes creaturæ rationales simùl sumptæ, etiamsi uni tantummodò creaturæ illas communicaret. Sed quanta fuit perfectio prædictarum virtutum in Virgine gloriosâ, et quantum est præmium earumdem in cœlo, tantu per redundantiam gloriæ animæ in Virginis gloriosum corpus apparet in prædictis dotibus gloriosum. Tu. Te Malrem.

CANON.

Ex D. Augustino Episcopo.
De Assumpt. B. V. apud D. Bonav. Spec. 5.

335. MARIÆ anima claritate fruitur Christi, et gloriosis ejus amplexibus semper præsens, semper conspiciens, semper videre sitiens inæstimabilitèr pascitur. Tu.

Vesperæ sequentis ut in 1. *Vesp. Assumptionis.*

DIE XXII. AUG.

OCTAVA ASSUMPTION. B. V. M.

Duplex majus.

AD MATUTIN.

HIMNUS 309. *S. Petr. Dam.*

Aurora velut fulgida
Ad cœli meat culmina:
Ut sol MARIA splendida,
Tanquàm luna pulcherrima.
Regina mundi hodiè
Thronum conscendit gloriæ,
Illum innixa Filium,
Qui est ante Luciferum.
Assumpta super angelos,
Excedit et Archangelos:
Cuncta sanctorum merita
Transcendit una femina.
Quem foverat in gremio
Locârat in præsepio,
Nunc regem super omnia
Patris vidit in gloriâ.

Pro nobis, Virgo virginum,
Tuum deposce Filium:
Per quam nostra susceperat,
Ut sua nobis præbeat.
Sit tibi laus, Altissime,
Qui natus es ex Virgine;
Sit honor ineffabili
Patri, Sancloque Flamini. Am.

Lect. 1. *Nocl. ut in die Assumpt.*

IN II. NOCT.

Ex Benedicto XIV. Pontifice maximo.
In festis B. V. M. c. 8. *n.* 27.

LECTIO 4.

Præclarissimæ hujus celebritatis Assumptionis Beatæ Dei Genitricis octavum diem, quæ minimè Romæ celebrabatur, vigiliis sacris, matutinisque cum omni clerò pernoctans laudibus in Basilicâ ejusdem semper Virginis Dominæ nostræ, quæ foris muros juxta Basilicam Sancti Laurentii Mariyris sita est, Summus Pontifex Leo quartus priùs omnium celebrari præcepit anno octingentesimo quadragesimo septimo. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Hujus autèm festivitatis octavæ institutionis causa hæc fuit: cum initio Pontificatûs Leonis basiliscus propè Ecclesiam Sanctæ Luciæ in Orphea pestilenti anhelitu suo omnes necaret, quotquot ad ejus latibulum accederent, Pontifex ipso assumptionis Beatæ MARIÆ festo die, præeunte sanctissimæ Dei Genitricis imagine cum Cleri sui comitatu ad illud accessit latibulum, ut feræ virtutem dissiparet. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Cum verò ad illud pervenissent, et jussset Pontifex populum, qui eum sequebatur consistere, Deum obsecravit, ut ab illâ peste populum liberaret, votique compos factus est: ab eodem enim die ipse mortifer basiliscus ità effugatus, et ab ipsis projectus est antris, ut ultra in illis locis nulla læsionis ejus macula appareret. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Serm. 2. *in Assumpt.*

Quid introisse eum dicimus in Castellum? Etiàm in augustissimum virginalis uteri diversorium introivit. Deniquè et mulier quædam excepit illum in domum suam. Felix mulier, cujus domus, Salvatore suscepto, inventa est munda quidem, sed planè non vacua. Quis enim vacuam dixerit, quam salutat Angelus gratiâ plenam? Neque hoc solùm, sed adhuc quoquè in eam superventurum asserit Spiritum Sanctum. Tu. ℣. Paululum.

LECTIO 8.

Ad quid putas, nisi ut etiàm superimpleat eam? Ad quid nisi, ut adveniente jam Spiritu plena, sibi eodem superveniente, nobis quoquè superplena, et superefluens fiat? Unàm fluant in nos aromata illa, charismata scilicèt gratiarum, ut de plenitudine tantâ omnes accipiamus. Ipsa nempè mediatrix nostra. Ipsa est, per quam suscepimus misericordiam tuam, Deus. Ipsa per quam et nos Dominum JESUM in domos nostras excipimus. Et nobis enim singulis castra sunt singula, et singulæ domus, et sapientia pulsat ad ostia singulorum. Tu. ℣. Adamavit.

LECTIO 9.

Commem. Sanctæ MARIÆ Angelorum et Martyrum.

Apud Balingh. die 23. *Mart.*

Romæ die decimâ quintâ Augusti sub Julio tertio, Thermæ diocletianæ per Episcopum Sebastenum in honorem Sanctissimæ MARIÆ, et septem Angelorum et martyrum sunt dicatæ. Duæ aræ ibidèm sunt erectæ, et sacra quotidiè celebrari cœpta. Templum porrò istud Deiparæ, tum spatii magnitudine, tum structuræ immensitate, tum insigni formâ, ac perfectæ crucis figurâ est in primis admirabile, ac præclarum, altissimis fornicibus, ac ingenti luminis claritate jucundum, denique multorum millium martyrum sudore, qui in hâc ingenti mole construendâ, more servorum laborare cogebantur, sanctum, ac venerabile, ac præcipuè Deiparæ memoriâ inclitum, et celebre. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Synodo Jerosolymitanâ *à Dorotheo anno* 1672. *habita Bened. XIV. de fest. B. V. c.* 8. *n.* 17. 356. Quamvis conclusum in sepulchro fuerit immaculatum Corporis «Sanctæ Virginis» Tabernaculum, in cœlum tamen, uti Christus fuerat assumptus, tertio et ipso die in cœlum migravit. Tu.

Cum 2. *vesper.*

DIE XXIII. AUG.

SS. TUNICARUM B. M. V.

Duplex.

Lect. 1. *Noct. de fer. occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Simeonis Metaphrastes. *Apud Surium.*

LECTIO 4.

Anno quadringentesimo sexagesimo Galbius et Candidus fratres, sub Leone Magno Imperatore, curam gerentes exercitûs, cum ad sacra loca quæ sunt Jerosolymis invisenda profecti fuissent apud quamdam anum Hebræam excipiuntur hospitio, eos sic divinâ gratiâ ducente. Cum eos ante tempus vocaret ad cœnam, ubi accubuissent, vident interiùs aliam domunculam, quæ multò quidem lucernarum lumine illustrabatur, mulliis verò suffitibus et unguentis suave spirabat: in eâ autem solùm magnam multitudinem ægrotorum. Apud anum viri illi precibus egerunt, ut eis id significare non recusaret, quænam essent ea quæ fiebant domo interiori. Illa autem veritatem celabat, et dicebat se nihil scire, nisi quòd locus esset divinâ gratiâ plenus. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Illi verò hoc mulieris responso evadunt avidiores inveniendi ejus quod quærebant, et omnem movebant lapidem, ut mulier eis id quod tacuerat, in apertum proferret, quin etiàm jurisjurandi necessitatem adhibebant. Cum sic eam omni ex parte adstrinxissent, vix tandèm persuadent, ut eis rem aperiat: Cum itaque ex alto, et lacrymis suspirasset, et in terram fixisset oculos, perindè ac si eam puderet enunciare: O viri, inquit, nunquàm hoc mysterium viro evasit manifestum. Quæ enim ex genere meo me præcesserunt, jurejurando adhibito, uni mulieri, eique virgini, ita tradiderunt, ut singulis ætatibus ea res sic traderetur. Sed quoniàm video vos esse viros pios, et quia non alia superest post me Virgo, cujus fidei à me possit credi cogalio mysterii, rem modò vobis aperiam. Tu. ℟.

LECTIO 6.

Mariæ illius Deiparæ (hoc enim est nobis ab alto traditum) hic custodita sita est vestis. Etenim Deipara vitam finiens duabus mulieribus virginibus suas vestes donavit loco benedictionis. Ex quibus una fuit ex mei generis majoribus, quæ id accepit, et in arcâ deposuit: et omninò jussit iis qui erant sui generis, ut esset virgo unaquæque, quæ eam acciperet. Cum hæc audissent, obstupuerunt viri illi, et totam noctem eo in loco perseverarunt in oratione. Et cum ægrotantes vidissent somno oppressos, metiuntur arcam, et ejus speciem et habitudinem accuratè considerant. Deindè manè egressi versus Jerosolymam iter inierunt. Statim illuc perventi, arcam secretò formâ et figurâ et magnitudine illius quam viderant, construere jubent, et iterùm redeunt in viam Hebrææ, et totam noctem in sacro habitaculo transigentes, novam arcam in loco illius, quæ asservabat thesaurum apponunt, et summo manè profecti, Constantinopoli sacram vestem in Blachernis deposuere. Tu.

Homilia de Comm. pro Duplic.

LECTIO 9.

Commemoratio Beatæ Virginis in Viâ.

Baling. de 7. *Decemb.*

Romæ versùs sequisæculum decimum tertium, cum Imago quædam in tabulâ, depicta in tegulâ, per imprudentiam dejecta esset in puteum, qui quidem ad equorum stabulum, ac prope viam publicam, undè templum posteà denominatum est, situs erat in ædibus Cardinalis Capocii. Nocte porrò quædam exundantibus putei aquis, et equile ipsum inundantibus, equorum strepitu excitî famuli, eam Imaginem aquis super natantem, licet ex se gravem, conspexere. Mox Cardinalem docent, qui magnâ pietate primùm domi suæ imaginem reposuit, mox Innocentii Quarti, jussu ædiculam ædificavit, in quâ imago est collocata, et tandèm Patres Servitæ eam in ampliorem formam extruxere. Puteus verò ille intra templum concluditur. Eâ ex aquâ ægroti potissimùm bibuni; vocatur autem templum Sanctæ MARIÆ in Viâ. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXIV. AUG.

SS. RELIQUIARUM B. M. V.

Duplex majus.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sanctissimas Genitricis tuæ Reliquias veneramur in terris, ipsâ interveniente, æternis gaudiis perfruamur in cœlis. Qui vivis.

Lect. 1. *Noct. de Comm.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Spinelli de Deipar. c. 29. *p.* 399. Reliquiæ sanctissimæ Virginis diversis in locis et urbibus in Ecclesiâ honorificentissimè et religiosissimè conservantur, iisque quàm plures, et augustissimæ extructæ sunt Basilicæ. Quamvis enim Deipara et animâ et corpore in cœlum assumpta ad Filii dexteram beatissimo ævo perfruitur; pretiosissimus tamen Reliquiarum ejus thesaurus, sacratissimi nempè lacûs, pilliorum, vestium, aliarumque rerum quibus, dum in terris ageret, utebatur, ad nostrum solatium ac præsidium divino consilio relictus fuit, et fidelium pietate servatus, quasi per manus ad posteros transmissus. Tu. ℟.

LECTIO 5.

Ex sacratissimis ejus capillis, quos flavos fuisse Nicephorus affirmat, pars aliqua asservatur Romæ præsertim, Oveti in Hispaniâ, Aquisgrani in Germania, aliisque etiàm

in locis. Ex virgineo ejus lacte aliquid diversis partibus in locis asservatur, nominatim verò Asissi, Tolenti, Oveti et Parissis. Ejus vestis pars aliqua habetur Romæ, Forolivi in Æmilia, Oveti, et Lutetiæ in cathædrali Templo. Verùm celeberrima sanè est Deiparæ vestis, quæ Leone primo Imperatore Constantinopoli delata est, et in Blanchernis collocata scribitur. Ex Zonâ Romæ in Sanctâ Mariâ majore in marmoreo ferculo asservatur. Brugenses, Aquisgranenses, et Attrebatenses ex eâ quoquè possidere gloriantur. Constantinopoli templum Pulcheriæ Sanctissimæ Zonæ extruxit, in calcoprotejo magnificum. Subuculæ duæ extant, altera Aquisgrani, à Carolo Magno ibi reposita: altera verò Carnuti ex Caroli calvi munere asservatur. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Ex Deiparæ autem velo Asissium, Treveris et Atrebatum habere se aliquid profitentur. De villâ ejus Brugenses habent ex munere cujusdam Episcopi Lyriæ. Chirotheca cum ejusdem capillis à transmarinis partibus Andomarpolim in Beati Berlini monasterium delata est. Soccus Suessione reconditur. Annuli ejus tribus in locis asservantur: unus Perusii in summo templo: alter in Burgundiâ Semimalensi apud Mandubios: tertius in monasterio Aquicinctino, formâ exiguâ in pallâ ornatus. De Mantica seu perulæ viatoriæ inventione recolebatur festum apud Cluniacenses. Fasciæ sepulcrales à Jerosolymis Constantinopolim ad Pulcheriam missæ fuere. Domus Virginis è Nazareth Lauretum in Piceno fuit translata. Ex lectulo extat aliquid Romæ in Sanctâ MARIA majore. Peclem cum ejusdem peplo, seu velo Treveris conservatur. Fusus à Pulcheriâ Augustâ in secundo templo à se Deiparæ excitato repositus fuit. Glomus, qui in advaticis in Brabantiâ oppido Huo, quod est prope Mosem, filo sacris ejusdem Genitricis manibus deducto pressoque inclitus servari dicitur. Sepulchrum in valle Josaphat à Baronio et aliis esse affirmatur. Tu. ℣.

Homilia de Comm. pro Duplicib. majoribus.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Nivellensis à Consiliis.

Gumpenb. alias mar. 195.

Extra Nivellam ab antiquo celebris fuit memoriâ, et magno accursu populi insignis Nostra Domina à Consiliis nuncupata. Sacellum vetustate suâ corruit; sed anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto iterùm nobilius surrexit Gerardi Comitis Grimbergensis sumptibus. Hic consilia petuntur, et inveniuntur nempè in Matre, quæ magni Consilii angelum peperit. Ad eam veniendum est, cum in angustiis versamur, tanquàm ad fontem felicium consiliorum. Tu. Te Matrem.

Cum 2. Vesper.

DIE XXV. AUG.

TRIUM AUREOLARUM B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui triplicem Aureolam Beatissimæ Virginis MARIÆ veneramur, et fidei Martyrum, et puritatis Virginum, et sapientiæ Doctorum, ipsâ intercedente, participes efficiamur. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de ferid.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni Ep. *Super Miss. q. 78. et 79.*

LECTIO 4.

In Beatâ Virgine MARIA fuit Aureola martyrum. Superiores ordines habent propietates inferiorum cum excellentiâ: sed beatissima Virgo omnium ordinum fuit suprema: ergò habuit aureolam martyrum, quam habent inferiores. Itèm hæc à nullo illustrium vincitur: sed vinceretur ab aliis, si non haberet aureolam martyrum: ergò habet aureolam martyrum. Itèm ipsa beata Virgo et super naturam donorum digna effecta, dolores partûs quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit. Ex maternâ compassione viscerum lacerum reparturiens: et quem Deum per nativitatem agnovit, illum ut maleficum interfectum videns, tanquàm gladio cogitationibus decerpitur. Et hoc est: tuam ipsius animam pertransibit gladius. Ex auctoritate patet multipliciter, quòd beatissima Virgo gratiam habuit Martyrii, et Aureolam martyrum. Tu.

℣. Positus est hic Filius tuus in signum cui contradicetur: ℟. Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit, allel. allel. ℣. Tuam ergò animam pertransivit vis doloris, ut plusquàm Martyrem non immeritò prædicemus.—Et tuam.

LECTIO 5.

In beatissimâ Virgine fuit etiàm Aureola Prædicatorum. Plus est prædicare facto, quàm verbo. Beatissima autem Virgo principaliter prædicavit facto: improportionabiliter autem perfectius est factum, quàm verbum: ergò improportionabiliter perfectiùs prædicabat Beata Virgo, quàm alii: ergò perfectiorem habet Aureolam. Itèm doctrina prudentium facilis est, sed Beatissima Virgo brevissimè et lucidissimè omnia prædicabilia uno verbo prædicavit, quandò dixit in nuptiis ad ministros, per quos figurantur prædicatores: quæcumque Filius Dei dixerit, facite: qui enim fecerit quæcumque vobis dixerit, omnia prædicabilia implebit. Et ità Beatissima Virgo uno verbo prædicavit omnia prædicabilia in tali dicto. Tu.

℣. Concupiscite ergò sermones meos, diligite illos, et habebitis disciplinam, ut non excidatis: ℟. Quia venit super me Spiritus Sapientiæ et Intellectûs, allel. allel. ℣. Doctrix enim est disciplinæ Dei, et electrix operum illius.—Quia.

LECTIO 6.

Habuit quoquè Aureolam Virginum. Beatissima Virgo enim dicitur Virgo Virginum, et hujusmodi modo loquendi dicitur, vel nominatur excellentia; ut rosa florum, id est, dignissimus inter flores: vel origo excellentiæ, ut Maria Jacobi, id est, Mater Jacobi. Si igitur dicitur MARIA Virgo Virginum, id est excellentissima inter Virgines, ergò quidquid debetur aliis Virginibus, debetur ei excellentiùs. Si autem dicitur Virgo Virginum per originem, tum ipsa est Mater Virginum virginitate, et sic erit Mater Virginitatis: ergò Beatissima Virgo improportionabiliter essentialiùs se habet ad Virginitatem, quàm aliæ Virgines: ergò improportionabiliter perfectiùs habebit aureolam super alias Virgines. Tu.

℣. Virginitas felix, quæ partu es digna Tonantis: ℟. Quæ meruit Dominum progenerare suum, allel. allel. ℣. Quæ Dominum peperit, clausa MARIA manet.—Quæ meruit.—Gloria—Quæ meruit.

IN II. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c. 17. 1.*

In illo tempore: Sublevatis JESUS

oculis in cœlum, dixit: Pater, venit hora: clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

In Opusc. de Assumpt. inter ejus oper.

Non pro his autèm rogo, sed pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut et tu Pater in me, et ego in te: hoc est, ut ipsi sint per gratiam, quod nos sumus per divinitatem. Hæc quippè gratiæ unitas, quæ cunctis in Christum credentibus servatur, MARIÆ etiàm minùs sapientium æstimatione non tollitur, quanto magis cum gratiæ unitate ipsa specialitas naturæ unum efficit Matrem et Filium, et Filium et Matrem? Videndum est etiàm, quòd de his quos secum per gratiam unum esse voluit, consequenter adjunxit, ait enim: Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem, quam dedisti mihi. Tu. ℟.

Bened. Cujus Aureolas.

LECTIO 8.

O magnam, et inæstimabilem bonitatem Dei, qui habere secum suos in glorià vult, ut suâ claritate fruantur, qui hic suâ fide junctum unum cum eis esse digni judicantur! Si igitur eos secum habere vult, et hoc potest, quid æstimandum de Matre, ubi digna sit haberi, nisi in præsentiâ Filii? Tu. ℟.

LECTIO 9.

Quantùm igitur contueor, quantùm intelligo, quantùm credo, MARIÆ animæ claritate fruitur Christi, et gloriosis conspectibus eum semper videre sitiens, et semper conspiciens, dum inæstimabiliter pascitur, excellentiori quâdam, specialique prærogativâ à Filio honoratur, possidens in Christo corpus suum, quod genuit, et clarificatum in dexterâ Patris, et si non suum per quod genuit, tamèn suum quod genuit. Et quarè non suum per quod genuit? Si enim non obviaverit necdum perfecta auctoritas, verè credo, et per quod genuit, quia tanta sanctificatio dignior cœlo est, quàm terrâ, quoniàm thronus Dei talis, Dei domus, atque tabernaculum Christi, digna est ibi esse, ubi ipse. Tu. Te Matrem.

Vesperæ sequentis.

DIE XXVI. AUG.

SOLEMNITAS SS. CORDIS.

B. MARIÆ V.

Dupl. 1. *Class.*

IN I. VESP.

Ant. 1. Venite hodiè ad Sanctuarium Domini, ad sacrosanctum Cor Virginis MARIÆ, quod sanctificavit Deus in æternum, allel.

Psalmi de solemnitatib.

2. In Corde purissimo Beatæ MARIÆ Virginis Deus Pater regnum dilectionis suæ constituit, allel.

3. Ibi solummodò magnificus est Dominus, locus fluviorum, rivi latissimi et patentes, allel.

4. Fons patens Domui Jacob, de cujus plenitudine nos omnes accepimus, allel.

5. Si quis sitit, veniat ad Cor MARIÆ, et bibat, allel.

CAPITULUM. *Eccle.* 24. 26.

Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et à generationibus meis implemini; Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel, et favum.

℟. Beati mundo corde, quoniàm ipsi Deum videbunt: * Qui enim diligit cordis munditiam, habebit amicum regem, allel. allel. ℣. Beata Mater et intacta Virgo, quæ propter puritatem Cordis tui invenisti gratiam apud Deum. * Qui. Glor. Beati.

HYMNUS. 310

JESU MARIÆ gloria
Præclara Cordis Virginis,
Cor intonat præconia,
Nostris adesto canticis.

Miranda Matris viscera,
Miranda sunt et ubera:
Regale sed Cor omnibus
Miraculis præstantius.

Quem sacra paucis mensibus
Portavit alvus parvulum,
Hunc Cor priùs sacratius
Sempèrque gestat maximum.

Ave Cor admirabile
Amore JESU flammeum!
Te sentiant amabile,
Qui te colunt Rex cordium.

JESU tibi sit gloria,
Qui in Corde regnas Virginis,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Hæc Doxol. dicitur hâc die.

℣. Exultabit Cor meum in Domino, allel.

℟. Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, allel.

Ad Magnif. ant. Factus est in Corde meo ignis exæstuans, et defeci ferre non sustinens ardorem charitatis, quæ diffusa est in Corde meo per Spiritum Sanctum, allel. allel.

Oratio ut in Laudib.

Completor. de Dominicâ.

AD MATUTIN.

Invitator. Cor MARIÆ flagrans amore Dei, * Inflamma cor nostrum amore tui.

HYMNUS. 311.

Corde quid isto sanctius?
Thesaurus orbis, omnia
Collata JESU cœlitùs
Servans Dei Mysteria.

Cor sanctitatis formula,
Cordis fidelis regula:
Dignum Dei Sacrarium,
Cubile JESU floridum.

Te candidata lilia,
Nardus, rosæque fulciunt:
Te mala cœli dulcia
Amore languens ambiunt.

Sydus micans amantium,
Sol esto, duxque mentibus:
Fornax amoris omnium
Accende flammas cordibus.

JESU, tibi sit gloria
Qui in Corde regnas Virginis,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Benedicta tu, Virgo sacrata, propter humilitatem Cordis sancti tui, allel.

Psalm. 1. Beatus Virg. *p.* 2.

2. In Corde tuo absconde nos, Mater Dei: protegat nos sempèr dextera tua, allel.

Psalm. 8. Domine, Dominus. *p.* 1.

3. Turris fortitudinis Cor tuum, Domine à facie eorum, qui nos persequntur, allel.

Psalm. 10. In Domina. *p.* 1.

℣. Paratum Cor meum, Deus, allel.

℟. Ut faciam voluntatem tuam, allel.

De Canticis Canticorum.

LECTIO 1. *c.* 4. 1.

Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet... Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Senir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Tu.

℟. Hortus conclusus, soror mea, hortus conclusus, fons signatus: * Absque eo, quod intrinsecùs latet in Corde suo, allel. allel. ℣. Fons hortorum, puteus aquarum viven-

tium, quæ fluunt impetu de Libano. —Alsque.

LECTIO 2. *c.* 5. 1.

Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum poporum suorum. Veni in hortum meum, Soror mea, Sponsa: messui myrrham meam cum aromatibus meis. Comedi favum cum melle meo: bibi vinum cum lacte meo: comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi. Ego dormio, et Cor meum vigilat. Tu.

℟. Ecu dilectus meus loquitur mihi: * Surge, propera, dilecta cordis mei, et veni, allel. allel. ℣. Ego dormio, dilecte mi, et Cor meum vigilat.—Surge.

LECTIO 3. *c.* 8. 6.

Pone me, ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est, ut mors dilectio; dura sicut infernus æmulatio. Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Tu.

℟. Introduxit me rex in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem. * Fulcite me floribus, et stipate malis, quia amore langueo, allel. allel. ℣. Factus est in Corde meo ignis exæstuans, et defeci ferre non sustinens.—Fulcite.—Glor.—Introd.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Omni custodiâ Virgo Sacrata servavit Cor suum Domino, allel.

Psalm. 17. Diligam te, Domina. *p.* 20.

2. Delectata est in Domino, et dedit illi petitiones Cordis ejus, allel.

Psalm. 27. Ad te Domina. *p.* 21.

3. De bono thesauro Cordis sui profert nobis Virgo omnia bona, allel.

Psalm. 65. Jubilate Dom. *p.* 33.

℣. Inebriabimur, Domina, ab ubertate Cordis tui, allel.

℟. Et torrente voluptatis tuæ potabis nos, allel.

Sermo S. Bernardini Senensis.

Serm. 9. *de Visit.*

LECTIO 4.

Quibus verbis ego homunculus sensus altissimos Virginei Cordis sanctissimo ore prolatos efferam, quibus non sufficit lingua omnium hominum, et etiàm angelorum. Dominus enim ait: bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. Quis autem inter puros homines melior potest excogitari, quàm illa quæ meruit effici Mater Dei, quæ in Corde et in utero suo ipsum Deum hospitala est? Quis thesaurus melior, quàm ipse divinus amor, quo fornaceum Cor virginis ardens erat? Tu.

℟. Cor meum inflammatum est, et renes mei commutati sunt: concaluit Cor meum intra me, * Quia fortis est, ut mors, dilectio, allel. allel. ℣. Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. —Quia.

LECTIO 5.

De hoc igitur Corde, quasi de fornace divini ardoris prolulit verba bona, id est, verba ardentissimæ charitatis. Sicut enim à vase summo et optimo vino pleno, non potest exire nisi optimum vinum: aut sicut è fornace summi ardoris non egreditur nisi incendium fervens: sic de Corde Matris Christi exire non potuit verbum nisi summi summèque divini amoris et ardoris. Sapientis Dominæ est pauca verba, solida tamen atque sententiosa habere. Tu.

℟. Os meum patet ad vos: Cor meum dilatatum est: * Non ad condemnationem vestram dico, quòd in Corde meo estis ad convivendum, et ad commoriendum, allel. allel. ℣. Ex abundantiâ Cordis os loquitur: bonus enm homo profert de thesauro cordis sui bona.—Non.

LECTIO 6.

Septem ejus verba secundum septem amoris processus et actus sub miro gradu et ordine prolata sunt, quasi septem flammæ fornacei Cordis ejus. Quæ verba considerans et ruminans mens devota cum ipso Prophetâ ait: Quàm dulcia faucibus meis, id est omnibus affectionibus meis eloquia tua! Porrò dulcedo hæc, quam in verbis Beatæ Virginis devota mens sentit, est ardor piæ devotionis, quam in eis anima spiritualitèr probat. Dicat ergò mens devota: quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! Tu.

℟. Vox turturis audita est in terrâ nostrâ: sonet vox tua in auribus meis. * Vox enim tua dulcis, et facies tua decora, allel. allel. ℣. Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam.—Vox enim.—Gloria.—Vox turturis.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Odor vitæ de illâ progreditur, et omnis salus de Corde illius scaturit, alleluia.

Psalm. 79. Qui regis. *p.* 37.

2. Spiritus tuus benignus est, et Cor tuum immaculatum benedictionibus plenum, alleluia.

Psalm. 98. Dominus regnavit. *p.* 42.

3. Tribuat tibi Dominus secundum Cor tuum, et omne consilium tuum confirmet, alleluia.

Psalm. 140. Domina clamavi. *p.* 31.

℣. Concalui! Cor meum intra me, alleluia.

℟. Et in meditatione meâ exardescet ignis, alleluia.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 15.

In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem: transeamus usque ad Bethleem. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventuræ Ep.

In cap. 2. *super Lucam.*

Et invenerunt MARIAM et JOSEPH, et Infantem positum in præsepio. Ideò invenerunt, quia solicitè quæsierunt, et absque fictione. Et nota, quòd invenitur cum MARIA Virgine, et JOSEPH viro justo, et in præsepio: quia eum qui vult Christum invenire, oportet habere munditiam Cordis respectui sui, humilitatem, et reverentiam respectui Dei. In hoc etiam instruimur, si volumus Christum invenire, priùs ad MARIAM debemus accedere. De ipsâ enim dicitur: invenisti gratiam apud Deum. Tu.

℟. Probasti Cor meum, et visitasti nocte: * Igne me examinasti, et non inventa est in me iniquitas, allel. allel. ℣. Defecit caro mea, et Cor meum, Deus Cordis mei, et pars mea Deus in æternum.—Igne.

Benedict. Cujus Cor Sacratissimum.

LECTIO 8.

MARIA autem conservabat omnia verba hæc, conferens in Corde suo, tanquàm prudens et discreta, secundum illud: misericordia et veritas te non deserant. Circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui. Et in Ecclesiastico: qui ponit eas in corde suo, sapiens erit sempèr. Unde dicitur de fatuo: Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit: Tu.

℟. Cor sapiens Virginis intelligitur in sapientiâ, abstinuit se à

peccatis: * Et in operibus justitiæ successus habuit, allel. allel. ℣. Ex toto Corde suo quæsivit sapientiam, et ex toto Corde dilexit Deum.—Et in.

LECTIO 9.

Undè Cor Virginis fuit arca continens divinorum eloquiorum arcana: et ideò per arcam Moysis designatur, de quâ dicitur, quòd continebat tabulas legis divinæ. Et quia non solùm conservabat, sed etiàm intelligebat, ideò additur: Conferens in Corde suo, ità ut possit dicere illud: In corde meo abscondi eloquia tua. Tu.

℟. Beati mundo corde, quoniàm ipsi Deum videbunt: * Qui enim diligit cordis munditiam habebit amicum regem, allel. allel. ℣. Beata Mater, et intacta Virgo, quæ propter puritatem Cordis tui invenisti gratiam coram Deo.—Qui.—Gloria.—Beati.

Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Donavit Deus * Virgini Cor immaculatum, ut coleret eum corde perfecto, alleluia.

Psalmi de Dominicâ.

2. Elegit eam * Deus, ut sibi in ejus immaculato Corde præpararet habitaculum, allel.

3. In Corde Virginis * MARLÆ Deus Pater regnum dilectionis suæ constituit, allel.

4. Prius portavit Virgo Deum per fidem in Corde, quàm in ventre credens Angelo, allel.

5. Glorificate * Cor Virginis omnes legiones angelorum in æternum, allel.

CAPITULUM. *Eccl.* 24. 26. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et à generationibus meis implemini: Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.

HYMNUS 312.

Quid Corde Matris Virginis
Coli potest sacratiùs?
Cordi supremi Numinis
Quid Corde tanto gratius?

Amoris est miraculum,
Triumphus almi Spiritûs:
Dignum Deo spectaculum,
Jucunda spes mortalibus.

Levamen est lugentibus,
Zelator ardens mentium:
Cunctis datum fidelibus
Cor, vita, lux, oraculum.

O qualis hæc benignitas!
Nostrum sibi cor abstulit
Matris, Patrisque charitas
Suumque nobis contulit.

JESU tibi sit gloria
Qui in Corde regnas Virginis,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Vernaculus Cordis tui sum ego, allel.

℟. Minimus in familiâ tuâ, allel.

Ad Benedict. *ant.* Et descendit cum eis Nazareth, et erat subditus illis: et Mater ejus conservabat omnia verba hæc conferens in Corde suo, alleluia, allel.

Oratio.

Deus, qui Beatæ MARLÆ semper Virginis Cor Sanctissimum spiritualibus gratiæ donis cumulasti, et ad imaginem divini Cordis Filii tui JESU-Christi charitate, et misericordiâ plenum esse voluisti: concede, ut qui hujus dulcissimi Cordis memoriam agimus, fideli virtutum ipsius imitatione Christum in nobis exprimere valeamus. Qui tecum vivit.

AD PRIMAM.

Ant. Donavit. *Capitul.* Transite, *de Laudibus.*

℣. ℟. *br.* Quæ mitis et humilis Corde fuisti.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Episcopi.

Spec. B. V. Lect. 14.

557. Verè benedicta MARIA propter gratiam Cordis, propter gratiam donorum in Corde, propter quam Cor ejus fuit deliciosissimum, sicut paradissus Dei. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Prov.* 23. 15. Si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum Cor meum, et exultabunt renes mei, cum locuta fuerint recta labia tua.

℟. *br.* Audi, fili mi, et esto sapiens, * Allel. allel.—Audi. ℣. Et gaudebit tecum cor meum. Allel. —Gloria.—Audi.

℣. Nunc ergò, filii, audite me, alleluia.

℟. Beati, qui custodiunt vias meas, allel.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Cant.* 4. 9. Vulnerasti cor meum, Soror mea, Sponsa: vulnerasti Cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.

℟. *br.* Cor boni consilii, statue tecum, * Alleluia, alleluia.—Cor. ℣. Ut audiat sapientiam auris tua. —Alleluia.—Gloria.—Cor.

℣. Cor ejus eruditi os tuum, alleluia.

℟. Et labiis tuis addet gratiam, alleluia.

AD NONAM.

CAPITULUM *Eccl.* 39. 6. Cor suum tradidit ad vigilandum diluculò ad Dominum, qui fecit illam, et in conspectu Altissimi deprecabitur.

℟. *br.* Factum est Cor meum, tanquàm cera liquescens, * Allel. allel.—Factum. ℣. In medio ventris mei.—Allel.—Glor.—Factum.

℣. Fulcite me floribus, allel.

℟. Quia amore langueo, allel.

IN II. VESP.

Ant. 1. Deus meus volui et legem tuam in medio Cordis mei, alleluia.

Psalmi de solemnitat.

2. Meditatio Cordis mei in conspectu tuo semper, quia toto Corde exquisivi te, Domine, alleluia.

3. Cor meum et caro mea, defecerunt in Deum vivum, alleluia.

4. Desiderium Cordis mei tribuisti mihi secundum verbum tuum, alleluia.

5. Cor tuum fons patens Domui Jacob, et habitantibus Jerusalem, irrigans omnia intima eorum, alleluia.

Capitul.

Transite. *et* ℟. Beati mundo. *ut in* 1. *Vesp.*

HYMNUS 313.

Ave Cor admirabile,
Incomprehensa continens,
Vas Angelis inspectabile,
Cœleste manna præferens.

Cor aula regum Principis,
Cœlumque cœli splendidum,
Templum superni præsulis,
Altare pacis aureum.

Pars nostra, spes et gaudium
Cœlusque nostri gloria,
Amor perennis omnium
Jungat tibi præcordia.

Cordis Patris mirabilem
In corde vitam pingite,
Cordisque Matris nobilem
In mente formam sculpite.

JESU tibi sit gloria,
Qui in Corde regnas Virginis,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Cor meum et caro mea, allel.

℟. Exultaverunt in Deum vivum, alleluia.

Ad Magnif. *ant.* Exultavit Cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo salutari meo,

alleluia, allel. *Oratio de Laudibus. Completor. de Dominic.*

DIE XXVII. AUG.

SEPTEM EXCELLENTIAR. B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Presta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gloriosas Excellentias Beatissimæ Virginis MARIÆ, quas in cœlo obtinet, celebramus in terris, ipsius gloriæ participes efficiamur in cœlis. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. fer. occurr.

℣. 1. Undè tuum, Mater, generas Natum atque Parentem? * Hinc prolem, indè Matrem, hoc Deus, illud humus, allel., allel. ℣. Cujus honore sacro Genitrix transcendis Olympum.—Hinc.

℣. 2. Conderis in solio felix Regina superbo. * Cingeris et niveis lactea Virgo choris, allel. allel. ℣. Et super astrigeros erigis ora polos.—Cingeris.

℣. 3. Sic juxta genitum Regem Regina perennem, * Ornata ex partu Mater optima tuo, allel. allel. ℣. Consulibus celsis celsior ipsa sedens.—Ornata.—Gloria.—Ornata.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis.

Sem. in exaltatione B. V. M.

LECTIO 4.

Quanta in paradiso sit gloria Virginis septem Excellentiæ seu Dignitates, quibus gloriosa refulget, manifestè ostendunt. Prima dicitur maternitas, secunda charitas, tertia conformitas, quarta tranquillitas, quinta capacitas, sexta unitas, septima largitas nominatur. Prima, Maternitas, quæ maxima excellentia est, quòd Virgo beata sit Mater Dei: majus est enim, quòd ipsa sit Mater Dei, quàm quòd sit Domina creaturarum Dei. Secunda Charitas: omnes nempè ordines, et status gloriæ principaliter distinguuntur secundum superiores, et inferiores rationes divini amoris. Materaus igitur amor incomparabiliter transcendere debet omnes alias rationes amoris in Deum, præter illam quæ est in animâ Christi, quæ scilicet fertur realiter in Deum, tanquàm in propriam personam. Tu. ℣.

LECTIO 5.

Tertia autem dignitas, seu Excellentia Conformitas nominatur. Nam anima Christi et Christus in quantum homo transcendit omnem ordinem puræ creaturæ, seu creatæ creaturæ. Gradus autem Matris conformis est ipsi homini Christo, cujus humanatio in tantum transcendit omnem ordinem primæ conditionis, quod est omninò extra et supra omnem integritatem ordinis universi: propterea non potuit ab universo capi; sed dignitas Maternitatis Dei sic operi Incarnationis connexa est, quòd omninò aliter non potuit dari. Quarta Tranquillitas dici potest. Christi enim filialis aspectus ad Matrem singularissimus ac amorosissimus, ac transcendentissimus esse debet, ità quòd totam cæleslem curiam simul sumptam præter Matrem non debet aspicere sub tali reverentiâ, nec sub ordine talis aspectûs seu amoris. Igitur inexplicabile est sub quantâ altitudine, latitudine, et gloriæ intimilate Dei Filius se ingerit Matri. Et consimiliter sub quantâ altitudine, latitudine, et intimilate suscipitur ab eâdem. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Quinta excelentia est Capacitas. Secundum Dionysium in regno Cœlorum omnia inferiorum dona in superioribus in tantâ præexcellentiâ sunt, quòd quasi nulle est comparatio, nisi sicut est circumferentia ad suum centrum. Cum ergò beata Virgo supra omnem ordinem sit, in tantum, quòd per se faciat ordinem incommunicabilem, sequitur, quòd super omnes inferiores ordines tam angelorum, quàm hominum simùl sumptorum improportionabilitèr est prælata, et quidquid est gloriæ in omni inferiori glorificatâ naturâ tàm angelicâ, quàm humanâ, multò præexcellentior est in Virgine Matre Dei. Sexta Unitas nominatur: quantò enim beati magis uniuntur cum Deo, tantò gloriosores fiunt in eo. Omnes enim creaturæ simùl junctæ non tantùm uniuntur Deo, quantùm sola Beata Virgo. Septima Largitas dici potest. Duplex enim largitas Beatæ Virgini à Deo donata est: Una gratiæ: altera gloriæ. Tu. ℣.

Homil. de com. pro Duplicib.

LECTIO 9.

Comm. B. Virginis Smelcemensis.

Balmgh. die 3 de Maj.

Baduirus cognominatus Pulchro-Barbus Sacellum dictum Deiparæ Smelcemensis propè insulas excitavit et dotavit, sacellano in eo collocato, qui ibi certis diebus sacrum quâlibet hebdomadâ faceret. Quâ autem occasione id sacellum erexit, habet Historia: cum enim annorum septemdecim spatio incurabilis sanguinis profluvio laborasset, ad quandam Deiparæ Imaginem in arbore collocatam in eodem loco, ubi postmodùm sacellum ædificavit, multis celebrem miraculis se contulit, à quâ et perfectè curatus est. Inter cætera, quod primum accidit, cæterisque occasionem dedit, est de pastoribus, quorum oves ante dictam imaginem, non minùs quàm ipsi venerabundæ, quotidiè genua flectebant. Tu. Te Matrem.

Vesper. à Capit. sequent.

DIE XXVIII. AUG.

B. V. CINCTURAT. DE CONSOLAT.

Duplex.

Oratio.

Domine JESU-Christe, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, concede propitius, ut sicut lumbos præcincti purissimam Genitricem tuam sub consolationis, titulo gaudentes veneramur in terris, ita perenni ejusdem consortio perfrui mereamur in cœlis. Qui viv.

AD MATUTIN.

Invitator. JESUM per MARIAM nos consolantem, * Venite adoremus, alleluia, alleluia.

Lectio 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis.

Serm. de Nom. Mar.

LECTIO 4.

Non est facultatis humanæ, dilectissimi fratres, quandiù in hoc mortali corpore vivitur, plenè pertingere ad laudem gloriosæ Virginis Matris Dei, quæ omnium hominum et vores excellit, et superat intellectum. Quis enim mortalium, nisi divino illustratus oraculo, de unicâ Dei et hominis Genitrice quicquam modicum, seu grande præsumat edicere; imò non timeat hanc pollutis labiis nominare, quam Pater misericordiarum, et ante sæcula Deus perpetuam prædestinavit in Virginem dignissimam, Filius prælegit in Matrem, Spiritus Sanctus novæ gratiæ domicilium præparavit? Tu.

LECTIO 5.

Ex officio proprio.

Ipsa est prælecta, et dignissima Mater Filii Altissimi, cujus divino

instinctu Sanctus Pontifex et Doctor Ambrosius, postquàm Augustinum sacro baptismo expiavit, novùm hominem novis vestibus induit, cucullâque et cingulo ex corio ipse, ut fertur, præcinxit: hujus autem sacri cinguli ornamentum posteà Religio Augustiniana semper gestavit in signum devotionis erga Beatam Virginem MARIAM, Patrem Augustinum piamque Matrem ejus Monicam. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Indè est, ut, Eugenio quarto approbante, fuerit instituta Societas Cincturatorum Sanctorum Augustini et Monicæ, et alia similis sub invocatione Beatæ MARIÆ Virginis de Consolatione, quas Gregorius Decimus tertius in unum corpus redegit, ac sodalitium Cincturatorum Beatæ MARIÆ Virginis voluit appellari: illudque tum Gregorius ipse, tum multi alii ejus Successores innumeris gratiis ac privilegiis cumularunt. Tu. ℣.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. §2.

In illo tempore: Exclamavit voce magnâ Elizabeth, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et reliqua.

Homilia S. Vigilii Ep. Tridentini.

Contra Euthychen. libr. 3.

Benedicet te benedictionibus cœli desuper, et benedictionibus terræ habentis omnia. Quæ est benedictio cœli, nisi Verbum quod de cœlo descendit? et quæ est benedictio terræ habentis omnia, nisi Christi caro, quæ de terrâ, id est, de terreno Virginis corpore sumpta est, in quâ omnium spiritualium gratiarum redundat veritas, et totius benedictionis fructus exhuberat?... Quæ est terra, quæ fructum benedictionis dedit, nisi MARIA cui dicitur: Benedicta tu, et benedictus fructus ventris tui? Tu.

℣. Sub tuum præsidium confugimus, clementissima Virgo, * Suscipe nos, unica spes nostra, et nostris deleclare laudibus, alleluia, allel. ℣. Quibus indigni omni te laude dignissimam collaudamus. Suscipe.

LECTIO 8.

Fiece Verbum Dei sicut imber in terram, id est, in gremium sinus MARIÆ influere dicitur, quam Sancti Spiritûs ebrietate fœcundatam in germine Domini horti prorumpere faciat, et turgentis alvi pretiosissimum edere fructum. Quod Verbum quia incarnatum (quod est carne indutum) homo esse voluit, nudum et vacuum ad Patrem, à quo fuerat missus reverti non potuit, sed in eodem, quo indutus est corpore, cœlestia penetravit. *Lect.* 9. Et ideò Pater vacuum ad se dicit non posse reverti, quia nefas est, ex quo in Virginis terram descendit, nudum eum et vacuum confiteri, id est, absque humani corporis naturâ solam ejus adserere Deitatem. Tu.

℣. Porta cœli et stella maris es, Virgo MARIA; * Regis æterni Mater, gratos nos redde Filio tuo, allel. allel. ℣. Quia omnis virtus et decor, et gloria ex te resplendet. Regis. Gloria. Regis.

LECTIO 9.

Commemor. B. V. Afflictorum.

Histor. hujus Imag.

In oppido Sart Cameracensis Diœcesis colitur quædam Deiparæ Imago sub titulo Beatæ Virginis Afflictorum, quæ à quibusdam agricolis initio decimiseptimi sæculi, dum terram fodiebant, creditur

invenia. Cum autem eam decentèr in arbore collocassent, sequenti die in eodem loco reperta fuit: quod prodigium similiter duobus aliis vicibus contigit. Indè est, quòd Sacellum extructum fuit sacræ Imagini in ipso inventionis loco, ubi, multiplicatis miraculis, Deipara omnibus invocantibus fiebat solatium et protectio. In gallicanis furoribus Sacellum omninò dirutum fuit: Sanctam tamen Imaginem quidam Augustus Harduinus ab ipsis illæsam servavit; quæ anno millesimo octingentesimo decimo tertio, novo ipsi excitato Sacello à piâ muliere Vignobili dictâ, fidelium veneratoni ingenti omnium gaudio iterum oblata fuit. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Odor vestimentorum * tuorum sicut odor thuris, allel.

2. Cingulo suo confortavit nos, et potestatem suam dedit in manu nostrâ, allel.

3. Justitia cingulum * lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus, allel.

4. Myrrha et gutta, et casia à vestimentis tuis, allel.

5. Sentiens vestimentorum * illius fragantiam benedixit nobis Deus noster, allel.

℣. Nunquid obliviscetur Virgo ornamenti sui? allel.

℟. Aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? allel.

Ad Bened. ant. Tu veniæ vena, tu gratiæ consolationis Mater, tu spes mundi, exaudi nos clamantes ad te, allel. allel.

CANON.

Ex Sacr. Rituum Congregatione. 6. *Aug.* 1805. *Eremit. S. Aug.* 358. Benignè indulgetur, ut in universo Ordine Eremitarum Sancti Augustini quotannis in festo Beatæ MARIÆ Virginis de Consolatione recitari possit Officium proprium cum Missâ. Tu.

Vesp. à capit. de sequenti.

DIE XXIX. AUG.

SS. SEPULCHRI B. MARIÆ V.

Duplex.

Lect. 1. *Noct. de feriâ.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Joannis Damasceni.

Conc. 1. *de Dorm. B. V.*

LECTIO 4.

Tu verò, ò sacrorum sepulcherum sacratissimum post Domini quidem Sepulchrum, quod vitæ dedit principium, quod fuit fons resurrectionis (etenim loquar tanquàm cum animato), ubi est aurum purum, quod manus Apostolorum in te recondiderunt? Ubi sunt divitiæ, quæ consumi nequeunt? Ubi est, qui Deum suscepit, thesaurus? Ubi est mensa animata? Ubi est novus liber, in quo ineffabiliter Deus Verbum inscriptus fuit sine manibus? Ubi est Abyssus gratiæ? Ubi est pelagus curationum? Ubi est valdè desiderabile Corpus Deiparæ? Tu. ℣.

LECTIO 5.

Quid quæritis in Sepulchro eam, quæ ad cœlestia translata est tabernacula? Cur à me custodiæ rationem expositis? Non licet mihi jussis divinis resistere. Corpus sanctum et sacrum reliquis Sindonibus, cum me imperiisset sanctificatione, et unguento, bonoque odore replevisset, et templum divinum effecisset, abiit raptum sublime, comitantibus Angelis, et cœlestibus omnibus. Nunc me defendunt Angeli. Nunc divina in me habitat gratia. Tu. ℣.

LECTIO 6.

Ego evasi officina medicinæ ægrotantibus. Ego sum fons perennis curationum. Ego remedium adversus dæmones. Ego sum refugium omnibus confugientibus. Fide, populi, accedite, et tanquàm ex fluvio haurite charismata, fidem habentes, non hæsitantes. Accedite, qui sititis: venite ad aquam, jubet Isaias, et qui non habetis pecuniam, properate, emite sine argento. Ex meâ naturâ non habeo gratiam. Sepulchra fœtere solent, tristitiam conciliare, lætitiæ esse adversa. Ego autem evasi unguentum preliosum, et boni odoris particeps. Lætitiæ fontem excepi hospitio, et dives remansi perenni ejus scaturigine. Tu. ℟.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 27. 57.

In illo tempore: Cum serò factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathea, nomine Joseph.

Et reliqua.

Homilia S. Joannis Damasceni.

Orat. 3. *in Dorm. Deip.*

Sepulchrum suum, beata Virgo, ut iis, qui in terris agunt, thalami loco esset, reliquit. Itane verò sepulchrum thalamus est? Ita prorsùs, ac thalamo quovis illustrius: non auri splendoribus, non argenti claritate, non lapidum fulgoribus micans, non sericis pannis, et contextis ex auro, et purpurâ vestibus exornatum, sed radiante divinitùs splendore sanctissimi Spiritûs: non corporum connubium terræ amatoribus, sed iis, qui Spiritu vincti sunt, animarum sanctarum vitam præbens, scilicet meliorem omnibus, suavioremque apud Deum statum. Tu. ℟.

Bened. Cujus Sepulchrum.

LECTIO 8.

Sepulchrum hoc ipsâ Eden formosius est, et re blanditias, quas in illâ hostis adhibuit, commemorem, egregium, ut sic loquar, consilium, invidiam, fraudem, remissum Evæ animum, suassionem, dulcem simùl atque amaram escam, per quam amissâ mente conjugem quoquè eâ spoliavit, inobedientiam, exilium, mortem, edisserens, solemnitatem tristitiæ argumentum efficiam: hoc Sepulchrum, inquam, ex terrâ mortale corpus ad cœlos sublevavit, illa verò ex alto in terram generis nostræ parentem destruxit. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Sepulchrum hoc antiquo est tabernaculo pretiosius, rationale et animatum, ac divinitùs illuminatum candelabrum includens, et mensam vitam ferentem, quæ non panem propositionis, sed cœlestem: non ignem materiâ constantem, sed eum, qui materiâ omni superior est, Deitatis nimirùm suscepit. Sepulchrum hoc Moysis arcâ fortunatius, quod non umbras et figuras, sed veritatem ipsam sortitum est. Recepit enim sinceram, aureamque urnam, quæ cœleste manna produxit: tabulam animatam, quæ Verbum Dei digito, validissimo atque Spiritu, Verbum subsistens incarnatum accepit: aureum thuribulum, quod divinum carbonem peperit, bonoque odore naturam universam replevit. Tu.

Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Et erit sepulchrum ejus gloriosum in venerationc fidelibus, in respectu Angelis, in salute languentibus, et in terrore diabolis, alleluia, alleluia.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui sanctissimum Sepulchrum vir-

ginali corpore consecratum, gloriosum effecisti: concede propitius: ut qui ejus memoriam celebramus, cum ipsâ Beatissimâ Virgine ad æternam gloriam resurgere possimus. Per Dominum.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Ep.

Spec. B. V. Lect. 2.

559. Hoc «Virginis» Corpus est arca sanctissima Dei, quam decuit non putrefieri, sed adinstar Filii sui ante omnem putrefactionem suscitari. Undè tàm de Filio quàm de Matre notabiliter ait Propheta: surge Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. Tu.

Cum 2. *Vesper.*

DIE XXXI. AUG.

DEPOSIT. ZONÆ B. M. V. ET FASCIAR. PUER. JESU.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui benedictam Zonam Beatæ Virginis MARIÆ, et sacras Unigeniti tui fascias devotè veneramus, et cingulo castitatis præcingi, et fasciis tuæ misericordiæ involvi mereamur, ut ad æternam possimus pervenire lætitiam. Per eumdem.

AD MATUTIN.

HYMNUS 314. *J. M. Caryophil.*

Longa incorruptam
Quòd Zonam sæcula servant,
Virgo, tibi nova res
Nihil habet ista novi.

Integritas, si venter
Erat quam Zona ligabat,
Integra res sempèr
Integritatis erit.

Gloria summa Patri,
Compar sit gloria Nato:
Quo peperit Virgo
Gloria Spiritui. Amen.

Lect. 1. *Noct. de fer. occurr.*

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Germani Archiep. Constantinopolitani.

Encom. in ven. Zona apud Sur. die 31. *Augusti.*

LECTIO 4.

Nec existimet aliquis, hoc esse absurdum, ex iis, qui lubenter reprehendunt, si ea tanquàm animata alloquamur, et ea bonis verbis et laudibus prosequamur. Si enim vas, quod unguentum vel brevi tempore continuit, eo effuso, diù servat odorem: quid dixerit quispiam de eâ Zonâ, quæ verè mefluum et divinum unguentum, purissimum, inquam, et ab omni reprehensione alienum, Deiparæ corpus diù involvit, et est complexa? Nonnè servabit in æternum odorem curationum, et eos, qui cum fide et desiderio ad eam accedunt, bono odore implebit? Tu.

℟. O Fasciæ et Zona veneranda, * Tribuite sanctificationem, corroborationem, et expiationem iis qui cum desiderio vos colunt et adorant, allel. allel. ℣. O Zona pretiosa, quæ Deum Verbum, cum esset in utero, involvisti! O fasciæ quæ Deum natum constrinxistis! Trib.

LECTIO 5.

Et si vas, ut diximus, inanimum, quod inanimum continuit unguentum, scit esse ejus qualitatis particeps, et grati odoris: quid dicemus de eâ, quæ propinqua fuit animato Deo habitaculo? Non accurremus? Non supplices humi procidemus? Non purgationem animæ et corporis ab eâ postulabimus? Omninò. Quod verò? Non perindè ac vivum alloquemur, et ei laudum cantica offeremus? Id certè faciemus. O Zona, quæ iis, qui ad te confugiunt, das quidem lumborum

mortificationem ad vitia, animi autem fortitudinem ad virtutum operationem! O Zona, quæ nostræ naturæ imbecillitatem astringis, et roboras, et inimicos nostros tàm qui sub aspectu cadunt, quàm qui non cadunt, impedis! Tu.

℣. O jucunda Zona, * Quæ à corruptione aliena Dei Matris summè honesto corpori honestè appropinquasti, et illic indulsisti incorruptionem, manens illabefacta et aliena ab interitu, alleluia, allel. ℣. O veneranda Zona Dei Matris, accinge lumbos nostros veritate, justitiâ et mansuetudine.—Quæ.

LECTIO 6.

Sed quid mihi accidit, ut dum sanctissimo compungerer desiderio, et impetu urgerer orationis, obliviscerer Fasciaram? Non mirum. Dum enim Mater glorificatur, lætatur quoque et voluptate afficitur Filius. Quin etiàm legi cedentes naturæ, etiamsi res sint supra naturam, Matri primum munus obtulimus. Neque omninò id ægrè ferat, qui est summè bonus Dominus. Cum enim verè homo ex eâ progredi ei visum sit, et ejus appellari filius, non condemnabit imprudentiæ, quæ extitit secundum hominem, is qui est summè misericors. Sed factâ mentione fasciarum rursus revertamur ad illam, quæ Dominum peperit. Ea enim illas suis sanctis confecit manibus. Tu.

℣. Tuam hæreditatem, ò Intemeratæ Zona intemerata, * Conserva, rectos fide, salvos vita, et nullo damno aut injuriâ affectos, alleluia, allel. ℣. Pac nos hæredes æternæ et beatæ vitæ, et hanc nostram vitam interitui obnoxiam conserva. —Conserva.—Gloria.—Conserva.

Homilia Sindonem fecit *ut in die 6. Nov. p.* 426.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Marpentanæ.

Ex ipsius historiâ.

Marpento in Hannoniâ maximè colitur diva Virgo jam à sæculo decimo tertio. Sacellum, in quo nunc sacra Imago extat, anno millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo fuit ei excitatum, ac Sanctimonalium Thurensium curæ traditum. Quotidiè fit ad Marpertanam Virginem ingens peregrinorum accursus, sed præcipuè Dominicâ Sanctissimæ Trinitatis ipsi sacrâ, etiàm à dissitis valdè locis. Innocentius Undecimus confraternitatem ibi sub Deiparæ Sanctissimæ invocatione fundatam approbavit, ac indulgentiarum thesauro ditavit. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Circumcinxit eam Zonâ gloriæ, et coronavit eam in vasis virtutis, allel. allel.

Vesperæ sequentis.

Explicit tempus Vitæ gloriosæ.

COMMUNE FESTIVITATUM

B. MARIÆ V.

1. *De hoc Communi sumuntur ea omnia, quæ in Proprio Festivitatum non fuerint propria.*

2. *Psalmi semper dicuntur ut positi sunt in feriali officio, nisi in proprio aliî notentur. In Solemnitatibus autem Duplicium primæ et secundæ Classis dicuntur in Vesperis Psalmi, qui infra assignantur, et in Laudibus et in Completorio, ut in Dominicâ, excepto Complet. post secundas Vesp. Duplicium secundæ Classis in quo dicuntur ut in feriali officio.*

3. *Lectiones de Scripturâ, quæ in singulis Communibus habentur, recitantur solùm in Duplicibus majoribus, quibus propria non fuerint. In Duplicibus minoribus verò, et in semiduplicibus, dicuntur de feriâ occurrenti pro tempore, nisi aliter notetur.*

4. *Responsoria, quæ dicuntur in fine Lectionum cujuslibet Nocturni, in Duplicibus primæ et secundæ Classis, repetantur integra post* Gloria Patri *usque ad* ℣. *In aliis verò inferioribus festivitatibus iterantur solum ab asterisco, ut in singulis* ℟℟. *ordinariè annotatur.*

5. *In Duplicibus primæ Classis dicuntur tria* ℟℟. *in tertio Nocturno, et post tertium dicitur Canticum.* Te Matrem. *In iisdem Duplicibus dicitur in utrisque Vesperis* ℟. *tertium tertii Nocte post Capitulum, et post* Gloria Patri. *repetitur integrum usque ad* ℣.

PSALMI

Pro 1. *Vesperis Duplicium primæ et secundæ Classis. Antiphonæ ut in proprio.*

Psalm. 112.

Laudate pueri Matrem Dei: * glorificate semes nomen ejus.

Benedicta sit MARIA Mater Christi: * ipsa enim est via ad patriam sanctitatis.

Excelsus super cherubim thronus ejus: * et sedes ejus super cardines cœli.

Super humiles vultus ejus: * et super confidentes in eâ aspectus illius.

Misericordia ejus super omnem carnem; * et eleemosina illius usque ad extremum terræ.

Gloria Patri.

Psalm. 116.

Laudate Dominam nostram omnes gentes: * glorificate eam omnes populi.

Quoniàm confirmata est super nos gratia, et misericordia ejus: * et veritas illius permanet in æternum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mortificationem ad vitia, animi autem fortitudinem ad virtutum operationem! O Zona, quæ nostræ naturæ imbecillitatem astringis, et roboras, et inimicos nostros tàm qui sub aspectu cadunt, quàm qui non cadunt, impedis! Tu.

℣. O jucunda Zona, * Quæ à corruptione aliena Dei Matris summè honesto corpori honestè appropinquasti, et illic indulsisti incorruptionem, manens illabefacta et aliena ab interitu, alleluia, allel. ℣. O veneranda Zona Dei Matris, accinge lumbos nostros veritate, justitiâ et mansuetudine.—Quæ.

LECTIO 6.

Sed quid mihi accidit, ut dum sanctissimo compungerer desiderio, et impetu urgerer orationis, obliviscerer Fasciaram? Non mirum. Dum enim Mater glorificatur, lætatur quoque et voluptate afficitur Filius. Quin etiàm legi cedentes naturæ, etiamsi res sint supra naturam, Matri primum munus obtulimus. Neque omninò id ægrè ferat, qui est summè bonus Dominus. Cum enim verè homo ex eâ progredi ei visum sit, et ejus appellari filius, non condemnabit imprudentiæ, quæ extitit secundum hominem, is qui est summè misericors. Sed factâ mentione fasciarum rursus revertamur ad illam, quæ Dominum peperit. Ea enim illas suis sanctis confecit manibus. Tu.

℣. Tuam hæreditatem, ò Intemeratæ Zona intemerata, * Conserva, rectos fide, salvos vita, et nullo damno aut injuriâ affectos, alleluia, allel. ℣. Pac nos hæredes æternæ et beatæ vitæ, et hanc nostram vitam interitui obnoxiam conserva. —Conserva.—Gloria.—Conserva.

Homilia Sindonem fecit *ut in die 6. Nov. p.* 426.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Marpentanæ.

Ex ipsius historiâ.

Marpento in Hannoniâ maximè colitur diva Virgo jam à sæculo decimo tertio. Sacellum, in quo nunc sacra Imago extat, anno millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo fuit ei excitatum, ac Sanctimonalium Thurensium curæ traditum. Quotidiè fit ad Marpertanam Virginem ingens peregrinorum accursus, sed præcipuè Dominicâ Sanctissimæ Trinitatis ipsi sacrâ, etiàm à dissitis valdè locis. Innocentius Undecimus confraternitatem ibi sub Deiparæ Sanctissimæ invocatione fundatam approbavit, ac indulgentiarum thesauro ditavit. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. *ant.* Circumcinxit eam Zonâ gloriæ, et coronavit eam in vasis virtutis, allel. allel.

Vesperæ sequentis.

Explicit tempus Vitæ gloriosæ.

COMMUNE FESTIVITATUM

B. MARIÆ V.

1. *De hoc Communi sumuntur ea omnia, quæ in Proprio Festivitatum non fuerint propria.*

2. *Psalmi semper dicuntur ut positi sunt in feriali officio, nisi in proprio aliî notentur. In Solemnitatibus autem Duplicium primæ et secundæ Classis dicuntur in Vesperis Psalmi, qui infra assignantur, et in Laudibus et in Completorio, ut in Dominicâ, excepto Complet. post secundas Vesp. Duplicium secundæ Classis in quo dicuntur ut in feriali officio.*

3. *Lectiones de Scripturâ, quæ in singulis Communibus habentur, recitantur solùm in Duplicibus majoribus, quibus propria non fuerint. In Duplicibus minoribus verò, et in semiduplicibus, dicuntur de feriâ occurrenti pro tempore, nisi aliter notetur.*

4. *Responsoria, quæ dicuntur in fine Lectionum cujuslibet Nocturni, in Duplicibus primæ et secundæ Classis, repetantur integra post* Gloria Patri *usque ad* ℣. *In aliis verò inferioribus festivitatibus iterantur solum ab asterisco, ut in singulis* ℟℟. *ordinariè annotatur.*

5. *In Duplicibus primæ Classis dicuntur tria* ℟℟. *in tertio Nocturno, et post tertium dicitur Canticum.* Te Matrem. *In iisdem Duplicibus dicitur in utrisque Vesperis* ℟. *tertium tertii Nocte post Capitulum, et post* Gloria Patri. *repetitur integrum usque ad* ℣.

PSALMI

Pro 1. *Vesperis Duplicium primæ et secundæ Classis. Antiphonæ ut in proprio.*

Psalm. 112.

Laudate pueri Matrem Dei: * glorificate semes nomen ejus.

Benedicta sit MARIA Mater Christi: * ipsa enim est via ad patriam sanctitatis.

Excelsus super cherubim thronus ejus: * et sedes ejus super cardines cœli.

Super humiles vultus ejus: * et super confidentes in eâ aspectus illius.

Misericordia ejus super omnem carnem; * et eleemosina illius usque ad extremum terræ.

Gloria Patri.

Psalm. 116.

Laudate Dominam nostram omnes gentes: * glorificate eam omnes populi.

Quoniàm confirmata est super nos gratia, et misericordia ejus: * et veritas illius permanet in æternum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Qui dignè coluerit illam, justificabitur: * qui autem neglexerit illam morietur in peccatis suis.

Labia angelorum enarrabunt sapientiam ejus: * et omnes cives paradisi canlabunt ejus laudem.

Bono animo accedentes ad illam: * non capientur ab angelo devastante.

Gloria Patri.

Psalm. 145.

Lauda, anima mea, Dominam: * glorificabo eam, quamdiù vixero.

Nolite cessare à laudibus ejus: * et per singula momenta recogitate illam.

Cum exierit Spiritus meus, Domina, sit tibi commendatus: * et in terrâ ignotâ præsia illi ducatum.

Non conturbent eum culpæ priùs commissæ: * nec terreant ipsum occursus malignantis.

Perduc eum ad portum salutarem: * ibi præstolatur securè adventum Redemptoris.

Gloria Patri.

Psalm. 146.

Laudate Dominam, quoniàm bonus est psalmus: * jucunda et decora sit illi nostra laudatio.

Ipsa enim medetur contritis corde: * et refovet eos unguento pietatis.

Magna est virtus illius: * et clementia ejus nullum habet finem.

Præcinite ei in jubilatione: * et in confessione psalmum canite illi.

Beneplacitum est ei super timentes Deum: * et in eis, qui sperant in misericordiâ ejus.

Gloria Patri.

Psalm. 147.

Lauda Jerusalem, Dominam: * glorifica illam etiàm, ô Sion.

Ipsa enim constrùit muros tuos: * et filios tuos benedicet.

Gratia tua te impinguat: * pacemque donat terminis tuis.

Emisit Verbum suum Altissimus: * et virtus ejus obumbravit tibi.

Levemus corda nostra cum manibus ad illam: * ut suam influentiam sentiamus.

Gloria Patri.

In 2. Vesper. ejusmodi Solemnitatum primæ et secundæ Classis, Psalmi dicantur ut in officio Dominicæ, excepto ultimo in cujus loco dicitur Psalm. 147. Lauda Jerus. *ut suprà in* 1. *Vesperis.*

I.

TEMPORE.

EXPECTATIONIS.

A die 1. *Septem. usque ad* 8. *exclusivè.*

In hoc Communi omnia dicuntur ut in die 1. *Septemb. et sequentibus notatum est.*

II.

TEMPORE.

INFANTIÆ.

Ab ejus Nativitate usque ad Adventum.

IN I. VESPER.

Ant. 1. Cujus es filia? * Indica mihi, si inveni gratiam ante oculos tuos.

Psalmi feriæ occurr.

2. Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro.

3. Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe, Virgo MARIA, de hidriâ tuâ.

4. Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium.

5. Oleum effusum nomen tuum: adolescentulæ dilexerunt te nimis.

CAPITULUM. *Cant.* 6. 8. Una est columba mea, perfecta mea una est matri suæ, electa genitrici suæ. ℟. Deo gratias.

HYMNUS 315.

O Virgo pura et innocens!
Nitore præcedis diem,
Candore præcellis nivem,
Decore vincis angelos.

Tu stella solis nuntia,
Aurora lucis prævia,
Odore flos gratissimus,
Thronus Dei sanctissimus.

O puritatis lilium!
O Sanctitatis balsamum!
Spes certa pœnitentium,
Solamen et gementium.

Patrona nostra, quæsumus,
Preces clientum suscipe,
Primi parentis quos lues
Infecit, et nos protege.

Fac mente purâ crimine,
Fac corde mundo sordibus,
Christo placentes debitis
Te concinamus laudibus.

Sit Trinitati gloria
Nobis dedit nam Virginem,
Salvos potest quæ reddere
Suos amantes famulos. Amen.

Hæc Doxologia dicitur in hymn. ejusd. metri.

℣. Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.

℟. Collum tuum sicut monilia.

Ad Magnif. *ant.* Cum ab infantiâ * sempèr Deum timuerit, et mandata ejus custodierit, immobilis in Dei timore permansit, ágens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.

Oratio de Laudibus, nisi sit propria.

Completor ut in festali officio.

AD MATUT.

Invitator. Laudemus Deum nostrum: * In Sanctissimâ Infantiâ Beatæ Virginis MARIÆ.

HYMNUS 308.

Omnes fideles plaudite,
Et Virginis infantiam
Devoto corde colite,
Mirantes ejus gratiam.

Nam in Puellâ tenerâ
Ornat sensus maturitas:
Et panditur per opera
Habitans intus Deitas.

Docta, matura, strenua,
Et honore spectabilis:
Virtute scandens arduâ
Cunctis præstans et humilis.

Sic Conditoris munere
Miris ornata dotibus,
Ut digna foret parere
Deum castis visceribus.

Sit Trinitati gloria,
Nobis dedit nam Virginem
Salvos potest quæ reddere
Suos amantes famulos. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Ab infantiâ suâ * timuit Dominum Virgo MARIA, et dilexit illum corde perfecto.

2. Ab infantiâ meâ * crevit mecum miseratio: de utero matris meæ egressa est mecum.

3. Diligite * parvuli infantiam meam, et vivet anima vestra.

℣. Sicut lilium inter spinas.

℟. Sic amica mea inter filias.

Sequentes Lectiones dicuntur in Duplic. majori.

De Canticis Canticorum.

LECTIO 1. *c.* 6. 3. Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem: terribilis, ut castrorum acies ordinata. Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis. Tu autem Domina nostra intercede pro nobis. ℟. Deo gratias. *Sic terminantur sempèr Lectiones.*

℟. Infans immaculata, * Per quam iis qui erant in mundo innotuit potentia Sanctissimæ Trinitis. ℣. Infantia gratissima, ex millibus electa, ipsâ virginitate sacratior.—Per quam.

Bened. Primogenita Dei Filia.

LECTIO 2.

Adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, una est Matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt: reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam. Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa, ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. Tu.

℟. Hæc est Puella illa benedicta, * Quam præparavit Deus sponsam electam et carissimam Spiritui Sancto. ℣. Puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, et incognita viro.—Quam.

Bened. Spiritûs Sancti Sponsa.

LECTIO 3. 8. 8.

Soror nostra parva, et ubera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die quandò alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Ego murus: et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens. Tu.

℟. Quàm pulchra es, et quàm decora, carissima in deliciis! * Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis! ℣. Quid videbitis in Sulamite, nisi choros castrorum.—Quàm.—Gloria.—Quàm. *In Duplicib.* 1. *et* 2. *Class.* Quàm pulchra.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Pulcherrima * adolescentula, omni ex parte benedicta et veneranda.

2. Adolescentula * Virgo et speciosa in omnibus finibus Israel.

3. Puella pulchra * nimis et decora, gaudium universæ terræ. ℣. Ostende mihi faciem tuam. ℟. Sonet vox tua in auribus meis.

Pater noster. *Absolutio.* Ipsius.

Bened. Dei Mater.

Sermo S. Joannis Damasceni.

Homil. in Nativ. B. V.

LECTIO 4.

O Speciosissima, dulcissimaque Puella! O lilium inter spinas, ex generosissimâ, et maximè regiâ radice davidicâ progenitum! Per te regnum sacerdotio locupletatum est. Per te legis facta translatio est, patefactusque Spiritus, qui sub lege delitescebat: translatâ nimirum ex levitică turbâ ad Davidicam sacerdotali dignitate. Tu.

℟. Benedictus Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei: * Deus, qui pascit me ab adolescentiâ meâ. ℣. In diebus adolescentiæ meæ secretò Deus erat in tabernaculo meo.—Deus.

Bened. Filia Dei.

LECTIO 5.

O rosa, quæ ex spinis, Judæis scilicet, orta es, divineque odore cuncta perfudisti! O filia Adami, et Dei Mater: beati lumbi et venter, ex quibus prodiisti! Beatæ ulnæ, quæ te gestaverunt: labia illèm quibus cælis osculis frui concessa es, parentum nempè dumtaxat tuorum, ut in omnibus sempèr virginitatem coleres. O Joachim et Annæ sacratissima Filia, quæ Principalibus et Potestatibus, ignisque maligni telis latuisti: quæ in Spiritûs thalamo versata es, et sine maculâ custodita, ut Sponsa Dei, naturâque Dei Mater esses. Tu.

℟. Dic ergò obsecro te, quòd soror mea sis, * Ut benè sit mihi

propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui. ℣. Soror nostra es, crescas in mille millia.—Ut.

Benedict. Ignem.

LECTIO 6.

O sacratissima Filia, quæ in maternis ulnis cerneris, apostolicisque virtutibus formidabilis es! O sacratissima Filia, quæ Matris uberibus lactaris, atque ab Angelis undiquè cingeris! O cara Deo Filia, parentum decus! quàm ut abs te verè dictum est: generationes omnes beatam me dicent. Tu.

℟. Pulchra nimis et decora facie Virgo MARIA: * Inter cæteras puellas placuit Deo, et invenit gratiam in conspectu illius. ℣. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.—Inter.—Gloria.—Inter. *In Dupl.* 1. *et* 2. *Class.* Pulchra.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Cum junior esset * omnibus, nihil tamèn puerile gessit in opere.

2. Ab infantiâ * Deum timuit, et ab omni peccato se abstinuit.

3. Infans * perfecti decoris, candor lucis, et speculum sine maculâ.

℣. Immortalis est memoria illius.

℟. Apud Deum nota est et apud homines.

Pat. nost. *Absol.* Avinculis *Benedictio.* Evangelica. *Sequens Homilia dicitur in Duplicib. mayorib.*

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. c. 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi, Filii David, filii Abraham. Et reliqua.

Homilia S. Fulberti Ep. Carnutensis *Serm. de Nat. B. V*

Nata est Beatissima Virgo patre Nazaræno, Matre Bethleemita, quas urbes Christi nativitati, vel conversationi destinatas esse Prophetæ non tacuerunt. Descendit autem à radice illius fide præclari Aabrahæ, cui supernè promissa fuerat benedictio omnium gentium in semine suo, et ab stirpe David, quem Deus propter notam sibi probitatem egregiâ laude sublimavit, dicens: inveni virum secundum cor meum. Tu.

℟. Introduxit me Rex in cellaria sua: * Exultabimus et lætabimur in te memores misericordiarum tuarum. ℣. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis—Exultabim.

Bened. Cujus Infantiam.

LECTIO 8.

De regali nempè tribu, simùl et sacerdotali duxit originem, quæ summum Regem atque Pontificem erat paritura. Non tamèn hæc idcircò dixerimus, quòd Dominus, qui peccatores vocare venerat, dedignatus sit, Matrem suam peccatores habere cognatos, inter quos speciosa, velut inter spinas lilium, apparet. Tu.

℟. In odorem unguentorum tuorum currimus: * Adolescentulæ dilexerunt te nimis. ℣. Speciosa facta es et suavis in deliciis tuis, Virgo MARIA.—Adolesc.—Gloria. Adolesc. *In Dupl.* 1. *et* 2 *Clas.* In odorem.

Bened. Per Virginem Matrem.

LECTIO 9.

Hæc itaque electa, et insignis inter filias, non fortuitò quidem, aut solo placito parentum, vel plerique: sed divinâ dispensatione nomen accepit, ità ut ipsa quoquè vocabuli sui figura magnum quidem innueret, interpretatur enim Maris Stella. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Ecce nubecula * parva qua-

UNIVERSIDAD DE SAN BUENAVENTURA COLOMBIA
BIBLIOTECA CENTRAL DE BIBLIOTECAS

si vestigium hominis ascendebat de mari.

2. Fons parvus * crevit in fluvium maximum, et in aquas plurimas redundavit.

3. Abscissus est * lapis de monte sine manibus, et factus est mons magnus, qui implevit universam terram.

4. Puella ista * erit magna coram Domino, nam et manus ejus cum ipsâ est.

5. Ipsa est * mulier, quam præparavit Dominus Filio Domini mei.

CAPITULUM. *Cant.* 6. 8.

Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ.

HYMNUS 317.

O dulcis Infans, ô Soror!
Crescas, ut infelix genus,
Quod prima Mater perdidit,
Mater reformes altera.

Tibi perenni fœdere,
Infans, vovemus pectora:
Quâ tota jam consummeris,
Fac charitate ferveant.

Sit Trinitati gloria
Nobis dedit nam Virginem,
Salvos potest quæ reddere
Suos amantes famulos. Amen.

℣. Adducentur Regi Virgines post eam.

℟. Afferentur in lætitiâ et exultatione.

Ad Bened. *ant.* Trahe nos, * et post te curremus in odorem unguentorum tuorum: adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Oratio.

Majestatem tuam, omnipotens Deus, supplices deprecamur: ut qui exultantibus animis Beatissimæ semperque Virginis MARIÆ Commemorationem celebrare gaudemus, ejus gloriosis precibus et meritis, ab instantibus malis, et à morte perpetuâ liberemur. Per Dominum nostrum JESUM-Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus per omnia sæcula seculorum. Amen.

AD PRIMAM.

Ant. Ecce nubecula. *Capit.* Una est. *de Laud.*

℣. ℟. *br.* Que in tuâ Infantiâ maximè Deo placuisti.

Oratio de Laudibus.

AD TERTIAM.

Ant. Fons parvus.

CAPITULUM. *Sap.* 10. 7.

Super salutem, et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam: quoniàm inextinguibile est lumen illius. ℟. Deo gratias.

℟. *br.* Vulnerasti Cor meum, * Soror mea.—Vuln. ℣. In uno oculorum tuorum.—Soror.—Gloria.—Vuln.

℣. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.

℟. Collum tuum sicut monilia.

Oratio de Laudibus.

AD SEXTAM.

Ant. Abscissus est.

CAPITULUM. *Sap.* 8. 9.

Proposui ergò hanc adducere mihi ad convivendum: sciens, quoniàm mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tedii mei. ℟. Deo gratias.

℟. *br.* Pulchræ sunt genæ tuæ * Sicut turturis.—Pulchræ. ℣. Collum tuum sicut monilia.—Sicut.—Gloria.—Pulchræ.

℣. Sicut vitta coccinea labia tua.

℟. Et eloquium tuum dulce.

Oratio de Laudibus.

AD NONAM.

Ant. Ipsa est.

CAPITULUM. *Sap.* 8. 10.

Intrans in domum meam conquiescam cum illâ: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec lædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium. ℟. Deo grat.

℟. *br.* Sicut vitta coccinea * Labia tua.—Sicut. ℣. Et eloquium tuum dulce.—Labia.—Gloria.—Sicut.

℣. Puella perfecti decoris.

℟. Gaudium universæ terræ.

Oratio de Laudibus.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Te amavi, * et exquisivi à juventute meâ, Virgo MARIA.

2. Quàm pulchra * et quàm suavis es, carissima Puella, in deliciis tuis.

3. Cogitare de illâ * sensus est consummatus.

4. Circuibam quærens, * ut mihi illam assumerem, quia amator factus sum formæ illius.

5. Qui me invenerit, * inveniet vilam et hauriet salutem à Domino.

CAPITULUM. *Cant.* 6. 8.

Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. ℟. Deo gratias.

HYMNUS 318.

Quàm pulchra laudandi Deum,
Quàm magna mirandi seges,
Se prodit in suâ statim
Virgo parens Infantia!

In moribus maturitas,
Ætate major exilit;
Sed necquid humanum fuit
Os præter in te cernere.

Roseta qualis despicit
Se palma tollens altius:
Sic Virgo cunctas anteis
Virtute crescens filias.

Crescis, Deique munere
Ornata tantis dotibus,
Fis sola digna gignere
JESUM salutis Hostiam.

Sit Trinitati gloria,
Nobis dedit nam Virginem,
Salvos potest quæ reddere
Suos amantes famulos. Amen.

℣. Beatus venter, qui te portavit.

℟. Et ubera, quæ suxisti.

Ad Magnific. *ant.* Audi, Filia, * et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum Patris tui, quia concupivit Rex speciem tuam.

Oratio de Laudibus.

Sequens Homilia dicitur in Duplicibus minoribus.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi, filii David, filii Abraham. Et reliqua.

Homilia Sancti Justini Martyris.

Dialog. cum Tryphon. n. 100.

Filium igitur hominis seipsum dicebat, vel quia natus erat ex Virgine, ut jam dixi, ex Davidi, et Jacobi, et Isaaci, et Abrahami genere ortâ; vel quia ipsius Pater extitit Abraham, et eorum, quos recensui, ex quibus genus ducit MARIA. Nam qui feminas genuere, eos liberorum quos filiæ suscipiunt, patres esse scimus. Nam et unum ex discipulis suis, qui cum, revelante ipsius Patre, Filium Dei Christum esse agnoverat, Petrum appellavit, cum prius Simon vocaretur. Tu. ℟. Introduxit me. *p.* 889.

LECTIO 8.

Et cum Deum Filium Dei esse in commentariis Apostolorum scriptum legamus, et Filium dicimus illum, et esse intelligimus ac ante omnes res creatas ex Patre ipsius virtute et voluntate prodiisse (qui quidem et sapientia, et ilies, et oriens, et gladius, et lapis, et virga, et Jacob, et Israel, alio atque alio modo in Prophetarum libris

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

appellatus est), et ex Virgine hominem esse factum, ut quâ viâ initium orta à serpente inobedientia accepit, eâdem et dissolutionem acciperet. Tu. ℣. In odorem. *p.* 889.

LECTIO 9.

Eva enim cum Virgo esset, et incorrupta, sermone serpentis concepto, inobedientiam et mortem peperit: MARIA autem Virgo, cum fidem et gaudium percepisset, nuntianti Angelo Gabrieli lætum nuntium, nempè Spiritum Domini in eam superventurum, et virtutem Altissimi ei obumbraturam; ideòque id quod nascetur ex eâ sanctum, esse Filium Dei respondit: fiat mihi secundum Verbum tuum. Ex hâc ille genitus est, de quo tot scripturas dictas esse demonstravimus, per quem Deus serpentem, eique assimilatos Angelos, et homines profligat: eos autem, qui pravè factorum pœnitentiam agunt, à morte liberat. Tu. Te Matrem.

Sequens Homilia dicitur in Semiduplicibus.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 3. 23.

In illo tempore: JESUS erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur Filius JOSEPH, qui fuit Heli, qui fuit Mathat. Et reliqua.

Homilia Divi Joannis Episcopi Jerosolymitani.

De institutione Monach. c. 33. *in Bibl. PP.*

Quæro ergò, quid fuit puerum Eliæ semèl per decem gradus ascendere ad prospiciendum contra mare, et tunc ei nihil apparere. Certè hoc nihil aliud fuit, nisi quòd puer, id est, cœtus discipulorum, Eliæ, contemplando ascendit per illas decem generationes humanas à Beato Lucâ in Genealogiâ Christi positas, quæ fuerunt ante diluvium ab Adam usque ad Noe in primâ mundi ætate, et per eas discurrendo totum tempus, quod fuit à Noe usque ad Adam puer prospexit, si fortè eo tempore nubecula, id est, Infantula, aliqua esset nata contra mare, id est, contra solitam amaritudinem in vitiosâ propagine naturæ humanæ. Et quia nubecula illa non fuit à puero visa nasci in illâ primâ ætate mundi, ideò puer dicit: non est quicquam. Tu. ℣. Introduxit. *p.* 889.

LECTIO 8.

Præcepto tamen Eliæ rediit iterùm puer sepliès per decem gradus ad prospiciendum contra mare: Et rursùm, inquit, ait illi: revertere septem vicibus, et in primis sex vicibus nihil illi apparuit. Hoc autem scilicet, quod puer, id est, cœtus discipulorum, Eliæ, sexies per decem gradus rediens, nil vidit, denotat, cum ulteriùs per alias sex ætates generationum humanarum contemplando descendisse in Genealogiâ Christi, quam Beatus Lucas texit à Sem filio Noe, usque Jamne filium Joseph. Tu. ℣. In odorem. *p.* 889.

LECTIO 9.

Per has quidèm sex ætates generationum à Beato Lucâ in Genealogiâ Christi positarum, ascendit puer, id est, cœtus discipulorum, Eliæ, discurrendo totum tempus, quod fuit à Jamne usque ad Sem, et contemplando si fortè eo tempore nubecula, id est, Infantula, illa, esset nata. Et quia toto illo tempore nata non fuit, ideò tunc discipulus Eliæ minimè apparuit, quia in tempore comprehenso infra septimam illarum generationum ætatem, Beata MARIA nata à discipulis Eliæ visa fuit. Undè vice, inquit, unâ ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari. Tu. Te Matrem.

III.
TEMPORE

PRÆGNATIONIS.

Quod totum Adventum Domini includit.

IN I. VESP.

Ant. 1. Emitte Agnum * Dominatorem terræ à petrâ deserti ad montem filiæ Sion.

Psalmi de feriâ.

2. Fecit Dominus * novum super terram, femina circumdat virum utero suo.

3. Venter tuus, * Virgo MARIA, sicut acervus tritici vallatus liliis.

4. Congratulamini mihi, * quia de meis visceribus genui Deum, et hominem.

5. Lætamini, * et exultate in eâ, omnes qui diligitis eam.

CAPITULUM. *Isai.* 7. 11.

Pete tibi signum à Domino Deo tuo sive in profundum inferni, sivè in excelsum suprà.

HYMNUS 319. *Brev. Cartus.*

Mysterium Ecclesiæ
Hymnum Christo referimus,
Quem genuit Puerpera
Verbum Patris in Filium.
Sola in sexu femina
Electa es in sæcula,
Et mernisti Dominum
Sancto portare in utero.
Vates antiqui temporis
Prædixerunt quod factum est,
Quia Virgo conciperet
Et pareret Emmanuel.
Mysterium hoc magnum est,
MARIÆ quod concessum est,
Ut Deum, per quem omnia,
Ex se prodere cerneret.
Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par tibi laus Spiritus,
Quo dante, Virgo concipit,
Manetque semper integra. Amen.

Hæc Doxolog. dicitur in Hymnis ejusd. metri.

℣. Ave MARIA, gratiâ plena. ℟. Dominus tecum.

Ad Magnific. *ant.* Ecce completa * sunt omnia, quæ dicta sunt per angelum de MARIA Virgine.

Oratio de Laudibus.

Completor de feriâ.

AD MATUTIN.

Invitator. Benedicta tu in mulieribus: * Et benedictus fructus ventris tui.

Psalm. Invitator. Venite, exultemus.

HIMNUS 320. *Fr. Suertius.*

Quas tibi tandèm recitemus odas,
Quas tuis dignas meritis feremus
Vocibus laudes, tremulove plectro
Virgo MARIA?
Angelus faustam Gabriel salutem
Auferens cœlo tibi missus alto,
Nuntiat summi Genito Parentis.
Te fore Matrem.
Mœxque conceptam sobolem pudico
Ventris amplexu, nitido beati
Corporis clausam gremio, noveno
Mense tulisti.
Indè consueti spatio peracto
Temporis, nullum patiens dolorem
Lucidas partu puerum sereno
Edis in auras.
Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum, Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Virgo pariet * filium, et claritas partûs ejus replebit orbem terrarum.

2. MARIÆ Filius * regnabit in domo Jacob in æternum.

3. Vocabitur * nomen ejus, Admirabilis, Deus, Fortis.

℣. Angelus Domini nuntiavit MARIÆ.

℟. Et concepit de Spiritu Sancto. Pater nost. *Absol.* Exaudi, *Bened.* Benedictione.

Sequentes Lectiones leguntur in Dupl. majorib.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 1. *c.* 7. 10.

Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Et dixit Achaz: non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit: audite ergò domus David: nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Tu autem Domine nostra intercede pro nobis.

℟. Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum: * Aperiatur terra, et germinet Salvatorem. ℣. Ecce Virgo concipiet et pariet Filium. —Aperiatur.

Benedict. Primogenita.

LECTIO 2.

Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. Quia antequàm scial puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris à facie duorum regum suorum. Tu.

℟. Spiritus Sanctus in te descendet MARIA: * Ne timeas, habebis in utero Filium Dei. ℣. Ecce Virgo concipiet et pariet Filium.—Ne timeas.

Benedict. Spiritûs Sancti.

LECTIO 3.

Et egredietur Virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, et Intellectûs, Spiritus Consilii et Fortitudinis, Spiritus Scientiæ et Pietatis, et replevit eum Spiritus timoris Domini. Non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet, sed judicabit in justitiâ pauperes et arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Tu.

℟. Suscipe verbum, Virgo MARIA, quod tibi à Domino per Angelum transmissum est: * Concipies, et paries Deum pariter et hominem. ℣. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.—Concipies.—Gloria.—Concip.

In diebus primæ et 2. clas. Suscipe.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Quomodò fiet istud, * quoniàm virum non cognosco?

2. Ne timeas, MARIA, * invenisti enim gratiam apud Dominum.

3. Spiritus Sanctus * superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

℣. Ecce ancilla Domini.

℟. Fiat mihi secundum verbum tuum.

Pater nost. *Absol.* Ipsius. *Bened.*

Sermo S. Agustini Episcopi.

Serm. 83. *in append.*

LECTIO 4.

Loquamur aliquid fratres, in laudibus sacratissimæ Virginis MARIÆ. Sed quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in ejus laudibus referemus? Cum etsi omnium nostrorum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus. Altior cœlo est, de quâ loquimur. Abysso profundior, cujus laudes dicere conamur. Hæc est enim quæ sola meruit Mater et Sponsa vocari. Hæc primæ Matris damna resolvit. Hæc homini perdito redemptionem adduxit. Tu.

℟. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: * Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. ℣. Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.—Quod.

Bened. Filia Dei.

LECTIO 5.

Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo: Genitrix Domini nostri salutem edidit mundo: auctrix peccati Eva, auctrix meriti MARIA: Eva occidendo obfuit, MARIA vivificando profuit: Illa percussit, ista sanavit. Hæc enim mirabili, atque ineffabili modo omnium rerum, et sunm peperit Salvatorem. Quæ hæc Virgo tàm sancta, ad quam venire dignaretur Spiritus Sanctus? Quæ tàm speciosa, ut eam Deus sibi eligeret sponsam? Quæ tàm casta, ut esse posset Virgo post partum? Hæc est Dei templum, fons ille signatus, et porta in domo Dei clausa. Tu.

℟. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, * Et requiescet super eum Spiritus Domini. ℣. Orietur stella ex Jacob, et consurget homo de Israel. —Et requiescet.

Bened. Ignem divini.

LECTIO 6.

Ad hanc, ut dixi, Spiritus Sanctus descendit: hanc virtus Altissimi obumbravit. Hæc est immaculata coitu, fœcunda partu, Virgo lactans, Angelorum et hominum cibum nutriens. Meritò namque beata singulari à nobis præconio extollitur, quæ singulare commercium mundo præbuit. Denique tantum se ad cœli fastigia sublevavit ut Verbum in principio apud Deum de supernâ cœli arce susciperet. Tu.

℟. Beata es Virgo MARIA, quæ Dominum portasti Creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo. ℣. O felix MARIA, et omni laude dignissima, cujus visceribus auctor cœli et terræ commiltitur.—Genuisti.—Gloria. —Genuisti. *In Duplic.* 1. *et* 2. *class.* Beata es.

IN III. NOCT.

Ant 1. O sublimis Puerpera, * quæ Dominum Deum concepisti!

2. Concipiet Virgo, * et pariet Deum pariter et hominem.

3. Quis audivit * unquàm tale, et quis vidit huic simile.

℣. Et Verbum caro factum est.

℟. Et habitabit in nobis.

Sequens Homilia dicitur in Duplicib. majoribus.

Pater nost. *Absol.* A vinculis. *Bened.* Evangelica.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia Ven. Bedæ Presbyteri.

In cap. 1. *Lucæ.*

Ad MARIAM Virginem Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Benè gratiâ plena vocatur, quæ nimirum gratiam, quam nulla alia meruerat, assequitur: ut ipsum videlicet gratiæ concipiat et generet auctorem. Tu.

℣. Ecce Dominus veniet, et omnes Sancti ejus cum eo: * Et erit in die illâ lux magna. ℣. Ecce apparebit Dominus super nubem candidam, et cum eo sanctorum millia. —Et erit.

Benedict. Cujus Conceptum.

LECTIO 8.

Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus. Ilem

ergò Filius Altissimi, qui in utero virginali conceptus et natus est. Idem homo in tempore natus ex Matre, qui Deus est ante tempora natus ex Patre. Si autem idem homo, qui Deus est, omittat Nestorius hominem tantùm dicere ex Virgine natum. Tu.

℟. Ingressus angelus ad MARIAM, dixit: 'Ave gratiâ plena, Dominus tecum ℣. Ne timeas MARIA, invenisti enim gratiam coram Domino. —Ave.—Gloria.—Ave. *In Duplic.* 1 *et* 2. *cls.* Ingressus.

Bened. Per Virginem.

LECTIO 9.

Sanctum, inquit, vocabitur Filius Dei. Quid hic dicis, Nestoriane, qui Beatam MARIAM Dei negans esse Genitricem, apertè niteris impugnare veritatem? Ecce Deum dixit superventurum, Dei Filium nasciturum. Quomodò ergò, aut Dei Filius non est, aut quæ Deum edidit, quomodò Theotocos, id est, Dei Genitrix non esse potest? Tu.

Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Missus est ' Angelus Gabriel ad MARIAM Virginem desponsatam JOSEPH. *Psalmi de ferid.*

2. Ave MARIA, ' gratiâ plena, Dominus tecum.

3. Benedicta tu ' in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

4. Quod nascetur ' ex te sanctum, vocabitur Filius Dei,

5. Ecce ancilla ' Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

CAPITULUM. *Isri.* 7. 11.

Pete tibi signum à Domino Deo tuo inprofundum inferni, sive in excelsum suprà.

HYMNUS. 321. *Clairè.*

Quem terra fundo divite,
Quem pontus alto gurgite,
Quem celsa laudant sidera
Gestant MARIÆ viscera.
Cui luna, sol, et omnia
Statuta pendunt munia,
Captivus expers luminis,
Portatur alvo Virginis,
Beata cujus munere
Se clausit alvi carcere,
Qui cuncta solus sustinet,
Unusque cuncta continet.
Beata cœli nuntio,
Felix Dei consortio,
Quâ natus Infans gentibus
Desideratus omnibus.
Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par tibi laus Spiritus,
Quo dante Virgo concipit,
Manetque sempèr integra. Amen.

℣. Ne timeas MARIA.

℟. Invenisti gratiam apud Deum.

Ad Benedi. *ant.* Quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco? Spiritus Sanctus descendet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Oratio.

Deus qui de Beatæ MARIÆ Virginis utero, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, ut qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem. Dom.

AD PRIMAM.

Ant. Missus est. *Capit.* Pete tibi. *de Laudibus.*

℣. ℟. *br.* Quæ de Spiritu Sancto concepisti.

AD TERTIAM.

Ant. Ave MARIA.

CAPITULUM. *Isai* 7. 14.

Dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.

℟. *br.* Angelus Domini ' Nuntiavit MARIÆ.—Angelus. ℣. Et concepit de Spiritu Sancto.—Nuntiavit.—Gloria.—Angelus.

℣. Ecce ancilla Domini.

℟. Fiat mihi secundum Verbum tuum.

AD SEXTAM.

Ant. Benedicta.

CAPITULUM. *Isai* 7. 15.

Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.

℟. *br.* Ecce ' Ancilla Domini.—Ecce. ℣. Fiat mihi secundum verbum tuum.—Ancil.—Glor.—Ecce.

℣. Et Verbum caro factum est.

℟. Et habitavit in nobis.

AD NONAM.

Ant. Ecce ancilla.

CAPITULUM. *Isai.* 11. 1.

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.

℟. *br.* Et Verbum ' Caro factum est. ℣. Et Verb.

℣. Et habitavit in nobis.—Caro fact.—Glor.—Et.

℟. Beata quæ credidisti.

℟. Et invenisti gratiam apud Deum.

IN H. VESP.

Ant. 1. Beata es, ' Virgo MARIA quæ omnium portasti Creatorem.

2. Tuis sacris ' visceribus genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

3. Quem cœli ' capere non poterant, tuo gremio contulisti.

4. Quem totus ' non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.

5. Benedicta ' tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

CAPITULUM. *Isai.* 7. 11.

Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà.

HYMNUS 322. *S. Petr. Dam.*

O Genitrix æterni,
Virgo MARIA, Verbi!
Quæ vox, quæ lingua carnis
Par erit tuæ laudis?
Immensum concepisti,
Parentem peperisti:
Fit factor et factura,
Creans et creatura.
Quem mundus ferre nequit,
Totum vulva concepit:
Quo circuntur æther:
Puellæ clausit venter.
Servi formâ indutus,
Divinâ non exutus:
Suscepit quidem tua,
Sed non amisit sua.
Conceptus fœcundavit,
Natus non violavit:
Intravit et exivit,
Sed clausum dereliquit.
Sit tibi laus, Altissime,
Qui natus es ex Virgine:
Sit honor ineffabili
Patri sanctoque Flamini. Amen.

℣. Ecce Virgo pariet Filium.

℟. Et vocabitur Emmanuel.

Ad Magnif. *ant.* Ventre beato ' gaudia Matris habens cum Virginitatis honore, nec priùm similem visa est, nec habere sequentem.

Oratio de Laudib.

Completor. ut in ferid.

Sequens Homilia dicitur in Duplicib.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 29.

In illo tempore: Missus est angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Serm. 3. *in Annunt. B. V.*

Miraris, quòd Nazareth parva civitas, et tanti Regis nuntio illustretur et tanto? Sed magnus latet in hâc parvâ civitate thesaurus: latet, inquam, sed homines latet, non Deum. An non thesaurus MARIA? Ubicumquè illa est, et cor ejus. Oculi ejus super eam: ubique respicit humilitatem ancillæ suæ. No-

vit cœlum Unigenitus Dei Patris. Si novit cœlum, novit et Nazareth. Tu. ℟. Ecce Dominus. *p.* 895.

LECTIO 8.

Ne timeas MARIA, invenisti gratiam apud Deum. Quantam gratiam? Gratiam plenam, gratiam singularem? Utramque sine dubio, quia plenam, et eò singularem, quò generalem: ipsum enim generalem singulariter accepisti. Eò, inquam, singularem, quò generalem, nam solà præ omnibus gratiam invenisti. Singularem, quod sola hanc inveneris plenitudinem. Generalem, quod de ipsâ plenitudine accipiant universi. Tu. ℟. Et ingress. *p.* 896.

LECTIO 9.

Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Singulariter quidem fructus ventris tui est, sed ad omnium quidem mentes, te mediante, pervenit. Sic nimirum, sic olim ros totus in vellere, totus in aréâ, sed in nullâ parte aræ totus, sicut in vellere fuit. In te solâ Rex ille dives, et prædives exinanitus, excelsus humiliatus, immensus abbreviatus, et ab angelis minoratus est: verùs denique Deus, et Dei Filius incarnatus. Tu. Te Matrem.

Sequens Homilia dicitur in Semidup.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliq.

Homilia S. Joann. Damasceni.

Homil. 1. *cum Dorm. B. V.*

Cum autem venit, ut divinus Apostolus ait, pleniludo temporis, ad hanc vere Dei Filiam angelus Gabriel à Deo missus est, quam hisce verbis est allocutus: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Præclara sanè Angeli ad eam, quæ Angelis præstabat, alloculio. Gaudium enim totius orbis affert. Ista verò ob sermonem ejus turbata est, ut quæ cum viris colloqui minimè consueverat, cum virginitatem sedulò servare instituisset. Cogitabat autem qualis esset ista salutatio. Tu. ℟. Ecce Dominus. *p.* 896.

LECTIO 8.

Planè gratiam invenit, quæ gratiâ digna erat. Gratiam invenit, quæ gratiæ labores excoluerat, coptosamque segetem collegerat. Gratiam invenit, quæ gratiæ semina progenuit, et plenissimam gratiæ messem retulit. Gratiæ abyssum invenit, quæ duplicis Virginitatis navem servaverat incolumem. MARIA enim non minùs animum, quàm corpus Virginem custodierat: undè etiàm constabat corpori virginitas. Tu. ℟. Et ingress. *p.* 896.

LECTIO 9.

Et paries, inquit, Filium, et vocabis nomen ejus JESUM. Quid ad hæc veræ sapientiæ thesaurus? Evam quidèm primam parentem non imitatur: sed incautam potiùs ejus simplicitatem emendat, seque naturæ patrocinio munit: sic angeli verbis reponens: Quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco? Impossibilia narras, inquit, nam sermo tuus naturæ leges frangit, quas summus Pontifex sancit. Secunda Eva dici non patior, nec Conditori voluntatem possum dare. Tu. Te Matrem.

IV.

TEMPORE

PUERPERII.

A Nativitate Domini usque ad Purificationem.

IN I. VESP.

Ant. 1. Generationem ejus * quis enarrabit? Virgo peperit Salvatorem.

Psalmi de ferid.

2. Quis audivit * unquàm tale? Et quis vidit huic simile?

3. Et erit * germen Domini in magnificentiâ et gloriâ, et fructus terræ sublimis.

4. Hic est * Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.

5. Dilectus meus * mihi, et ego illi: inter ubera mea commorabitur.

CAPITULUM. *Ad Gal.* 4. 1.

Quanto tempore hæres parvulus est, nihil difert à servo, cum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus à patre.

HYMNUS 323. *Brev. Cart.*

Verè gratiâ plena es,
Et gloriosa permanens,
Quia ex te nobis natus es
Christus per quem sunt omnia.
Pastores, qui audierunt:
Gloriam Deo cantarunt:
Cucurrerunt in Bethleem,
Natum videre Dominum.
Sic Magi ab ortu solis
Propter stellæ indicium,
Probantes typum gentium
Primi obtulerunt munera.
Rogemus ergò populi
Dei Matrem et Virginem,
Ut ipsa nobis impetret
Pacem et indulgentiam.
JESU, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Hæc Doxologia dicitur ad hymnos ejusd. metri.

℣. Homo natus est in eâ.

℟. Et ipse fundavit eam Altissimus.

Ad Magnific. *ant.* Misit Deus * Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut adoptionem filiorum reciperemus.

Oratio de Laudib.

Completor. de ferid.

AD MATUTIN.

Invitator. Christum natum de MARIA Virgine, * Venite, adoremus.

Psalm. invitator. Venite, exultemus. *p.* 1.

HYMNUS 324. *S. Petr. Dam.*

Blandire, Mater, caro
Qui te creavit Nato:
Oscula grata fige,
Fasciis membra cinge.
Amplectere cœlestem,
Quem genuisti regem:
Cui servit sol et luna
Et omnis creatura.
Chori virtutum tremunt,
Quem viles panni tegunt:
Pavet cœlum et terra
Quem bajulat Puella.
Vagit in sinu Matris,
Regnat in throno Patris,
Legem Matris observat,
Mundi jura gubernat.
Da nobis hunc in fervido
Mentis gestare gremio:
Ex tuâ carne genitus
Nostris regnet in sensibus.
Sit tibi laus, Altissime,
Qui natus es ex Virgine:
Si honor ineffabili
Patri sanctoque Flamini. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Læva ejus, * su capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

2. Dilectus meus * mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia.

3. Totus desiderabilis: * talis est dilectus meus.

℣. Delectationes in dexterâ tuâ.

℟. Usque in finem.

Pater noster. *Absol.* Exaudi. *Benèd.*, Benedictione.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
BIBLIOTECA GENERAL DE HUMANIDADES

Sequentes Lectiones dicuntur in Dupl. majorib.

De Epistolâ Beati Pauli ad Galatas.

LECTIO 1. *c.* 4. 1.

Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus, et actoribus est usque ad præfinitum tempus à Patre. Ità et nos, cum essemus parvuli sub elementis mundi eramus servientes. Tu.

℟. Jacob genuit JOSEPH virum MARIÆ, de quâ natus est JESUS, * Qui vocatur Christus, ℣. Deus in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.—Qui vocatur.

Bened. Filia Dei.

LECTIO 2.

At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniàm autem estis filii, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater. Tu.

℣. Puer crescebat, et confortabatur, * Plenus sapientiâ, et gratia Dei erat in illo. ℣. Et Mater ejus conservabat omnia verba in corde suo.—Plenus.

Bened. Spiritûs Sancti.

LECTIO 3.

Itaquè jam non est servus, sed Filius. Quòd si Filius et hæres per Deum. Sed hunc quidèm ignorantes Deum, iis, qui naturâ non sunt dii, serviebatis. Nunc autèm cum cognoveritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodò convertimini iterùm ad infirma et egena elementa, quibus denuò servire vultis? Tu.

℟. Benedicta es tu Filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram, ℣. Quia per te fructum vitæ communicavimus. ℣. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis Sancta Dei Genitrix.—Quia.—Gloria.—Quia. *In Dupl.* 1. *et* 2. *Class.* Benedicta.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Quis mihi * det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ!

2. Utinàm * inveniam te, et deosculer te, et jam me nemo despiciat.

3. Verè tu es * Deus absconditus, Deus Israel Salvator.

℣. Veritas de terrâ orta est.

℟. Et justitia de cœlo prospexit. Pater noster. *Abs.* Ipsius pietas. *Bened.* Dei Mater.

Sermo S. Laurentii Justiniani Ep. *De casto connubio c.* 9.

LECTIO 9.

MARIA est gloriosa Domina, et beatâ femina, innupta, et fœcundâ, Mater et Virgo, ancilla et Genitrix, quæ culpam abstulit, et dedit gratiam, quæ contulit mundo pacem, hominibus Deum, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Ipsa effecta est porta cœli, paradisi janua, stella maris, solatium mundi, peccanti refugium, naufraganti portus, auxilium periclitanti, erranti via, desperanti salus, interemptrix peccati, diaboli terror. Tu.

℟. Beata Dei Genitrix MARIA, cujus viscera intacta permanent post partum: * Nobis genuit Salvatorem sæculorum. ℣. Beata quæ credidit, quoniàm perfecta sunt omnia, quæ dicta sunt ei à Domino.—Nobis.

Bened. Filia Dei.

LECTIO 5.

MARIA est tabernaculum testamenti, arca fœderis, templi propitiatorium, thronus Dei, virga florida, nubecula levis, hortus conclusus, fons signatus, porta clausa, columba immaculata, rosa redolens, lilium candens, flos nitens, virgula fumans, oliva virens, vitis fructificans, cupressus se attollens, palma florens, terebinthus se expandens, corpus germinans, terra pululans. Tu.

℟. Beata viscera MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium; * Et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum. ℣. Extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit: beatus venter qui te portavit.—Et beata.

Bened. Ignem divini.

LECTIO 6.

Est etiàm Dei Genitrix Virgo gloriosa. Aurora surgens, Lucifer rutilans, lunâ pulchrior, sole splendidior, auro purior, gemmis pretiosior, balsamo suavior, margaritis carior, nectare dulcior, omni armoniâ delectabilior. Hæc est Virgo pudicissima, quæ chirographum abstulit decreti, et protoparentum abstulit opprobium, quæ perenni mundo, et aquarum diluvio immendanti portum salutis aperuit. Tu.

℟. Osculetur me Mater meæ osculo oris sui, quia meliora sunt ubera sua vino, * Fragrantia unguentis optimis. ℣. Fasciculus myrræ dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur.—Fragrantia.—Gloria.—Fragrantia. *In Dupl.* 1. *et* 2. *Class.* Osculetur.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Dominus dedit * benignitatem, et terra nostra dedit fructum suum.

2. Benedicta tu * in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

3. Quæ nullo * susceptio semine Deum peperisti, et post partum Virgo permansisti.

℣. Beatus venter, qui te portavit

℟. Et ubera, quæ suxisti.

Pater noster. *Abs.* A vinculis. *Bened.* Evangelica.

Sequens Homilia legit. in Dupl. majoribus.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 18.

In illo tempore: Cum esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequàm convenirent, inventa est in utero, habens de Spiritu Sancto.

Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi.

Vel alius. Enarrat. in Matth. c. 1. *inter ejus opera.*

Quæritur quarè de desponsatâ Christus Virgine voluit nasci? Multis scilicèt de causis, ut scilicèt per JOSEPH generatio texeretur, et MARIA ab infamiâ defenderetur. Cum enim mulier sit fragilioris sexûs et magis pudibundi voluit Matrem suam, et non seipsum ab infamiâ tueri. Ipse enim dæmonium habere dicebatur; Filius patri, et potator vini vocabatur, tamèn hæc et alia opprobria libenter patiebatur. Tu.

℟. Nesciens Mater Virgo virum peperit sine dolore. * Salvatorum sæculorum, ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactabat ubere de cœlo plenum. ℣. Et benedicta in æternum nobis protulit Deum et hominem.—Salvatorem.

Bened. Cujus.

LECTIO 8.

Præterea noluit virginibus occasionem dare excusationis, eo quòd Mater Domini infamata fuisset. Propter etiàm aliam causam voluit de Virgine desponsatâ nasci ne de fornicatione damnata lapidibus obruetur, et etiàm, ut haberet qui eam procuraret, et puerum, et eam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

in Ægyptum ducerent, et ejus nutritius esset. Tu.

℟. Creator generis humani animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est: * Et procedens homo sine semine largitus est nobis suam deitatem. ℣ Quandò natus est ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt scripturæ.—Et.—Glor. —Et. *In Dupl.* 1. *et* 2. *Class.* Creator. *Bened.* Per Virginem.

LECTIO 9.

Deniquè et est alia principalis causa, ut diabolo partus Virginis celaretur, ut cum eam gravidam videret, à sponso, cui liceret, etiàm desponsationis tempore, gravidatam esse putaret. Significatur etiàm per MARIAM Ecclesia, quæ Virgo et Mater est. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Gloriosa * dicta sunt de te, MARIA, quæ Mater Dei effecta fuisti.

2. Homo * natus est in eâ, et ipse fundavit eam Altissimus.

3. Sicut lætantium, * omnium habitatio est in me, quia in plenitudine sanctorum detentio mea.

4. Enixa es * puerpera Regem, qui cœlum terramque regit in sæcula.

5. Tenui eum, * nec dimittam; inter ubera mea commorabitur.

CAPITULUM. *Gal.* 4. 1.

Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo cum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus à patre.

HYMNUS 325.

Nobis Deum, quæ parturis,
O Virgo Matrum maxima,
Preces tibi quas fundimus,
Offer benigna Filio.

Novi simùl tu fœderis,
Et orbis arca naufragi:
Columba pacis nuntia,
Et pacis obses mitteris.

Quo vivis, à te suscipit
Vitam Creator omnium:
Immensus inte nascitur,
De te fit Æternus caro.

Tuis tenetur legibus
Mundi tremendus Legifer
A te puer lac mutuat,
Qui dat cibum, quo pascimus.

Cœlum ferealem sustines,
Gressus Tonantis temperas,
Suoque stantem numine
Loco situque dimoves.

JESU, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Hic est Filius meus dilectus.
℟. In quo mihi benè complacui.

Ad Benedict *ant.* Et Mater ejus * conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.

Oremus.

Deus, qui Filium tuum ad nos per Virginem dì natus es mittere, da nobis ad te, suffragantibus ejusdem Beatæ MARIÆ precibus, jugiter festinare. Per eumdem.

AD PRIMAM.

Ant. Gloriosa. *Capit.* Quanto tempore.

℣. ℟. *br.* Quæ Filium Dei inviolata peperisti.

AD TERTIAM.

Ant. Homo.

CAPITULUM. *Gal.* 4. 4.

Ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

℟. *br.* Homo * Natus est in eâ.—Homo. ℣. Et ipse fundavit eam Altissimus.—Natus.—Gloria.—Homo.

℣. Læva ejus sub capite meo.

℟. Et dextera illius amplexabitur me.

AD SEXTAM.

Ant. Sicut lætantium.

CAPITULUM. *Galat.* 4. 6.

Quoniàm autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater.

℟. *br.* Læva ejus * Sub capite meo.—Læva. ℣. Et dextera illius amplexabitur me.—Sub.—Gloria. —Læva.

℣. Delectationes in dexterâ tuâ.
℟. Usque in finem.

AD NONAM.

Ant. Tenui eum.

CAPITULUM. *Gal.* 4. 7.

Itaquè jam non est servus, sed filius, quòd si filius, et hæres per Deum.

℟. *br.* Delectationes * In dexterâ tuâ.—Delectationes. ℣. Usque in finem. — In.—Gloria.—Delectationes.

℣. Hic est Filius meus dilectus.
℟. In quo mihi benè complacui.

IN II. VESP.

Ant. 1 Puerpera * sine viro Virgo, ac post. partum Virgo semper existens.

2. Peperit * filium masculum qui recturus erat omnes gentes in virgâ ferreâ.

3. Peperit * filium suum primogenitum, et pannis eum involvit.

4. Omnis gloria * ejusâ Partu, peperit enim ipsum Dominum.

5. Gloriosa * dicta sunt de te Virgo MARIA, quæ Deum concepisti, et peperisti.

CAPITULUM. *Galat.* 4. 1

Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit Dominus omnium; sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus à patre.

HIMNUS 326 *Brev. Gallic.*

Stupete cœlestes chori,
Qui concta pascit et fovet,
Cibus perennis cœlitum
Nunc lactis indiget cibo.

Verbum Patris factum caro
Mortalis in Matris sinu,
Labris puer tenellis
Materna sugit ubera.

Ablandiens Mater sinu
Fovet vicissim Filium:
Auctoris et se silens
Miratur altricem sui.

O Virgo, fac tuâ prece
Nobis tuus sit Filius,
Lac dulce, si parvi simus,
Fortisque, si grandes, cibus.

JESU, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen

℣. Veritas de terrâ orta est.
℟. Et justitia de cœlo prospexit.

Ad Magnif. *ant.* Parvulus natus est nobis de Virgine MARIA, et filius Dei datus est nobis. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

Oratio de Laudibus.

Completorium ut in feriali officio. Sequens Homil. dicitur in Duplicib.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 18.

In illo tempore: cum esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequàm convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Et reliqua.

Homilia S. Hildephonsi Archiep. Toletani

Serm. 2. *in Natiy. Dom.*

O felix MARIA! O genitrix gloriosa! O puerpera sublimis, cujus visceribus auctor cœli et terræ commititur! O felicia oscula labiis impressa lactantis, cum inter crebra indicia raptantis infantiæ, utpotè

verus ex te Filius tibi Matri adluderet, cum ex Patre Dominus imperaret. Nam auctorem tuum ipsa concipiens, edidis in tempore puberem, quem habueras ante conditorem. O felix puerperium, delectabile angelis, expectabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis, qui post multas assumptæ carnis injurias, et ad ultimum urebatur flagris, potatus felle, ut te veram Matrem ostenderet, verum se hominem patiendo tormenta monstravit. Tu. ℣. Nesciens *p.* 901.

LECTIO 8.

Tu verò beata, gloriosaque MARIA, inter ista, et propter ipsa laudabilis: quæ sic fœcunditatis meruisti donum, Virginitatis quoque non amisisti suffragium. Tu es enim benedicta inter mulieres, tu præclara cunctis Virginum catervis, tu sequeris agnum, quocumque perrexerit. Tu virgineos choros, et ab incentivis carnis illecebris alienos, per albentia lilia, rosasque vernantes ad fontem hujus vitæ polandos invitas. Tu in illarum beatarum virtutum felicissimâ regione pruni ordinis dignitate indempta plantis rosciclis oberrans inter paradisi amœnitatis gramineos choros tenero poplite pergens, felicique palma violas immarcessibiles carpis. Tu concinentibus sine fine conjuncta choris, Angelis, archangelisque sociata indefessâ voce: Sanctus: clamitare non desinis. Tu. ℣. Creator generis. *p.* 902.

LECTIO 9.

Sed quid dicam pauper ingenio, cum de te quidquid dixero, minùs profectò est, quàm dignitas tua meretur. Si Matrem gentium te vocem, præcellis: si formam Dei appellem, digna existis: si nutricem cœlestis panis te vocitem, lactis dulcedine repleis. Lacta ergò, Mater, cibum tuum: lacta panem cœlestem: lacta cibum angelorum: lacta eum, qui talem fecit te, ut ipse fieret in te: qui tibi munus fœcunditatis attulit conceptus, et decus Virginitatis non abstulit natus: qui priusquàm nascereris, te Matrem creavit, ex quâ nascereris, ut illinc procederet tanquàm Sponsus de thalamo suo, qui mortalibus oculis possit videri. Quanta fuit hæc dignatio, ut crearetur ex te, quam creavit: portaretur manibus, quas formavit: surgeret tua ubera, quæ ipse implevit. Tu. Te Matrem.

Sequens Homilia dicitur in Semiduplicibus.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 1. 18.

In illo tempore: cum esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Et reliqua.

Homilia Sancti Petri Paschasii Ep. et Mart.

In libr. Bibliæ parvæ titulo 23.

Beata Virgo MARIA concepit Filium Dei, de illâ humanam carnem assumendo, ipsâ incorruptâ manente in partu, post partum, et ante partum. Et hoc, quod verum sit..... ostenditur per Jeremiam Prophetam dicentem: Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum, id est, virgo pariet virum, qui vocabitur pulchritudo justitiæ, mons sanctus, cui Dominus benedicat. Adhùc per Ezechielem Prophetam Virgo MARIA præfigurata est, cujus auctoritatem in medio proferam, sicut scriptum est in libro ejus, ubi sic dicit: Converti me ad portam Sanctuarii, et erat clausa, et vir non transiet per eam, sed princeps ipse

sedebit in eâ. Tu. ℣. Nesciens Mater. p. 909.

LECTIO 8.

Aliàs convincitur per Spiritum Sanctum, qui Deus est, sicut scriptum est in libro Canticorum Salomonis, ubi inviolato pudori et partui Virginis MARIÆ canit, sic dicens: Hortus conclusus Soror mea, fons signatus, emissiones tuæ sicut paradisus Dei, in quo testificatur Salomon, quòd Virgo MARIA conceptura erat Virgo, et sine dolore aliquo paritura, et futura erat, ceu hortus conclusus, et quasi fons signatus: idque quod ab eo procederet, quasi paradisus Dei, id est, Emmanuel, Nobiscum Deus, Deus nempè et homo, videlicet Salvator Christus, cujus cum omnes Deitatem aspexerint, Dei paradisum intuebantur, qui de prædicto horto clauso, et signato forte prodivit, id est, de excellentissimâ Virgine MARIA, quæ sine carnali complexu Filium Dei concepit, sicut lux per vitrum et ab eâ natus est, et jugitèr clausa et signata permansit. Nam hæc tam excelsa et miranda conceptio edita est et facta supra omne corpus naturæ. Tu. ℣. Creator generis. p. 902.

LECTIO 9.

Qua propter in Beatæ Virginis partu nihil exitit, quod ante et post partum fuerit superfluum, ut nonnulli malevoli ausi sunt dicere. Et quod hoc verum sit, Deus jam figuraliter Moysis tempore demonstrare constituit. Legimus enim, quòd cum filii essent Israel in deserto, et sitis eos magna vexaret, ingens adfuit ibi saxum, et durissimus lapis. Et dixit Deus Moysi: Tange petram in virgâ, et illa dabit aquas. Dicite mihi, quâ intravit, vel quâ ingressa est aqua, cum esset undequaquè interclusum saxum? Sanè dicendum est, quòd supra omne naturæ opus est factum. Similiter ergò credimus, quòd concepit et peperit, et ingressus et egressus est supra omne opus naturæ. Tu. Te Matrem.

V.

TEMPORE.

VITÆ CONTEMPLATIVÆ.

A Purificatione usque ad Passionem.

IN I. VESPER.

Ant. 1. Dilectus meus * mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.

Psalmi de feriâ.

2. Fasciculus myrrhæ * dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.

3. Ego dilecto meo, * et ad me conversio ejus: tenui eum, nec dimittam.

4. Sub umbrâ * illius, quem desideraverunt sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.

5. Fulcite me * floribus, et stipate me malis, quia amore langueo.

CAPITULUM *Prov.* 8. 34.

Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidiè, et observat ad postes ostii mei.

HYMNUS 327. *Ex quod devotion.*

Virgo, decus Angelicum
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.
Qui te gustant, esuriunt,
Qui bibunt, adhuc sitiunt,
Desiderare nesciunt,
Nisi Matrem, quam diligunt.
O Mater amantissima!
Mulierum pulcherrima:
O sanctitatis anima,
Accende cordis intima.
JESUM fac nos diligere,
Nos tibi magis credere:
In posterum non sapere

Nisi terrena spernere.
Summo Parenti cœlitum,
Magnæque Proli Virginis,
Sancto simùl Paraclito,
Sit summa laus et gloria. Amen.

Hæc de Doxolog. dicitur toto hoc tempore.

℣. JESUS, Deus cordis mei.
℟. Et pars mea JESUS in æternum.

Ad Magnif. *ant.* Exultavit * Spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem meam.

Oratio de laudibus.

Completor de ferid.

AD MATUTIN.

Invitator. In honorem Beatissimæ Virginis MARIÆ * Jubilemus Deo salutari nostro.

HYMNUS 328. *Fr. Suvertius.*

O quater felix, deciesque Mater
Quæ hæanthropon peperisse Regem,
Cui subest orens, mare, terra, cœlum
Digna fuisti.
Tuque quam terræ Dominam vocamus,
Quam maris stellam tumidi nitentem,
Quamque Reginam spatiosi Olympi
Esse fatemur,
Filium nostris placidum precamur
Lapsibus reddas, animæque culpis,
Qui suâ nobis pietate cœli
Gaudia donet.
Solare tristes, adjuva gementes,
Erige lapsos, sustine devotos,
Infirmos sana, pauperi succurre,
Mater ex omnium.
Sit summo decus sine fine Christo
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Venite ad me, * en proferam vobis Spiritum meum, et ostendam vobis verba mea.

2. Omnes viæ ejus * pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ.

3. Ne dimittas eam, * et custodiet te, dilige eam et conservabit te.

℣. Concupivit Rex decorem tuum.
℟. Quoniàm ipse est Dominus Deus tuus.

Pat. nost. *Absol.* Exaudi. *Bened.* Benedictione.

Sequentes Lectiones dicuntur in Duplic. maj.

De Canticis Canticorum.

LECTIO 1. *c.* 1. 11.

Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Tu.

℟. Fecit sibi cubiculum in corde suo, * In quo clausa morabatur. ℣. Omnis gloria filiæ Regis ab intùs.—In quo.

Bened. Primogenita.

LECTIO 2. *c.* 2. 3.

Sub umbrâ illius, quem desideraveram, sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam. Ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Tu.

℟. Filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, * Adjuro vos, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. ℣. Ego dormio, et cor meum vigilat. —Adjuro.

Bened. Spiritûs Sancti.

LECTIO 3. *v.* 12.

Surge, amica mea, speciosa mea, et veni: columba mea in foraminibus petræ, in caverná maceriæ ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donèc aspiret dies, et inclinentur umbræ. Tu.

℟. Vulnerasti cor meum, Soror mea, Sponsa, * Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. ℣. Vox dilecti mei: en ipse stat post parietem nostram, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.—Vulnerasti.—Gloria.—Vulner. *In Dupl.* 1. *et* 2. *Class.* Vuln.—Soror.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Cogitat Virgo, * quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.

2. Oculi tui * columbarum absque eo quod intrinsecùs latet.

3. Lex Dei ejus * in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus.

℣. Deus in medio ejus.
℟. Non commovebitur.

Pat. nost. *Absol.* Ipsius pietas. *Bened.* Dei Mater.

De Expositione B. Ruperti Abbatis in Cantico Canticorum. *Libr.* 5.

LECTIO 4.

Ego dormio, et cor meum vigilat. Ecce hic, ô MARIA beatissima, ecce hic nobis quasi per speculum in ænigmate sublucet vita tua, vita inclita, quæ cunctas illustrat Ecclesias. Totus ferè hujus capituli sensus ad illud pertinet, quod in te latet, et supra nos est, ut dicatur dilectus: Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecùs latet. Tu.

℟. Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es, * Absque eo, quod intrinsecus latet. ℣. Oculi tui columbarum.—Absque.

Bened. Filia Dei.

LECTIO 5.

Admoveamus ergò hoc speculum, et diligentèr oculis cordis exindè contemplemur, ut saltem aliquâ ex parte cognoscamus sanctissimam conversationem tuam. Dicis: ego dormio, et cor meum vigilat. Quid hoc est aliud, nisi illud ipsum, quod alibi dicit habitatrix pectoris tui Sapientiâ Dei: In omnibus requiem quæsivi. Et quid hæc sunt: nisi optimam partem elegit, relictis cunctis sollicitudinibus, et curis sæculi? Tu.

℟. Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto meo, * Quia amore langueo. ℣. Ignis accensus est in corde meo, et defeci ferre non sustinens.—Quia.

Bened. Ignem divini amoris.

LECTIO 6.

Et quidèm multæ filiæ, sivæ multæ animæ laliter dormierunt, vel dormire cupierunt, sed tu dormitionis hujus totum oblines magisterium, et vigiliarum cordis totum tenes principatum. Quid aliud nobis in Psalmo loquitur dilectus: Vacate et videte, quoniàm ego sum Deus. Hoc namquè idem est, ac si diceret: vos dormite, et cor vestrum vigilet. Sic pater tuus Jacob, quandò dormivit, tunc cor ejus vigilavit. Tu.

℟. Quid mihi est in cœlo, et à te quid voluì super terram? * Defecit caro mea, et cor meum Deus cordis mei. ℣. Fulcite me floribus, et stipate me malis, quia amore langueo. —Defecit. —Gloria. —Defecit. *In Dupl.* 1 *et* 2 *Clas.* Quid.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Spiritus meus * super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.

2. Odor * unguentorum tuorum super omnia aromata.

3. Ne suscitetis, neque evigila-

re faciatis dilectam donèc ipsa velit.

℣. Exultavit Spiritus meus. ℟. In Deo salutari meo.

Pater nost. *Absol.* A vinculis. *Benedict.* Evangelica.

Sequens Homilia legitur in Duplic. majoribus.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 48.

In illo tempore: Dixit Mater JESU ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In Dom. infr. Octav. Epiph.

Quid est, quod ait Evangelista, scilicet, quòd ipsi non intellexerunt Verbum, quod locutus fuerat? Non hoc de MARIA dictum arbitror, quæ ex quo Spiritus Sanctus supervenit in eam, et ei virtus Altissimi obumbravit, nullum Filii consilium potuit nescire, sed cæteris nescientibus, sive non intelligentibus, quod dixerit, MARIA, ut sciens et intelligens conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Tu.

℟. Mens Virginis in ardore contemplationis adeò continuò tenebatur, * Ut nec quidem cum somnum caperet, ab eâ desisteret. ℣. Cum quiesceret corpus, vigilabat animus. —Ut.

Bened. Cujus festum.

LECTIO 8.

Memoriâ conservabat, meditatione ruminabat, et hæc cum cæteris, quæ de eo viderat, et audierat, conferebat. Ita etiàm tum Beatissima Virgo providebat nobis, ne tàm dulcia, tàm salubria, tàm necessaria, aliquâ negligentiâ laberentur, et propterea nec scriberentur, nec prædicarentur, et sic sequentes hujus spiritualis mannæ deliciis fraudarentur. Tu.

℟. Concaluit cor meum intra me, * Et in meditatione meâ exardescet ignis. ℣. Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum. —Et.—Gloria.—Et. *In Dupl.* 1. *et* 2. *Clas.* Concaluit.

Bened. Per Virginem.

LECTIO 9.

Omnia igitur hæc Virgo prudentissima fidelitèr conservavit, verecundè tacuit, opportunè prodidit, et sanctis Discipulis et Apostolis prædicanda commisit. De his verò quæ sequuntur: JESUS proficiebat ætate, et sapientiâ et gratiâ apud Deum et homines multi multa dixerunt, et diversa sentiunt, de quorum sententiis non est nostrum judicare. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Sub umbrâ * illius, quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.

2. Qui creavit me, * requievit in tabernaculo meo.

3. Mihi adhærere * Deo bonum est, et ponere in Domino spem meam.

4. Super mel * ori meo eloquia tua: quàm dulcia faucibus meis.

5. Vivo ego * jam non ego: vivit verò in me Christus.

CAPITULUM. *Prov.* 8. 34.

Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidiè, et observat ad postes ostii mei.

HYMNUS. 329. *Ex Br. S. Sulpic.*

Sanctum te, Genitrix, Flamen obumbrans,
Quo non interiùs te litat igne!
Ædsians virginei pectoris hospes
Urit tecta suis hospita flammis.

Et tu quanta Deo dona rependis?
Natum casta paris Sponsa parentis:
Verbum carne tegis, Mater, et intùs
Templum Spiritui Virgo ministras.
O quot supplicibus fervida votis

Ultrices reprimis Numinis iram!
Quidquid grande potest tradere Numen,
Matri Natus tradit amanti.
Sit laus summa Patri, summaque Nato,
Compar Spiritui gloria Sancto:
Quos in corde foves Virginis æstus,
Nostris, alme Deus, cordibus infer.
Amen.

℣. Concupivit Rex decorem tuum.

℟. Quia ipse est Dominus Deus tuus.

Ad Benedict. *ant.* Et veniens JESUS * Nazareth, erat subditus illis: et Mater ejus conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.

Oratio.

Ineffabilem misericordiam tuam, Domine, nobis clementèr ostende, ut qui toto cordis affectu Beatissimæ Virginis MARIÆ memoriam celebramus, ejus intercedentibus meritis, à cunctis adversitatibus liberemur. Per Dom.

AD PRIMAM.

Ant. Sub umbrâ. *Capitul.* Beatus homo.

℣, ℟. *br.* Quæ optimam partem elegisti.

AD TERTIAM.

Ant. Qui creavit me.

CAPITULUM. *Esth.* 14. 3.

Domine mi, qui Rex noster es solus, adjuva me solitariam, et cujus præter te non est auxiliator alius.

℟. *br.* Spiritus meus * Super mel dulcis.—Spiritus. ℣. Et hæreditas mea super mel et favum.—Super.—Gloria.—Spiritus.

℣. Favus distillans labia tua.

℟. Mel et lac sub linguâ tuâ.

AD SEXTAM.

Ant. Mihi adhærere.

CAPITULUM. *Judith* 8. 5.

In superioribus domûs suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo clausa morabatur.

℟. *br.* Descendit * Cum eis Nazareth.—Descendit. ℣. Et erat subditus illis.—Cum. —Gloria. Descendit.

℣. Sol et luna steterunt in habitaculo suo.

℟. In luce sagittarum tuarum.

AD NONAM.

Ant. Vivo ego.

CAPITULUM. *Ose* 2. 14.

Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.

℟. *br.* Introduxit me * In cellam vinariam.—Introduxit. ℣. Ordinavit in me charitatem.—In.—Gloria.—Introduxit.

℣. Fulcite me floribus.

℟. Quia amore langueo.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Ascendam * in palmam, et apprehendam fructum ejus.

2. Hortus conclusus, * Soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

3. Descendi * in hortum meum, ut viderem poma convallium.

4. Sedebit, * et tacebit, quia levavit super se.

5. Elevatio * manuum mearum, sacrificium vespertinum.

CAPITULUM. *Prov.* 8. 34.

Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidiè, et observat ad postes ostii mei.

HYMNUS. 330. *Br. S. Sulpicii.*

Hic adsta docilis gens sacra Christo,
Audi, docta datur Virgo Magistra,
Factis corda suis erudit intùs,
Et virtutis iter prævia monstrat.
Fervet mille modis pectoris æstus,
Dum fit grata Deo, fit sibi vilis:
Quæ regem superum concipit alvo,
Ancillæ titulo verba superbit.

Unum scire Deum Spiritus ardet,
In se totus abil, non vagus extra,
Illibata timet Virgo videri,
Abscondique suis ædibus ambit.
Secretâ placidæ mentis in aulâ
Audit blanda Dei verba loquentis:
Pro verbis, lacitos, quos Deus afflat
De puro gemitus corde rependit.
Sponsa casta suo sponso fidele
Hic dat perpetui pignus amoris:
Hic desideriis icta supernis
Mens jam pasta Deo præripit astra.
Sit summa laus Patri, summaque Nato,
Compar Spiritui, gloria Sancto:
Quos in corde foves Virginis æstus,
Nostris, alme Deus, cordibus infer.
Amen.

℣. Venite ad sanctuarium Domini.

℟. Quod sanctificavit Deus in æternum.

Ad Magnif. *ant.* MARIA * optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.

Oratio de Laudibus.

Complet. de feria.

Sequens Homil. dicitur in Duplicibus.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 42.

In illo tempore: Dixit JESUS Marthæ: Maria optimam partem elegit. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ arch. Valentini.

Conc. 3 *in assumpt. B. V.*

Hanc partem optimam sibi elegit MARIA. MARIA illa felix maxima beatarum Mariarum, maxima feminarum: MARIA, inquam, illa, quæ neque similem visa est, nec habere sequentem. Non de te, ô Virgo beata, aliud opus legimus, nisi hoc. Non erant tibi amplissimæ facultates, undè famelicos aleres, nudos vestires, infirmos curares, indigentibus necessaria ministrares: non de te miracula et portenta leginus, nisi post mortem tuam. Tu.

℟. Mens Virginis. *p.* 908.

LECTIO 8.

Evangelium autèm nulla de te scribit miracula, quibus vita tua in populis magnificaretur, et in oculis gentibus illustraretur. Omnis gloria filiæ Regis ab intùs in fimbriis aureis, in purissimis cogitationibus, in ardentibus desideriis, in ineffabilibus gaudiis, in cœlestium virtutum spiritualibus infusionibus, et lucidissimis theoriis. Tu.

℟. Concaluit cor. *p.* 908.

LECTIO 9.

Hæc erat vita MARIÆ: uni soli necessario vacare, illi soli intendere, circa multa non sollicitari. Quæ est omnis contemplatio, si ad ejus exlasim, quæ est omnis devotio, si ad ejus spiritum comparetur? Quis unquàm anachoritarum tam vivax et potens visu, ut irreverberatâ acie solem lucidum speculareter, sicut aquila hæc perspicacissima, amicta sole, et luna sub pedibus ejus? Tu. Te Matrem.

Sequens Homil. dicitur in Semiduplicibus.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 51.

In illo tempore: Descendit JESUS cum Parentibus suis, et venit Nazareth, et erat subditus illis.

Et reliqua.

Homilia Ven. Bedæ Presbyteri,

Dom. 1 post Epiph.

Dicebat ergò arcanum suæ divinæ virtutis parentibus humanæ suæ fragilitatis, Matri suæ, scilicet, suæ carnis, et castissimo tutori castitatis illius, qui per id temporis, necdùm prolatâ lege evangelicâ, ab omnibus penè, qui eos nosse poterant, carnali conjunctione vir ejus, carnali administratione Pater æstimabatur, simùl et vocabatur ipsius Domini salvatoris.

Tu. ℟. Mens Virginis. *p.* 908.

LECTIO 8.

Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Omnia, quæ de Domino, vel à Domino dicta, sive acta cognoverat Mater Virgo, diligentiùs in corde retinebat, sollicita cuncta memoriæ commendabat, ut cum dum tempus prædicandæ, sive scribendæ Incarnationis adveniret, sufficientèr universa, prout essent gesta, posset explicare quærentibus.

Tu. ℟. Concaluit. p. 908.

LECTIO 9.

Imitemur et nos, fratres mei, piam Domini Matrem, ipsi quoquè omnia verba et facta Domini, ac Salvatoris nostri fixa in corde conservando, horum meditatione diurnâ et nocturnâ importunos innanium, nocentiumque cogitationum repellamus incursus. Tu. Te Matrem.

VI.

TEMPORE

VITÆ DOLOROSA.

Quod totum Passionis tempus includit.

IN I. VESP.

Ant. 1. inundaverunt * aquæ tribulationis super caput meum.

Psalmi de Ferid.

2. Vide, Domine, * et considera, quoniàm tribulor: velocitèr exaudi me.

3. Contritum est * cor meum in medio mei: contremuerunt omnia ossa mea.

4. Cum turbata fuerit * anima mea, Domine, miserere mei.

5. Fili mi, * ne derelinquas me desolatam, et mœrore confectam.

CAPITULUM.

Vocem quasi parturientis audivi, angustiam, ut puerperæ: Vox filiæ Sion intermorientis, expandensque manus suas: væ mihi, quia defecit anima mea.

HYMNUS 331.

Dum spargit aram Sanguine
JESU, salutis hostia,
Præsens doloris æmulum
MARIA pectus immolat.
Caput cruentum Filii
Matris coronat verticem:
Clavis iisdem figitur
Christus cruci, Christo parens.
O passionis mutuæ
JESU MARIÆ conscii!
Alterna vobis vulnera
Inferre tandèm parcite.
Quem vos dolelis, noster est
Error furorque criminum:
Totum scelus fatentibus
Partem doloris reddite.
Sit honor, laus, devotio,
JESU MARIÆ Filio,
Tenso crucis patibulo
Pro redimendo populo. Amen.

Hæc Doxologia dicitur toto hoc tempore.

℣. Regina Martyrum ora pro nobis.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnif. *ant.* Magna est * velut mare, contritio tua, Virgo MARIA: et non est qui consoletur te in omnibus angustiis tuis.

Oratio de Laudib.

Completorium de ferid.

AD MATUTIN.

Invitator. Dolores recolentes Matris, * Filium pro nobis passum, venite, adoremus.

HYMNUS 332. *Brev. Rom.*

Jam toto subiló vesper eat polo
Et sol altonitum præcipitet diem,
Dum sevæ recolo ludibrium necis
Divinamque catastrophem.
Spectatrix aderas supplicio Parens,
Malis unda gerens cor adamantinum,

Unum scire Deum Spiritus ardet,
In se totus abil, non vagus extra,
Illibata timet Virgo videri,
Abscondique suis ædibus ambit.
Secretâ placidæ mentis in aulâ
Audit blanda Dei verba loquentis:
Pro verbis, lacitos, quos Deus afflat
De puro gemitus corde rependit.
Sponsa casta suo sponso fidele
Hic dat perpetui pignus amoris:
Hic desideriis icta supernis
Mens jam pasta Deo præripit astra.
Sit summa laus Patri, summaque Nato,
Compar Spiritui, gloria Sancto:
Quos in corde foves Virginis æstus,
Nostris, alme Deus, cordibus infer.
Amen.

℣. Venite ad sanctuarium Domini.

℟. Quod sanctificavit Deus in æternum.

Ad Magnif. *ant.* MARIA * optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.

Oratio de Laudibus.

Complet. de feria.

Sequens Homil. dicitur in Duplicibus.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 42.

In illo tempore: Dixit JESUS Marthæ: Maria optimam partem elegit. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ arch. Valentini.

Conc. 3 *in assumpt. B. V.*

Hanc partem optimam sibi elegit MARIA. MARIA illa felix maxima beatarum Mariarum, maxima feminarum: MARIA, inquam, illa, quæ neque similem visa est, nec habere sequentem. Non de te, ô Virgo beata, aliud opus legimus, nisi hoc. Non erant tibi amplissimæ facultates, undè famelicos aleres, nudos vestires, infirmos curares, indigentibus necessaria ministrares: non de te miracula et portenta leginus, nisi post mortem tuam. Tu.

℟. Mens Virginis. *p.* 908.

LECTIO 8.

Evangelium autèm nulla de te scribit miracula, quibus vita tua in populis magnificaretur, et in oculis gentibus illustraretur. Omnis gloria filiæ Regis ab intùs in fimbriis aureis, in purissimis cogitationibus, in ardentibus desideriis, in ineffabilibus gaudiis, in cœlestium virtutum spiritualibus infusionibus, et lucidissimis theoriis. Tu.

℟. Concaluit cor. *p.* 908.

LECTIO 9.

Hæc erat vita MARIÆ: uni soli necessario vacare, illi soli intendere, circa multa non sollicitari. Quæ est omnis contemplatio, si ad ejus exlasim, quæ est omnis devotio, si ad ejus spiritum comparetur? Quis unquàm anachoritarum tam vivax et potens visu, ut irreverberatâ acie solem lucidum speculareter, sicut aquila hæc perspicacissima, amicta sole, et luna sub pedibus ejus? Tu. Te Matrem.

Sequens Homil. dicitur in Semiduplicibus.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 2. 51.

In illo tempore: Descendit JESUS cum Parentibus suis, et venit Nazareth, et erat subditus illis.

Et reliqua.

Homilia Ven. Bedæ Presbyteri,

Dom. 1 post Epiph.

Dicebat ergò arcanum suæ divinæ virtutis parentibus humanæ suæ fragilitatis, Matri suæ, scilicet, suæ carnis, et castissimo tutori castitatis illius, qui per id temporis, necdùm prolatâ lege evangelicâ, ab omnibus penè, qui eos nosse poterant, carnali conjunctione vir ejus, carnali administratione Pater æstimabatur, simùl et vocabatur ipsius Domini salvatoris.

Tu. ℟. Mens Virginis. *p.* 908.

LECTIO 8.

Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Omnia, quæ de Domino, vel à Domino dicta, sive acta cognoverat Mater Virgo, diligentiùs in corde retinebat, sollicita cuncta memoriæ commendabat, ut cum dum tempus prædicandæ, sive scribendæ Incarnationis adveniret, sufficientèr universa, prout essent gesta, posset explicare quærentibus.

Tu. ℟. Concaluit. p. 908.

LECTIO 9.

Imitemur et nos, fratres mei, piam Domini Matrem, ipsi quoquè omnia verba et facta Domini, ac Salvatoris nostri fixa in corde conservando, horum meditatione diurnâ et nocturnâ importunos innanium, nocentiumque cogitationum repellamus incursus. Tu. Te Matrem.

VI.

TEMPORE

VITÆ DOLOROSA.

Quod totum Passionis tempus includit.

IN I. VESP.

Ant. 1. inundaverunt * aquæ tribulationis super caput meum.

Psalmi de Ferid.

2. Vide, Domine, * et considera, quoniàm tribulor: velocitèr exaudi me.

3. Contritum est * cor meum in medio mei: contremuerunt omnia ossa mea.

4. Cum turbata fuerit * anima mea, Domine, miserere mei.

5. Fili mi, * ne derelinquas me desolatam, et mœrore confectam.

CAPITULUM.

Vocem quasi parturientis audivi, angustiam, ut puerperæ: Vox filiæ Sion intermorientis, expandensque manus suas: væ mihi, quia defecit anima mea.

HYMNUS 331.

Dum spargit aram Sanguine
JESU, salutis hostia,
Præsens doloris æmulum
MARIA pectus immolat.
Caput cruentum Filii
Matris coronat verticem:
Clavis iisdem figitur
Christus cruci, Christo parens.
O passionis mutuæ
JESU MARIÆ conscii!
Alterna vobis vulnera
Inferre tandèm parcite.
Quem vos dolelis, noster est
Error furorque criminum:
Totum scelus fatentibus
Partem doloris reddite.
Sit honor, laus, devotio,
JESU MARIÆ Filio,
Tenso crucis patibulo
Pro redimendo populo. Amen.

Hæc Doxologia dicitur toto hoc tempore.

℣. Regina Martyrum ora pro nobis.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnif. *ant.* Magna est * velut mare, contritio tua, Virgo MARIA: et non est qui consoletur te in omnibus angustiis tuis.

Oratio de Laudib.

Completorium de ferid.

AD MATUTIN.

Invitator. Dolores recolentes Matris, * Filium pro nobis passum, venite, adoremus.

HYMNUS 332. *Brev. Rom.*

Jam toto subiló vesper eat polo
Et sol altonitum præcipitet diem,
Dum sevæ recolo ludibrium necis
Divinamque catastrophem.
Spectatrix aderas supplicio Parens,
Malis unda gerens cor adamantinum,

Natus funereâ pendens in cruce
Altos cum gemitus dabat.
Pendens ante oculos Natus atrocibus
Sectus verberibus, Natus hiantibus,
Fossus vulneribus, quòd penetrantibus.
Te confixit aculeis!
Eheu! sputa, alapæ, verbera, vulnera,
Clavi, fel, aloe, spongia, lancea,
Sitis, spina, cruor quàm varia pium
Cor pressere tyrannide!
Cunctis interea stat generosior
Virgo Maria virtibus: prodigio novo
In tantis moriens non morieris Parens
Diris fixa doloribus.
Sit summæ Triadi gloria, laus, honor,
A quâ supplicitèr sollicitâ prece
Posco Virginei roboris æmulas
Vires rebus in asperis. Am.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Multiplicati sunt, * qui tribulant me: multi insurgunt adversum me.

2. Posuisti * Deus lacrymas meas in conspectu meo.

3. Fuerunt mihi * lacrymæ meæ panes die ac nocte.

℣. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.

℟. Inter ubera mea commorabitur.

Pater noster. *Absol.* Exaudi. *Bened.* Benedictione.

Sequentes Lection. dicuntur in Dupl. majori.

De Lamentatione Jeremiæ Prophetæ.

LECTIO 1. *c.* 2. 8.

Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum suum, et non avertit manum suam à perditione: luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est. Defixæ sunt in terrâ portæ ejus: perdidit, et contrivit vectes ejus: regem ejus, et principem ejus in gentibus: non est lex, et prophetæ ejus non invenerunt visionem à Domino. Tu.

℟. Ne vocetis me Noemi, id est, pulchram, sed vocate me maram, id est, amarum, * Quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens. ℣. Egressa sum plena, et vacuam reduxit me Dominus. —Quia.

Bened. Primogenita.

LECTIO 2.

Sederunt in terrâ, conticuerunt senes filiæ Sion: consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis: abjecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem. Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terrâ jecur meum super contritione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi. Tu.

℟. Confusa est Mater nostra nimis, et adæquata pulveri quæ genuit nos: * Venite, consolemur eam. ℣. Recedite à me: nemo gaudeat super me viduam et desolatam.—Venite.

Bened. Spiritûs Sancti.

LECTIO 3.

Matribus suis dixerunt: ubi est triticum et vinum? Cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis: cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum. Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? Cui exæquabo te, et consolabor te, Virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua. Tu.

℟. Væ mihi, quoniàm addidit Dominus dolorem dolori meo. * Et non est qui consoletur me. ℣. Laboravi in gemitu meo, et requiem non inveni.—Et.—Gloria.—Et *In Dupl.* 1. *et* 2. *Class.* Væ mihi.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Oculi mei * replebantur lacrymis, et cor meum torquebatur dolore.

2. Super contritione * filiæ populi mei contritus sum, et contristatus, stupor obtinuit me.

3. Repulsa est * à pace anima mea, oblita sum bonorum.

℣. Defecit in dolore vita mea.

℟. Et anni mei in gemitibus.

Peter post. *Absol.* Ipsius. *Bened.* Dei Mater.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

De Passion. Dom. c. 10.

LECTIO 4.

Quantus in Christo fuerat circa Matrem charitatis affectus, jam corporaliter recessuro, brevibus intimavit verbis: et ut crucis suæ taceam passionem, quantâ circa beatam Matrem compassione credis ipsum affectum fuisse, qui mitissimum cor illius làm valido doloris sui gladio transverberatum per fecit sciebat? Tu.

℟. Ego plorans et oculus meus deducens lacrymas, * Quia longè factus est à me consolator. ℣. Recedite à me, amarè flebo: nolite incumbere, ut consolemini me.—Quia.

Bened. Filia Dei.

LECTIO 5.

Adaugebat vulnerum passionem materna compassio, quem contristissimo corde, manibus complossis, oculis lacrymarum torrente fluentibus, vultu contracto, voce querulâ, et totis viribus cordis destituta, viriliter vidit sibi astare pendenti. Quotiès ipsam ad illa immitia verecundos pulas oculos elevare: si tamen eos aliquandò indè deflexit, vel si pro nimio fluxu lacrymarum potuit intueri? Tu.

℟. De excelso misit Deus ignem in ossibus meis, et erudivit me: * Posuit me desolatam, totâ die mœrore confectam. ℣. Audite, obsecro, universi populi, et videte dolorem meum.—Posuit.

Bened. Ignem.

LECTIO 6.

Quotiès ipsum propter verecundiam virginalem pariter, et immensitatem doloris stantem (ut æstimo) capite cooperto, ingemuisse putas lugendo Filium, et dicendo: Fili mi JESU, JESU fili mi: quis mihi det, ut tecum, et propter te moriar, Fili mi dulcis JESUS! Quotiès ipsum præ immensitatem doloris credis potuisse deficere, quo ipsam summè miror etiàm mortuam non fuisse? Moriebatur vivens, vivendo ferens dolorem morte crudeliorem. Tu.

℟. Inundaverunt aquæ super caput meum, et invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo: * Ne avertas faciem tuam à singultu meo et clamoribus. ℣. Appropinquasti mihi in die, quando invocavi te.—Ne.—Glor.—Ne. *Duplicib.* 1. *et* 2. *Class.* Inundaverunt.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Dolor meus * super dolorem: in me cor meum mœreos.

2. Ecce vox * clamoris filiæ populi mei: non est qui consoletur eam.

3. Deducant * oculi mei lacrymas in compassione Virginis.

℣. Subversum est cor meum in me metipsâ.

℟. Amaritudine plena sum.

Pat. nost. *Absol.* A vinculis. *Bened.* Evangelica.

Sequens Homil. legitur in Duplic. majoribus.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus et Soror Matris ejus, Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia Sancti Amadæi Episcopi Lausanensis.

De laudib. B. V. M. Homil. 5.

Quò Christum magis diligebat Virgo, plùs dolùit, et doloris magnitudo attulit fomenta passionis. Quid enim ageret, cum in Calvariæ consisteret loco, et videret crucem, clavos, vulnera morientis in innocentiâ, nec tamen exsaliam immanitatem Pharisæi furentis invidiâ? Pendebat ille luens nostra, non sua delicta, et Pharisæi cum Scribis illudentes, percutiebant caput ejus, et offerebant acetum felle mixtum ori ejus. Tu.

℣. O vos omnes, qui transitis per viam, * Attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus. ℣. Stabat juxta crucem Mater dolorosa, dum pendebat Filius. —Attendite.

Bened. Cujus Angustias.

LECTIO 8.

Inter hæc Dei Genitrix consternabatur animo, et dolores ut parturientis apprehenderunt eam. Ibi gemitus, ibi singultus, ibi suspiria, ibi mœror, ibi dolor, ibi agonia, ibi æstus animi, ibi incendia, ibi mors morte durior, ubi vita non tollitur, et mortis angustia tolleratur. O veneranda, et plena devotionis et lacrymarum memoria! Recordare, qualiter sancta illa anima gloriosa passa sit, quasve pertulerit de Christi morte angustias. Tu.

℣. Tu scis, Domine, recordare mei, et visita me, quoniàm tribulatio mea maxima est: * Scito, quoniàm sustinui propter te opprobium. ℣. Vide, Domine, quoniàm tribulor, quia amaritudine plena sum.—Scito.—Gloria.—Scito. *In Dupl.* 1. *et* 2. *Class.* Tu scis.

Bened. Per Virginem.

LECTIO 9.

Deniquè contumelia, et opprobia impiorum in capite materno redundabant. Mors Domini illi amarior morte fuit: et licet edocta resurrecturum non ambigeret, necesse illi tamèn fuit paternum calicem bibere, et horam suæ passionis non ignorare. De hoc illi prophetavit reverendus senex Simeon, dicens: tuam ipsius animam gladius pertransibit. O Domine JESU, terribilis in consiliis super filios hominum, nec Matri tuæ pepercisti, quin gladius animam suam pertransiret! Tu. Te Matrem.

AD LAUDES
et per Horas antiphonæ.

1. Doleo super te, * Fili mi JESU: decorus nimis, et amabilis super amorem mulierum.

2. Sicut mater * unicum diligit filium, ità ego te diligebam, Fili mi.

3. Ferrum lanceæ * militaris latus quidèm Salvatoris, animam verò pertransivit Virginis.

4. Factum est * cor meum tanquàm cera liquescens in medio ventris mei.

5. Dolens Sunamitis * sinu et genibus suis sustinuit moriuum Filium.

CAPITULUM. *Jer.* 4. 31.

Vocem quasi parturientis audivi, angustias ut puerperæ: Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas: væ mihi, quia defecit anima mea.

HYMNUS 333. *Brev. Rom.*

O quot undis lacrymarum
Pia Mater volvitur!
Luctuosa de cruento

Dum revulsum stipite,
Cernit ulnis incubantem
Virgo Mater Filium.

Os suave, mile pectus,
Et latus dulcissimum,
Dexteramque vulneratam
Et sinistram sauciam,
Et rubras amore plantas
Ægra tingit lacrymis.

Centièsque, millièsque
Stringit arctis nexibus
Pectus illud et lacertos
Illa figit vulnera:
Sicque tota colliquescit
In doloris osculis.

Eja, Mater, obsecramus
Per tuas has lacrymas,
Filiique triste funus,
Vulnerumque purpuram,
Hunc tui cordis dolorem
Conde nostris cordibus.

Esto Patri, Filioque,
Et coævo Flamini:
Esto summæ Trinitati
Sempiterna gloria,
Et perennis laus, honorque
Hoc et omni sæculo. Amen.

℣. Fortitudo mea, et robur meum.

℟. Et refugium meum in tribulatione.

Ad Benedict. ant. Cum vidisset * JESUS Matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dixit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deindè dixit Discipulo: ecce Mater tua.

Oratio.

Da quæsumus, Domine, cordibus nostris intimum veræ pietatis affectum; ut in tui Filii passione, Sanctissimæ Matri ejus dignè compatientes, salutaris mysterii fructum percipere mereamur. Per eundem.

AD PRIMAM.

Ant. Doleo. *Capitul.* Vocem quasi. *De Laudibus.*

℣. ℟. *br.* Quæ in Passione Filii tui doloris gladio transfixa fuisti.

AD TERTIAM.

Ant. Sicut Mater.

CAPITULUM. *Jer.* 12. 3.

Et tu, Domine, nosti me, vidisti me, et probasti cor meum.

℣. *br.* Quis miserebitur tui, * Virgo MARIA.—Quis. ℣. Aut quis contristabitur pro te.—Virgo.—Glor.—Quis.

℣. Defecerunt præ lacrymis oculi mei.

℟. Conturbata sunt viscera mea.

AD SEXTAM.

Ant. Ferrum lanceæ.

CAPITULUM. *Jer.* 6. 26.

Filia populi mei, accingere cilicio, et conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.

℣. *br.* Dolor meus * Super dolorem.—Dolor. ℣. In me cor meum mœrens.—Sup.—Glor.—Dolor.

℣. Audierunt quia ingemisco ego.

℟. Non est qui consoletur me.

AD NONAM.

Ant. Dolens Sunamitis.

CAPITULUM. 31. 16.

Quiescat vox tua à ploratu, et oculi tui à lacrymis: quia est merces operi tuo, ait Dominus.

℣. *br.* Vox in excelso * Audita est.—Vox. ℣. Lamentationis, luctus et fletus.—Audita.—Gloria.—Vox in.

℣. Audite universi populi.

℟. Videte dolorem meum.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Veniam * ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.

2. Posuit me * desolatam: totâ die mœrore confectam.

3. Miseremini mei, * quia non est dolor sicut dolor meus.

4. Angustiæ * et dolore tenuerunt eam, quasi parturientem.

5. Caligaverunt * palpebræ meæ, et facies mea intumuit à fletu.

CAPITULUM. *Jer.* 4. 11.

Vocem, quasi parturientis audivi, angustias ut puerperæ: Vox filiæ Sion intermorientis expandentisque manus suas: væ mihi, quia defecit anima mea.

HYMNUS 344.

Juxta crucem stans anxia
Orbata Mater Filio,
Extincta lugens gaudia
Laxis vacabat planctibus.
Cum mucro diræ lanceæ
Latus per imum transmeans,
Mixtos cruore protinùs
Laxavit undæ rivulos.
Quæ non dolebat mortuo
Hanc vivam sensit cuspidem:
O quanta moles fluctuum
Mersum malis cor opprimit!
Mox ut revisum conspicit
Corpus cruentum Filii,
Omnis dolor recruduit,
Mentemque pressit acrius.
Quæ lingua fari tot neces,
Quæ vox amaritudines,
Quis tot dolorum pondera
Sermone posset texere?
Sit honor, laus, devotio,
JESU MARIÆ Filio,
Tenso crucis patibulo
Pro redimendo populo. Amen.

℣. Anima mea liquefacta est.

℟. Ut dilectus in cruce locutus est.

Ad Magnific. *ant.* Veniam * ad montem myrrhæ, et ad collem thuris, quia oppressit Matrem meam dolor, et non est qui consoletur eam.

Oratio de Laudibus.

Completorium de feriâ.

Sequens Horalia dicitur in Duplicib.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et soror Matris ejus, Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Exhortatio ad Virgines.

Beatam Virginem Dominus de cruce discipulo suo dilectissimo sibi tradidit Sancto Joanni, qui dixit patri et matri suæ; non novi vos. Deniquè vocatus à Christo, reliquit Patrem Verbum secutus. Huic traditur Virgo, qui suos nesciat: huic traditur Virgo, qui de pectore Christi hauriat sapientiam: huic traditur Virgo, qui fratres suos non cognovit, et filios suos non scivit. Ideòque benedicit eum lex; Date Levi veros ejus, date Levi sortes ejus. Tu. ℟.

LECTIO 8.

Undè et Matrem Domini ipse suscepit, scriptum enim habemus, quia ex illâ horâ suscepit eam Discipulus in sua. Quid est in sua, cum reliquerit Patrem, et Christum secutus sit? Aut quomodò in sua, cum ipsi Apostoli dixerint: ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te? Quæ sua habebat, quia de mundo non erat? Quæ ergò habebat Joannes, qui mundana, et sæcularia non habebat, quia de mundo non erat? Quæ ergò habebat sua, nisi ea, quæ à Christo acceperat? Bonus verbi, sapientiæque possessor, bonus receptor gratiæ. Tu. ℟.

LECTIO 9.

Neque enim Mater Domini JESU nisi ad possessorem gratiæ demigraret, ubi Christus habebat habitaculum. Date ergò et vos, filii mei, veró illi Levi veros ejus. Eslote nubes, sed leves. Eritis profectò: si habluat Virginitas ocera conditionis, et tenebras hujus limosæ carnis illuminet. Ideò dicit illis: Nigra sum et decora, filiæ Jerusalem, nigra per carnem, decora per virginitatem. Tu. Te Matrem.

Sequens Homilia dicitur in Semiduplic.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus et soror matris ejus Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 111. *in Joann.*

Hæc nimirùm est illa hora, de quâ JESUS aquam conversurus in vinum dixerat Matri: Quid mihi et tibi est mulier? Nondùm venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondùm venerat, in quâ deberet agnoscere moriturus, de quâ fuerat mortaliter natus. Tunc ergò divina facturus, non divinitatis, sed infirmitatis Matrem velut incognitam repelebat. Nunc autem humana jam patiens, ex quâ fuerat factus homo, affectu commendabat humano. Tu.

℟. O vos omnes. 914.

LECTIO 8.

Moralis igitur insinuatur locus. Facit, quod faciendum admonet, et exemplo suo suos ministros instruxit præceptor bonus, ut à filiis piis impendatur cura parentibus: tanquàm lignum illud, ubi fixa erant membra morientis, etiàm cathedra fuerit Magistri docenlis. Tu. 914.

℟. Tu scis. 914.

LECTIO 9.

Ex hâc sanâ doctrinâ didicerat Paulus Apostolus, quod docebat, quandò dicebat: Si quis autem suis maximè domesticis non provident, fidem negavit, et est infideli deterior. Quid autem tam cuique domesticum, quàm parentes filiis, aut parentibus filii? Hujus itaque saluberrimi præcepti ipse Magister Sanctorum de seipso constituebat exemplum, quandò non ut famulæ Deus, quam creaverat et regebat, sed ut Matri homo, de quâ creatus fuerat, et quam relinquebat, alterum pro se quodammodo Filium providebat. Tu. Te Matrem.

VII.

TEMPORE.

VITÆ GAUDIOSÆ.

Quod totum pasch. tempus includit.

IN I. VESP.

Ant. 1. Indica mihi, * quem diligit anima mea, ne vagari incipiam, alleluia.

Psalmi de feriâ.

2. Revertere: * similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque servorum, alleluia.

3. Invenerunt me * vigiles: nunquid quem diligit anima mea vidistis, alleluia.

4. Inveni * quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, alleluia, alleluia.

5. Lævæ ejus * sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me, alleluia.

CAPITULUM. *Col.* 3. 1.

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt, quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens: quæ sursùm sunt, sapite, non quæ super terram.

HYMNUS 335.

Victor triumphat Filius:
Lætare, Mater, et tuo
Qui corde fixit vulnera,
Nunc pulsus absistat dolor.
Fixum cruci, quem videras,
Natum resurgentem vides:
Magnos amor luctus dedit,
Majora nunc dat gaudia.
Nec jam rapaci gutture
Christum resumet inferus;
Mortem volens semèl tulit,
Nunc vivus æternus manet.

JESU, tibi sit gloria,
Surgendo qui de mortuis
Apparuisti Virgini
Matri tuæ, per sæcula. Amen.

Hæc doxology. dicitur toto hoc tempore.

℣. Dilectus meus mihi, et ego illi, alleluia.

℟. Qui pascitur inter lilia, allel.

Ad Magnif. *ant.* Inveni, quem diligit anima mea, alleluia; Filium meum, qui mortuus fuerat et revixit, alleluia, qui perierat, et inventus est, alleluia, alleluia.

Oratio ut in Laudibus.

Completorium de feriali offic.

AD MATUTIN.

Invitator. Jubilemus Virgini MARIÆ, alleluia: * In resurrectione Christi Filii sui, alleluia, alleluia.

Psalmus Invitator.

HYNNUS 336.

Proprios, Virgo, tibi magna plausus
Splendore Nati damus in triumpho:
Ille dum vincit, tua, Mater, est pars
Maxima palmæ.

De tuâ crevit generans alvo:
De tuo suxit sibi lacte corpus:
De tuo sanguis pretium salutis
Ubere fluxit.

Quanta vis Matrem teligit doloris,
Prole tot diras obeunte mortes!
Carne quas læsâ tulit ille plagas,
Corde tulisti.

Rupi dum clausus jacuit sepulchri,
Orba tunc lucis pariter jacebas:
Et novam Christo reparante vitam,
Ipsa resurgis.

Filio gaude, Genitrix, recepto:
Nulla regnantem tibi fata tollent,
Quem Patri consors amor et perennis
Gloria jungit. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. Surge aquilo, * et veni auster: perfla hortum meum, et fluant aromata illius, allel.

Toto tempore paschal. dicitur tantùm una Antiphona in quolibet nocturno.

℣. Jam hiems transiit, allel.

℟. Imber abiit, et recessit allel.

Sequentes Lectiones. dicuntur in Duplic. majoribus.

Pater nost. *Absolut.* Exaudi. *Benedict.* Benedictione.

De libro Exodi.

LECTIO 1. *c.* 15. 19.

Ingressus est eques Pharao cum curribus, et equitibus ejus in mare: et reduxit super eos Dominus aquas maris: filii autem Israel ambulaverunt per siccum in medio ejus. Sumpsit ergò MARIA Prophetissa, Soror Aaron, tympanum in manu suâ: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, et choris. Quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum et ascensorem ejus projecit in mare. Tu.

℣. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum: * Nuntiate illi, quia amore langueo, allel. allel. ℣. Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. —Nuntiate.

Bened. Primogenita.

De libro Judicum.

LECTIO 2. *c.* 5. 1.

Cecinerunt que Debbora et Barach filius Abinoëm in illo die dicentes: Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum: benedicite Domino. Audite Reges, auribus percipite Principes: ego sum, ego sum, quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel. Domine, cum exires de Seïr, et transires per regiones Edom, terra mota est, cœlique ac nubes distillaverunt aquis. Montes fluxerunt à facie Domini et Sinai, à facie Domini Dei Israel. Tu.

℟. Quæ est ista, que ascendit

de deserto tribulationis deliciis affluens resurrectionis, * Innixa super dilectum suum, allel. allel. ℣. Dilectus meus mihi, et ego illi. —Innixa.

Bened. Spiritûs.

De libro Judith.

LECTIO 3. *c.* 16. 1.

Tunc cantavit canticum hoc Domino Judith, dicens: Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum novum, exaltate, et invocate nomen ejus. Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi. Qui posuit castra sua in medio populi sui, ut eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum. Tu.

℟. Vidi speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum: * Cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus, allel. allel. ℣. Et sicut dies veri circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium.—Cujus.—Glor.—Cujus. *In Dupl.* 1. *et* 2. *Class.* Vidi.

IN II. NOCT.

Ant. Surrexi, ut aperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ, allel.

℣. Flores apparuerunt in terrâ nostrâ, allel.

℟. Tempus putationis advenit, allel.

Pater nost. *Absolut.* Ipsius. *Bened.* Dei Mater.

Sermo Sancti Augustini Episcopi. *Serm.* 2. *de Assumpt.*

LECTIO 4.

Quid dicam pauper ingenio, cum de te MARIA, quidquid dixero, minor laus est, quàm dignitas tua meretur? Si cœlum te vocem, altior es; si matrem gentium prædicam præcedis: si formam Dei appellem, digna existis: si dominam Angelorum vociteni, per omnia te esse probatis. Quid ergò de te dignè dicam, quid referam, cum non sufficiat lingua carnis tuas enarrare virtutes? Has interim laudes sileat lingua carnis, quas semper ardenter profert anima. Tu.

℟. Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, Soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea alleluia, alleluia. ℣. Ecce iste venit saliens in montes transiliens colles. —Aperi.

Bened. Filia Dei.

LECTIO 5.

Nunc nostras pete, ut aures doctrinarum tuarum demulceas organis. Plaudet tympanis scena tuis, et veloces articulos puerperæ concrepent. Concinant lætantes chori, et alternantes modulis dulcisona carmina misceantur. Quæ tibi magna fecit, Domina, quæ, gloriosa Virgo, ut dici beata merearis? Puto enim, immò veracitèr credo, ut creatura ederes Creatorem, famula Dominum generares, ut per te illuminaret, per te ad vitam reduceret. Tu.

℟. Manè surgamus ad vineas: * Videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica, allel. allel. ℣. Veniat dilectus meus in hortum suum, ut pascatur in hortis et lilia colligat.—Videamus.

Bened. Ignem.

LECTIO 6.

Huccusquè, Virgo beata, de te ipsâ, quæ nos ad amorem Dei accenderent, fideliter protulisti: ea verò quæ sequuntur humano generi prophetasti. Meum autem votum exilii, ea tantùm indè transcurrere; quæ ad tui laudem nominis pertinebant. Sed hæc, quæ de te ipsâ narrasti, neque tu, ut dignitas

tua meretur, dicere potuisti. Quas ergò tibi laudes fragilitas humani generis persolvet; quæ solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Tu.

℣. Filius tuus vivit, * Et ipse dominatur in omni terrâ à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum, allel. allel. ℣. Sufficit mihi, si adhuc Filius meus vivit: vadam et videbo illum.—Et ipse.—Gloria.—Et ipse. *In Dupl.* 1. *et* 2. *Class.* Filius.

IN III. NOCT.

Ant. Apparuit * mihi Dominus, et liberavit me de angustiâ cordis mei, allel.

℣. Non vocaberis ultrà, allel.

℟. Derelicta aut desolata, allel.

Pater nost. *Absol.* A vinculis. *Bened.* Evangelica.

Sequens Homilia legitur in Dupl. majoribus.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 20. 19.

In illo tempore: cum serò esset dies illo, unâ sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit JESUS et stetit in medio. Et reliqua.

Homilia Sancti Hildephonsi Arch. Toletani.

De Partu et Purificatione.

Aspectus Discipulorum utrumque tunc probavit, scilicet, quòd et fores clausæ essent, et quòd Dominus per easdem introiens coram præsens astaret. Sic et fides nostra utrumque de Christo certissimum tenet, quòd et pervia fuit et Virginis integritas, nascente Domino ex eâ, et tamen uterus non fuerit reseratus. Tu.

℣. Festinate et ascendite ad Matrem meam, et dicetis: * JESUS Filius tuus vivit, Virgo sacrata, alleluia, alleluia. ℣. Quo audito, Virgo, quasi de gravi somno evigilans, revixit spiritus ejus.—JESUS.

Bened. Cujus gaudia.

LECTIO 8.

Alioquin quomodò clausum potest dici permansisse, quod violatum est? Aut quomodò sine dolore clausa permansit, ut fuit antequàm pareret? Nec enim clausæ illæ penetrabiliores erant januæ, quàm uterus Virginis incorruptus. Idcircò non abs re creditur ad nos Dominus sic exiisse, ut Nativitas Christi de carne Virginis probaretur, et Virgo nullis cruciatibus vexaretur. Tu.

℣. Venit Christus obviam Matri suæ post Resurrectionem: * Vidensque eam, irruit super collum ejus, et amplectens eam consolatus est, alleluia, alleluia. ℣. Gaudia percepit Virgo dilecto Filio recepto.—Vidensque.—Gloria.—Vidensque. *In Duplic.* 1. *et* 2. *Class.* Venit.

Bened. Per Virginem.

LECTIO 9.

Fortè dicturi sunt isti, quòd corpus incorruptibile, et immortale exitus esset ad penetrandum quod vellet, quàm esset prius antequàm resurgeret. Nequaquàm igitur dicito, quisquis sanè sapis, ex quo conceptus est homo, idem semper, qui anteà Deus fuit. Undè quandò super undas æquoreas ambulavit ante passionem, non minùs homo, quàm Deus fuit. Quasi ad naturam respicis rerum, aut pondus sine pondere vexit, aut undas suâ potentiâ, quo sustinere possent, pondus corporis solidius confirmavit. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Tu es gloria mea, * Deus, et exaltans caput meum, alleluia.

2. In dolore meo * tenuisti me, me suscepit dextera tua, allel.

3. Appropinquasti mihi, * et surrexisti me in tribulatione meâ, alleluia.

4. Fecit mihi magna, * qui potens est, et sanctum nomen ejus, alleluia.

5. Surrexit Dominus * verè, et erexit animum Matris suæ, allel.

CAPITULUM. *Col.* 3. 1.

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt, quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens: quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram.

HYMNUS 337.

Orbæ parentis viscera
Dolor premebat anxius,
Qualis tenet supersitem
Sponso fideli turturem.

Immola firmat sauciam
Nati resurgentis fides:
Hæc una morti proximam
Scintillà vitam sustinet.

O lux replela gaudiis!
Matris levamen unicum,
Optata confer oculis
Viramque redde Filium.

Dum spe morantem prævenit,
Seramque languens increpat,
Repente solis astitit
Surgentis inclitum jubar.

Micantis ut a suscipit
Vibrata Nati lumina,
Tersisque cernit labibus
Corpus decorum gloriâ.

Omnis decor tunc Virginis
Pulsis redit doloribus,
Largoque vultus impetu
Totos amores explicat.

O quantis imis concitus
Exarsit ardor cordibus,
Postquàm sacris dedit intùs
Amor frui complexibus.

JESU, tibi sit gloria,
Surgendo qui de mortuis
Apparuisti Virgini
Matri tuæ, per sæcula. Amen.

℣. In Domino gaudebo, allel.

℟. Et exultabo in JESU Filio meo, allel.

Ad Benedict. *ant.* Exue te * stolâ luctûs, et indue te decore: Deus enim ostendet splendorem suum in te, allelnia, allel.

Oratio.

Deus qui post Resurrectionem tuam Matri tuæ Sanctissimæ primò apparuisti, ut ex illo dolore, quo ejus animus fuerat confossus, ad se rediret; largire nobis tuam gratiam, ut à peccatis resurgentes, ad formam cœlestis vitæ transferamur. Qui vivis et regnas.

AD PRIMAM.

Ant. Tu es gloria mea. *Capit.* Si consurr. *de Laudib.*

℣. ℟. *br.* Quæ in Resurrectione Filii tui lætata fuisti.

AD TERTIAM.

Ant. In dolore meo.

CAPITULUM. *Isai.* 62. 3.

Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui: non vocaberis ultrà derelicta.

℟. *br.* Gaude et lætare, * allel. allel.—Gaude. ℣. Virgo MARIA.—Allel.—Glor.—Gaude.

℣. Surrexit Dominus verè, allel.

℟. Et apparuit MARIÆ, allel.

AD SEXTAM.

Ant. Appropinquasti mihi.

CAPITULUM. *Tob.* 3. 22.

Post lacrymationem et fletum exultationem infundis: sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sæcula.

℟. *br.* Surrexit Dominus verè, * alleluia, allel.—Surrexit. ℣. Et apparuit MARIÆ.—Alleluia.—Glor.—Surrexit.

℣. Tu es gloria mea, Deus.

℟. Et exaltans caput meum.

AD NONAM.

Ant. Surrexit Dominus.

CAPITULUM. *Soph.* 3. 14.

Exulta in omni corde, filia Jerusalem.... non timebis malum ultrà: Dominus Deus tuus in medio tui gaudebit super te in lætitiâ.

℟. *br.* Tu es, gloria mea, Deus. * Alleluia, allel.—Tu. ℣. Et exaltans caput meum.—Allel.—Deus.—Gloria.—Tu es.

℣. In Domino gaudebo, allel.

℟. Et exultabo in JESU Filio meo, allel.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Venite, * audite et narrabo, quanta fecit Deus animæ meæ, alleluia.

2. Jam læta moriar, * quia iterùm vidi faciem Filii mei, allel.

3. Congratulamini mihi, * quia inveni Filium meum, quem perdideram, allel.

4. Mortuus erat, * et revixit, perierat, et inventus est, allel.

5. Fecit potentiam * in brachio suo qui potens est, et consolatus est me, allel.

CAPITULUM. *Colos.* 3. 1.

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt, quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens: quæ sursùm sunt, sapite, non quæ super terram.

HYMNUS 338. *Brev. Bisuntin.*

Lavaræ jam cum Filio
Mœroris immemor tui,
Et quæ fuisti conscia
Doloris, esto gaudii.

Arcana Filius tibi
Ardens amoris impetu
Reclndit: ignis vos sacer
Conjungit arctis nexibus.

Fac nos ab imo criminum
Clemens MARIA surgere:
Fac nos superna quærere
Gustumque da cœlestium.

JESU, tibi sit gloria
Surgendo qui de mortuis
Apparuisti Virgini
Matri tuæ, per sæcula. Amen.

℣. Cor meum et caro mea, allel.

℟. Exultaverunt in Deum vivum, alleluia.

Ad Magnific. *ant.* Tu es gloria mea, Deus, tu es susceptor meus, Domine, tu exaltans caput meum, alleluia, alleluia.

Oratio de Laudibus.

Completor. de ferid.

Sequens Homilia dicitur in Duplic.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. *c.* 28. 16.

In illo tempore: Undecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis JESUS. Et rel.

Homilia Beati Ruperti Abbatis.

De dicm. officiis l. 7. *c.* 25.

Nunquid tunc, quando undecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem, sicut constituit illis Dominus JESUS, hanc Beatam, de quâ loquitur, MARIAM præterierunt, et absque illa videntes eum adoraverunt? Immò non alias, quam in domum illius, non alium in montem abierunt, ut viderent eum, quam in illum, super quem civitas ejus Nazareth sita erat, sicut jam dictum est. Igitur pulchrè et laudabiliter, ut diximus, eam in principio lætitiæ nostræ proponamus, illud de Canticis recolentes, novum novæ Ecclesiæ sponsum, mox ut resurrexit, dixisse non vanè arbitrantes: vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris. Tu.

℟. Festinate, et ascendite. *p.* 920.

LECTIO 8.

Quâ enim sui corporis parte altius pos ipsum caput suum Christum, Ecclesiæ sublimitas eminuit, quam singularibus hujus Reginæ angelorum meritis, cujus ex carne sine viro, Christus, ut lapis de monte sine manibus est editus. Et quo in vertice montium tantùm myrrhæ, id est, mortificationis, cum thuris, id est, præ orationis odoribus inveniri potuit, quantùm in hujus beatæ Virginis animâ, quam singulariter Dominicæ passionis gladius pertransierat. Tu. ℟. Venit Christus. *p.* 920.

LECTIO 9.

Ad hunc montem myrrhæ vadimus et nos sæpè ad Santam MARIAM divertentes, et ipsa quoquè eloquia cervi emissi, de quo supra dictum, eloquia pulchritudinis, quibus illic de baptizandis omnibus gentibus mandavit, exultantes mysticè depromimus hâc diè cantando: Tota pulchra es. Nota, namque omnium penè sententia Doctorum est, novam his verbis Ecclesiam invitari, ut surgat et properet apostolica, quæ tunc numero parva erat, Ecclesia de Libano venire, id est, candidatione baptismi gentes ad Christum adducere, MARIA Matre fidei nostræ adjuvante, id est, omnia verba hæc, quæ hactenus conservabat in corde suo, jam impartiente. Tu. Te Matrem.

Sequens Homilia dicitur pro Semiduplic.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 20 1.

In illo tempore: Una Sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent ad monumentum. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valentini.

Con. 2. *in Dom. Resur.*

Dum igitur sic in Deum absorta, videndi Filii desiderio teneretur, ecce oratorium illud lucè nimiâ, et coruscо fulgure perfunditur. Flagrant cœlestia aromata, et angelici personant cantus. Intrant paulatim cœlestes angelorum, patriarcharumque cunei, clausum Virginis domicilium ovantes, eam omni honore salutant, venerantur et laudant: Tu. ℟. Festinate. *p.* 920.

LECTIO 8.

Adest omnium ultimus Princeps, omnium decorus, et splendidus: ad cujus aspectum virgineus animus unoquò deficit amore, et rapitur extra se, nec valet corpus tenerum tanti gaudii pondus perferre. Advolvitur pedibus, sublevatur ad amplexus, sicque inter brachia dilecti sui Creatoris sui dormit, et quiescit Virgo decora. Divino vultui virgineus vultus adjungitur, sic innixa super dilectum divina recipit oscula. Tu. ℟. Venit. *p.* 920.

LECTIO 9.

O Mater Beatissima! O creatura felicissima! cujus altitudinem nec ipsi Spiritus cœlestes valent exprimere! Quanta dignitas! Quanta sublimitas! Quanta majestas sic à Deo amari sic venerari! Taceat lingua, loquatur, si valet affectus. Crediderim ergò animam illam, nunc linceis oculis parietem corporis penetrasse, et latentem intra Deum vidisse, tantò clariùs quàm Paulus in raptu, quantò dignior est Matrer apostolo. Tu. Te Matrem.

VIII.
TEMPORE.

VITÆ ACTIVÆ.

A Sabbato post Pentec. usque ad Assumptionem.

IN I. VESP.

Ant. 1. Venite ad me * omnes, et à generationibus meis implemini.

Psalmi de ferid.

2. Qui me invenerit, * inveniet vitam, et hauriet salutem à Domino.

3. Ad infantiâ meâ * crevit mecum misericordia, et ab utero ma-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tris meæ egressa est mecum.

4. Oculus fui * cæco, et pes claudo: Mater eram pauperum.

5. In me omnis gratia * viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis.

CAPITULUM. *Prov.* 31. 10.

Mulierem fortem quis inveniet? Procùl et de ultimis finibus pretium ejus, confidit in eâ cor viri sui, et spoliis non indigebit.

HIMNUS 339. *S. Petr. Dam.*

MARIA, Templum Domini,
Dei Mater et hominis:
Tunc verè Virgo Virginum,
Cum peperisti filium.
Hortus deliciarum,
Odor suavitatum;
Tu ager ille plenus,
Cui benedixit Deus.
Ex te botrus egressus,
Qui crucis prelo pressus;
Vino rigat arentes
Sancti Spiritûs mentes.
Es et terra cœlestis,
Ferax lactis et mellis:
Ex quâ veritas orta
Tollit errorum dogmata.
Tu nos culparum nexibus,
Sacris absolve precibus:
Tua promentens merita
Ad cœli transfer præmia.
Sit tibi laus altissime,
Qui natus es ex Virgine:
Sit honor inefabili
Patri, sancloque Flamini. Amen.

℣. Specie tuâ et pulchritudine tuâ.

℟. Intende, prosperè procede, et regna.

Ad Magnif. *ant.* Virgo MARIA * non est tibi similis orta in mundo inter mulieres, florens ut rosa, flagrans sicut lilium.

Oratio de Laudib.

Completor, ut in feriali offic.

Sequens Doxolog. dicitur in Hymn. Complet. et in aliis ejusdem metri.

Summo Parenti cœlitum
Magnæque proli Virginis,
Sancto simul Paraclito
Si summa laus et gloria.

AD MATUTIN.

Invitator. Venite ad me: * En proferam vobis spiritum meum.

HYMNUS. 340.

Victum conde caput, perfide serpens;
Eo Virgo, tibi dat quam Deus hostem,
Totâ mente tibi, pectore toto,
Adversis studiis obvia pugnat.
Fallax, mente tumens, invidus anguis
Frandes, bella, scellus spargit et iras:
Simplex, et placido corde modesta
Spargit Virgo bonæ gaudia pacis.
Quid tentare vias Numinis audes,
Serpens, nec tacito pectore pares?
Non scrutans mulier, quæ Deus abdit,
Servat jussa, Deo, muta, loquente.
Affectat titulos ille negatos,
Et celata sibi scire laborat:
Hæc contenta datis, cætera mittit,
Alta cuncta premens omnia mente.
Nati te, Genitrix Virgo, sequamur,
Castris oppositis stemus in anguem:
Æternis odiis bella geramus
Vobis, corde, fide, moribus hostes.
Sit laus summa Patri, laus tibi, Nate,
Qui calcem tibi dum conterit anguis
Huic, victore, caput tu pede calcas:
Compar te celebret laus quoque
Flamen. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Quis infirmatur, * et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?

2. Testis est * mihi Deus, quomodò cupiam vos in visceribus Christi.

3. In corde meo * estis ad convivendum, et ad commoriendum.

℣. Transite ad me.

℟. Omnes qui concupiscitis me.

Pater nost. *Hbsolut.* Exaudi. *Benedict.*

Sequentes Lectiones dicuntur in Duplic. major.

De libro Judith.

LECTIO 3. *c.* 13. 17.

Laudate Dominum Deum nostrum, qui non dereliquit sperantes in se: et in me ancillâ suâ adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israel. Confitemini illi omnes quoniàm bonus, quoniàm in sæculum misericordia ejus. Universi autem adorantes Dominum, dixerunt ad eam: Benedixit te Dominus in virtute suâ, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Tu.

℟. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: * Et flores mei fructus honoris et gratiæ. ℣. Ego quasi therebintus extendi ramos meos.—Et flores mei.

Bened. Primogenita.

LECTIO 2.

Benedicta es tu, filia, à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui creavit cœlum et terram, qui te direxit in vulnere capitis principis inimicorum nostrorum: quia hodiè nomen tuum ità magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ, propter angustias et tribulationem generis tui, sed subvenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri. Tu.

℟. Hæc est, quæ nescivit thorum in delicto: * Habebit fructum in respectione animarum sanctarum. ℣. In omni gente, quæ audierit nomen ejus, glorificabitur. —Habebit.

Bened. Spiritûs Sancti.

LECTIO 3.

Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Jacob; quoniàm in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri: quia fecisti virilitèr, et confortatum est cor tuum, eo quòd castitatem amaveris: ideò et manus Domini confortavit te, et eris benedicta in æternum. Et dixit omnis populus: fiat, fiat. Tu.

℟. Christi Virgo dilectissima, virtutum operatrix, opem fer miseris: * Subveni, Domina, clamantibus ad te jugitèr. ℣. Quoniàm peccatorum mole premimur, et non est, qui adjuvet.—Subveni.-Glor. —Subveni. *In Duplic.* 1. *et* 2. *Class.* Christi Virgo.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Quasi stella * matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis lucet.

2. Quasi oliva * speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum.

3. Sicut balsamum * aromatizans dedi suavitatem odoris.

℣. Vultum tuum deprecabuntur.

℟. Omnes divites plebis.

Pater nost. *Absol.* Ipsius. *Benedict.* Dei Mater.

Sermo Sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini.

Homilia contra Nestor.

LECTIO 4.

Hilarem video cœlum fidelium omnium, qui convenerunt promptis animis, à sanctâ et Dei Matre MARIA sempèr Virgine convocati. Laus et

gloria sit tibi, sancta Trinitas, quæ omnes nos ad hanc celebritatem convocasti. Sit etiàm tibi, Sancta Dei Mater, laus: tu enim es pretiosa margarita orbis terrarum: tu lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum ortodoxæ fidei, templum indissolubile, continens eum, qui nunquàm contineri potest: Mater et Virgo: tu benedicta inter mulieres, ejus parens, qui benedictus venit in nomine Domini. Tu.

℟. Miseris et afflictis condolet Virgo conflicta et subvenire non pigrescit, * Quia apud fideles omnium pietatis operum est ministra. ℣. In angustiis, in necessitatibus, in periculis MARIAM invoca.—Quia.

Bened. Filia Dei.

LECTIO 5.

Per te Trinitas sanctificatur, per te crux pretiosa dicitur, et adoratur in toto orbe terrarum. Per te exultat cœlum, lætantur Angeli, fugantur dæmones, et homo ipse ad cœlum revocatur. Per te omnis creatura idolorum errore detenta, conversa est ad agnitionem veritatis, et fideles omnes ad sanctum Baptisma pervenerunt, atque in toto orbe terrarum constructæ sunt Ecclesiæ. Tu.

℟. Ab hoste maligno defende nos, Dei Genitrix Virgo MARIA: * Quæ cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. ℣. Tibi debetur gloria, et gratiarum actio, et vox laudis.—Quæ.

Bened. Ignem Divini.

LECTIO 6.

Te adjutrice, gentes veniunt ad pœnitentiam. Quid plura? Per te Unigenitus Dei Filius vera illa lux effulsit sedentibus in tenebris et umbrâ mortis. Te prophetæ prænuntiarunt. Te Apostoli summis laudibus celebrarunt. Quisnam poterit tuarum laudium præconia explicare, MARIA Mater et Virgo? Hanc, fratres dilectissimi, celebremus, ejus Filium Ecclesiæ Sponsum immaculatum adorantes: cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. Tu.

℟. Meritò in te omnes respiciunt, * Quia in manibus tuis sunt omnium hominum sortes. ℣. Sancta MARIA, succurre miseris, juva pusillamines, refove flebiles.—Quia.—Gloria.—Quia. *In Dupl. 1. et 2. Class.* Meritò.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Pone me, * Domina, juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.

2. Beatus homo, * qui observat sempèr ad postes ostii mei.

3. Qui diligunt me, * comedent fructus meos.

℣. Spiritus meus super mel dulcis.

℟. Et hæreditas mea super mel et favum.

Pat. nost. *Absol.* A vinculis. *Benedic.* Evangelica.

Sequens Homilia dicitur in Duplicib. majoribus.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam Castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi.

In Cap. 10. *Lucæ. Homil.*

Videamus actionem hujus Marthæ... Et ut planiùs id faciamus, quid alii per Martham operantur, et quid est ista operata, conferamus. Alii hospitem quemlibet in domo scâ suscipiunt, ista non quemlibet, sed proprium Dei Filium, qui non habet, ubi caput reclinet, non in domo, sed in utero suscepit. Tu.

℟. Foris non mansit peregrinus Filius Dei: * Ostium meum viatori patuit. ℣. Hospes eram, Mater mea, et collegisti me.—Ostium meum.

Bened. Cujus festum.

LECTIO 8.

Alii nudum quemlibet veste mutabili, atque corruptibili undelibet compositâ operiunt, illa Verbum Dei in illâ virgineâ carne in unitate personæ assumpsit, quæ sine fine incommutabilis permanet. Alii quemlibet esurientem cibo vel potu exteriori reficiunt, ista Deum et hominem humanitatis indigentem, non solùm exterioribus cibis, vel potibus pavit, verùm etiàm interiori suo lacte aluit. Tu.

℟. Esurivi, et dedisti mihi manducare: sitivi, et dedisti mihi bibere: * Nudus fui, et cooperuisti me. ℣. Pelle et carnibus, Mater mea, vestisti me.—Nudus.—Glor. —Nudus. *In Duplic.* 1. *et* 2. *Class.* Esurivi.

Benedict. Per Virginem.

LECTIO 9.

Et ut breviter illa sex misericordiæ opera percurramus, quæ cum uni ex minimis suis facta fuerint, Deus sibi facta confitetur. Ista non quemlibet ex minimis, sed summum Dei Filium hospitem suscepit, nudum vel etiàm pannis operuit, esurientem pavit, sitientem lacte potavit, infirmum per infantiam, et jacentem non solùm visitavit, sed etiàm balneando, fovendo, leniendo, gestando frequentavit, ut meritò de eâ dicatur: Martha satagebat circa frequens ministerium. Tu.

Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. In Sion * firmata sum, quia in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

2. Satagebat * circa frequens Christi ministerium.

3. Apostola * Apostolorum Magistra Evangelistarum, Doctrix discipulorum.

4. Pertransiit * benefaciendo: misericordiâ illius plena est terra.

5. Surrexerunt * filii ejus, et bealissimam prædicaverunt.

CAPITULUM. *Prov.* 31. 10. Mulierem fortem quis inveniet? Procùl et de ultimis finibus pretium ejus: confidit in eâ cor viri sui, et spoliis non indigebit.

HIMNUS 341.

O beata Mater Christi,
David stirpis femina:
Tu laus orbis et Regina,
Læta Virgo MARIA.

Votis adsis tu piorum
Omne servans sæculum:
Patriarchis et Prophetis
Laus, corona, gloriæ.

Ex te sperant lætabunda
Angelorum agmina,
Christi plebem, quod gubernes
Arcanorum conscia.

Nam te, Virgo celebs nupta,
Sexus omnis appetit:
Tu parentes atque natos
Deprecando protege.

Sempiterna sit beatæ
Trinitati gloria:
Patrem natum, atque Flamen
Laudet omne sæculum. Amen.

℣. Qui elucidant me.

℟. Vitam æternam habebunt.

Ad Benedictus ant. Omnibus omnia * facta est, omnibus misericordiæ suæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dilectissimam Matrem tuam Apostolis in solatium ad cœlos

ascendens reliquisti: præsta quæsumus, ut qui ipsam jugiter venemur, et ejus consolatione perfruamur in terris, et ejus protectione ad cœlestem patriam perducamur. Qui vivis.

AD PRIMAM.

Ant. In Sion. *Capit.* Mulierem.

℣. ℟. *br.* Quæ sollicita salutis omnium fuisti.

AD TERTIAM.

Ant. Salugebat.

CAPITULUM. *Prov.* 31. 18. Gustavit et vidit, quia bona est negotiatio ejus: non extinguetur in nocte lucerna ejus.

℟. *br.* Veni, * Ad me omnes.—Venite. ℣. Qui concupiscitis me.—Ad me.—Gloria.—Venite.

℣. Spiritus meus super mel dulcis.

℟. Et hæreditas mea super mel et favum.

AD SEXTAM.

Ant. Apostola.

CAPITULUM. *Prov.* 31. 26. Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus: consideravit semitas domûs suæ, et panem otiosa non comedit.

℟. *br.* Venite ad me * omnes qui laboratis.—Venite. ℣. Et ego reficiam vos.—Omnes.—Glor.—Venite.

℣. In me omnis gratia viæ et veritatis.

℟. In me omnis spes vitæ et virtutis.

AD NONAM.

Ant. Surrexerunt.

CAPITULUM. *Prov.* 31. 30. Mulier timens Dominum ipsa laudabitur: date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.

℟. *br.* Fons hortorum, * Puteus aquarum viventium.—Fons.

℣. Quæ fluunt impetu ex Libano.—Puteus.—Gloria.—Fons.

℣. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum.

℟. Cum pomorum fructibus.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Filii Matris meæ * pugnaverunt contra me: et posuerunt me custodem in vineis.

2. Terribilis * ut castrorum acies ordinata, cunctas hæreses sola interemisti.

3. Sicut turris * David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.

4. Mille clypei * pendent ex eâ, omnis armatura fortium.

5. Erit firmamentum * in terrâ, et in summis montibus, allel.

CAPITULUM. *Prov.* 31. 10. Mulierem fortem quis inveniet? Procùl et de ultimis finibus pretium ejus: confidit in eâ cor viri sui, et spoliis non indigebit.

HYMNUS 342. *Muret.*

O solis nitido luminе pulchrior,
Virgo, constituit quam Deus unicam
Expertem maculis omnibus, ut fores
Nato digna parens suo.
Te quondam Gedeon vellere in humido,
Intactâque novis imbribus aream;
Te cinctu innocuis Legifer ignibus
Agnoral priùs in rubo.
Rebus principium, qui dedit omnibus,
A te principium sumpsit homo Deus:
Cunctos prospiciens, qui tribuit cibos,
Pastus lacte fuit tuo.
Per te quod mulier perdiderat vetus
Humano generi redditur auctiùs:
Tu clausas miseris, heu nimirùm diù!
Cœlorum reseras fores.

Qui lucis pater est, gloria sit Patri:
Cujus Virgo parens, gloria Filio,
Quo fœcunda tibi nexus amabilis
Sit par gloria, Spiritus. Amen.

℣. Lætetur anima vestra in misericordiâ ejus.

℟. Et non confundemini in laude ipsius.

Ad Magnific. *ant.* Non habet * amaritudinem conversatio ejus, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium.

Oratio de Laudibus.

Completor. de feriâ.

Sequens Homilia dicitur in Duplic.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. *v.* 13. In illo tempore: conversus JESUS ad Discipulos suos dixit illis: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Et reliqua.

Homilia S. Amadei Episcopi Lausanensis.

De laud B. V. Hom. 5.

Quis ergò non properat, quis non curreret ab extremis terræ, reverendæ majestatis decus aspicere, et vultum omnimodâ suavitate, imperiali etiàm majestate, et singulari prærogativâ potestate videre? Quippe nihil inveniebatur illi simile in filiis et filiabus Adæ. Nihil tale in prophetis, in Apostolis, aut in Evangelistis. Nihil illi simile cœlum et terra dedere. Tu.

℟. Foris non mansit. *p.* 927.

LECTIO 8.

Quis enim in nubibus æquaretur ei, aut similis Matri Domini inter filios Dei? Et vide, quàm recto ordine citra Assumptionem effulsit admirabile nomen ejus in universâ terrâ, et fama ejus celeberrima ubique diffusa est, priùs quàm clevaretur magnificentia ejus super cœlos. Tu. ℟. Esurivi. *p.* 927.

LECTIO 9.

Decebat enim Matrem Domini Virginem, et ob Nati sui honorem, primò terris regnare, et ita demùm cœlos cum gloriâ suscipere. Dilatari et infimis, ut superna in plenitudine sanctâ penetraret, translata sicut de virtute in virtutem, sic à claritate in claritatem à Domini Spiritu. Igitur in carne præsens futuri regni primitias prælibabat. Tu.

Te Matrem.

Sequens Hom. dicitur in Semidiplic.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. *c.* 2. 1. In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater JESU ibi. Et reliqua.

Homilia S. Gaudentii Ep. Brixiensis.

Trac. 1. *de Lect. Evangel. In Biblict. PP.*

Et ait Mater Domini ad eum: Vinum non habent. Sed jàm quid Dominus ei responderit attonitis mentibus audiamus. Ait illi JESUS: Quid mihi et tibi est mulier? Nondùm venit hora mea. Juxta intellectûs simplicis rationem probare sufficerit, Beatam MARIAM Virginem sexûs causâ mulierem nuncupatam, sicut in Genesi de Evâ scribitur. Quod verò ait: Quid mihi et tibi est? Nondùm venit hora mea: non mihi videtur illa responsio ad istam suggestionem MARIÆ convenire, nisi in mysterio locutus esse spiritualiter Dominus dicatur, ut quoniàm vinum Spiritûs Sancti ante Passionem gentibus dare non poterat (Evangelistâ testante: nondum erat Spiritus datus, quia JESUS necdùm fuerat glorificatus), meritò tunc inter initia signorum Matri responderit: Quid mihi et tibi est mulier? Nondùm venit hora mea. Tu.

℟. Foris non. *p.* 927.

LECTIO 8.

Tamquàm si diceret: quid tam præpropera est tua, ô Mater suggestio, cum hora passionis meæ nondùm advenerit, quâ, perfectis omnibus vel doctrinæ, vel operationum divinarum virtutibus, pro vitâ credentium mori disposui? Post Passionem, Resurrectionemque meam cum ad Patrem rediero, tunc eis donabitur vinum Spiritûs Sancti. Quapropter ipsa Beatissima agnito responsionis hujus profundo mysterio, intellexit non suggestionem suam aspernanter acceptam secundum illam spiritualem rationem in mysterio hunc dilatam. Tu.

℟. Esurivi. 927.

LECTIO 9.

Cæterùm nunquàm mandaret ministris: quodcumque dixerit vobis, facite: nisi Spiritu Sancto post partum divinum plena, non solùm responsionis Christi virtutem cognovisset, verùm etiàm faciendi ab hinc ex aquâ vini universum ordinem prævidisset. Quid enim lateret sapientiæ Matrem capacem Dei, ædem dignissimam tantæ virtutis veritate facti historialiter approbatâ? Tu. Te Matrem.

IX.

TEMPORE.

VITÆ GLORIOSÆ.

Post Assumptionem in Cœlum.

IN I. VESPER.

Ant. 1. Viderunt eam * filiæ Sion, et Beatissimam prædicaverunt, alleluia.

Psalmi de feriâ.

2. Tu gloria Jerusalem, * tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, alleluia.

3. In Sion * firmata sum, et in civitate sancta requievi, et in Jerusalem potestas mea, alleluia.

4. Nihil æquale * MARIÆ, nihil nisi Deus major MARIA, allel.

5. Tot tibi * sunt dotes, Virgo, quot sidera cœlo, alleluia.

CAPITULUM. *Jud.* 10. 4.

Dominus contulit ei splendorem.... ut incomparabili decore omnium oculis appareret.

HYMNUS 343. *S. Pet. Dam.*

Gaudium mundi, nova stella cœli,
Procreans solem, pariens parentem,
Da manum lapsis, opem fer caducis
Virgo MARIA.

Te Deo faciam liquet esse scalam,
Quâ tenens summum, petit altus imum:
Nos ad excelsi remeare cœli
Culmina dona.

Te beatorum chorus Angelorum,
Te sacri vates, et Apostolorum
Ordo prælatam, sibi cernit unam
Post Deitatem.

Aula cœlestis speciosa Regis,
Fulta septenis sophiæ columnis,
Quem nequit totus cohibere mundus
Claudis in alvo.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

℣. Magna est gloria ejus, allel.

℟. In salutari tuo, Domine, allel.

Ad Magnif. *ant.* Beatam me dicent * omnes generationes, quia fecit mihi magna Dominus, qui potens est.

Oratio de Laudibus.

Completor. de feriâ.

Sequens Dozol. dicitur in Hymn. Complet. et in aliis ejusd. metri.

Te nunc, Redemptor, quæsumus,
Ut Virginis consortio
Jungas præcantes servulos
In sempiterna sæcula. Amen.

AD MATUT.

Invitator. Memoriam MARIÆ cum laudibus celebremus, * Et nomen ejus cum exultatione, alleluia, alleluia.

Psalm. Invitator. Venite, exultemus.

HYMNUS 344. *Brev. Pariss.*

O quàm glorificâ luce coruscas
Stirpis Davidicæ regia proles,
Sublimis residens, Virgo MARIA,
Supra cœligenas ætheris omnes!

Tu cum virgineo Mater honore
Cœlorum Domino pectoris aulam
Sacris visceribus casta dedisti:
Humanos Deus hinc induit artus.

Quem cunctus venerans orbis adorat,
Cui nunc ritè genu flectitur omne,
A quo te precibus subveniente
Æterni petimus gaudia regni.

Divinæ Soboli, qui dare Matrem
In terris voluit, gloria Patri:
Cujus Virgo parens gloria Nato,
Quo fœcunda tibi gloria, Flamen.
Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Benedicta * à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram, allel.

2. Nomen tuum * ità Deus magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, allel.

3. Benedicentur in te, * et in semine tuo cunctæ tribus terræ, allel.

℣. Gloriosa dicta sunt de te, allel.

℟. Civitas Dei, allel.

Pater nost. *Absol.* Exaudi. *Bened.* Benedictione.

Sequentes Lectio dicuntur in Duplicib. majoribus.

De libro Esther.

LECTIO 1. *c.* 5. 1.

Induta est Esther regalibus vestimentis, et stetit in atrio domûs regiæ, quod erat interiùs contra Basilicam regis: at ille sedebat super solium suum in consistorio palatii contra ostium domûs. Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis ejus, et extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens osculata est summitatem virgæ ejus. Tu.

℣. Per te, Virgo Dei Genitrix, nobis est vita perdita data, * Quæ de cœlo suscepisti prolem, et mundo genuisti Salvatorem, alleluia, allel. ℣. Recordare, Virgo Mater in conspectu Dei, ut loquaris pro nobis bona, et ut avertat indignationem suam à nobis.—Quæ.

Bened. Primogenita.

LECTIO 2. *c.* 7. 2.

Dixitque ad eam Rex: quæ est petitio tua, Esther, ut detur tibi, et quid vis fieri? Etiàm si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Ad quem illa respondit: Si inveni gratiam in oculis tuis, ô Rex, et si tibi placet, dona mihi animam meam, pro quâ rogo, et populum meum, pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego et populus meus, ut conteramur, jugulemur, et pereamus. Tu.

℟. Memorare dierum humilitatis tuæ, et ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ: * Quia hostis noster loculus est contra nos in mortem, allel. allel. ℣. Invoca Dominum, et loquere regi pro nobis, et libera nos de morte.—Quia.

Bened. Spiritûs.

LECTIO 3.

Respondensque rex Assuerus ait: Quis est iste, et cujus potentiæ, ut hæc audeat facere? Dixitque Esther: Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman. Quod ille audiens, illico obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non sustinens. Rex autem iratus surrexit, et de loco convivii intravit in hortum arboribus consitum. Aman quoquè surrexit, ut rogaret Esther regi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nam pro animâ suâ: intellexit enim à rege sibi paratum malum. Tu.

℣. Manus Domini confortavit te, et ideò eris benedicta in æternum, * Præ omnibus mulieribus super terram, allel. allel. ℣. Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso — Præ.—Gloria.—Præ. *In Duplicibus* 1. *et* 2. *Class.* Manus.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Pulchra es, * amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem, allel.

2. In cœlesti Jerusalem * potestas mea, et in plenitudine sanctorum detentio mea, allel.

3. Amicta lumine * sicut vestimento, sicut sol fulgebit in æternum, allel.

℣. Speciosa facta es, et suavis, alleluia.

℟. In deliciis tuis, Sancta Dei Genitrix, allel.

Pater nost. *Absol.* Ipsius, *Bened.* Dei Mater.

Sermo S. Joannis Chrisostomi. *Apud Metaphr. ex Bree. Romano.*

LECTIO 4.

Dei Filius non divitem aut locupletem aliquam feminam sibi Matrem elegit, sed beatam Virginem illam, cujus anima virtutibus ornata erat. Cum enim beata MARIA supra omnem humanam naturam castitatem servarel, propterea Christum Dominum in ventre concepit. Ad hanc igitur sanctissimam Virginem, et Dei Matrem accurrentes, ejus patrocinii utilitatem assequamur. Itaque quæcumque estis virgines ad Matrem Domini confugite. Illa enim pulcherrimam, et incorruptibilem possessionem patrocinio suo vobis conservat. Tu.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiæ Sion beatissimam prædicaverunt, dicentes: unguentum effusum nomen tuum, alleluia, allel. ℣. Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate.—Et videntes.

Bened. Filia Dei.

LECTIO 5.

Magnum reverà miraculum, fratres dilectissimi, fuit beata semper Virgo MARIA. Quid namque illâ majus aut illustrius ullo unquàm tempore inventum est, seu aliquandò inveniri poterit? Hæc sola cœlum et terram amplitudine superavit. Quidnam illâ sanctius? Non prophetæ, non apostoli, non martyres, non patriarchæ, non angeli, non throni, non dominationes, non seraphim, non cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res, visibiles, aut invisibiles, majus aut excellentius inveniri potest. Eadem ancilla Dei est et Mater: eadem Virgo et Genitrix. Tu.

℟. Beatam me dicent omnes generationes, * Quia fecit mihi magna Dominus qui potens est, et sanctum nomen ejus, allel. allel. ℣. Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.—Quia.

Bened. Ignem divini.

LECTIO 6.

Hæc ejus mater est, qui à Patre ante omnium principium genitus fuit, quem Angeli ac homines agnoscunt Dominum rerum omnium. Vis ne cognoscere, quantò Virgo hæc præstantior sit cœlestibus potentiis? Illæ cum timore, et tremore assistunt, faciem velantes suam: hæc humanum genus illi offert, quem genuit, per hanc et peccatorum veniam consequimur. Ave, igitur, Mater, cœlum, puella, Virgo, thronus, Ecclesiæ nostræ decus, gloria, et firmamentum, assidue pro nobis deprecare Filium tuum, et Dominum nostrum. Tu.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, et formosa tanquàm Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et Beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam, allel. allel. ℣. Et sicut dies verni circumdabant eum flores rosarum, et lilia convallium.—Viderunt.—Gloria. —Viderunt. *In Duplic.* 1. *et* 2. *Classis.* Quæ est ista.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Cum regio * fulgeret habitu, incomparabili decore omnium oculis apparebat, alleluia.

2. Pulchra * pulchritudine divinâ, pulchra decore virgineo, pulchra unigenito Filio, alleluia.

3. Ista est * speciosa inter filias Jerusalem, alleluia.

℣. Valdè mirabilis es, Virgo MARIA, alleluia.

℟. Et facies tua plena gratiarum, alleluia.

Pat. nost. *Absol.* A vinculis. *Benedic.* Evangelica.

Sequens Homilia legitur in Duplicib. majoribus.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: beatus venter qui te portavit. Et reliqua. Homilia Venerabilis Bedæ Presb.

Libr. 4. *c.* 19. *in Lucam.*

Magnæ devotionis et fidei hæc mulier ostenditur, quæ scribis et pharisæis Dominum tentantibus, simul et blasphemantibus, tantâ ejus incarnationem præ omnibus sinceritate cognovit, tantâ fiduciâ confitetur, ut et præsentium procerum calumniam, et futurorum confundat hæreticorum perfidiam. Tu.

℟. Quid grandius Virgine, * Quæ magnitudinem summæ divinitatis mirè sui ventris conclusit arcano? allel. allel. ℣. Ascende super Seraphim, et videbis, quod majus est, minus Virgine, solumque Opificem opus illud supergredi.—Quæ.

Bened. Cujus gloriam.

LECTIO 8.

Nam sicut tunc Judæi Sancti Spiritûs opera blasphemando, verum consubstantialemque Patri Dei Filium negabant: sic hæretici postèa negando MARIAM semper Virginem, Sancti Spiritûs operante virtute, nascituro cum humanis membris Unigenito Dei, carnis suæ materiam ministrasse, verum, consubstantialemque Patri Filium hominis fateri non debere dixerunt. Tu.

℟. Sancta et immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, * Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti, allel. allel. ℣. Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui.—Quia.—Gloc.—Quia. *In Duplic.* 1. *et* 2. *Class.* Sancta.

Bened. Per Virginem.

LECTIO 9.

Sed si caro Verbi secundum carnem nascentis à carne Virginis Matris pronuntiatur extranea, sine causâ venter, qui eam portassel, et ubera, quæ lactassent, beatificantur. Quâ enim consequentiâ ejus lacte credatur nutritus, cujus semine negatur conceptus, cum ex unius, ejusdemque fontis origine secundum Phisicos uterque liquor emanare probetur? Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

Ant. 1. Multæ filiæ * congregaverunt divitias, tu supergressa es universas, allel.

2. Sedes tua, * Virgo, in sæculum sæculi, et regnum tuum à generatione in generationem, allel.

3. Quia respexit * Deus humilitatem ancillæ suæ, beatam me dicent omnes generationes, allel.

4. Oculi tui * misericordes in nos pauperes, ditissima Virgo, respician', allel.

5. Respice * de excelso solio tuo super nos, et miserere nostri, alleluia.

CAPITULUM. *Jud.* 10. 4.

Dominus contulit ei splendorem.... ut incomparabili decore omnium oculis appareret.

HYMNUS 343. *Brev. Par.*

Nunc aurora nova nantia lucis
Tristes orbe procul dissipat umbras:
O quàm lucidior, nocte sepultis
Portans ipsa diem, Virgo refulgens!
O quæ nunc habitas lucida regna,
Mittas indè tuæ munera lucis:
Te si terra dedit munus olympo,
Quæ non dona memor reddet olympus?
Inter perpetuos Numinis haustus,
O Regina, tibi sanguine junctum
Ne dedisce genus: nostra fuisti,
Summi facta parens, Virgo, Tonantis.
Divinæ Soboli, qui dare Matrem
In terris voluit, gloria Patri:
Cujus Virgo parens, gloria Nato,
Quo fœcunda tibi gloria, Flamen.
Amen.

℣. Deus in medio ejus, allel.

℟. Non commovebitur, allel.

Ad Benedict. *ant.* Gyrum cœli * circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi, et in omni terrâ steti, et in omni gente et in omni populo primatum habui, allel. allel.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Unigeniti tui Beatissimam Matrem super omnes choros Angelorum sublimasti; concede propitius, ut qui ejus cœlestem gloriam commemoramus, ad æternam vitam mereamur pervenire. Per eundm.

AD PRIMAM.

Ant. Multæ filiæ. *Capitul.* Dominus. *de Laudib.*

℣. ℟. *br.* Quæ sedes ad dexteram Filii tui.

AD TERTIAM.

Ant. Sedes tua.

CAPITULUM. *Bar.* 5. 2.

Circumdabit te Deus diploide justitiæ, et imponet mitram capiti honoris æterni.

℟. *br* Pulchra es Amica mea, * Alleluia, alleluia.—Pulchra. ℣. Suavis et decora sicut Jerusalem.—Alleluia.—Glor.—Pulchra.

℣. Favus distillans labia tua, alleluia.

℟. Mel et lac sub linguâ tuâ, alleluia.

AD SEXTAM.

Ant. Quia respexit.

CAPITULUM. *Bar.* 5. 3.

Deus ostendet splendorem suum in te omni, qui sub cœlo est: nominabitur enim tibi nomen tuum à Deo in sempiternum.

℟. *br.* Magna est gloria ejus, * Alleluia, alleluia.—Magna. ℣. In salutari tuo. — Alleluia. — Gloria Patri. Magna.

℣. Hæc est speciosior sole, allel.

℟. Et luci comparata, invenitur prior, allel.

AD NONAM.

Ant. Respice.

CAPITULUM. *Judit.* 13. 31.

Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Jacob; quoniàm in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israël.

℟. *br.* Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, * Alleluia, alleluia. Tu glor. ℣. Tu honorificentia populi nostri.—Alleluia.—Gloria.—Tu gloria.

℣. Pulchra ut luna, electa ut sol, alleluia.

℟. Terribilis, ut castrorum acies ordinata, alleluia.

IN II. VESPER.

Ant. 1. In perpetuum * in cœlis coronata triumphat Christi Mater, Virgo MARIA, alleluia.

2. Memorare * dierum humilitatis tuæ, et loquere regi pro nobis, alleluia.

3. Invoca Dominum, * et libera nos de morte, alleluia.

4. Respice * de cœlo, et vide et visita vineam istam, quam plantavit dextera tua, alleluia.

5. Splendorem * misericordiæ tuæ ostende, Domina, super nos: respice in nos, et salvi erimus, alleluia.

CAPITULUM. *Jud.* 10. 4.

Dominus contulit ei splendorem.... ut incomparabili decore omnium oculis appareret.

HYMNUS 346.

O Virgo quæ sublimior
Choris Angelorum sedes,
Nato Mater jam propior,
Exaudi supplicum preces.
Amicta solis radiis
Lunam sub pedibus premens,
Stellis coruscans aureis,
Superque nubes gradiens.
O gens beata, quæ tibi,
Cultu devota proprio,
Quam sic potens tam facili
Semper foves præsidio!
Nunc ergò voce supplici
Rogamus, ut feras opem:
Nec dimovemus auxii
A tuo vultu faciem.
Nos scelerum moles gravat,
Nos pœna terret debita,
Si non à Deo spem ferat,
Petita per te venia.
Hic hospites, hic orphanos,
Virgo Mater, nos respice:
Nos unà tibi filios,
Christique fratres effice.
Sanare corpus, quæ vales,
Medere morbis animi,
Et patriâ fac exules
Tandem beatâ recipi. Amen.

℣. Coronat te Dominus in misericordiâ, allel.

℟. Replet in bonis desiderium tuum, allel.

Ad Magnific. *ant.* Sancta MARIA, * succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam Commemorationem, alleluia, allel.

Oratio de Laudibus.

Completorium de feriâ.

Sequens Homilia dicitur in Duplicibus.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 11. 26.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Libr. 4. *cap.* 49. *in Luc.*

Dixit autem Apostolus: quia misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege. Neque enim audiendi sunt, qui legendum putant: Natum ex muliere, factum sub lege: sed factum ex muliere: quia conceptus ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliundè, sed maternâ traxit ex carne. Tu. ℣. Quid grandius. 933.

LECTIO 8.

Alioquin non verè filius hominis, diceretur, qui originem non haberet ex homine. Et nos igitur, his contra Eutichem dictis, extollamus vocem cum Ecclesiâ catholicâ, cu-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA

jus hæc mulier typum gessit: exiollamus et mentem de medio turbarum, dicamusque Salvatori: Beatus venter, qui te portavit, et ubera quæ suxisti. Tu. ℣. Sancta. 933.

LECTIO 9.

Verè enim beata Parens, quæ sicut quidam ait: enixa est puerpera regem, qui cœlum terramque tenet per sæcula: cujus nomen æterno complectens omnia gyro, imperium sine fine tenet: quæ ventre beato gaudia matris habens cum virginitatis honore, nem primam similem visa est, nec habere sequentem. Tu. Te Matrem.

Sequens Homilia dicitur in Semiduplicibus.

Lectio S. Evang. secun lum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Libr. 10. *in Luc. c.* 33.

Stabant autem mulieres hæc videntes. Stabat et Mater cum studio pietatis, quæ sua pericula posthaberet. Sed et Dominus suspensus in cruce, qui sua pericula contemneret, pio Matrem commendabat affectu. Quod non otiosè Joannes pluribus prosecutus est. Solus ergò me docet, quòd alii non docuerunt, quemadmodùm in cruce possitus, appellaverit Matrem, pluris putans, quòd victor suppliciorum, atque pœnarum, victor diaboli, pietatis officia dividebat, quàm quod regnum cœleste donabat. Tu.

℣. Quid grandius. 933.

LECTIO 8.

Nam si religiosum est, quòd latroni venia donatur à Domino, multò religiosius, quòd Mater honoratur à Filio. Nec præposterum judicetur, quòd priùs latronis absolutionem, quàm Matris appellationem scripsi. Qui enim venerat salvos facere peccatores, non absurdum, si in meis scriptis susceptum munus in redimendâ salute peccatoris implevit. Tu. ℣. Sancta. 933.

LECTIO 9.

Denique ipse ait: quæ est Mater mea, et qui sunt fratres mei? Quia non venerat vocare justos sed peccatores. Sed ibi pro loco, hic et in cruce non immemor Matris appellat eam dicens: Ecce Filius tuus. Et Joannis: Ecce Mater tua. Testatur de cruce Christus, et testamentum ejus signat Joannes. Tu. Te Matrem.

X.

COMMUNE.

DEDICATIONIS ECCLESIARUM

B. MARIÆ V.

Tempore paschali, seu Vitæ gaudiosæ B. V. et tempore Vitæ gloriosæ in Officiis Dedicationis additur una Alleluia, *post singulas antiphonas, ℣. et ℟. quæ duplicatur in antiph. ad* Magnif. *ad* Benedict. *et in ℟℟. post Lectiones. In singulis nocturnis dicitur tantùm una antiphona. ℟℟. brevia Completorii et aliarum Horarum dicuntur etiam cum* Alleluia.

IN I. VESP.

Ant. 1. Ascendite * montem, portate ligna, et ædificate domum Virgini MARIÆ.

Psalmi de feriâ.

2. Quis poterit * prævalere, ut ædificet dignam MARIÆ domum?

3. Magna est * Domina nostra, et magna virtus ejus, et potentiæ ejus non est finis.

4. Domus MARIÆ * talis esse debet, ut in cunctis nationibus nominetur.

5. Cujus in cœlo * thronus est excelsus, in domibus suis in terrâ cognoscetur.

CAPITULUM. 1. *Mach.* 7. 37.

Elegisti domum istam ad invocandum nomen tuum in eâ, ut esset domus orationis et obsecrationis populo tuo.

HYMNUS 347.

Prolis æternæ Genitrix beata
Dum tuæ sacros pia plebs honores
Ædis instaurat, Mater alma, nostris
Annue votis.

Cujus in cœlo thronus est perennis,
Incolis parvam, alta Virgo, ædem:
Hic reis clemens facilis relaxas
Gratiâ culpam.

Hic tuo pascis populum fidelem
Pane, qui salus tuo ventre fuit:
Hic et profusi pretium cruoris
Ipsa propinas.

Hic salus ægris animis paratur:
Cedit hic febris mala, cedit languor:
Hic et devoto tibi, Virgo, sedem
Præparas astris.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto,
Regnat in ævum.

℣. Domus mea.

℟. Domus orationis vocabitur.

Ad Magnif. *ant.* Implebo * domum istam gloriâ, et in loco isto dabo pacem.

Oratio de Laudib.
Completorium de feriâ offic.
Doxologia de tempore.

AD MATUTIN.

Invitatorium. Domus tua, Domina, * in sanctificatione permaneat.

Psalmus Invitator. Venite, exultemus.

HYMNUS 348.

Ex offic. B. V. de Tabulis.

Templo quæ populi confluit unda?
Flexo prona genu, supplice cultu,
Quas, Regina, preces, quas tibi laudes
Sacratas venerans fundit ad aras?

Certâ nixa fide vota precatur:
Tu Spes, tu generis gloria nostri,
Te cœlo Dominam summa potestas,
Dat terris pietas summa benignam.

Alto celsa throno vota clientum
Prudens judicio discutis æquo:
Veri dum propior spargeris haustu
Quæ sincera probas, falsa recusas.

O te si cupimus, Virgo, Patronam,
Natus quæ docuit cuncta sequamur:
Sic laus tempè tibi nostra placebit,
Sic nostris venies dextera votis.

Tu Mater: moriens è cruce Natus
Orbe substituit nos tibi natos:
Tu prolem medians inter utramque,
Natis, Mater, amas flectere Natum.

Trino summa Deo laus sit et uni,
Per te laus veniat grata Parenti,
Per te Filius hanc audiat ultrò
Urat nosque sacro Spiritus igne.
Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Quàm dilecta * tabernacula tua, Domina virtutum! quàm amabilia tentoria requietionis tuæ.

2. Ecce tabernaculum * Reginæ cœli cum hominibus, ut habitet nobiscum.

3. Solummodò * ibi magnifica est Domina nostra.

℣. Beati, qui habitant in domo tuâ.

℟. In sæcula sæculorum laudabunt te.

Pater nost. *Absol.* Exaudi. *Benedict.* Benedictione.

Sequentes Lectiones dicuntur in Duplic. majoribus.

De libro secundo Paralipomenon.

LECTIO 1. *c.* 7. 1.

Cumque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, et devoravit holocausta et victimas: et majestas Domini implevit domum. Nec poterant sacerdotes

jus hæc mulier typum gessit: exiollamus et mentem de medio turbarum, dicamusque Salvatori: Beatus venter, qui te portavit, et ubera quæ suxisti. Tu. ℣. Sancta. 933.

LECTIO 9.

Verè enim beata Parens, quæ sicut quidam ait: enixa est puerpera regem, qui cœlum terramque tenet per sæcula: cujus nomen æterno complectens omnia gyro, imperium sine fine tenet: quæ ventre beato gaudia matris habens cum virginitatis honore, nem primam similem visa est, nec habere sequentem. Tu. Te Matrem.

Sequens Homilia dicitur in Semiduplicibus.

Lectio S. Evang. secun lum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Libr. 10. *in Luc. c.* 33.

Stabant autem mulieres hæc videntes. Stabat et Mater cum studio pietatis, quæ sua pericula posthaberet. Sed et Dominus suspensus in cruce, qui sua pericula contemneret, pio Matrem commendabat affectu. Quod non otiosè Joannes pluribus prosecutus est. Solus ergò me docet, quòd alii non docuerunt, quemadmodùm in cruce possitus, appellaverit Matrem, pluris putans, quòd victor suppliciorum, atque pœnarum, victor diaboli, pietatis officia dividebat, quàm quod regnum cœleste donabat. Tu.

℣. Quid grandius. 933.

LECTIO 8.

Nam si religiosum est, quòd latroni venia donatur à Domino, multò religiosius, quòd Mater honoratur à Filio. Nec præposterum judicetur, quòd priùs latronis absolutionem, quàm Matris appellationem scripsi. Qui enim venerat salvos facere peccatores, non absurdum, si in meis scriptis susceptum munus in redimendâ salute peccatoris implevit. Tu. ℣. Sancta. 933.

LECTIO 9.

Denique ipse ait: quæ est Mater mea, et qui sunt fratres mei? Quia non venerat vocare justos sed peccatores. Sed ibi pro loco, hic et in cruce non immemor Matris appellat eam dicens: Ecce Filius tuus. Et Joannis: Ecce Mater tua. Testatur de cruce Christus, et testamentum ejus signat Joannes. Tu. Te Matrem.

X.

COMMUNE.

DEDICATIONIS ECCLESIARUM

B. MARIÆ V.

Tempore paschali, seu Vitæ gaudiosæ B. V. et tempore Vitæ gloriosæ in Officiis Dedicationis additur una Alleluia, *post singulas antiphonas, ℣. et ℟. quæ duplicatur in antiph. ad* Magnif. *ad* Benedict. *et in ℟℟. post Lectiones. In singulis nocturnis dicitur tantùm una antiphona. ℟℟. brevia Completorii et aliarum Horarum dicuntur etiam cum* Alleluia.

IN I. VESP.

Ant. 1. Ascendite * montem, portate ligna, et ædificate domum Virgini MARIÆ.

Psalmi de feriâ.

2. Quis poterit * prævalere, ut ædificet dignam MARIÆ domum?

3. Magna est * Domina nostra, et magna virtus ejus, et potentiæ ejus non est finis.

4. Domus MARIÆ * talis esse debet, ut in cunctis nationibus nominetur.

5. Cujus in cœlo * thronus est excelsus, in domibus suis in terrâ cognoscetur.

CAPITULUM. 1. *Mach.* 7. 37.

Elegisti domum istam ad invocandum nomen tuum in eâ, ut esset domus orationis et obsecrationis populo tuo.

HYMNUS 347.

Prolis æternæ Genitrix beata
Dum tuæ sacros pia plebs honores
Ædis instaurat, Mater alma, nostris
Annue votis.

Cujus in cœlo thronus est perennis,
Incolis parvam, alta Virgo, ædem:
Hic reis clemens facilis relaxas
Gratiâ culpam.

Hic tuo pascis populum fidelem
Pane, qui salus tuo ventre fuit:
Hic et profusi pretium cruoris
Ipsa propinas.

Hic salus ægris animis paratur:
Cedit hic febris mala, cedit languor:
Hic et devoto tibi, Virgo, sedem
Præparas astris.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto,
Regnat in ævum.

℣. Domus mea.

℟. Domus orationis vocabitur.

Ad Magnif. *ant.* Implebo * domum istam gloriâ, et in loco isto dabo pacem.

Oratio de Laudib.
Completorium de feriâ offic.
Doxologia de tempore.

AD MATUTIN.

Invitatorium. Domus tua, Domina, * in sanctificatione permaneat.

Psalmus Invitator. Venite, exultemus.

HYMNUS 348.

Ex offic. B. V. de Tabulis.

Templo quæ populi confluit unda?
Flexo prona genu, supplice cultu,
Quas, Regina, preces, quas tibi laudes
Sacratas venerans fundit ad aras?

Certâ nixa fide vota precatur:
Tu Spes, tu generis gloria nostri,
Te cœlo Dominam summa potestas,
Dat terris pietas summa benignam.

Alto celsa throno vota clientum
Prudens judicio discutis æquo:
Veri dum propior spargeris haustu
Quæ sincera probas, falsa recusas.

O te si cupimus, Virgo, Patronam,
Natus quæ docuit cuncta sequamur:
Sic laus tempè tibi nostra placebit,
Sic nostris venies dextera votis.

Tu Mater: moriens è cruce Natus
Orbe substituit nos tibi natos:
Tu prolem medians inter utramque,
Natis, Mater, amas flectere Natum.

Trino summa Deo laus sit et uni,
Per te laus veniat grata Parenti,
Per te Filius hanc audiat ultrò
Urat nosque sacro Spiritus igne.
Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Quàm dilecta * tabernacula tua, Domina virtutum! quàm amabilia tentoria requietionis tuæ.

2. Ecce tabernaculum * Reginæ cœli cum hominibus, ut habitet nobiscum.

3. Solummodò * ibi magnifica est Domina nostra.

℣. Beati, qui habitant in domo tuâ.

℟. In sæcula sæculorum laudabunt te.

Pater nost. *Absol.* Exaudi. *Benedict.* Benedictione.

Sequentes Lectiones dicuntur in Duplic. majoribus.

De libro secundo Paralipomenon.

LECTIO 1. *c.* 7. 1.

Cumque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, et devoravit holocausta et victimas: et majestas Domini implevit domum. Nec poterant sacerdotes

ingredi templum Domini, eo quòd impleta esset majestas Domini templum Domini. Sed et omnes filii Israel videbant descendentem ignem, et gloriam Domini super domum: et corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide adoraverunt, et laudaverunt Dominum, quoniàm bonus, quoniàm in sæculum misericordia ejus. Tu.

℟. Gloria Libani veniet ad ornandum locum sanctificationis meæ, * Et locum pedum meorum glorificabo. ℣. In templo meo ponam nomen meum in sempiternum.—Et. *Bened.* Primogenita.

LECTIO 2.

Rex autem et omnis populus immolabant victimas coram Domino. Mactavit igitur Rex Salomon hostias, boyum viginti duo millia, arietum centum viginti millia: et dedicavit domum Dei Rex et universus populus. Sacerdotes autem stabant in officiis suis et Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David Rex ad laudandum Dominum, quoniàm in æternum misericordia ejus. Tu.

℟. Dabo sanctificationem meam in medio eorum, et erit tabernaculum meum in eis: * Quoniàm deliciæ meæ esse cum filiis hominum. ℣. Oculi mei erunt aperti, et aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit.—Quoniàm. *Bened.* Spiritûs Sancti.

LECTIO 3.

Sanctificavit quoque Salomon medium atrii ante templum Domini: obtulerat enim ibi holocausta, et adipes pacificorum, quia altare æneum, quod fecerat, non poterat sustinere holocausta, et sacrificia, et adipes. Fecit ergò Salomon solemnitatem in templo illo septem diebus, et omnis Israel cum eo, Ecclesia magna valdè ab introitu Emath usque ad torrentem Ægypti. Fecitque die octavo collectam, eo quòd dedicasset altare septem diebus, et solemnitatem celebrasset diebus septem. Tu.

℟. Sint oculi tui, Domina, aperti super domum hanc nocte ac die: * Ut exaudias deprecationem populi tui. ℣. Ego exaudiam de cœlo, et propitia ero vobis, et sanabo vos. —Ut.—Gloria.—Ut. *In Duplicib.* 1. *et* 2. *Class.* Sint oculi tui.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Consecrasti, * Domina, domum tuam: benedixisti habitationem tuam.

2. Non est hic * aliud nisi domus Matris Dei, et porta cœli.

3. Qui ingreditur * sine maculâ, habitabit, Domina, in tabernaculo tuo.

℣. Domum tuam decet sanctitudo.

℟. In longitudidm dierum.

Pater noster. *Absol.* Ipsius *Bened.* Dei Mater.

Sermo Sancti Petri Damiani. *Serm.* 2. *in Naticit. B. V.*

LECTIO 4.

Si Salomon cum Israelitico populo in dedicatione Templi ex lapidibus facti tam copiosum et magnificum sacrificium solemniter celebravit; quale, quantumque beatæ MARIÆ Festivitas populo Christiano debet afferre, in cujus utérum, velut reverà sacratissimum templum, Deus ipse descendens, et humanam naturam de eâ suscipere, et cum honoribus dignatus est visibiliter habitare? Tu.

℟. Magnum hæreditatis mysterium: templum Dei factus est uterus nescientis virum: * Non est pulchrius ex eâ carnem assumens. ℣. Domus pudici pectoris Templum repentè fit Dei: intacta nesciens virum, verbo concepit filium.—Non. *Bened.* Filia Dei.

LECTIO 5.

Licet enim et in illud Salomonis templum Deus descendisse credatur, in hoc tamèn rationabili sanctuario, hoc est, in beatissimæ Virginis utero multò mirabilius, multoque feliciùs dignatus est manere pro nobis, in quo Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. De illo quippè antiquo, videlicet, templo, scriptum est: Factum est cum exissent Sacerdotes de sanctuario, implevit nebula domum Domini: et non poterant sacerdotes stare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini. Tu.

℟. Verè Dominus est in loco isto: quàm terribilis est! * Non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli. ℣. Majestas Domini implevit totam domum.—Non est. *Bened.* Ignem divini.

LECTIO 6.

Illi deniquè templo Deus omnipotens gloriam quidem sui adventûs contulit, sed nihil ex eo in suâ naturâ suscepit. In Beatissimæ autem Virginis uterum non solùm dignatus est descendere, sed eo etiàm perfectam sibi substantiam nostræ mortalitatis unire. quantò igitûr nostri templi major est dignitas, tantò gloriosior ejus debet esse solemnitas. Tu.

℟. In multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, * Et confitebor nomini tuo. ℣. Introibo domum tuam in holocaustis, et reddam tibi vota mea. —Et conf.—Glor.—Et. *In Dupl.* 1. *et* 2. *Class.* In multitud.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Domus tua * sempèr in sanctificatione permaneat.

2. Replebimur * in bonis domûs tuæ: sanctum est templum tuum.

3. In templo tuo, * Domina, omnes dicent gloriam.

℣. Hæc est domus Reginæ cæli.

℟. In eâ omnis qui petit, accipit.

Pater nost. *Absol.* A vinculis. *Benedict.* Evangelica.

Sequens Homil. dicitur in Duplic. majoribus.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Hildephonsi Arch. Toletani.

Serm. 5. *in Assumpt.*

Congruè satis, et convenientèr videtur à Patribus fuisse sanctum, ut in memoriâ Dei Genitricis recitetur evangelica lectio, quæ narrat illas duas mente et carne sores Dominum JESUM excepisse hospitio. Cum enim illa venienti in mundum templum præparavit in virtute sacratum, ut perpetuæ virginitati dedicaretur: huic islæ, ut Evangelium loquitur, temporalis habitationis præparaverunt hospitium, et piæ humanitatis, ac sincerissimæ charitatis præbuerunt obsequium. Tu.

℟. Benedic, Domina cœli et terræ, Domum istam: venientium in loco isto * Exaudi preces in excelso solio gloriæ tuæ. ℣. Si conversus fuerit populus tuus, et oraverit ad sanctuarium tuum.—Exaudi.

Bened. Cujus, *de tempore.*

LECTIO 8.

Horum enim vita et actus ita fuerunt mirabiles, et fidelium recordatione celebres, ut duarum vita-

rum figuram eas rectè tenere asserant divinarum litterarum catholici, et doctissimi viri. Martha igitur, quæ curam domûs gerebat, et tanto talique Hospiti ea quæ necessaria erant, præparabat, activæ vitæ figuram, ut diximus, præferebat. Per Mariam verò, quæ ad pedes Domini sedens instantissimè, sermonis ejus audiebat colloquia, vita perspicuè præmonstratur contemplativa. Tu.

℟. Domus mea, domus orationis vocabitur: * In eâ omnis, qui petit, accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur. ℣. Domum tuam protege, Domina, et angeli cœli custodiant eam.—In.—Glor.—In. *In Duplicib.* 1. *et* 2. *Class.* Domus mea.

Bened. Per Virginem.

LECTIO 9.

Ejà, fratres carissimi, videamus, si Domina nostra, imò Domini nostri et Dei Genitrix, et semper Virgo MARIA utramque vitam ad plenum exercuit, activam laudabilem, quam opere Martha excoluit: contemplativam optimam quam Maria audiendo et eligendo obtinuit. Sanè sicut dilectum Domini Joannem theologum, de humanis et corporalibus actibus Domini JESU pauca dixisse, et multa de naturâ divinitatis ejus, potentiâ et majestate dixisse, et scripsisse, teste sacratissimâ serie descriptionis ejus, cognoscimus; ita Domini Genitricem non adeò fuisse credimus intentam activæ conversationi, quoniàm se totam contulit divinæ contemplationi. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Regina cœli * in domo sanctâ suâ: sileat à facie ejus omnis terra.

2. Aperi, Domina, * oculos tuos super domum istam, ut exaudias preces populi tui.

3. Confessio * et magnificentia coram te: fortitudo et gaudium in loco isto.

4. Fundatur * exultatione universæ terræ mons Sion, civitas Regis magni.

5. Erexit Jacob * lapidem in titulum fundens oleum desuper.

CAPITULUM. 1. *Mach.* 7. 37. Elegisti domum istam ad invocandum nomen tuum in eâ, ut esset domus orationis et obsecrationis populo tuo.

HYMNUS 349. *S. Aur. Prud.*

Hoc in templo, Virgo sacra,
Exorata adveni:
Et clementi bonitate
Precum vota suscipe:
Largam benedictionem
Hic infunde jugiter.
Hic promereantur omnes
Petita acquirere:
Et adepta possidere
Cum Sanctis perenniter:
Paradisum introire
Translati in requiem.
Gloria et honor Deo
Usquequaque Altissimo:
Una Patri, Filioque,
Inclito Paraclito,
Cui laus est et potestas
Per æterna sæcula. Amen.

℣. Introibo in domum tuam.
℟. Reddam tibi vota mea.

Ad Benedict. *ant.* Beata Virgo * MARIA sola recepit Dominum in domum suam, in uterum suum, intra viscera sua, et in virgineum thalamum Cordis sui.

Oremus.

Deus, qui nobis per singulos annos hujus sancti Templi, in honorem beatæ MARIÆ Virginis dicati, reparas diem: concede propitius, ut qui Dedicationis ejus solemnia celebramus, templum gratiæ tuæ in terris, et locus habitationis gloriæ tuæ fieri mereamur in cœlis. Per Domin.

AD PRIMAM.

Ant. Regina cœl. *Capit.* Elegisti *de Laudibus.*

℣. ℟. *br.* Quæ domus Dei effecta fuisti.

AD TERTIAM.

Ant. Aperi Domina.

CAPITULUM. 2. *Par.* 7. 16. Elegi et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus.

℟. *br.* Ecce tabernaculum * Reginæ cœli.—Ecce. ℣. Ut habitet nobiscum.—Reginæ.—Glor.—Ecce.

℣. Regina cœli in domo sanctâ suâ.

℟. Sileat à facie ejus omnis terra.

AD SEXTAM.

Ant. Confessio.

CAPITULUM. *Apoc.* 21. 2. Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cœlo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.

℟. *br.* Regina cœli * In domo sanctâ suâ.—Regina. ℣. Sileat à facie ejus omnis terra.—In.—Gloria.—Regina.

℣. Implebo domum istam gloriâ.

℟. Et in loco isto dabo pacem.

AD NONAM.

Ant. Erexit Jacob.

CAPITULUM. *Tob.* 13. 14. Nationes ex longinquo venient, et munera deferentes adorabunt in te Dominum, et terram tuam in sanctificationem habebunt.

℟. *br.* Implebo * Domum istam gloriâ.—Implebo. ℣. Et in loco isto dabo pacem.—Dom.—Glor.—Impl.

℣. Replebimur in bonis domûs tuæ.

℟. Sanctum est templum tuum.

IN II. VESP.

Ant. 1. Domus mea * erit in medio eorum, et tabernaculum meum in eis.

2. Gloria Libani * veniet ad ornandum locum sanctificationis meæ.

3. Venite ad me, * et locum pedum meorum glorificabo.

4. Elegi * locum istum mihi in domum orationis et obsecrationis.

5. Quicumque * oraverit in templo isto, pax super illum et misericordia.

CAPITULUM. 1. *Mach.* 7. 37. Elegisti domum istam, ad invocandum nomen tuum in eâ, ut esset domus orationis, et obsecrationis populo tuo.

HIMNUS 350. *Ex Just. Lips.*

Quisquis ò sacram properas ad ædem,
Dirigat gressus pietas fidesque:
Reginæ Regum domus est, MARIÆ
Altera sedes.
Cedit hic febris mala, cedit hydrops,
Claudus hic gressum recipit, sonorem
Surdus admittit, radios diei
Cæcus ab ortu.
Aspice quisque videt, et solutâ,
Voce mox laudans, precibus fatigat,
Ut sibi, carisque suis vicissim
Suppetieris.
Sit decus summo sine fine Christo,
Sanctæ quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

℣. Vox exultationis et salutis.

℟. In tabernaculis justorum.

Ad Magnif. *ant.* Vidit Jacob * scalam: summitas ejus cœlos tangebat, et descendentes Angelos et

ascendentes, et dixit: verè locus iste sanctus est.

Oratio de Laudib.

Completor. de ferid.

Sequens Homil. dicitur in Duplicibus.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi.

Homil. in cap. 10. *Lucæ.*

Sunt qui castellum hoc Magdalum fuisse arbitrantur, à quo Maria Magdalena cognominatur. Quod si verum est, prædictæ interpretationi famulatur. Magdalum enim turris dicitur, et humilitati comparatur. Hic verò non nominatur, sed tantùm quoddam dicitur, quod indiscussum prætermittere non debemus. Quoddam, id est, singulare castellum fuit Virgo MARIA. Tu. ℣. Benedictus. 939.

LECTIO 8.

Quamvis enim et multæ aliæ murum virginitatis habeant, et turrim humilitatis, id est, virgines sint, et humiles: tamen salvâ virginitate matres esse non possunt, neque filios generare, quod ista sola fecit. Et ideò castellum hoc meritò quoddam, id est, singulare dicitur, quia ista singulariter fuit et Mater et Virgo, quod nulla alia esse poterit, vel potuit. Verùm concedamus aliquam et Matrem esse, et Virginem, quamvis sit impossibile. Etiàm sic Virgo MARIA singularis erit, quia unicum Dei Filium genuit, qui sicut est unicus unico Patri, ità est unicus unicæ Matri. Undè etiamsi Virgo pariat, nulla vel eumdem, vel talem generabit filium. ℣. Domus. 940.

LECTIO 9.

Est ergò Beata Virgo castellum quoddam, in quod intravit JESUS: porta autem per quam intravit, est fides. Quia enim credidit, perfecta sunt à Domino ea, quæ ab Angelo dicta sunt, sicut ait ad eam Elizabeth. Nec quia JESUS intravit in castellum hoc, violatum est. JESUS enim salvat, non violat: confecta solidat, non confringit solida. Secundum nomen ejus, ita et opus ejus. Tu. Te Matrem.

Sequens Homil. dicitur in Duplicib.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. *c.* 10. 38.

In illo tempore: Intravit JESUS in quoddam Castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia Sancti Thomæ Archiep. Valentini.

In conc. 1. *de Assumpt.*

Latentem sub homine Deum quis cognosceret? Deus, inquam, in homine quis audeat suspicari? Sola ista prudentissima mulier beata Virgo MARIA, sola cognovit, sola recepit, sola adoravit, vestivit, pavit, et, ut Martha fidelissima, ministravit. Excepit illum in domum suam, intra viscera sua, et in virgineo thalamo peregrinantem, in terris Regem gloriæ hospitavit, et velut altera Sunamitis Summo Prophetæ, Prophetarum Domino mensam, candelabrum, lectulumque aptavit. Lectulum in utero, mensam in pectore, candelabrum in intellectu. In utero illius quievit, in pectore passus est, et ab intellectu illius creditus est. Tu. ℣. Benedic. 939.

LECTIO 8.

Hunc igitùr cœlestem peregrinum Beatissima hæc mulier excepit, et strictâ veste, indumentoque paupere, atque levissimo vestivit, ne videlicet vestis à mortalis vitæ cursu præpediretur longitudine, ad quem currendum exultavit, ut Gigas usque ad lignum crucis: veste paupere vestivit eum, sed mundâ atque purissimâ, de quâ Salomon in Proverbiis: Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Canaanæo. Sindonem, id est, mundissimam texuit telam, nitidissimam, purissimamque sacrosanctam illam carnem, quam sapientissimus artifex Spiritus Sanctus ex virgineis sanguinibus, velut ex staminibus illius, ut in tentorio sine virili opere intexuit. Tu. ℣. Domus. 940.

LECTIO 9.

Illam telam, quasi propriam, et ex carne ejus intextam sapiens mulier vendidit Deo Patri, ut indè talarem tunicam, et polymitam Filio suo faciat. Et quo pretio vendidit? O bone Deus, quo pretio vendidit telam istam? Quid pro illâ tunicâ datum est ei? Quis nominare valebit? Quis audebit enarrare? Quis cogitare sufficiet? Omnium gratiarum plenitudo, omnium virtutum et bonorum plena possessio, cœlestiumque gemmarum, et margaritarum inæstimabilis thesaurus datus est ei. Vestita est ab eo gloriâ et decore, cœlorum, terrarumque regina constituta est, et in ministerium data est illi omnis creatura, quæ sub Deo est. Tu. Te Matrem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pag.	ERRATA	SIC CORRIGE.
65.	*à die* 1. *Sept.*	*à die* 8. *Sept.*
74.	nomeu	nomen
97.	suscepiti	suscepisti
	Sralvatorem	Salvatorem
	Oculi	Oculi
100.	adjecit	adjecit
104.	apostolus	apostolos
108.	uniens	uniens
	mouliim	monlium
	iteneris	itineris.
112.	aminata	animata
	obcœcali	obcæcati
124.	Gandentii	Gaudentii
130.	Aquinatis	Aquinate
173.	Sallæ	Salla
176.	Tecit	Fecit
271.	VI.	XI.
258.	. . . . .	*addatur* De libro Esther
279.	Dertusentibus.	Dertusensibus.
329.	turbis	turbas
398.	statutam	statuam
403.	Toletane	Toletanæ
411.	Propriè	Propè
425.	homibus	hominibus
437.	æto	læto
446.	laclabit	laclavit
464.	Apparit	Apparuit
503	ꝟ quæ	quæ
508.	SOLEMNTAI	SOLEMNITAS
	PARTUI	PARTUS
551.	Santissime	Sanctissimæ
556.	Raymundi	Raymundo
	rege	regi
557.	suscipiritis.	susciperitis
573.	. . . . .	*addatur* De Isaiâ Prophetâ.
602.	oscurâ	obscurâ
628.	diffiicle	difficile
634.	virtum	virtutum
635.	ididém	ibidém
672.	su,	sui
	obsecro	obsecro
870.	Pectem	Pecten

Cætera quæ fuerint, facilè corriges.

OFFICIUM PARVUM

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS IMMACULATÆ.

Dicendum in Sabbatis per annum extra Quadragesimam et tempus paschale, quandò fiat officium de Sabbato.

Hoc officium à Magistro Sacri-Palatii Apostolici correctum, et ab Innocentio XI, anno 1678. approbatum fertur.

AD MATUTINUM ET LAUDES.

℣. Eia, mea labia: ℟. Nunc annuntiate laudes et præconia Virginis beatæ.

℣. Domina, in adjutorium meum intende; ℟. Me de manu hostium potentèr defende.

℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto; ℟. Sicut erat in principio, et nunc et sempèr, et in sæcula sæculorum. Amen.

HYMNUS.

Salve, mundi Domina,
Cœlorum Regina;
Salve, Virgo virginum,
Stella matutina.
Salve, plena gratiâ,
Clara lux divina;
Mundi in auxilium,
Domina, festina.
Ab æterno Dominus
Te præordinavit
Matrem unigeniti
Verbi, quo creavit
Terram, pontum, æthera;
Te pulchram ornavit
Sibi sponsam, in quâ
Adam non peccavit. Amen.

℣. Elegit eam Dominus, et præelegit eam; ℟. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

℣. Domina, exaudi orationem meam; ℟. et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Sancta MARIA, Regina cœlorum, Mater Domini nostri JESU-Christi, et mundi Domina, quæ nullum derelinquis et nullum despicis, respice me, Domina, clementèr oculo pietatis, et impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum, ut qui nunc tuam sanctam Conceptionem devoto affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso, quem Virgo peperisti, donante Domino nostro JESU-Christo, qui cum Patre et sancto Spiritu vivit et regnat in unitate perfectâ Deus in sæcula sæculorum. Amen.

℣. Domina, adjuva orationem meam; ℟. Et clamor meus ad te veniat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

AD PRIMAM.

℣. Domina, in adjutorium meum intende; ℟. Me de manu hostium potentèr defende.

Gloria Patri, et Filio, etc.

HYMNUS.

Salve, Virgo sapiens,
Domus Deo dicata,
Columnâ septemplici,
Mensâque exornata.
Ab omni contagio
Mundi præservata,
Ante sancta in utero
Parentis, quàm nata.
Tu mater viventium,
Et porta es sanctorum,
Nova stella Jacob,
Domina angelorum.
Zabulo terribilis,
Acies castrorum,
Portus et refugium
Sis christianorum. Amen.

℣. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto. ℟. Et effudit illam super omnia opera sua.

℣. Domina, exaudi, *et reliqua ut ad Matutinum*, p. 945.

AD TERTIAM.

℣. Domina, in adjutorium meum intende; ℟. Me de manu hostium potentèr defende.

Gloria Patri, etc.

HYMNUS.

Salve, arca fœderis,
Tronus Salomonis,
Arcus pulcher ætheris,
Rubus visionis.
Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis,
Porta clausa Numinis
Favusque Samsonis.
Decebat tam nobilem
Natum præcavere
Ab originali
Labe matris Evæ.
Animam quam elegerat
Genitricem, verè
Nulli prorsùs sinens
Culpæ subjacere. Amen.

℣. Ego in altissimis habito; ℟. Et thronus meus in columnâ nubis.

℣. Domina, exaudi, *et reliqua ut ad Matutinum*.

AD SEXTAM.

℣. Domina, in adjutorium meum intende; ℟. Me de manu hostium potentèr defende.

Gloria Patri, etc.

HYMNUS.

Salve, Virgo puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis.
Solamen mœrentium,
Hortus voluptatis,
Palma patientiæ,
Cedrus castitatis.
Terra es benedicta
Et sacerdotalis,
Sancta et immunis
Culpæ originalis.
Civitas Altissimi,
Porta orientalis:
In te est omnis gratia
Virgo singularis. Amen.

℣. Sicut lilium inter spinas; ℟. Sic amica mea inter filias Adæ.

℣. Domina, exaudi, *et reliqua ut ad Matutinum*.

AD NONAM.

℣. Domina, in adjutorium meum intende; ℟. Me de manu hostium potentèr defende.

Gloria Patri, etc.

HYMNUS.

Salve, urbs refugii,
Turrisque munita
David propugnaculis,
Armisque insignita.

In Conceptione
Charitate ignita
Draconis potestas
Est à te contrita.
O mulier fortis
Et invicta Judith!
Pulchra Abigail Virgo,
Verum fovens David:
Rachel curatorem
Ægypti gestavit;
Salvatorem mundi
MARIA portavit. Amen.

℣. Tota pulchra es, amica mea; ℟. Et macula originalis nunquàm fuit in te.

℟. Domina, *et reliqua ad Matutinum*, p. 945.

AD VESPERAS.

℣. Domina, in adjutorium meum intende; ℟. Me de manu hostium potentèr defende.

Gloria Patri, etc.

HYMNUS.

Salve, horologium,
Quo retrograditur
Sol in decem lineis:
Verbum incarnatur.
Homo ut ab inferis
Ad summa attollatur,
Immensus ab Angelis
Paulò minoratur.
Solis hujus radiis
MARIA coruscat;
Consurgens Aurora,
In conspectu micat.
Lilium inter spinas,
Quæ serpentis conterat
Caput: pulchra ut luna,
Errantes collustrat. Amen.

℣. Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens: ℟. Et quasi nebula texi omnem terram.

℣. Domina, *et reliqua ut ad Matutinum*.

AD COMPLETORIUM.

℣. Convertat nos, Domina, tuis precibus placatus JESUS-Christus Filius tuus; ℟. Et avertat iram suam à nobis.

℣. Domina, in adjutorium meum intende; ℟. Me de manu hostium potentèr defende.

Gloria Patri, etc.

HYMNUS.

Salve, Virgo florens,
Mater illibata
Regina clementiæ,
Stellis coronata.
Supra omnes angelos
Pura, immaculata,
Atque ad Regis dexteram
Stans veste deaurata.
Per te, Mater gratiæ,
Dulcis spes reorum,
Fulgens stella maris,
Portus naufragorum.
Patens cœli janua;
Salus infirmorum,
Videamus Regem
In aulâ Sanctorum. Amen.

℣. Oleum effusum, MARIA, nomen tuum; ℟. Servi tui dilexerunt te nimis.

℣. Domina, exaudi, *ut ad Matutinum*.

COMMENDATIONES.

Supplices offerimus
Tibi, Virgo pia,
Has horas canonicas:
Fac nos in viâ
Ducas cursu prospero,
Et in agoniâ
Tu nobis assiste,
O dulcis MARIA! Amen.

℟. Deo gratias.

Ant. Hæc est Virgo, in quâ nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

℣. In Conceptione tuâ, Virgo, immaculata fuisti; ℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

Oremus.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tuo habilaculum præparasti; quæsumus, ut sicut ex morte ejusdem Filii tui prævisâ, eam ab omni labe præservasti, ita nos quoquè mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas: Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti, Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

OFFICIUM
SEPTEM DOLORUM B. MARIÆ V.

dicendum in feriis sextis Quadragesimæ. In aliis feriis sextis per annum dicitur ad libitum. Si fiat de festo, omittitur.

AD MATUTINUM.

Ave. ℣. Domine lab. ℣. Deus in adj.

HYMNUS.

Septem tuos dolores,
MARIA, dum considero,
Tecum pati laboro,
Tecum mori desidero.
Annæ gemit senectus,
Et Simeon affligitur,
Doloris ense pectus
Quandò tibi transfigitur.
℣. Age, fac simili gladio feriar.
℟. Age, quis tuus est dolor, experiar.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus qui per os Prophetæ tui Simeonis Genitrici Filii tui Virgini MARIÆ gladium Passionis prænuntiasti: tribue nobis memoriam sui doloris commemorantibus, ipsâ intercedente, in omni dolore remedium. Per eumd.

AD LAUDES.

℣. Deus in adj. etc.

HYMNUS.

Fugis, MARIA, prolis
Onusta caro pondere,
Et luminare solis
De nocte vis abscondere.
Ægyptus est asili
Locus tuis amoribus:
Juxta fluenta Nili
Liquescis in doloribus.
℣. Dolor his lacrymis meis elicitur.
℟. Meus his lacrymis amor acitur.

Oratio.

Domine JESU-Christe, qui excellentiâ virtutis tuæ universa dispônis et gubernas, quippe omnium Dominus pro nobis parvulus in carne passibili, à facie maligni Herodis, sanctissimâ Matre tuâ te deferente, fugam sustinuisti: præsta nobis hunc dolorem ejus venerantibus, à facie infestantis dæmonis tuâ virtute semper et ubiquè defendi. Qui vivis.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adj. etc.

HYMNUS.

In Patris esse rebus
Cum nesciebas Filium,
Visa es tribus diebus
Pallere sicut lilium.
Clamans per angiportus,
Fili! replebas æthera:
Dictura plus obortus
Dolor præmebat cætera.
℣. Tibi condoleo, tibi compatior.
℟. Tibi collacrymo, nec adhuc satior.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui dolentes cum Beatâ Virgine MARIA Filium tuum requirimus, cum ipsâ per gratiam illum invenire mereamur. Qui tec.

AD TERTIAM.

℣. Deus in adj. etc.

HYMNUS.

En fert trabale lignum
Flagrisque JESUS icitur,

O Mater! ecce signum,
Cui porrò contradicitur.
Eheu crucem ferenti
Corpus pluit cruoribus,
Et cor tibi parenti
Submergitur doloribus.
℣. Plue sanguineis lacrymis anima!
℟. Age me dolor, ò dolor, exanima.

Oratio.

O bone JESU, pulchritudo Angelorum, qui etiàm in carne assumptâ visus es speciosus formâ præ filiis hominum, ac tandèm pro nostrâ salute ad mortem conspectus sine specie et sine decore, quæsumus per tuum in eam amorem, ut nobis dolores illius commemorantibus, suorum gaudiorum tribuas participationem. Qui vivis.

AD SEXTAM.

℣. Deus in adj.

HYMNUS.

Calvaria est amoris,
Et est doloris vinea:
Sunt præla viniforis
Clavi et corona spinea.
Dum crucifixus JESUS
Crucisque calcat torculum:
Amor dolore læsus,
Premit MARIÆ corculum.
℣. Mihi crux, amor, et dolor hinc oritur,
℟. Crucifixus amor meus emoritur.

Oratio.

Intervenial pro nobis, quæsumus, Domine JESU-Christe, nunc et in horâ mortis nostræ apud tuam clementiam Beata Virgo MARIA Mater tua, cujus Sacratissimam animam in horâ tuæ Passionis, doloris gladius pertransivit. Qui vivis et regn.

AD NONAM.

℣. Deus in adj.

HYMNUS.

MARIA, quandò petra
Sensu doloris scinditur,
Diesque nocte tetrâ
Luget, tibi confunditur.
Deposta membra ligno,
Sed membra cassa lumine
Foves sinu benigno
Lavas doloris flamine.
℣. Abit has etiàm super exuvias.
℟. Dolor ac animus meus in pluvias.

Oratio.

Adjuvet nos, quæsumus, ipse omnipotens Deus per gloriosam intercessionem suæ Matris, ut cum eo semper vivamus, qui pro nobis dignatus est mortem suscipere.
Qui cum Deo Patre vivit.

AD VESPERAS.

℣. Deus in adj.

HYMNUS.

Cum Filio sepulto
Lapis sepulchro advolvitur;
Tibi MARIA multò
Dolore, vita solvitur.
Sedens ad antra tumbæ
Mæsto susurro murmuris,
Instar gemis columbæ,
Et plangis instar turturis.
℣. Ita congeritur dolor in cumulum.
℟. Facis è lacrymis tibimet tumulum.

Oratio.

Deus in cujus passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam doloris gladius pertransivit, concede propitius, ut qui dolores ejus venerando recolimus, passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui vivis et regnas.

AD COMPLETOR.

℣. Deus in adj.

HYMNUS.

O Mater! ut dolorum
Per hanc amaritudinem,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cœlestium bonorum
Gustem suavitudinem;
Tecum pati labores,
Tecum mori desidero;
Septem tuos dolores
Dum plango, dum considero.

℣. Sit honor Triadi, Triadi canimus.
℟. Sit ei dolor hic sacer, ac animus.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui devotè Filii tui Passionem, et ejus Genitricis sanctissimæ Compassionem recolimus, crucis mortificationem jugitèr in nostro corpore pro tui nominis honore portemus. Per eumdem Dom.

Deindè post completorium dicuntur sequentes

LITANIÆ
SEPTEM DOLORUM B. M. V.

Kirie eleyson.
Christe eleyson.
Kirie eleyson.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus, } *miserere nobis*
Fili Redemptor mundi Deus, }
Spiritus Sancte Deus, }
Sancta Trinitas unus Deus, }
Sancta MARIA,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Mater crucifixa,
Mater dolorosa,
Mater lacrimosa,
Mater suspirans,
Mater afflicta,
Mater derelicta,
Mater desolata,
Mater mœstissima,
Mater angustiis circumdata,
Mater ærumnis confecta,
Mater gladio transverberata,
Mater corde cruci affixa,
Mater Filio orbata,
Turtur gemebunda, } *ora pro nobis.*
Mater dolorum,
Fons lacrymarum,
Mater amaritudinum,
Arvum tribulationum,
Cumulus passionum,
Speculum patientiæ,
Rupes constantiæ,
Anchora confidentiæ,
Aalidolus angustiarum,
Gaudium afflictorum,
Ara desolatorum,
Refugium derelictorum,
Clipeus oppressorum,
Debellatrix incredulorum,
Solatium miserorum,
Pharmacum infirmorum,
Medicina languentium,
Fortitudo debilium,
Patrona pugnantium,
Portus naufragantium,
Sedatio procellarum,
Socia dolentium,
Recursus gementium,
Terror insidiarum,
Thesaurus fidelium,
Oculus Prophetarum,
Baculus Apostolorum,
Corona Martyrum,
Lumen Confessorum,
Margarita Virginum,
Consolatio viduarum,
Lætitia Sanctorum omnium,
Regina servorum tuorum,
Sancta MARIA sola sine exemplo,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
℣. Ora pro nobis, Virgo Dolorosissima.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, in cujus Passione secundum Simeonis Prophetiam, dulcissimam animam Gloriosæ Virginis et Matris MARIÆ doloris gladius pertransivit: concede propitius, ut qui dolores ejus venerando recolimus, Passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Indulgentia plenaria recitantibus quâlibet feriâ sextâ has Litanias cum Credo, Salve Regina, *et ter* Ave *à Pio VII. concessa.*

CORONA
BEATÆ MARIÆ V.
GAUDIA RECOLENS.

Quæ modo infra notato dicitur. Sed tempore paschali post ℣. et ant. additur Alleluia.

Gaud. 1. Pater et Ave.—Gaude Virgo, Mater Christi,—Quæ per aurem concepisti,—Gabriele nuntio.

℣. Angelus Domini nuntiavit MARIÆ.

℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

Oremus. *Oratio.*

Gratiam tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus; per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumd.

Gaud. 2. Pater et Ave.—Gaude quia Deo plena,—Peperisti sine pœnâ—Cum pudoris lilio. ℣. Verbum caro factum est. ℟. Et habitavit in nobis.

Oremus. *Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui universum mundum per Partum beatæ MARIÆ Virginis lætificasti: concede propitius, ut Unigenitum tuum, quem de Virgine credimus natum, fidelitèr imitantes, bonis operibus abundare valeamus. Qui tecum.

Gaud. 3. Pat. et Ave.—Gaude, quia Magi dona,—Tuo nato fuerunt bona,—Quem tenes in gremio.

℣. Omnes de Saba venient.

℟. Aurum et thus deferentes.

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui Unigenitum tuum per Genitricem ejus Sanctissimam Virginem MARIAM Gentibus, stellâ duce revelasti; concede propitius, ut quos in eum credere concedis, in cognitione et amore ipsius quotidiè crescere facias. Per eumd.

Gaud. 4. Pat. Ave.—Gaude, quia tui Nati,—Quem dolebas mortem pati, — Fulget resurrectio.

℣. Surrexit Dominus de sepulchro.

℟. Qui pro nobis pependit in ligno.

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui per resurrectionem Filii tui afflictum animum ejus Genitricis Sanctissimæ erexisti: concede propitius, ut corda nostra ita repleantur cœlesti lætitiâ, ut jam in hoc sæculo futuræ capiamus gaudia vitæ. Per eumd.

Gaud. 5. Pater Ave.—Gaude Christo ascendente,—Qui in cœlos, te vidente,—Motu fertur proprio. ℣. Ascendit Deus in jubilatione. ℟. Et Dominus in voce tubæ.

Oremus. *Oratio.*

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui de ascensione Filii tui Unigeniti, cum beatâ MARIA semper Virgine, Matre ejus, congaudemus in terris, æternis gaudiis, ipsâ intercedente, perfruamur in cœlis. Per eumd.

Gaud. 6. Pat. Ave.—Gaude Virgo, quia emisit—Paracletum quem promisit—Sanctorum collegio. ℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum. ℟. Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.

Oremus. *Oratio.*

Spiritum Sanctum, qui de cœlo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

descendens supra beatam Virginem MARIAM, et supra Sanctos Apostolos requievit, in cordibus nostris infunde; ut te perfectè diligere, et dignè laudare mereamur. Per Dominum... in unitatæ ejusdem.

Gaud. 7. Pat. Ave.—Gaude, quia post ipsum scandis,—Et est honor tibi grandis—In cœli palatio.

℣. Exaltata est Sancta Dei Genitrix. ℟. Super choros Angelorum ad cœlestia regna.

Oremus. *Oratio.*

Imploramus clementiam tuam, Domine Deus noster, ut qui Assumptionis Dei Genitricis memoriam colimus, à cunctis malis imminentibus ejus intercessione liberemur. Per eumdem...

Litaniæ B. M. V.

dicendæ flexis genibus in triduo Rogationum post Laudes.

Kirie eleyson. Christe eleyson.
Kirie eleyson. Christe audinos.
Christe exaudinos.
Pater de cœlis Deus, } miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, } miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, } miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, } miserere nobis.
Sancta Maria, } ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, } ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum, } ora pro nobis.
Mater Christi, } ora pro nobis.
Mater divinæ gratiæ, } ora pro nobis.
Mater purissima, } ora pro nobis.
Mater castissima, } ora pro nobis.
Mater inviolata, } ora pro nobis.
Mater intemerata, } ora pro nobis.
Mater immaculata, } ora pro nobis.
Mater amabilis, } ora pro nobis.
Mater admirabilis, } ora pro nobis.
Mater Creatoris, } ora pro nobis.
Mater Salvatoris, } ora pro nobis.
Virgo prudentissima, } ora pro nobis.
Virgo veneranda, } ora pro nobis.
Virgo prædicanda, } ora pro nobis.
Virgo potens, } ora pro nobis.
Virgo clemens, } ora pro nobis.
Virgo fidelis, } ora pro nobis.
Speculum justitiæ, } ora pro nobis.
Sedes sapientiæ, } ora pro nobis.
Causa nostræ lætitiæ, } ora pro nobis.
Vas spirituale, } ora pro nobis.
Vas honorabile, } ora pro nobis.
Vas insigne devôtionis, } ora pro nobis.
Rosa mystica, } ora pro nobis.
Turris davidica, } ora pro nobis.
Turris eburnea, } ora pro nobis.
Domus aurea, } ora pro nobis.
Fœderis arca, } ora pro nobis.
Janua cœli, } ora pro nobis.
Stella matutina, } ora pro nobis.
Salus infirmorum, } ora pro nobis.
Refugium peccatorum, } ora pro nobis.
Consolatrix afflictorum, } ora pro nobis.
Auxilium christianorum, } ora pro nobis.
Regina Angelorum, } ora pro nobis.
Regina Patriarcharum, } ora pro nobis.
Regina Prophetarum, } ora pro nobis.
Regina Apostolorum, } ora pro nobis.
Regina Martyrum, } ora pro nobis.
Regina Confessorum, } ora pro nobis.
Regina Virginum, } ora pro nobis.
Regina Sanctorum omnium, } ora pro nobis.
Regina sine labe concepta, } ora pro nobis.
Regina sacratissimi Rosarii, } ora pro nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genit.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde, ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Domin.

ADDENDA

DIE XVII. MAJI IN FESTO B. V. BARB. DE PODIO.

Pag. 719.

IN I. VESPER.

HYMNUS. *Joan. Codera.*

Regis æterni Genitrix MARIA
Alma, quæ nostram visitare gentem
Nocte dignasti, populi precantis
Accipe votum.
Ejus adventum celebret perenni
Laude Barbastri civitas beata,
Cui datum lumen nitidum videre
Cœlitùs ortum.
Virgo Pastori, referens vetustas,
Podii Clivo apparuit decora;
Hic amat sisti, cumulare nostram
Munere terram.
Collis umbrosus rutilare cœpit,
Lucidâ Stellâ maris apparente,
Quæque Pastori sibi eum spopondit
Ire sacratum.
Burlinæ cives monilis ovantes
Nuntii mentes adhibent et aures
Et Matrem tantam viridi insidentem
Arbore cernunt.
Corde gaudentes, genibus voluti
Virgini sacræ pietate tantâ
Gratias fundunt, ibi construentes
Nobile templum.
Indè per totam resonare plagam
Inchoant laudes, etenim salutis
Spes redit nobis, recipit benigna
Ipsa adeunes.
Sit decus summo sine fine &c.

Quandò hoc fest. non habeat primas Vesp. hic hymnus dicitur cum Hymno ad Matutinum sub una Doxologiâ.

AD MATUTIN.

Invitat. Virgo MARIA apparuit nobis * Christum ejus Filium adoremus Dominum, alleluia, allel.

HYMNUS. *J. Codera.*

Cum Deus talem populo Patronam
Quem Vero flumen placidè liquescens
Alluit, clemens dederit, quis illam
Non venerabit?
Ad sacrum cuncti properate, vota
Corde facturi, sitiente terrâ
Ad sacrum ruris vigiles coloni
Currite læti.
Ad sacrum miles volet inter arma,
Ad sacrum cœlo tonitru sonante,
Ad sacrum morbo populante terram
Convolet omnis.
Ejus experti totiès favorem
Quidquid occurrensadeamus illam,
Omnium curam gerit, ut salutem
Obtineamus.
Virgo, quæ vultu ac animo benigno
Audis orantem, gratiam fideli
Et reo clemens veniam precare
Janua cœli.
Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

AD LAUDES.

HYMNUS. *J. Codera.*

Sacrum montem appetamus
Pleni confidentiâ
Almæ Virgini MARIÆ
Offerentes munera;
Indè tot procedunt dona
Nullus extet immemor.
Uberes exindè gratias
Collaturam spopondit
Suam opem imploranti
Firmâ fide habitâ:
Ipsam ita se gessisse
Narrat tota antiquitas.

De longinquo conspiciuntur
Ædes ubi residet,
Quas vetustas memoranda
Tantæ Matri condidit
In amoris monimentum
Et in pignus fidei.
Super tecta magnæ domûs
Eminet fastigium
Summi templi juxta turrim,
Undè datur animo
Campos in omnes prospectus
Pulcher, gratus, eminus.
Fulgens thronus elevatur
Strato super niveo,
Ubi sedet Virgo sacra
Veste induta candidâ,
Auro et gemmis pretiosis
Ut aurora rutilans.
Hinc et indè pendent vestes
Auri et redimicula
Excubantes clarâ luce
Lampades pulcherrimæ
A fidelibus tribulæ
Gratiâ gratitudinis.
Cultus Virginis præclaræ
Sacerdotum curæ fuit
Semper, domus necessarii
Sumptus, bonis exeunt
Quibus Patres dilavere
Matrem tam beneficam.
Doxol. ut infr. in 2. Vesper.
Si hoc fest. non habeat secundum Vesper. hic Hymnus dicitur sub unâ Doxol. cum hymno sequenti.

IN II. VESPER.

HYMNUS. *J. Codera.*

Tantus amor, tanta fides
Barbastrensis populi
Erga Virginem recentèr
Tentationem sustulit
Sacrum ejus Patrimonium
Dum sub hastâ subiit.
Quæ Barbastri sospetatrix
Cœlitùs descenderat
Civium zelum suscitavit
In tam ferax prædium
Quod continuò fuit addictum
Illis licitantibus.
Sic in dies erga sacrum
Crescit in fidelibus
Fervor, fides, veneratio
Undequaquè et populi
Arduo montis cursu petunt
Adorare supplices.
Quibus Pontifex permotus
Pius nonus Maximus
Festum suæ Apparitionis
Missâ cum officio
Ad augendum cultum ejus
Decoravit propriis.
Et MARIA Virgo clemens
Deprecantes audiens,
Expedit benigna preces
In conspectu Filii,
Cunctis ad eam currentes
Liberans periculis.
Tuque Mater dulcis, pia,
Gratias ob uberrimas
In favorem tuæ gentis,
Honor, laus et claritas
Jubilatio et decus tibi
Sit per omnia sæcula.
Per te Pater honoretur,
Virgo amabilissima:
Per te Filius adorelur,
Virgo clementissima:
Per te Spiritus laudetur,
Virgo prudentissima. Amen.

APPENDICES

AD BREVIARIUM MARIANUM.

I.

OFFICIUM CONCEPTIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Statutum die Martis decimâ quintâ Kalendas Majii intitulata anno Domini 1330.

Ex Codice Ecclesiæ Gerundensis.

España Sagrada. Tom. 44. pag. 322.

Ad Vesper.

Ant. Conceptio gloriosæ. *de temp. Psalm. Beatæ Mariæ.* ℣.

Capitulum.

Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio, et ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequàm terra fieret, nondùm erant abyssi et ego jam concepta eram. ℟. Filius Dei patris fundans eam in suâ conceptione gratiam Virgini contulit singularem. Et ipsam ab originali maculâ præservavit. ℣. MARIAM sui Genitricem sublimiori sanctificationis genere redemit. ℟. Et ipsam.

Gloria. *Hym.* Ave Maris Stella. ℣. Conceptio est hodiè. ℟. Cujus.

Ad Magnificat.

Tota pulchra es amica meâ et macula non est in te. Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias. Viderunt eam filiæ Sion et reginæ laudaverunt eam. Alleluia. Et *triumphatur.*

Oratio.

Deus qui Beatæ MARIÆ Virginis Conceptionem angelico prænuntio Parentibus prædixisti, præsta familiæ tuæ præsentibus ipsius præsidiis ubiquè muniri cujus sacræ Conceptionis solemnitate lætatur et debitâ laude veneratur. *Postea fit comm. de S. Andrea.... Posteà de Sancto Dalmatio. Posteà de adventu.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad Complet.

Lect. Quandò appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. *Ant.* Corde et animo. *Capit.* ℣. *et Orat. ut in Vesperis. Ad* Nunc dimittis. *Ant.* Cum jucunditate.

Ad Matut.

Invitat. Verbum Patris Matrem præservans à labe peccati, * Venite adoremus. *Psalm.* Venite. *Hymn.* Quem terra.

In primo noct. Ant. Benedicta tu in mulieribus, per quam Evæ maledictio est soluta et benedictio omnibus condonata. *Psalm.* Domine Dominus noster. *Ant.* Sicut myrrha electa et aromatizans balsamum MARIA Virgo sempèr suavem diffudit odorem. *Ps.* Cœli enarrant. *Ant.* Ante thorum hujus Virginis de suâ sempèr innocentiâ dulcisona resonemus cantica. *Psalm.* Domini est terra. ℣. Specie tuâ.

Lect. I. Principium quo salus mundo processit, mihi considerare volenti occurrit hodierna solemnitas, quæ de Conceptione beatissimæ Matris Dei MARIÆ multis in locis recolitur. ℟. Elucidantibus divinæ gratiæ mysteria mercedem gloriosam repromittens Patris Sapientia attestatur: * Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. ℣. De Beatissimâ Virgine Sacrosancta legit Ecclesia. ℣. Qui elucidant me

Lect. II. Nec magni ponderis est omne quod dignitati aut honori humanâ laude defertur, si meritis illius insignibus comparatur. Tantorum namque bonorum consummatio quæ per ipsam Domini Matrem toti creaturæ pervenerunt. ℟. Filius Dei Patris &c.

Lect. III. Videtur omnem humanam admonere mentem pietatis affectu exordium suum considerare quàm sublime, quàm divinum, quàm ineffabile fuerit. ℟. Immunem sempèr fuisse MARIAM ab omni originali et actuali culpâ, sanctamque et immaculatam * Definivit Ecclesia Catholica in unum legitimè congregata. ℣. Nunquàm Virginem subjacuisse peccato est consonum fidei, sacræ scripturæ et rationi. ℟. Definivit. Gloria.

In II. Noct.

Ant. Specie tuâ quam concupivit Dominus, intende MARIA opere nunquàm infecta peccati. *Psal.* Eructavit. *Ant.* Adjuvavit Matrem Deus in Conceptionis diluculo cum gratiâ præveniente, culpâ sempèr caruit. *Psal.* Deus noster. *Ant.* Sicut lætantium Virgo Beatissima sunt fidelium animi qui tuam sanctam celebrant Conceptionem. *Psalm.* Fundamenta. ℣. Adjuvavit.

Lect. IV. Nec mirum: fundamentum siquidem et verum sacrarium civitatis et habitaculi summi boni in eâ ponebatur. ℟. De mundissimâ Matre mundissimus natus est Filius in cœlo Patrem habens immortalem, æternum, in terrâ Matrem omni corruptione carentem. * In cœlo qualis est Pater talis Filius, in terrâ qualis est Mater talis est secundum carnem Filius. ℣. Filius in cœlo cum Patre est immensus, et in terrâ cum Matre est immaculatus. ℟. In cœlo qualis.

Lect. V. Et mansio lucis æternæ et corporalis, quæ corporalitèr

inhabitaret ille incorporeus et incircunscriptus et creans simùl et vivificans omnia Spiritus operatur. ℟. Ab omni peccato originali Dei Matrem fuisse constat immunem, per quam maledictio Evæ Matris est soluta, et omnibus à Domino condonata. ℣. Nullis, quandò natæ, est delictis subjacuit, nec originale peccatum in utero sanctificata. ℟. Per quam.

Lect. VI. Beata igitur Virgo jàm verè Mater Dei futura, sicut eum qui super omnia est incomprensibilis, verum erat hominem et ineffabili modo de suâ substantiâ Virgo paritura, ac per hoc in dignitatem illius transitura, ita non absurdè credi potest primordia Conceptionis ejus tantæ dignitatis sublimitate persignata ut humanarum Conceptio mentium ea planè penetrare non valeret. Et ideò ejusdem Conceptionis dies festivis laudibus à cunctis fidelibus meritò celebratur. ℟. Sacrarium Spiritûs Sancti Virgo Beatissima in suæ Conceptionis exordio non est destituta gratiâ, * Et à servitute omnis peccati fuit liberrima. ℣. Ita fieri oportebat Matrem quæ Filium Dei erat paritura. ℟. Et à servitute. Gloria &c.

In III. Noct.

Ant. Gaude MARIA Virgo quæ contritura caput diaboli, illi per culpam nunquàm subjecta fuisti. *Psalm.* Cantate. *Ant.* Speciosa facta est Regina cœlorum, cujus dignitas puritatem superat Angelorum. *Psalm.* Dominus regnavit. *Ant.* Post partum Virgo Inviolata et sempèr immaculata fuisti, Virgo Sanctissima. *Psalm.* Cantate. ℣. Elegit.

Lect. VII. Initium Sancti Evangelii secundum Matthæum. Liber generationis JESU-Christi. Homelia. Quod si quis eam primi originis peccato non omnimodè expertem fuisse pronuntiat, cum illam ex legali conjugio maris et fœminæ verissimè conceptam constet. ℟. Auctor mortis diabolus ab exordio genus vitiavit humanum, sed aurum fulgens reperitur in luto, * Et ex pungente spinâ pulchrè rubens oritur rosa. ℣. Ex radice viliatâ sine vitio prodit in virgâ Jesse MARIA. ℟. Et ex pungente.

Lect. VIII. Ita non absurdè credi potest primordia Conceptionis ejus tantæ dignitatis solemnitate præsignata. ℟. Ad summum puritatis MARIÆ pervenit nullâ contagione inquinata peccati: * Sed fuit ab originali et actuali immunis. ℣. Purissima namque fuit, quæ neque originale incurrit peccatum, mortale vel veniale. ℟. Sed fuit.

Lect. IX. Ego à Catholicæ et universalis Ecclesiæ veritate nullâ ratione volo discedere: magnificentiam tamen operationum virtutis divinæ laudo: de ipsâ quippe multis sæculis ante ortum ejus Isaiam Spiritu Sancto afflatum dixisse constat: Egredietur virga de radice Jesse, et requiescet super eam Spiritus Domini. Hæc itaque virga quæ talem ex se protulit florem, nullo dissentiente, MARIA Virgo fuit, et flos qui de radice ejus ascendit, Dominus fuit super et in quem omnis plenitudo divinitatis essentialitèr requievit. ℟. Nullo virtutum genere MARIA vaccavit, cui plenitudinem gratiæ nuntius Domini asseruit interesse. * In malevolam animam non intrat Sapientia, nec habitat in corpore subdito peccatis. ℣. Anima Virginis et caro quam

habitaculum fecit sibi Sapientia Dei Patris ab omni malitiâ et immunditiâ purissima fuit. ℟. In malevolam. Gloria. *Et iteratur*

Verbeta.

Anna parens fœcundatur: Joachim pater lætatur: et Angelus destinatur: MARIA proles vocatur: ab æterno est prænuntiata: Mater Dei ordinata: semper stans Immaculata, Virgo remanens intacta: cujus flos inter spinas non gustavit Dei minas, Virgo regia ruinas tolle dando medicinas confectas à Filio. Quo frui promisimus perpetuò, qui fuit non in utero subdito peccatis. Te Deum laudamus.

Ad Laudes.

Ant. Conceptio Virginis MARIÆ digna est omni laude, quam fundavit Altissimus redimens sublimiori sanctificationis genere. *Psalm.* Dominus.—Conceptio est hodiè Sanctæ MARIÆ Virginis &c. *Psalm.* Jubilate.—Regali ex progenie MARIA orta refulget, primò sanctis patribus cœlitùs repromissa. *Psalm.* Deus Deus meus.—Corde et animo Christo canamus gloriam, laudantes in Conceptione Virginis magnalia divinæ gratiæ. *Psalm.* Benedicite. Cum jucunditate Conceptionem Beatæ MARIÆ solemniter celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum JESUM-Christum.—*Cetera ex communi.*

Ad Benedictus.

Quæ est ipsa quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis sicut Castrorum acies ordinata. Surrexerunt filii ejus et beatissimam prædicaverunt.

Ad Vesperas.

Prosa. Tota pulchra est Virgo sacrata, nunquàm labe aliqua est maculata.
Plena gratiâ fuit concepta, à patre mundissima est generata.
Gratia immittitur in illo instanti, quo anima inducitur à præservante.
Sic ei conceditur à celebrante. Ecclesia spirante Spiritus Sancti.
Angelis est purior Sancta MARIA. Creaturis purior atque in patriâ.
Deo est propinquior, omnibus pia. Cunctisque sublimior altâ in curiâ.
Detur ista die populi devotio. Detque ipsa piè gloriam pro præmio.
Quæ Christum portavit pollens privilegio.
Qui concipi nunquàm valuit in corpore peccatis subdito.
Gloria sit Deo. Amen.

Ad Magnificat.

Quàm decora et immaculata et suavis es, ò pulcherrima mulierum, hortus conclusus et fons signatus, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis alloquens fidelibus: qui elucidant me, vitam æternam habebunt, alleluia. *Et triumphatur.*

II.

OFFICIUM CONCEPTIONIS

B. MARIÆ V.

Ex Breviario secundum consuetudinem et regulam Sedis et Episcopatûs Herdensis ad preces venerabil Viri Domini Arnaudi Porta Presbyteri præfatæ Sedis Beneficiati scriptum per Petrum Guizardi anno Domini MCCCCLI.

IN VESPERIS.

Ant. Gaude fidelis concio: adest namque Conceptio matris Annæ.
Aut dicatur ista ant. Anna concepit sterilis: fuit fructus ejus fertilis omni mundo.
Psalmi Laudate *et duplicentur omnes antiphonæ eo quòd sit festum totum duplex: et si in Dominicâ venerit, non transferatur ad sequentem feriam.*

CAPITULUM.

Dominus possedit me.....jam concepta eram.
℟. Insignis est progenies.

HYMNUS.

O Sancta Mundi Domina,
Regina cœli inclyta!
O stella maris MARIA
Virgo Mater Deifica!
Emerge dulcis filia,
Nitesce jam virguncula
Florem datura nobilem
Christum Deum et hominem.
Conceptionis annua
Recolimus solemnia
Quòd stirpe electissimâ
Mundo fulcisti genita.
Per te sumus terrigenæ
. . . . . à caligene
Precare proli nobili
More inæstimabili.
MARIA Mater gratiæ
Mater misericordiæ
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis horâ suscipe.
Gloria tibi Domine etc.

℣. Conceptio tua Dei Genitrix Virgo MARIA.
Ad Magnific. *ant.* O Regina Reginarum, supernorum civium Imperatrix, lumen clarum, per istud solemnium preces pro illis funde, quos stringit mortiferum vitium.

Oratio.

Deus ineffabilis misericordiæ qui primæ piacula mulieris per Virginem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

MARIAM expianda sanxisti, da nobis, quæsumus, Conceptionis ejus dignè solemnia venerari, quæ Unigenitum tuum Virgo concepit et Virgo peperit, Dominum nostrum.

Nota, quòd si festum istud in Dominicâ venerit, plenè fiat de festo, et de Dominicâ commemoratio in Vesperis et Matutino. Et si in Sabbato venerit omnes ℣. de ipso festo erunt et, de Dominicâ fiet tantùm commemoratio, et posteà sancti Andreæ, et Adventûs similiter fiet commemoratio.

Ad Completorium Benedic terra, *quære in Laudibus.*

Ad Nunc dimittis. *ant.* Dum omnis Spiritus. *Quære ibi.*

AD MATUTINUM.

Invitator. Stellam MARIAM maris, * Venite adoremus.

Hymnus. Quem terrâ, pontus.....

IN I. NOCT.

Ant. Principium nostri luctûs Eva fuit, Annæ fructus hujus finis.

Psalmi Beatæ Virg. Ant. Eva demens obedivit hosti, cujus caput trivit stirps insignis.

Ant. A prophetis præsignata Annæ proles, per quam datur cunctis salus gratiæ.

℣. Benedicta tu.

Sermo Beati Anselmi Archiepiscopi.

Lectio 1.

Sicut enim in Sanctâ Ecclesiâ nativitas Beatæ MARIÆ celebratur, sic debet excoli ejus Conceptio. Nisi conciperetur, nunquàm nasceretur. ℟. Fulget dies hodierna, * Per quam mundo lux æterna cœpit illucescere. ℣. O quàm sancta Conceptio, ò quàm beata cognitio. Per quam.

Lectio 2.

Sicut enim ad salvandum genus humanum olim fuerit necessaria ejus Nativitas, sic fuit necessaria ejus Conceptio. Nisi enim illa conciperetur, ex eâ mundi Redemptor non nasceretur.

℟. Insignis ejus progenies in honore cujus dies præsens est memoriæ sempiternæ. ℣. Hæc nobis impetret gaudia civitatis supernæ.

Lectio 3.

Jussu Domini concipitur et nascitur. Iuò si divine à nobis prospitiatur spiritualis Conceptionis ejus dies, major foret approbationis quam Nativitatis.

℟. Virgineum decus ave, jugum cujus tam suave, * Conserva nos mortis à væ. ℣. Quæ providentiâ Dei mundo concepta fuisti. Conserva.

IN II. NOCT.

Ant. Hæc est lapis nostræ spei, ad conceptum nutu Dei quæ processit hodiè.

Ant. Laudes demus huic germini, quæ nostri fuit Domini vas decorum.

Ant. Anna Mater gratulare; noscis enim te portare florem florum.

℣. Post partum Virgo.

Lectio 4.

Res enim major extitit Adam à Deo creari, quàm filios Adæ de matre nasci. Non enim est mirum, si homo à Deo creatus, nascitur de matre.

℟. Veneranda cunctis festivitas, * In quâ fuit Annæ sterilitas tam fœcunda. ℣. Ista dies fons salutis initiumque virtutis. In quâ.

Lectio 5.

Namque duæ sunt conceptiones hominis: omnibus notum est peritis. Una quâ carnalis copula viri ac mulieris agitur: alia quâ anima nova et pura, Deo cooperante, corpori divinitùs adunatur.

℟. Anna, gaude, concepisti prolem, per quam succurristi humano tristi generi. ℣. Tua ferunt viscera hanc quæ sacra camera fuit *Christi quem* promisit.

Lectio 6.

Si non placet illis celebrare divinæ Matris Conceptionem carnalem, placeat saltem *animæ* ejus spiritualem corporis creationem, cum animâ copulationem.

℟. Benedictus Salvator qui promiserat venturum filium, *quod* implevit. ℣. Dum subiit germine prolis Annæ. ℣. Visitavit nos Dominus et fecit redemptionem plebis suæ. Dum.

IN III. NOCT.

Ant. Hodiè tremunt inferni: mundum ditat Rex æternus conceptu tam fructifero.

Ant. Quàm pulchra Dei series promittitur: progenies sacra de quâ nasciturus.

Ant. Novum cantate canticum, nam conceptum mirificum solemnizat Ecclesia.

℣. Elegit eam.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

Liber generationis JESU-Christi filii David, filii Abraham. Et reliqua.

Homilia

In Isaiâ legimus: Generationem ejus quis enarrabit? Non ergò putemus Evangelistam Prophetæ esse contrarium, ut quod ille impossibile dixit effatu, hic narrare incipiat; quia ibi de generatione divinitatis, hic de incarnatione Domini est dictum.

℟. Solem justitiæ Christum regem paritura stirps sacra concipitur hodiè, quâ mors est peritura. ℣. Conceptum colere sacrum gaudete fideles.

Lectio 8.

Conceptionem dominicæ Matris colere Christi generationem est commemorare. Nam conceptioni Christi hâc die sicut in nativitate Domini annuas matutinales laudes bono more decantamus et ad missam legimus. Meritò ergò et Filii generatio et Matris conceptio: quoniam conceptio et nativitas Matris generatio est filii.

℟. Ex Judæâ processisti, Mater Dei gloriosa, * Sicut pulchra rosa de spinis immaculosa. ℣. Lux in mundi fulgens caligine descendisti regali semine. Sicut.

Lectio 9.

Celebremus igitur hodiè dignis officiis alacritèr utramque ejus conceptionem, spiritualem, videlicet et humanam, ut ipsius meritis et precibus à sæcularibus curis et à cunctis malis mereamur eripi, deprecante Domino nostro JESU-Christo filio ejus, qui cum Patre et Spiritu Sancto et Matre suâ Virgine MARIA vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℟. Ecce novum MARIÆ gaudium: inter spinas beatâ lilium Dei splendet hinc providentiâ: * Hinc futura Mater, tu Filia, natum Virgo peperisti.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℣. Adoranda tua Conceptio per quam totus orbis in gaudio pullulavit. Hinc. ℣. Conceptio tua, Dei Genitrix.

IN LAUDIBUS.

Ant. 1. Dies preco dulcis ortûs, magnus qui fuit portus salutis, *est hodiè.*

2. Confiteantur populi, quia ad salutem sæculi terra dedit fructum suum.

3. Hæc est quæ nescivit thorum viri; parturivit enim regem gloriæ.

4. Benedic terra Dominum: creatur in te Virginum flos salus in perpetuum.

5. Dominum omnis spiritus laudet, qui misit cœlitùs rorem terræ desiccatæ.

Capit et ℣. ut in Vesper Hymnus. O gloriosa Domina.

Ad Bened. *ant.* Patriarchis ò promissa, à Prophetis vox emissa hic adstantes tuæ laudi, Virgo pia, nos exaudi.

Oratio ut supra, et postea fiat Commemoratio de Adventu.

Ad PRIMAM. *ant.* Abrahæ hæc semini fuit promissa: genuit regem *palmæ.*

Ad TERTIAM. *ant.* Anna concepit sterilis: fuit fructus ejus fertilis omni mundo. *Cap. sicut in Vesp.* ℟. Ecce novum. ℣. Benedicta tu.

Ad SEXTAM. *ant.* Fructum dulcem rex saporat, et in cœlis hunc decorat, et in profundo. *Capitulum.* Nunc ergo filii audite me... abjicere eam. ℟. Mater Dei. ℣. Egredietur virga.

Ad NONAM. *ant.* O quàm sanctum ventris onus Annæ Matris Virginis! Quàm suavis et quàm bonum fructus talis seminis, remedii nostræ mortis initium! *Capitulum.* Beatus homo qui audit me... à Domino. ℟. Gloriosæ dicta sunt. ℣. Elegit eam.

Ad VESPERAS. ℣. *Et ant. de Laudibus. Psalmi Beatæ Mariæ. Capit. Hymn. et ℣. ut in supra.*

Ad Magnif. *ant.* O totius Trinitatis, insigne sacrarium, excellentis castitatis virgo, pacis ostium, in meliùs paupertatis nostræ muta vitium. *Fiat commem. adventûs et S. Leocadiæ.*

III.

OFFICIUM

CINGULI B. MARIÆ VIRGINIS,

quod olim ante Concilium Tridentinum in Ecclesiâ Dertusensi celebrabatur secundò Dominicâ Octobris, editum per Rev. Franciscum Vincentium Dertusanum V. I. D. Canonicum et Priorem Ecclesiæ Tarraconensis, ac sumptum ex Breviariis antiquis dictæ Ecclesiæ.

Historia de Tortosa por Francisco Martorel y de Luna. Libro 2. cap. 12

IN I. VESPERIS.

Ant. 1. Virgo MARIA pientissima pro nobis deprecare Christum Dominum. *Psalmi de Officio parvo Brev. Romani.*

2. Dominus Presbyterum habitare fecit ejus in domo lætantem inter sanctorum agmina angelorum.

3. Stantes erant pedes Presbyteri in Ecclesiâ tuâ Domine.

4. Presbyter abjecto mundo desiderium suum et mentem ad cœlestia vertit.

5. Dominus non fecit taliter omni nationi, ut urbi et populo Dertusensi, illic magnalia pandens.

Capitulum. Ab initio. *et Hymnus.* Ave maris stella. *ut in cod offic. parvo.*

℣. Beatam me dicent omnes generationes.

℟. Quia fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen ejus.

Ad Magnif. *ant.* Gratias ingentes agunt, sanctissima Virgo, Dertusani tibi. Pignus amoris adest.

Oratio.

Deus qui Ecclesiam Dertusensem beatissimæ Virginis MARIÆ visitatione et Cingulo decorasti: ejus nobis intercessione concede, ut Cingulo fidei et puritatis accincti à cunctis peccatorum nexibus eruamur. Per Dom.

IN MATUTINIS.

Invitatorium. Christum Dominum MARIÆ Virginis Filium, * Venite adoremus.

Psal. Venite. *Hymn.* Quem terra, pontus.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Memor es urbis Dertusæ et visitas eam, pientissima Virgo MARIA: à Domino honore et gloriâ coronata.

2. Dei Mater immaculata solatium præstat servulis.

3. Domini est Dertusa, quam ipse juxta Iberum flumen Hispaniæ fundavit: et in ejus et MARIÆ Virginis obsequium præparavit.

℣. Diffusa est. ℟. Propterea.

LECTIO 1.

Cum homines clausis foribus paradisi ob protoplasti reatum à cœli essen arce depulsi, ruerent et cuncti ad ima dari in manibus inimici, foretque decretum Dei Filium incarnari, quo salus generi præstaretur humano; ut quod decreverat adimpleret, MARIAM Virginem Deus indulgentissimus elegit. Respexit enim Dominus merita et sanctitudinem ejus, cui nec ulla mulierum valuit, nec poterit comparari. Summè tamen humilitatem ejus conspexit; et ideò assecuta est altissimam dignitatem: esse enim meruit Mater Dei, et sic à Domino exaltari.

℟. MARIÆ Virginis merita et sanctitudinem Dominus conspexit. *Psal.* Quæ esse meruit Mater Dei. ℣. Summè tamen humilitatem ejus respexit. ℟. Quæ.

LECTIO 2.

Hanc igitur Dei dignissimam Genitricem, Reginam cœli, plenam gratiâ quia cæteris per partes præstatur, MARIÆ verò simul se totam infudit gratiæ plenitudo; exultantes laudare et venerari, grataque præstare illi obsequia dignum est. Hæc autem agunt Dertusenses his intenti. Propterea à Domino ipsâ mediâ urbi, et populo Dertusensi immensa præstari beneficia, et mira fieri clarum est: ex quibus pauca disseremus.

℣. Exultent omnes qui MARIÆ Virginis obsequiis sunt intenti. ℟. Cui nec ulla mulierum valuit, nec poterit comparari. ℣. Hæc enim nobis genuit Salvatorem. ℟. Cui nec.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℣. Adoranda tua Conceptio per quam totus orbis in gaudio pullulavit. Hinc. ℣. Conceptio tua, Dei Genitrix.

IN LAUDIBUS.

Ant. 1. Dies preco dulcis ortûs, magnus qui fuit portus salutis, *est hodiè.*

2. Confiteantur populi, quia ad salutem sæculi terra dedit fructum suum.

3. Hæc est quæ nescivit thorum viri; parturivit enim regem gloriæ.

4. Benedic terra Dominum: creatur in te Virginum flos salus in perpetuum.

5. Dominum omnis spiritus laudet, qui misit cœlitùs rorem terræ desiccatæ.

Capit et ℣. ut in Vesper Hymnus. O gloriosa Domina.

Ad Bened. *ant.* Patriarchis ò promissa, à Prophetis vox emissa hic adstantes tuæ laudi, Virgo pia, nos exaudi.

Oratio ut supra, et postea fiat Commemoratio de Adventu.

Ad PRIMAM. *ant.* Abrahæ hæc semini fuit promissa: genuit regem *palmæ.*

Ad TERTIAM. *ant.* Anna concepit sterilis: fuit fructus ejus fertilis omni mundo. *Cap. sicut in Vesp.* ℟. Ecce novum. ℣. Benedicta tu.

Ad SEXTAM. *ant.* Fructum dulcem rex saporat, et in cœlis hunc decorat, et in profundo. *Capitulum.* Nunc ergo filii audite me... abjicere eam. ℟. Mater Dei. ℣. Egredietur virga.

Ad NONAM. *ant.* O quàm sanctum ventris onus Annæ Matris Virginis! Quàm suavis et quàm bonum fructus talis seminis, remedii nostræ mortis initium! *Capitulum.* Beatus homo qui audit me... à Domino. ℟. Gloriosæ dicta sunt. ℣. Elegit eam.

Ad VESPERAS. ℣. *Et ant. de Laudibus. Psalmi Beatæ Mariæ. Capit. Hymn. et ℣. ut in supra.*

Ad Magnif. *ant.* O totius Trinitatis, insigne sacrarium, excellentis castitatis virgo, pacis ostium, in meliùs paupertatis nostræ muta vitium. *Fiat commem. adventûs et S. Leocadiæ.*

III.

OFFICIUM

CINGULI B. MARIÆ VIRGINIS,

quod olim ante Concilium Tridentinum in Ecclesiâ Dertusensi celebrabatur secundò Dominicâ Octobris, editum per Rev. Franciscum Vincentium Dertusanum V. I. D. Canonicum et Priorem Ecclesiæ Tarraconensis, ac sumptum ex Breviariis antiquis dictæ Ecclesiæ.

Historia de Tortosa por Francisco Martorel y de Luna. Libro 2. cap. 12

IN I. VESPERIS.

Ant. 1. Virgo MARIA pientissima pro nobis deprecare Christum Dominum. *Psalmi de Officio parvo Brev. Romani.*

2. Dominus Presbyterum habitare fecit ejus in domo lætantem inter sanctorum agmina angelorum.

3. Stantes erant pedes Presbyteri in Ecclesiâ tuâ Domine.

4. Presbyter abjecto mundo desiderium suum et mentem ad cœlestia vertit.

5. Dominus non fecit taliter omni nationi, ut urbi et populo Dertusensi, illic magnalia pandens.

Capitulum. Ab initio. *et Hymnus.* Ave maris stella. *ut in cod offic. parvo.*

℣. Beatam me dicent omnes generationes.

℟. Quia fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen ejus.

Ad Magnif. *ant.* Gratias ingentes agunt, sanctissima Virgo, Dertusani tibi. Pignus amoris adest.

Oratio.

Deus qui Ecclesiam Dertusensem beatissimæ Virginis MARIÆ visitatione et Cingulo decorasti: ejus nobis intercessione concede, ut Cingulo fidei et puritatis accincti à cunctis peccatorum nexibus eruamur. Per Dom.

IN MATUTINIS.

Invitatorium. Christum Dominum MARIÆ Virginis Filium, * Venite adoremus.

Psal. Venite. *Hymn.* Quem terra, pontus.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Memor es urbis Dertusæ et visitas eam, pientissima Virgo MARIA: à Domino honore et gloriâ coronata.

2. Dei Mater immaculata solatium præstat servulis.

3. Domini est Dertusa, quam ipse juxta Iberum flumen Hispaniæ fundavit: et in ejus et MARIÆ Virginis obsequium præparavit.

℣. Diffusa est. ℟. Propterea.

LECTIO 1.

Cum homines clausis foribus paradisi ob protoplasti reatum à cœli essen arce depulsi, ruerent et cuncti ad ima dari in manibus inimici, foretque decretum Dei Filium incarnari, quo salus generi præstaretur humano; ut quod decreverat adimpleret, MARIAM Virginem Deus indulgentissimus elegit. Respexit enim Dominus merita et sanctitudinem ejus, cui nec ulla mulierum valuit, nec poterit comparari. Summè tamen humilitatem ejus conspexit; et ideò assecuta est altissimam dignitatem: esse enim meruit Mater Dei, et sic à Domino exaltari.

℟. MARIÆ Virginis merita et sanctitudinem Dominus conspexit. *Psal.* Quæ esse meruit Mater Dei. ℣. Summè tamen humilitatem ejus respexit. ℟. Quæ.

LECTIO 2.

Hanc igitur Dei dignissimam Genitricem, Reginam cœli, plenam gratiâ quia cæteris per partes præstatur, MARIÆ verò simul se totam infudit gratiæ plenitudo; exultantes laudare et venerari, grataque præstare illi obsequia dignum est. Hæc autem agunt Dertusenses his intenti. Propterea à Domino ipsâ mediâ urbi, et populo Dertusensi immensa præstari beneficia, et mira fieri clarum est: ex quibus pauca disseremus.

℣. Exultent omnes qui MARIÆ Virginis obsequiis sunt intenti. ℟. Cui nec ulla mulierum valuit, nec poterit comparari. ℣. Hæc enim nobis genuit Salvatorem. ℟. Cui nec.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lectio 3.

Dertusæ fuit quidam Presbyter probus et timoratus, et quis is fuerit, ignoramus: qualis tamen fuit sequentia luculenter ostendunt. Hic curans Christum sectari abjecto mundo mentem ad cœlestia vertit MARIÆ Virgini Dei Matri sedulo obsequia præstans. Contigit semèl cum nocte quiesceret; ut surgens in noctis dimidio in Ecclesiâ Dertusanâ Matutinis (prout erat solitus) interesset (res mira) à Domino ad januas dictæ Ecclesiæ, contiguas cæmeterio ductus in ea. Te Deum laudamus audiens cantari, illuc quomodò venisset curans, tunc minimè perscrutari, cœpit contristari, et intra se dicere. Heu quia favens somno ad Ecclesiam serus accessi. Sed cum hodiè officium de feriâ debeat fieri: quid est quod solemne officium intra Ecclesiam sentio celebrari?

℣. Presbyter curans Christum sectari. ℟. Abjecto mundo mentem ad cœlestia vertit. ℣. MARIÆ Virginis Dei Matri sedulò obsequia præstans. *Psal.* Abject. Gloria Patri. *Psal.* Abject.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Specie tuâ et pulchritudine tuâ intende, prosperè procede et regna.

2. Refugium est nostrum Virgo MARIA clementissima: adjutrix in tribulationibus.

3. Gloriosa dicta sunt de te, dulcissima Virgo MARIA: ex quâ Christus Dominus natus est.

℣. Specie tuâ. ℟. Intende prospere.

Lectio 4.

Hæc dum secum tacitus cogitaret, Ecclesiæ januas cernens apertas, stans ad limen ingentem intuitus est luminis claritatem conspexit à capite Ecclesiæ usque ad ipsum limen sanctos Dei Angelos in vestibus albis per chorus hinc indè stantes, accensos cereos albos habentes: quos tremens cum cerneret, illum nullo Angeli vocaverunt, sibi cereum accensum tradentes, et ut ad altare majus accederet innuentes. Quibus assensit. Perrexit igitur ad altare, cujus ad latus vidit mulierem speciosam valdè, ornatam, sedentem in solio coronatam. Cui aderant stantes ad latera duo viri, quæ illum intuens, eum accersivit et dixit illi. Tu Presbyter noscis me? Cui perterritus respondens Presbyter ait: Ego quamquam suspicer; planè tamen, Domina, te non novi. Tunc illa inquit Presbytero. Ego sum Mater Dei, cui tu summè obsequia præstas. Hi duo viri hinc indè stantes præcipui sunt Christi Apostoli: à dextris Petrus Christi Vicarius, et Paulus Doctor gentium à sinistris.

℟. Dulcissima Virgo MARIA. *Psal.* Dixit Presbytero hæsitanti. ℣. Ego sum Mater Dei, cui tu summè obsequia præstas. *Psalm.* Dixit.

Lectio 5.

Tunc Presbyter flexis genibus dixit illi. O sacratissima Virgo MARIA Mater Domini nostri JESU-Christi, et Domina mea, undè hoc mihi, quòd ego indignus Presbyter et peccator merear te Reginam cœli vivens adhuc corpore intueri. Virgo autem MARIA Sacratissima dixit ei: Surge, ne timeas. Tu quidem assiduè mihi servis infessus: propterèà vivens in hoc sæculo me videre, chorisque his interesse angelicis meruisti. Et quoniam in honorem Filii mei, et meum hæc Ecclesia est constructa, et vobis Dertusensibus curæ est me plurimùm venerari, ideò quia diligo vos, pro quibus meum ad Filium intercedo, solvens Cingulum, quo præcinguor, à me

fabricatum, super altare illud pono, et vobis trado, ut hoc in pignus amoris mei habeatis. Et tu hæc omnia Urbis Episcopo, Clero et populo reserabis. Et hæc dicens solvit et posuit super altare Cingulum, tradens illud. Dixit illi Presbyter: cum sim solus, si dixero hæc, non credent. Virgo MARIA pientissima dixit illi: ecce Monachum majorem habes contestem, qui est in choro, et hæc omnia cernit, ideò illis vos duo hæc omnia et singula referetis. Et visio his dictis evanuit.

℟. Presbytero dixit Virgo MARIA, vobis Dertusensibus trado Cingulum quo præcingor. *Psalm.* A me fabricatum. ℣. Ut illud in mei memoriam habeatis. *Psal.* A me fabricatum.

Lectio 6.

Presbyter autem præfatæ Ecclesiæ januas clausas conspexit seque in cæmeterio esse. Tunc ad domum suam reversus cum illius ostium interiùs esset clausum, dixit. Nunc scio verè quia extra domum Dominus me adduxit, et vera sunt omnia quæ persensi. Et pulsato ostio illud ancilla aperuit (erat enim ibi illa ad obsequium sororis Presbyteri commorantis cum eo) quæ eam alloquens. Tunc Presbyter, unde veniret, stupuit; sed quomodò exiisset domo longè amplius mirabatur. Soror autem Presbyteri ejus sanctitudinis non ignara indicit ancillæ silentium. ℟. Presbyter ad se reversus dixit. *Psal.* Nunc scio verè, quia extra domum Dominus me adduxit. ℣. Et vera sunt omnia quæ persensi. *Psal.* Nunc =Gloria.=Nunc.

IN III NOCT.

Ant. 1. Afferte MARIÆ Virgini, Dertusenses: afferte illi obsequium et honorem: adorate Dominum in atrio sancto ejus.

2. Lætamini in Domino, Dertusenses: laudate nomen Domini.

3. Cantate Domino, Dertusenses, quia mirabilia fecit.

℣. Adjuvabit eum. ℟. Deus in medio.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio 7.

In illo tempore factum est, cum Loqueretur JESUS ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. Et reliqua.

Homilia Ven. Bedæ Presbyteri.

Magnæ devotionis et fidei hæc mulier ostenditur, quæ Scribis et Phariseis Dominum tentantibus simul et blasphemantibus tanta ejus Incarnationem præ omnibus sinceritate cognoscit, tantâ fiduciâ confitetur; ut et præsentium procerum calumniam, et futurorum confundat hæreticorum perfidiam.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio. *Psalm.* Quia quem cœli capere non poterunt, tuo gremio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui. *Psalm.* Quia.

Lectio 8.

Ingressus autem domum Presbyter memoratus cœpit secum cuncta, quæ audierat et viderat perscrutari, dicens: cum sim Presbyter inutilis et peccator, ob quid Dei dignissimam Genitricem, et mirabilia in hâc nocte merui intueri? Et cum hæc diceret, ad Matutinum Officium sonum campanæ, dum pulsaretur in noctis dimidio, audivit. Et ad dictam Ecclesiam pergens festinus apertis ejus januis à ministris, in illam ocius in-

travit, et Monacho majore propè accersito, dixit illi: Vidisti, quæ paulò ante in hâc sanctâ Ecclesiâ evenerunt? At ille respondit: Vidi. Et cum propterea Monachus major in Altari cereos accendisset, accesserunt simùl ad illud, et Cingulum ibi à Virgine MARIA indulgentissimâ positum conspexerunt. Postea autem expleto officio matutino, Presbyter et Monachus major prædicti Canonicis et Clericis, qui ibi aderant, congregatis, illis omnia quæ contigerant, propalarunt. Qui omnes ad Altare, ut viderent Cingulum, perrexerunt. Quo inspecto, mirantes cum gaudio abierunt.

℟. Beata est Virgo MARIA, quæ Dominum portasti Creatorem mundi. *Psalm.* Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo. ℣. Ave MARIA gratiâ plena Dominus tecum. *Psalm.* Genuisti.

LECTIO 9.

Manè autem facto Presul, Clerus, Proceres ac populus civitatis in dictâm Ecclesiam convenerunt, quibus dicti Presbyter et Monachus major monstrantes Cingulum, cuncta, quæ in nocte viderant et perceperant retulerunt. Tunc Presul indixit festum jussitque diem illum ab universo urbis populo celebrari. Post hæc sacris ritè peractis, per urbem Cingulum cum Hymnis et canticis detulerunt. Ad Ecclesiam autem reversi recondiderunt illud in sacrario ejus, ibique servandum esse in perpetuum censuerunt. Igitur exultent et jubilent Dertusani præsidio Virginis MARIÆ Dei Matris excellentissimæ tuti, illam laudantes et venerantes, ac Christum cernui deprecantes: ut ejus precibus exoratus, eos per sæcula servet, et sedes in cœlis illis et gaudia præstet.

℟. Felix namque es sacra Virgo MARIA et omni laude dignissima. *Psal.* Quia ex te ortus est Sol justitiæ Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo etc. *Psalm.* Quia Gloria *Psalm.* Quia.

Te Deum laudamus.

℣. Ora pro nobis Sanct.

℟. Ut digni efficiamur.

IN LAUDIBUS.

Ant 1. Firmavit Dominus Dertusam, cujus Ecclesiam decet sanctitudo in longitudinem dierum.

2. Jubilate Deo mares et feminæ Dertusenses: servite Domino in lætitiâ.

3. Peesbyter memor fuit tui, Domine, super stratum suum: in matutinis meditatus est in te.

4. Benedicat Dominum Dertusa; laudet et super exaltet eum in sæcula.

5. Juvenes et Virgines Destusenses: senes cum junioribus laudent nomen Domini.

Capitulum. Ab initio.

Hymnus. O gloriosa.

℣. Elegit eam Deus et prælegit eam.

℟. Habitare eam facit in tabernaculo suo.

Ad Bened. *ant.* Dulcia MARIÆ solatia Virginis almæ sunt, quæ suis præstat cervulis ipsa nimis.

Oratio. Deus qui Ecclesiam.... ut *supra.*

Horæ dicuntur ut in Officio B. M. V.

In II. Vesperis omnia ut in primis præter. ℟. et *ant. ad* Magnificat.

℟. Presbytero dixit Virgo MARIA, vobis Derfusensibus trado. *Requiro in Matutinis.*

Ad Magnif. *ant.* Nostri Redemptoris Mater dignissima Christi pro nobis illum Virgo precare piens.

ADDITIO

ponenda die XXVIII. Novembris post Nonam Lectionem, quæ dici debet unà cum Octavâ pag. 462, *ut fieri possit sequens.*

LECTIO 9.

Commemor. Dedicationis Ecclesiæ Dertusensis.

Ex Instrum. hujus Dedicat. España Sagrada Tom. 42. *pag.* 310.

Incœpit Gaufredus Dertusensis Episcopus cum venerabili suo conventu ædificare Domum Domino in honorem Sanctæ Dei Genitricis Virginis MARIÆ quam demùm consummavit, et multis ac magnis expensis ad perfectionem perduxit Pontius Dertusensis venerabilis Episcopus, successor Domini Gaufredi. Fabricâ igitur Ecclesiæ feliciter consummâ à, placuit Ildephonso Regi Aragonensi et Sanciæ Reginæ prædictam Ecclesiam dedicari. Propterea accersiverunt Rex et Regina et Pontius Episcopus Berengarium Archiepiscopum Tarraconensem, et Petrum Ausonensem Episcopum, plurimos etiàm Abbates et Clericos, Raimundum quoquè de Monte Cateno, et plurimos alios Barones Regni et Comitatus, infinitos etiàm populos à longinquis regionibus venientes, et totum faciente divinâ clementiâ et perficiente in præsentiâ omnium istorum dedicata est Dertusensis Ecclesia à prædicto Tarraconensi Archiepiscopo in honorem Dominæ nostræ Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ Virginis anno millesimo centesimo septuagesimo octavo Dominicæ Incarnationis, Indictione undecimâ, quarto Kalendas Decembris. Tu. Te Matrem.

ORATIONES

sequentes, ex Brev. Ilerdensi excerptæ, possunt dici ad libitum ante et post recitationem Horarum.

Ante Horas.

Oratio.

Mater digna Dei, veniæ via, lumenque diei,
Sis tutela rei, duxque, comesque mei.
Nata Dei, miserere mei.
Digna coli, Regina poli, me linquere noli.
Te volo laudare, et semper amare.
Me tibi, Virgo, pia genitrix, commendo, MARIA.
JESU-Christe Filii Dei, tu miserere mei. Amen.

Post Horas.

Oratio.

O MARIA purissima, stella maris clarissima: Mater misericordiæ et aula pudicitiæ, ora pro me ad Dominum JESUM-Christum Filium tuum, ut me ab omnibus malis eruat, bonis gaudere faciat, à vitiis evacuet, et virtutibus corroboret. Amen.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX.

Præfatio ad Lectorem. . X
S. Bonaventuræ in Psalterium Præfatio XIII
Quinque quæ Brev. Marian. indistincte complectitur. XV
I. Biblia Mariana. . . . »
II. Summa Virginea Conciliorum, etc. . . . XVII
III. Mariale Patrum . . XX
IV. Parnasus Virginalis. XXIII
V. Historia Deiparæ . . XXIX
Tabula temporaria festorum XXXIX
Kalendarium Marianum. XLI
Rubricæ generales Breviarii Mariani. . . . XLIX

Psalterium dispositum per Hebdomadam. 1
Dominica. 1
Feria II. 19
Feria III. 25
Feria IV. 30
Feria V. 36
Feria VI. 41
Sabbato. 47
Commemorationes communes. 53
Antiphonæ post Laudes et Completorium 54
Absolutiones et Benedictiones. 56
Conclusiones Orationum . . 58
Proprium de Tempore. . . 59
I. Expectatio B. M. V. . . 59
II. Infantia B. M. V. . . . 64
III. Prægnatio B. M. V. . 94
IV. Puerperium B. M. V. . 112
V. Vita contemplativa B. M. V. 129
VI. Vita dolorosa B. M. V. . 165
VII. Vita gaudiosa. B. M. V.. 196
VIII Vita activa B. M. V. . 245
IX. Vita gloriosa B. M. V. . 291
Proprium Festivitatum B. V. MARIÆ. 302
Festa Septembris 302
Octobris. 366
Novembris. 412
Decembris. 463
Januarii 526
Februarii. 577
Martii. 624
Aprilis 672
Maji 698
Junii. 741
Julii 776
Augusti 825
Commune Festivitatum B. V. MARIÆ 884
Tempore I. Expectationis. . 886
II. Infantiæ . . . 886
III. Prægnationis. . 893
IV. Puerperii . . 898
V. Vitæ contemplativæ 905
VI. Vitæ dolorosæ. . 911
VII. Vitæ gaudiosæ. 917
VIII. Vitæ activæ . 923
IX. Vitæ gloriosæ . 930
Dedicationis Ecclesiarum. . 936
Officium parvum Immaculatæ Conceptionis 945
Officium parvum septem Dolorum 948
Addenda festo B. V. Barb. de Podio. 953
Appendices—I. Offic. Concept. Eccles. Gerundensis . . 955
II. Offic. Conc. Eccl. Herdensis 959
III. Offic. Cinguli B. V. in Eccl. Dertusensi 962
Additio diei 28. Novembr. . 967
Orationes ante et post Horas. 967

Omnia ad majorem Deiparæ Immaculatæ gloriam.

FINIS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS